Apr 23
Chapter
Vol 16

COMMENTARIA

ALLEGORICA, MORALIA DE CHRISTO FIGVRATO IN VETERI TESTAMENTO.

AVTHORE PATRE DIDACO DE BAEZA, *Ponferradiensi, Societatis Iesu è Prouincia Castellana.*

Tomus Tertius.

COMPLECTENS VITAM ABRAHAMI, ET IOSVE.

AD ILLVTRISSIMVM D. D. LVDOVICVM *Garsia Episcopum Aurienſem, Electum Astu-ricenſem.*

PRIMA EDITIO.

Del colegio de Salamanca de Jesus de Soria

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

VALLISOLETI

Ex Typographia Antonij Vazquez à Sparça.
Anno M. DC. XXXVII.



ILLVSTRISSIMO D.D. LVDOVICO GARSIA EPISCOPO AVRIENSI, ET ELECTO ASTVRICENSI.

MIRABERIS Forsitàn, Modestissime Præsul (sit enim hæc Tui verissima præfatio, dũ arrogante cõsenescit in Mundo) Miraberis, quòd intra Modestiæ metas, & Virtutis latentem, mortaliumque vitantem commercia, vt totus Superis liberiùs adspirãs, ex æquo cũ Deo viuas; meæ laudes repererint: Quasi non insectetur fugientem Honos, eaque multis retrò sæculis Gloriæ indoles fuerit, vt repudiantem ambitiosiùs soliciter, eo solùm nimirum titulo constans, alioqui fluxa & lubrica. Sed iamdiu posses admirationem posuisse, & Honoris agnouisse Naturam, qui toties ab Honoribus inuentus es, inter Silentij bona latère cupidus, quoties ad Dignitates ascendisti, Modestiam Tuam ambientes. Accepimus enim ab ijs, quibus te coràm venerari, Numinis beneficio, datum est, cum ad Aurienſis Episcopatus solium, meritis exigentibus, vocaueris, non aliter, quàm renitentem, ac iussum, adueniſſe: Ingentis vtrobique Moderationis; & quòd meritum Dignitatis Honorem aspernatus; & quòd iussus adeptus sis. Illud enim Modestiam Tuam decebat, hoc Obedientiam; quæ Tibi nõ permisit vetare, quòd Rex seriò iuberet. Seriò namque imperare opus fuit, quod mentis Tuæ Candor ardentissimè recusabat: neque constantiam Tuam flectere valuit oblatus meritissimè Honor, quandiu ex indulgentia profectus, non ex Decretorio Imperãtis arbitrio manaſse credebatur. Sed cessit, postquàm de iussa constitit; licuit enim Modestiæ Tuæ Munificentiam Regis abnuere, sed non licuit Imperium. Cogendus ergo fuisti, vt Imperares; quæ alioqui, ingenio obsecundante, lubentis nutum solicito adimplebas ministerio. Paruisti tandem, Præsul, & ad Episcopatum obsequio peruenisti, nullo maiori summissioris animi indicio, quàm quòd caperas imperare. Optabas Pacis & Silentij amantissimus Tuo lare senescere; Sed Tuæ Te virtutes nõ sinebant ignobili latitare Silentia;

tio: Nimirũ igneũ est Virtutibus ingeniũ, quæ vel adusto obstaculo, vel se per cõmissuras insinuant feruentiùs scintillantes. Tibi igitur imputa quidquid Modestissimi sensus ex Electione passus es; nõ enim aliter Rex Tecum agere potuisset; qui non tàm Tibi illo Honore consuluit, quàm sibi inuidiam meritò apud omnes timenti, si qualicunque illo præmio Virtutis Tuæ merita non donasset. O nouam in ambitioso sæculo ad Dignitatem viam, atque post Ambrosiana, & Augustiniana tempora inauditam! Cum Te non blandiẽs Adulatio, non auita Nobilitas, non Opulentia Domus, non Preces, aut Purpuratorum Potentia, non subornata Manus, non denique ipsius Principis prolixissimus Fauor; sed Dignitatis metus, sed multa Virtus, sed profunda Scientia, sed Candor mentis, sed Religio morum, sed stimulata demum conscientia Regis Episcopum instituit: Nec alium esse oportuit, quem exorati terris Superi dedissent: communicato quippè cum Deo, vt ipse Rex aiebat, consilio, electionem Tuam decreuit, vt cõstaret, Cœlitum illud opus, illud decretum fuisse, qui sibi vendicauerunt hanc gloriam, vt iustissimam Tui promotionẽ ipsis auctoribus, Rege ministrante procederet; neque enim nihil interesse decebat inter Antistitem, quem homines, & quem Deus fecisset.

Verum vt retrò, quò me Tua Pietas vocat, orationem conuertam; cum in Abulensi Ecclesia Canonici Concionatoris Munus obires, quàm Moribus ad Virtutem compositis prædicabas! Erant, qui, Te alacriter facem præferente, ad Virtutis & Sapientiæ Sacrarium conscenderent. Habet enim nescio quid incitamenti eximia vitæ Sanctitas, quæ ad sui imitationem etiam in cogitantium animos rapit. Sed nimirum bono tum etiam omine, Virtutis asseclas Magisterio, vt posses postmodum ad omnem Sanctimoniam Religiosissimas erudire Moniales. Quippè Rege solicitè quærente, quæ Conuentui præficeret, qui sub Incarnationis Dominicæ titulo illustri Religione Matriti floret; Tu dignus, aptusque inuentus es, cui castissimæ Fœminæ puras mentes ad pietatem promouendas committerent. Nec illas cogitatio fefellit; quantum enim sub Tua disciplina profecerint, declarant voces illarum, & blanda ad Regem querimonia ad Episcopatum vocantem. Quippè iamolim eligi merebaris, nisi Tuam Modestiam Rex offendere conlatæ Dignitate vereretur. Sed expectatum est tempus, in quo iustè non posses de iustissimo Rege causari; qui sua Conscientia & Virtutibus Tuis

coactus

coactus Episcopũ non sponte, sed cogente necessitate creauit. Magna profecto, & inusitata Modestiæ Tuæ gloria, quæ spontaneam à Rege benefaciendi substulit libertatem, eripuitque, quod est in Principatu beatissimum, Nihil cogi. *Si tamen sola erat hæc ratio, quæ Te salutis publicæ gubernaculis admoueret, prope est, vt exclamem, Tanti fuisse. Sed his vocibus iuuat, vt voces tuas addidisse, quæ non minus Tuæ laudi, sed præter intentionem Tuam, conferent. Scribis enim in familiari ad quendam ex Nostris epistola, cum ex Aurienſi Ecclesia ad Asturicensem promouereris:* Ex Obedientia quasi de Collegio in Collegium migrare (*Nostrum more innuendo*) *O verè ingenuam vocem, & à Tua Modestia emissam! Sic debes, sic debes, Præsul Obedientissime (patitur enim Tua Moderatio interpellationem) nec liceret imperanti subditũ repugnare, Principi ciuem. Eodem enim illum iure vti putas, cùm ad ditiorem vocat Episcopatum, ac cùm misit ad pauperiorẽ; nihilque interesse autumas, an ascendere, an descendere iusserit Obedientem.*

En, Præsul Illustrissime, causam vnam, cur Tuæ Dominationi Librum meum dicauerim; vt scilicet Tuam Orbi Pietatem, & Modestiam aperiam, quas Tu celare nimis curiosè satagis. Sed adest alius neque minor huius Dedicationis titulus, paternus in Societatem Amor, quo Te totũ singulis, totique deuouisti. Quid igitur singuli se, suaq; Tibi grato animo deuoueant? Adde, me ex patria Asturicensis ditionis ouiculam, quæ in immensum lætatur adduxisse tanto Pastori. Debita sunt enim obsequia, quæ beneficio præcedente offeruntur; nec gratuitò dare cẽsendus est, qui soluit. Accipe igitur benigna Manu, quod Tibi, Iucundissime Antistes, mille nominibus obnoxius sacraui; maiora, si vota respicis, oblaturus. Vale, & Fruere, vt

Dominationi tuæ addictissimus optat.

Didacus de Baeça.

Pro-

Prouincialis Licentia.

EGO Michael de Vrueña, Societatis Iesu, in Prouincia Castellæ Præpositus Prouincialis: Potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Nostro Mucio Vitelleschi Præposito Generali: facultatem facio, vt Tomus 3. inscriptus *Cõmentaria Allegorica Moralia de Christo figurato Auctore Patre Didaco de Baeça, Ponferradiensi*, Nostræ Societatis Theologo, & eiusdem Societatis grauium, doctorũque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem, has literas manu Nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Salmanticæ, in Regio nostro Spiritus Sancti Collegio, die vigesima sexta Martij, anno millesimo sexcentesimo trigesimo sexto.

Michael de Vrueña.

APPROBATIO R. ADMODVM P. M. F. FRANcisci Suarez, Ordinis Diui August. & Regij Concionatoris.

SENATVS Supremi iussu vidi (& gauisus sum) *Commentaria Allegorica Moralia de Christo figurato, à Patre Didaco de Baeça, Societatis Iesu*, dilucidè in hoc tertio Tomo elucubrata. Et Admiror Euangelicum Patremfamilias de Thesauro suo noua, & vetera mirè, & nouitèr Euangelizantibus proferentem. Opus vere magnum, & Magno inuentore dignum. Nihil dissonum veritati sacræ, Autoritati Patrum, & vtilitati Ecclesiæ Reperio: omne consonum Scripturæ, Doctoribus, & dogmatibus inuenio; & verbi Dei Prœconibus Agrum plenum, & planum ad ambulandum in via Dei mirificè offerẽdo. Dignus inuenitur obtinere quod cupit. Sic iudico, sic approbo, sic desidero in Conuentu Sancti Filipi Matritensis. Die 17. Martij, anno 1636.

Fr. Franciscus Suarez.

AP-

APPROBATIO R. ADMODVM Patris Fr. Didadi Fernandez Lectoris Theologiæ, in Conuentu D. Franc. Vallisol.

PRAECLARA Hæc *Commentaria Allegorica, Moralia de Christo in Abrahamo, & Iosue figurato*, à Patre Didaco de Baeça Societatis Iesu elàborata, ex commissione D. D. Augustini Rodriguez de Pesquera, in Alma apud Pincianos Cathedrali Ecclesia Canonici, & Illust. D. D. Gregorij de Pedrosa Vallisoletani Præsulis, Vicarij Generalis, accuratè vidi, & expendi, summaque voluptate perlegi. Opus sanè suo dignum Auctore. Nullum lubrici lapsus rebus fidei periculum, nullum moribus honestis baratrum minatur. Cuius commẽdatio digna sat esset scripsisse Baeçam. Auctor fiõti adscriptus suum ipse probat opus. Hic ille est, cuius ad Doctrinam, instar purissimi speculi, totus in hoc Sæculo Cõponitur Orbis. Quẽ solitarium Prophetis vacantem, occulta Prouerbiorum exquirentem, Sanctorum PP. volumina nocturnâ, diurnâque manu versantem, eorum paræmias subtiliter rimantem, tacitumque moribus efformandis applicantem, fideles cuncti audiunt è suggestu, varijs linguis, idiomate vario per multorum verbi Diuini præconum ora clamantem, docentem, increpantem, denique mores efformantem. Sex priorum voluminum summam eruditionem, Christianam pietatem, Religiosum animarum zelum, assiduam antiquorum PP. vsque ad miraculum lectionem, probarunt sapientes omnes: eorum vtilitatem Sanctæ Ecclesiæ filij sunt experti. Tertius adest hic Tomus super veterem Scripturam, qui septimus in ordine est, prioribus non absimilis: suum sapit Auctorem: eiusdem ingenij est fœlix partus: eiusdem eruditionis, & pietatis est legitimus filius. nescit inde aliquid nasci mediocre, nihil non grande: fœlix hęc & nobilissima vena fructus emittit semper primarios. Eximio enim huic Interpreti semper adest in tractandis verbis Christi mira quædam diligentia, in erendis per Allegoriam figuratis mysterijs sedulitas, in componendis per Tropologiam moribus emunctum iudicium: & ideò semper erit constans, & inuariata eius gloria. Quem si cum vetustis illis sacrarum literarum illustratoribus comparare voles, vt in dictionis suauissima copia, cum paraphraseos maiestate reperies parem; ita in sensus grauitate, in sententiarum pondere, in expositione mysteriorum, in efformandis Christianæ vitæ moribus non inuenies inferiorem. Quare si in commentarijs moralibus diuinarum literarum Baeçam meum coryphęum fuisse, & omnium consensu tenuisse dictaturam asseram, puto me nemini hyperbolicum laudatorem videri debere, puto hoc sine vllius iniuria â me affirmari: nec potest me fallere mei amantissimi Magistri amor (sub cuius disciplina, fœlix ego, adolescens dialecticam, logicam, & naturalem phylosophiam sum professus) mihi enim assentiunt probi quique. Ita de opere, ita de Auctore sentio, & subscribo. In hoc D. Francisci Conuentu Vallisoletano Ianuarij 27. Die 1636.

Fr. Diego Fernandez.

PRI-

PRIVILEGIO.

TIENE Priuilegio el Padre Diego de Baeza de la Compañia de IESVS de su Mageſtad, para imprimir eſte libro que el cõpuſo, intitulado *Cõmentaria Allegorica, Moralia de Chriſto figurato in veteri Teſtamento, tom. 3.* con prohibicion que otro ninguno le pueda imprimir ſin ſu licencia, como mas largamente conſta de ſu original à que me refiero. En Madrid à 13. de Iunio de 1636.

Franciſco Gomez de la Sprilla.

TASSA.

FVE Taſſado por los Señores del Conſejo Real eſte libro intitulado *Commentaria Allegorica, Moralia de Chriſto figurato in veteri Teſtamento, tom. 3.* à quatro marauedis y medio cada pliego en papel. Fecha en Madrid à 27. de Abril de 1637.

Marcos de Prado y Velaſco.

ERRATAS.

PAg. 9. col. 1. lin. 21. recenſes, leg. recenſet. Pag. 10. col. 1. lin. 4. Sororum, leg. Sororem. Pag. 12. col. 1. lin. 10. ante finem Domin, lhoc. leg. Domini hoc. Pag. 13. col. 1. lin. 18. aſportauerun team, leg. aſportauerunt eam. Pag. 14. col. 1. lin. 9. præperatam, leg. præparatam, Ibidem ibidem, lin. 33. de illo, leg. de illa. Pag. 17. col. 1. lin. 8. ante finem, populos, leg. populus, ibidem col. 2. lin. 1. perfecte, leg. perfecti. ibidem, ibidem, lin. 26. minime, leg. minimo. Pag. 20. col. 2. lin. 25. monitu, leg. monitum. Ibid. ibid. in tit. paragraphi, amplificatur æternatur, leg. amplificatur, æternatur. pag. 23. col. 2. lin. 14. ante finem, filium leg. filiorum. Pag. 24. col. 1. lin. decima ſeptima, mater, leg. matrem. Ibid. ibid. lin. vigeſsima, ſecuros, leg. ſecurus. Pag. 26. col. 1. lin. decimanona, numerus, leg. numeros. Pag. 27. col. 1. lin. quinta, Aran, leg. aram. Pag. 28. col. 2. li. 17. ante finem, ſed in anima, leg. ſed anima. Pag. 30. col. 1. lin. vigeſima tertia, Aran leg. Aaron. Pag. 33. col. 1. li. 15. cruciatur, leg. cruciatus. Pag. 35. col. 1. lin. 3. poſt, §. 7. natidis, leg. nanitidis. Pag. 36. col. 1. lin. 25. complacuit, leg. complacuit. ibid. ibid. lin. 23. procurans, leg. procuras. Pag. 41. col. 2. lin. 3. ante finem, euoluerat, leg. euoluerat Peg. 46. col. 1. lin. 1. regiam, leg. reginam. ibid. col. 2. lin. 3. euettant, leg. euertant. ibid. col. 2. li. 22. repercuſsi, leg. repercuſſæ. Ibid. ibid. lin. 19. aur. ovix. leg. auro, vix. Pag. 53. col. 1. lin. 2. ante finem, Graca, leg. Græca. Pag. 58. col. 2. lin. 12. maius, leg. mauis. Pag. 60. col. 1. lin. 5. ante, §. 13. exornant, leg. exornat. Ibid. ibid. lin. 19. vtriſque, leg. vtriuſque. Pag. 68. col. 1. lin. 24. illuxerunt, leg. illuſerunt, Pag. 70. col. 2. li. 2. ante finem, poſſum, leg. poſſunt. Pag. 71. col. 2. lin. 7. ante finem, non poſsit, leg. non poſsint.

Con eſtas erratas concuerda con ſu original. Dada en S. Pablo de Valladolid à 26. de Março de 1637.

El M. Fr. Raphael Manſo.

LIBER

LIBER SEXTVS.

ABRAHAMVS, SIVE IESVS EXTRA COGNATOS.

INFANTIAM Egreſſus Dominus Ieſus, vt duodecimi anni curriculum peregit, celebri feſtiuitatis die, carnalibus ſe ſubſtrahit parẽtibus; vnà cum prætexta, cognatorum dimiſit delineamẽta, vt viriles oſtenderet virtutes, in cœleſtis parentis obſequio, in legis Doctoribus edocendis. Duodenus erat, cum cognationem carnis euacuat, vt impleat templum, in quo ſapientioribus manifeſtatus ſapientior, iterum abſcondit regias virtutes, vt obedientiſsimi ſubditi ſe præbeat exemplar. Quod præmõſtrabat antiquitus vnus Abrahamus, dum Dei ſecutus oraculum cognationem carnalem effugit, & fit gentium doctor, præſtantiſsimæque obedientiæ ſingulare delubrum.

CAPVT PRIMVM.

Abrahami egreſſus à patria Chaldæa.

Textus Hiſtoria.

FAVSTISSIMVS poſt diluuium annus affulſit, trecẽteſimus octuageſimus primus, quo Thare centum & triginta annis natus; tertiam dedit ſuæ prolem familiæ, orbi venturi Solis auroram effudit, & credentibus ſingulare calcar admouit ad fidem. Ætatis anno ſeptuageſimo cœperat Thare pater eſſe, dum Aramum primogenitum edidit; poſt hunc Nachor, tandem Abram à nobili Heroum vena tertius proſiluit. Meritò tertius naſcitur, qui arcana Trinitatis ingreſſus fecit Dei filium innoteſcere mundo; & tertiæ ætatis fundamina iecit; & mediatorẽ egit, vt pater Thare abiectis idolis, vnicum, & verum coleret numen. Nec ægre adducor, vt credam idola abiecta fuiſſe à Thare, qui primus, teſte Epiphanio, illa ex luto confixerat, ea enim ſunt idola mundi, quæ prĩmus aſpernatur, qui adorauerat primus. Habuit tamen Thare duo peragendi facinoris incitamenta in duobus filijs, in altero ſupplicium, in altero conſilium. Vidit enim ante ſe primogenitũ Aramum emortuum (res tunc temporis parentibus inſolens) dum ipſe emortuos Deos ex argilla effingit, relicto viuo. Cuius rei indignitate Abram filius tertius, quatuordecim annis natus commotus, multis perſuadet parentem, ne relicto viuendi fonte ad mortis currat domicilia. Ne terram effodiat pro quærendo eo, qui ſupra pennas euolat ventorum, & cœlorum tenet altiſsima. Videres patris canitiem attonitã ad verba pueruli filij, & filium puerulum ſeni patri inſtillantem viuidæ diuinitatis doctrinam.

Iam tunc innocua pueritia potens erat senes dirigere in viam salutis, diuinitatisque arcana illis aperire. Parentem ergo & verbis, & exemplis Abramus dum per nō paucos annos instituit, sic sibi Deum deuinxit, vt ad eius familiarem vocatus consuetudinem, cātatissimum oraculum accipiat, quo iubetur natales suos deserere, & ad cœlestia festinare promissa. Desponderat iam sibi ingenuus vir Saram fratris Arāmi defuncti filiam, quam vocans, & eius fratrem Loth, simulque vtriusque auum, suumque parentem Thare, & Nachorem fratrem, eos de oraculo monet diuino. Vt erat relinquenda Chaldæa; vt Vr ciuitas natiua aspernenda; vt Chananitides lustrandæ regiones. Hæsit plus debito Nachor patrijs delitijs, at Abramus cum sene patre, & Sara vxore, & Lotho arripit iter, & Chaldæā egressus, ad Chanaam properans peruenit Haran, ibique non paucorum dierum habitationem instituit.

Auctam seruorum filijs, & non parua substantia familiam Abrami exhibebat Haran: vbi multa expertus fœlicia, illud accepit triste, quod Thare pater excesserit e viuis. Quo expeditior ad peregrinationem factus iterum oraculo monetur diuino cognationem relinquere, & domum paternam, vt cælestis illum perfundat benedictio. Quæ tam copiosa descēdet, vt ex illo ad vniuersas mundi nationes exundet. His monitus non diu hæsit, sed cū omni familia sua, cū Sara vxore, cum Lotho, cum seruis, & famulis proficiscitur, donec Sichem veniret, & inde in conualle, qui dicitur illustris.

PARS PRIMA

Abrahami, & Iesu duodeni similia.

VIDENDVS Iam venit nobis nobilis Abrahamides Iesus, qui vt à Matthæo vocatur Abrahami filius, sic vel à primis vnguiculis, & virtute, & sapientia, patrissare incipit.

§. I.

Abrahamus, & Iesus pueri seniores docent; est enim in sancta pueritia magisterium salutis.

VIx prima egressus cunabula Abrahamus ad magisterium peruenit, quo patrem suum veri Dei cultū doceret, dicit enim de illo Suidas apud nostrū Salianū: *Abrahamus natus annos quatuordecim, Dei cognitione illustratus Patrem idola fingentem his verbis commonuit. Quid seducis homines ob pernicioſum lucrum, hoc est ob imagines? Non alius Deus, nisi cœlestis ille totius mundi opifex. Itaque cum videret homines creaturæ cultum deferentes magno labore oberrans verum Deum animo religioso exquirebat.* Quid pulchrius in puero quatuordecim annis nato? Ipse cum senioribus disputat, & illis veram diuinitatem, veramque salutis viam ostendit. Haud dubium, quin in eo diuini pueruli Iesu fulgor prælucebat, qui duodenus inuentus est Ierosolymis de salutari Saluatoris aduentu disputans inter senes. Ait enim Luc. cap. 2. *Cum factus esset Iesus annorum duodecim ascendentibus illis in Ierosolymam secundū consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem ::: Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, & c.* Compone modo pueros; Abrahamum, & Iesum, illum quatuordecim, hunc duodecim annis natum, vtriusque tamen pueritiam eam esse, quæ assumatur ad docendos senes viam cœlestem. Nec miror, à sancta enim pueritia non abest perfectissimum magisterium, quo possint seniores quique edoceri. Quod vt persuadamur, proponenda ob oculos est cantatissima illa cē Iestium spirituum cohors, qui vocantur Cherubini, quibus communiter Theologi sapientiæ excellentiam attribuunt. Imò vel in ipso solo Cherubinorum vocabulo plenitudinem scientiæ recognoscunt cum Dionysio Areopag. de cœlesti Hierarch. cap. 7. innumeri alij Patres, & Doctores, quos citat, & sequitur noster Alcassar cap. 4. Apocal. vers. 7. Annot. 7. §. 5. A quo etiam adducuntur duæ ethymologiæ vocabuli Cherub, quæ rem nostram pulcherrime confirmant. Cherub enim multis dicitur esse *quasi magister*, alijs autem sonare *quasi puer*. Bene quidem plenitudini scien-

Suid.

Luc. 2.

tiæ

tiæ conuenit vox *quasi magistri*, at vox illa *quasi puer*, quid potest habere commune, cum sapienti magistro? Da puerum sanctis ornatum moribus, pluribus insignem virtutibus, & crede mihi, in nullo aptius insidet perfectum magisterium salutis. Accipite ex 1. Reg. 3. *Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli:: Factum est ergo in die quadam Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei ante quam extingueretur. Samuel autem dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei. Et vocauit Dominus Samuel, &c.* Erant senex Heli, & puer Samuel in domo Domini; volens autem Dominus Heli de imminentibus malis docere, vocat puerum Samuelem ad se, illique mandat multa conuenientia Heli seni. Et cur non magis ea seni suggerit, quam puero? Nõne indecens est, & insolens, quod puer fiat magister senis? Rem pulchrè discutit Theodoret. quæst. 12. ibi: *Ad arguendum Pontificem, qui senuerat, adolescentulus dignus est habitus, cui Deus appareret. Erat enim adeò iuuenis, vt Dei doctrinam nondum posset suscipere. Sed tamen eam ætatem antiquæ præstulit Deus: & eum, qui octoginta & sex annos vixerat, & quadraginta annos duplici magistratus honore dignus fuerat habitus, erat enim & iudex, & pontifex, despiciens, locutus est cum paruo puero, dicens quantum canicie est melior iuuentus ornata virtute.* Da puerulum ornatum virtutibus, & puta ab illo non absurde posse doceri sapientissimos senes, qui nolint legibus parêre. Similiter duodenus erat Daniel, cum vidit castissimam fœminam Susanna rapi ad mortem iniquorum senum iudicio. Quid tunc? Ait textus cap. 13. *Suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel, & exclamauit, &c.* Quæ verba notans D. Augustinus vehementer extollit castissimæ fœminæ merita, quibus datus est iudex puerulus, qui eius innocentiam doceat. Ait enim serm. 118. de tempore: *Atque tandem iudicem meretur castitas Danielem puerum iuniorem, nec dum pubescentis ætatis.* Post multas meritorũ exaggerationes, hæc in vltimis ponitur, quod detur puerulus iudex, qui senum malitiam promat. Non equidem in senibus canicies, & multi temporis studijs, vt in pueritia sancta elucet iudicium, quo mala perdantur, & salutaria prodeant.

***

§. II.

Abrahamus, vt Iesus festinate vixit, vbi quod virtus breui longa percurrit sæcula.

DVodenus Iesus erat, & intenerũt illũ inter seniores; sic Luc. 2. *Inuenerunt illum in templo, sedentem inter Doctores, &c.* vel vt canit Iuuencus. *Luc. 2.* *Iuuen.*

Vatumq; corona
Inuenit insertum, legumq; obscura senili
Tractantem cœtu.

Et Sedul. lib. 2. Paschal. *Sedul.*

Ast vbi bissenos ætatis contigit annos,
Corde videbatur senior senioribus esse.

Puer grauiores senum materias tractabat, & inter senes figurabatur doctrina, & virtute transsenex. Sic Abrahamus quatuordecim natus annis Dei cognitionem patrẽ edocebat; vterque puer, Abrahamus, & Iesus; vterque seniores docet, & libenter de Deo disputat apud senes, & puerilibus dimissis canam virtute n inter senissimos repræsentat. Proh fœlices pueri, quorũ fuit vitæ spatia anteuertere, & festinatò venire ad notissimas viuendi metas! Præclare aiebat D. Cyprian. epist. ad Demetrianum loquens de pueritia canos ostendente: *Canos videmus in pueris, capilli deficiunt, ante quam crescant; nec ætas in senectutem desinit, sed incipit a senectute: sic in ortu adhuc suo ad finem natiuitas properat.* Sic vbi anteuertitur ætas, & iuuenem implent, & consilia, & studia senum; iam clare ostenditur, quam properet natiuitas ad fines viuendi, & quam festinatis clausulis vita protenditur, vt breui longissima tempora expleat. Quo spectans Psalm. 85. ait: *Posuisti sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Vbi quinta editio apud D. Hieron. legit: *Posuisti adolescentiã nostram, &c.* Quod noster legit, *sæculum*, illa legit, *adolescentiam*. Sed sæculum significat integram, & perfectam annorum ætatem; adolescentia autem est prima ætatis aurora. Attalis potest esse adolescentia iustorum, quæ integri sæculi percurrat merita, & primo suo cursu totam viuendi maturitatem prætervolet. Et cui citius virtutes adsunt, is longissima anteuertit spatia viuendi. Vnde de Abrahamo dicitur Genes. 24. *Erat autem Abraham senex, dierumq; multorum; & Dominus in cunctis benedixerat ei.* Sed antea fuerant homines longioris multo æui, quàm Abraham; nullus tamen illorum

Cyprian. *Psal. 85.* *D. Hier.* *Genes. 24.*

1. Reg. 3. *Theodore.* *Daniel. 3.* *August.*

rum vocatus fuit senex; cur ergo Abrahamus, qui pauciores dies egit, vocatur senex? Expendeillã quasi senectutis causam, nimirum, *Dominus in cunctis benedixerat ei*; vt enim Abrahamus à primis vnguiculis virtutũ omniũ benedictiones acceperat, sic festinatò vixit, vt breui ingentia percurreret tẽpora, & lõga expleret viuendi secula.

Phil. Quò respiciens Philo lib. ad illa verba, *Respuit Noe*, fatur: *Quis versatus in sacris libris ignorat, quòd ille sapientissimus Abrahã breuioris æui, quã vllus pene omniũ maiorũ suorum inducitur? Illorũ tamẽ, qui diutissime vixerũt, nemo, quod sciam, sed solus hic describitur senior. Dicũt igitur sacra oracula, quod Abrahã erat senior ætatis prouectæ, & Dñs benedixit Abrahamo, rebusque ipsius omnibus. Quod mihi videbatur subiunctum, tamquam causa præcedentium, cur senior dicatur ille sapiens.* Et merito diuinæ benedictiones Abrahamo collatæ censentur causæ, quòd ille breuioris æui cum fuerit, tamẽ præalijs senex haberetur. Facit enim antelucana virtus, quod breui vitæ clausulà lõgissimum prætercurratur sæculum. Et quod vitæ tempus breui non expleat, qui ab infantia gloriosis virtutibus splendet? Ait Ierem. Thren.

Thren. 3. 3. *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se. Ponet in puluere os suum, &c.* D. Ambr. legit: *Dabit in sepulturæ fossurã os suũ*, &c. Et quale est hoc bonũ adolescenti viro, quod det in sepulturam os suũ? Quod se in sepultura videat? Sane de adolescente frugi, & adeò strenuo, qui se supra se, supra propriam naturam eleuare possit, satius diceretur, quod diuturniorem vitam deget: quale hoc bonum, quod vel in limine vitæ, sepulchrum cernat? Sane spectat hoc ad commendationem maximam strenui adolescẽtis, quod sic festinatò vixerit, vt breui clausulà adolescentiæ sic vniuersa viuendi sæcula explerit, vt iam illi solum sepulchrum restet videndum.

§. III.

Abrahami, & Iesu præstantissima in parentes pietas. Et vt hæc vtrũque fecit in vniuersos homines pium.

DEcreuerat duodenus Iesus suam sapientiam Ierosolymis manifestare, ad quod vt remaneret, se subduxit parentibus, nec eorum attendit placitum. At vt iret Ierosolymam ad id præstãdum, parentibus morem gessit, illosque itineris socios, imo, quoad nos, duces habuit. Sic loquitur D. Lucas cap. 2. *Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis in Ierosolymã secundum consuetudinem diei festi, cõsummatisq; diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius.* Sane vt diuina operaretur Iesus duodenus, vtrumque videbatur necessarium, & quod Ierosolymam iret, & quòd ibi remaneret. Vt autem iret, parentes expectauit; vt remaneret, se protinus illis subduxit. Et quãdo vt ibi remaneret, noluit expectare parentum terrenorum beneplacitum; cur similiter, vt illò iret, non se subtraxit parentum societati? Cur expectauit parentes, in ascendendo Ierosolymam, quos in remanendo ibi non expectauit? Bonus filius, in quibus virtutibus parentes non impedientes, sed comitantes videbat, illis sese prorsus accõmodabat, eorumque seruiebat beneplacito. Et quia parentibus, & grata, & salutaris erat ascensio ad Ierosolymam, ideo in hoc prorsus eorum nutum sequebatur: in quo nullum sibi futurum impedimẽtum prænotabat. Sic prorsus Abrahamus dum in Chaldæa esset, accepit præceptum abeũdi in aliam regionem, de quo ait Actor. 7. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, prius quam moraretur in Charan, & dixit ad illum; Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.* Verum vbi narratur in Genesi, vt egressus fuerit Abraham à Chaldæis iuxta præceptum Domini, dicit cap. 11. *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Loth filium Aran filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abrã filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorũ, vt iret in terram Chanaam, veneruntque vsq; Haran, & habitauerũt ibi.* Itaque fuerat iussus Abrahamus, vt Chaldæam relinqueret, & patriam, & cognationẽ suam, & vt iret in Chanaam; quod præceptum ipse executus venit in Charan, siue Haran vnà cum patre suo, & consobrino, & vxore, imò in eo patris sui sequitur ductum, dicit namq; textus: *Tulit itaq; Thare Abram filium suũ, &c.* Quando ergo & patria, & cognati relinquendi erant iuxta Dei præscriptum, quare Abrahamus expectat patris ductum, & cum patre & cognato arripit iter? Cur non magis se patri, & cognatis subtrahit, vt viam, ad quam Deus vocabat, arriperet?

Luc. 2.

Actor. 7.

Gen. 11.

Equi-

Equidem paratus erat, & patriæ, & cognatis Dei vocationem præferre, sed vt nouit patrem, cognatumque non impedientes, sed solicitantes, & adornantes iter, illos comites admisit, & eorum meritò susceptit curam. Ait D. Chrysost. hom. 36. in Genes. *Elegit Abrahamus paternam regionem reliquere, & alienam inhabitare, vt præceptum Dei perficeret, & paratus erat, etiam absq; familiaribus peregrinus fieri, sed viri virtus, & insignis erga parentes pietas effecit, vt pater comes fieret itineris.* Pietas patribus debita fecit, ne Abrahamus patrem, cognatumque relinqueret, quando in illis non frænum, sed calcar experiebatur, vt Dei sequeretur nutũ. Ita Iesus, & Abrahamus vt cognationem vocanti Deo aduersariam fugere parati erant, sic in præcipuis habebant, paternis nutibus inseruire, quando in illis nullum ad Dei opera impedimentum sentiebant, sed auxilium. Ait Ioann. cap. 19. *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ: Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus, &c.* Aliæ etiam dicuntur mulieres simul cum matre Iesu adstitisse cruci; ille autẽ nullam aliam memorans, vnius matris tunc curam suscipit. Cur & alijs etiam aliquod verbum non dicit? Pulchrè D. Chrysostom. homil. 84. in Ioann. inquit: *Cur non alterius cuiuspiam mulieris meminit, cum adessent? Admonens quoddam amplius matribus tribuendum. Vt enim cũ spiritualia impediunt, parentes ne cognoscendi quidem sunt: ita cum nihil impediũt, meritò omnia his sunt tribuenda, & omnibus præferendi.* Sic Iesus, sic Abrahamus parentum ductũ sequuntur, eisque in omnibus morem gerunt, dum nullum impedimentum afferunt in obsequio diuino. Et tales debebant esse in parentes, qui ordinabantur, vt vniuersos fideles in sinu suæ pietatis susciperent. De Iesu namque & susceptore, & seruatore nostro, non otiosè credo dictum illud Luc. 2. Luc. 2. *Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Sed vt ostenderetur, quam pius in omnes foret, qui sic pietati à primis annis nouerat seruire. Hinc Cassiodor. lib. 11. var. 1. extollebat fœlicitatẽ temporis, quo regnabat Rex, qui educatus fuerat sub matris disciplina. Sic enim ait: Cassiod. *O sæculi beata fortuna! Sub principe feriato matris regnat affectio: per quam totum sic peragitur, vt generalis nos regere charitas sentiatur. Huic gloriosum præstat obsequium, cui omnia seruiunt, & mirabili temperamento concordiæ, antequam posset populos regere, suis iam cœpit moribus imperare. Gaudeamus, & superna maiestati gratias agamus, quoniam nulla erit accessu temporis difficilis clementia nostro principi, qui in annis puerilibus didicit seruire pietati.* Quid pulchrius? Profectò vt rector omnium Iesus, antequam regat populos, matri se subdat, in eam sententiam adducimur, vt credamus nullam illi fore difficilem clemẽtiam, quando sic nouit puer pietati seruire.

§. IIII.

Abrahamus, vt Iesus carnalẽ cognationem contemnit in Dei seruitium. Ex quo Abrahamus Iesum videre meruit.

PRimus cognationem carnis contemnit Abrahamus pro Deo, vt diuinissimi Iesu virtutes adumbret, qui vt cœlesti Patri morem gerat, inter cognatos carnales noluit inueniri. De illo namque ait Luc. cap. 2. *Et requirebant eum inter cognatos, & notos, & non inuenientes eum, &c.* Vbi summo parenti seruiendum erat, cognationem nescit carnalem, eiusque abigit retinacula. Quam pulchrè hæc virtus in Abrahamo delineabatur, illo præcepto Gen. 12. *Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui, &c.* Quod Iesus facturus erat, iam in hoc præmõstrabat Abrahamus; ille cognatos dimittit, parentibus se subtrahit, vt Dei opera exerceat: sic Abrahamus Deo parens, vt eius nutum sequatur, & patriam, & cognationem dimittit, dimissurus & patrem. Sicque cognationem carnis, & patrẽ ipsum dimisit in Dei causa, quasi affectus illos penitus ignorasset. Vnde & Genes. 22. iussus filium immolari, minimè cunctatur, sed præparatis omnibus: *Extendit manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Sic bone aduersus filium armaris? Vbi est affectus patris? Pulchrè D. Zeno serm. de Abr. 1. *Spiritum captans, corpus, mortemq; contemnit. O, qui seruũ Dei ita se esse meminerat, vt patrem se esse neseiret.* Sic vt Deo seruiat, totam cognationem abigit carnalem, vt ipsam in se patris substantiam ignoret, dum Dei seruum necessum est agere. Proh Christianam Abrahami virtutem! Meritò de illo dicebat Iesus Ioann. 9. *Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Inter tot veterum virtutum Heroes, vnus Abrahamus dicitur Iesu di-

Luc. 2.

Genes. 12.

Genes. 22.

D. Zeno.

Ioann. 9.

su diē vidisse. Et cur potius Abrahamū accepit vt tanti luminis natales videret, nisi quia singulariter, & proprios natales, & quidquid patris erat præ Deo contemsit?

Cantic. 3. Ait Cant. 3. *Egredimini, & videte, filiæ Sion, Regē Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius.* Inuitantur, vt videant filiæ Siō Regem Salomonem in die desponsationis illius, quando de vtero virginali ortus, tanquam sponsus processit de thalamo suo. Sed prius quam hunc sponsum videant, egredi iubentur, ait enim: *Egredimini filiæ Sion, & videte.* Et vnde egrediantur? Sane de cognatione sua, de domo patris sui egrediēdum illi est, qui velit mitem videre Christum. Ait D.

D. Bern. Bernard. ser. 2. in Epiph. *Egredimini de terra vestra, de cognatione vestra, & de domo patris vestri, & videte Regem Salomonem: alioquin non erit tutum videre eum Ecclesiastem.* Illis tutum est videre Iesum, qui egressi de terra sua, & cognatione sua, & domo paterna, eius gustauerunt sapientiam.

§. V.

Abrahamus, & Iesus ab obedientia felicissima viæ auspicium præbent.

HOC Primum Abrahami scimus factum, quod iussus egredi è cognatione sua, nō distulit egressum. Sic ait Gen.

Genes. 12 12. *Egressus itaque est Abram, sicut præceperat ei Dominus.* Sic in primo vitæ facinore ostenditur iustus vir subditus diuinis præceptis. Nec aliter de duodeno Iesu habes in Euangelio Luc. 2. vbi ait, *Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Sic duo perfectionis lumina, Abrahamus, & Iesus, luminare maius, & luminare minus, ab obedientia vitam exordiuntur auspicatissimam. Et quando obedientia nō tribuit fælicitatis auspicium? De Israelitis Ægyptum fugientibus locutus textus Exod.

Exod. 13. 13. ait: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore. Numquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo.* Dederat antea præstantissimum ducem populo, nempe Moysem, cuius imperia secuti præcincti iam erant ad capessendam viam. Cur necessum fuit sese insuper addere ducem in nubis, & ignis columnis? Nō ne Moyses à Deo informatus sufficeret populo dirigendo? Cur ergo addita columnarum illa præsentia? Plane Moyses sufficeret, sed dum populus Moysi imperium secutus arripit viam, sub hac obedientia sic Deum sibi deuincit, vt velit, & per se ipsum adesse, & eius prosperare iter. Ait enim D. Cæsarius Arelat. homil. 4. de Pasch. *Dux quidem erat eis beatus Moyses, sed eos in columna lucis, & nubis, filius, & Spiritus Sanctus præcedebat. Hoc loco agnoscamus in primis, quod plebs, quæ præpositos suos studet audire, Deum sequetur, & per Deum hominem peruenit ad salutem. Ergo filij Israel ad libertatis, & quietis, & regni sedem per difficiles itineris vias, ducis Moysi, & sacerdotis sui nō reluctantes imperio, Dei meruere comitatū. Nec immerito eos hostis non attigit: lux processit, fluctus expauit.* Sic omnia mala fugiunt eos, qui obedientiæ operā nauant; & adest illis quasi inseparabilis diuinitatis comitatus. Luc. 17. iussit Iesus leprosis, vt irēt ad Sacerdotes, & salutis offerrēt munus. Quid illi? Adhuc se immūdos videbāt, & nihilominus pergunt ad Sacerdotes ire: *& dum irent, mundati sunt.* Quando Iesu adstant, non mundantur, dum pergunt ire ad sacerdotes, tunc mundantur. Et cur non magis mundantur, quando erant cum Iesu? Cur tunc sani fiunt cum à Iesu recedunt, & nō antea? Tunc, cum abeūt, opus obedientiæ perficiunt, ne miremur illis obuenire salutem: Ait Tertulian. lib. 4. in Marcion. *Ideo illos remediatos putem, quia iussi abire ad sacerdotes, obaudierāt.* Sciuerūt relinquere Iesum, vt mandatis eius obedirent, euntes ad Sacerdotes, & tunc cum obedire incipiunt, statim negotiantur salutem.

Luc. 17.

Tertull.

PARS SECVNDA

Moralis circa textus literam.

EGREDIENTE Abraham de cognatione sua, equum erit teste D. Bernard. serm. 2. de Epiphania, vt egrediamur nos de cortice literæ, *de sensu carnis ad intellectum mentis, & ad libertatem spiritualis intelligentiæ*, in qua christianæ vitæ continetur succus.

Cen. 11. Vixitque Thare septuaginta annis; & genuit Abram, & Na-

& Nachor, & Aran. Porrò Aran genuit Loth. Mortuuſque eſt Arã ante Thare patrem ſuum in terra natiuitatis ſuæ, in Vr Chaldæorum. Duxerunt autem Abram, & Nachor vxores, nomen vxoris Abram Sarai, & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Arã patris Melchæ, & patris Ieſchæ. Erat autem Sarai ſterilis, nec habebat liberos.

§. I.

Nomina præcellentium virorum vt auſpicium præbent rebus gerendis.

IAM In primis in nomine celeberrimi Patriarchæ notandum venit, quod Abram nominetur. Dicit enim: *Genuit Abrã, &c.* eſt autem Abram idem, quod *Pater excelſus*, vt præclare notat Salianus noſter; & meritò nomine Patris inſignitur, quem pene innumera credentium proles expectabat parentem. Solent enim nomina in præcellentibus viris non parùm auſpicium rebus gerendis præbere. Ex quo, cuidã chãcellario dicebat Caſsiodor. lib. 11. var. 6. *Caſsiod.* *Reſpice, quo nomine nuncuperis. Latère non poteſt, quod inter cancellarios egeris. Habes quippe lucidas fores, clauſtra patentia, feneſtratas ianuas. Et quamuis ſtudioſe claudas, neceſſe eſt, vt te cunctis aperias. Vide quò te Antiquitas voluerit collocari; vndique circunſpiceris, qui in illa charitate verſaris.* Sic de cancellarij nomine oſtendit, quàm debeat lumine digna opera profiteri. Nil enim magis antiquum hominibus, quam quòd præclaris nominibus res gerendæ cõueniãt. De magno Elia ait 4. Reg. 2. *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Res prorſus noua, & inaudita, quod homo igneo curru raperetur per cœlum. Sed adeò inſuetum euentum iam ipſum Eliæ nomen præſagiebat, eſt enim Elias idem, quod ſol, quem non mirũ ſi ardens currus per cœleſtia ferat. Quò ſpectans Sedulius lib. 1. Paſch. ait. *Quam bene vocabulo pariter, cõueniẽter ac meritò Eliæ, vel nomini fulgentis ſemitæ maieſtas arriſit. Cuiſi Græco ſermone queat vna per accentum litera commutari, Sol ſpecialiter exprimi videatur.* Cui nomen ſol erat, iam vel de nominis præſagio, & illi debebatur præfulgens currus, & equi ignei, quibus cœleſtia cuncta valeat luſtrare. Numquã, mihi credè, magno viro impoſitum eſt nomen fruſtra. Legi illuſtrem virum nomine Saturum damnatum ab Humerico Arriano, niſi veræ fidei renuntiaſſet, cuius vxor inducias a iudice petijt, vt expugnaret maritum. Quod vxoris bellum pulchre componit Victor vticenſis cum illo, quod Adamo fuit etiam per vxorem illatum. Vtrobique aduerſus virum fœmina militat, ſed Adamus concidit, Saturus triumphat. Et vnde Saturius Adamo fortior? Acute S. Victor ait lib. 1. de Perſecutione Vandalica: *Vxor eius indu* *S. Victor.* *cias viſa eſt, abus, qui exequebantur, neſciente maritò petiſſe. Accedit ad maritũ alia Eua, conſilio magiſtrata ſerpentis. Sed ille Adam nõ fuit, qui illecebroſa vetitæ arboris poma contingeret, quia non indigens, ſed Saturus vocabatur, ſaturatus ad vbertate domus Dei, & torrente deliciarum eius potatus.* Quid pulchrius? In nomine Saturi prænotabantur virtutes, quibus Adamum excederet, & Chriſto innixus vxoris blanditias ſuperaret. Vide infra lib. 7. cap. 1. §. 9.

§. II.

In re Chriſti nullum naturæ ſuffragium neceſſario require.

CAntatiſsima eſt ſentẽtia Doctorũ aſſerentium Abrahamum non fuiſſe patris ſui primogenitum; prius namque natus fuit Aran, poſt hunc Nachor, tertius Abram, quem genuit Thare anno ætatis ſuæ centeſsimo trigeſsimo. Quod ex Procop. Caietano, & alijs Patribus, & Doctoribus late probat noſter Salianus in annalibus. Cur ergo poſtremus filius ſit primus, & primò numeratur in hoc Heroum cathalago? Dicit enim: *Thare genuit Abram & Nachor, & Aran.* Siquidem Abram vltimus erat, cur primus oſtenditur? Parabatur genus, ex quo author gratiæ Chriſtus generaretur, & ideo in primis ponitur poſtrẽmus, ne in re Chriſti natura ſuffragiũ prębere videretur. Similiter ſtatim datur Abrahamo vxor, quæ ſit ſterilis, ait enim textus: *Erat autẽ Sarai ſterilis, &c.* Et cur in gẽtis populi progenitori paratur vxor ſterilis, niſi

quia prorsus repellebatur naturę suffragiũ, vbi Christus generandus erat. Ait Theod.

Theod. quæst. 74. in Genes. *Quam obrem vxores Patriarcharum erant steriles? Volens Deus componere genus Israeliticum, ostendit illud non naturali successione, sed gratia, & fauore multiplicãdum. Hanc autem prouidentiam adeptus est genus illud. quia Christus Dominus vnigenitus filius Dei inde secundum carnem nasci debebat.* Meritò vnde author gratiæ nascitur Christus, tollitur vniuersum suffragium naturę; non enim naturæ stricti calles spectandi, vbi aduênit amplitudo Christi. Hinc de virgineo conceptu, & partu quærenti Ma-

Chrysol. riæ Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ait Chrysolog. serm. 142. *Qui conceptu suo virginem seruat, & ortu suo relinquit virginem, non terrenus homo est, sed cœlestis. Nostræ ergo carnis ordo secedat, hic sibi natura nostra nil vendicet, vbi ad diuinã progeniem cœlestis ordo diuinam instituitur in naturam.* Vbi diuinæ propaginis ordo parabatur, nil sibi debebat vindicare natura; sed prorsus quidquid de naturæ conditione veniebat, tollendum erat, vt sic notior fieret processus gratiæ diuinæ. Qua propter 1. Reg. 16. minimus Isai filius Dauid coram præstantibus adolescentibus fratribus suis maioribus in Regem eligitur. Dicit e-

1. Reg. 16 nim Deus Samueli. *Surge, & vnge eum, ipse est enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum suorum.* Itaque postha bitis maioribus fratribus, qui minimus, & vltimus erat, fit primus, ne quæ in gratiam nascituri Christi fiebant, viderentur secuta leges naturæ. Meritò aiebat aliò datus

D. Basil. D. Basil. Seleuc. orat. 14. *Subitò primus fratrum comperiebatur, qui postremus, ordoque naturæ cedebat gratiæ.* Sic debebat contemni naturæ suffragium, vbi inaugurandus erat Pater authoris gratiæ.

§. III.

In Dei libro illorũ nomina maximè scribuntur, qui fideliũ populo augendo proficiunt.

QVando per totam generationum seriẽ solus vnus filius nominabatur, vbi ad Thare ventum est, non solum dicitur genuisse Abram, sed & addit fratres eius, nimirum Nachor, & Aran. Dicit namque: *Thare septuaginta annis vixit, & genuit Abrã, Nachor, & Aran.* Cur modo meminit nomina fratrum, quod minime fecerat antea? Et quãdo Abrahami solius propago ostẽdebatur, quid necessum fuit meminisse Nachor, & Aran? Sanè Aran, & Nachor etiã concurrerunt ad procreationem fidelis populi; filia enim Arã Sarai erat vxor Abrahami, ex qua natus est Isaac; qui etiam duxit Rebeccam filiam Nachor ex Melcha. Meritò ergo Scriptor sacer nomina eorum non præterit, qui in promotione fidelis populi partem habuerunt. Semper enim nomen habent apud Deum, qui proficiunt fidelium populo augendo. Vnde Isaiæ cap.

Isai. 45. 45. ait Dominus: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram:: Propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum, & vocaui te nomine tuo, &c.* Mirabar infidelis Principis nomen sic esse in memoria, imò in ore Dei. Sed Deus causam ostendit tãti memorati nominis, nimirum, quia ille Rex fidelem populũ à Babylonica captiuitate in proprias sedes reduxit, ibique eũ florere fecit, ideo clarissimum nomen habuit apud Deum. Et Matth. cap. 1. prosapiam Iesu recensens ait: *Iacob autẽ genuit Iu-*

Matth. 1. *dam, & fratres eius.* Nõ meminit in alijs fratres, cur eos solũ meminit in præsenti? Ait

D. Chrys. Chrysost. hom. 3. in Matth. *Propterea illos reticuit, & festinauit ad alios, ex quibus nascitur Christus, & vnde propagatur populus Iudæorum.* Vbi Christi generatio dicebatur, meritò prætermittũtur qui ad eius generationem nõ pertinebãt; at nõ prætermittũtur, qui licet patres Christi Domini non erant, tamen ad fidelis populi propagationem cõduxerant. Tunc enim nomen cẽsetur quis apud Deũ habere, quãdo populo fideli propagationem tribuit. Quò respiciebat illud

Deuth. 25. Deut. 25. *Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: Sed accipiet eã frater eius, & suscitabit semen fratris sui: & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel.* Expende illa: *Vt non deleatur nomen eius ex Israel*; dum enim quis fideli populo augmentum non tribuit, non censetur habere nomen apud Deum: sed tunc incipit nomen habere, quãdo incipit habere aliquem, qui illi aliquomodo debeat, quod in populo Dei viuat, & fideliter viuat. Hinc defuncto Christo Iesu Ierosolymis, vt maneret ibi nomen Christianum, factus est Iacobus, qui dicebatur frater Christi, Episcopus eius ciuitatis, quod notabat Lorinus noster in Acta Apostolor. cap. 1. & grauius D.

D. Bern. Bernard. lib. 2. de considerat. fatus: *Denique Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ,*

clesiæ, vna contentus est Ierosolyma. Pulchrè vero ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille. Nam dictus est frater Domini. Ecce tibi vt christianum nomen non periret de Ierusalem, accessit frater Domini Iacobus, & sibi despondit Ecclesiam illam, vt ibi daret Christo Domino filios. Nisi enim in filijs regeneratis in Christo, Christianum nomen non posset cõsistere.

§. IIII.

Vbi finis, mors ve conspicitur, tota euànet, & dispàret vita, quasi nihil fuerit, licet fuerit longissima.

HOc nouum, & inusitatum in præsenti ostenditur, quod non dicitur Aran ætas, & dicitur genuisse. Quippe ait: *Aran genuit Loth. Mortuusque est Aran ante Thare patrẽ suũ.* Cæteri omnes non dicuntur genuisse, quin prius notentur, quot annis vixerint. Nimirum: *Vixit autem Nachor viginti nouem annis, & genuit Thare, &c.* Sic de omnibus ante generationis opus, notantur anni vitæ eorum. Cur in solo Arã nõ dicuntur anni vitæ? Dicitur eius mors, & finis, vbi autem finis proponitur, sic dispâret, quidquid est vitæ, quasi fuerit nihil. *Eccles. 3.* Ecclesiastes cap. 3. *Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo. Tempus nascendi, tempus moriendi.* Ecce tibi posuit natiuitatis, & mortis tempus, vitæ autem tempus minime meminit. Siquidem est tempus nascendi, & tempus moriendi, non ne, & est aliquod viuendi tempus? Cur etiã non recenses viuendi tempus? Dictum fuit tempus moriendi, & vbi mors apparuit, vitæ tempus quasi nunquam fuisset, prorsus obsoleuit. Ex quo eleganter ridet antiquorum prolixas vitas *Sedul.* Sedul. lib. 2. Paschali in initio.

Quid numerosa dies, quid tempore proderat illo
Cernere nongentos vltra fœliciter annos,
Progeniemque suum decimã expectare nepotũ,
Iamque suum nescire genus? Cũ victa supremis
Cursibus, extremæ sors irreparabilis horæ
Sera licet ventura foret, longumque per ævum
Vita breuis, nihil esse diu cum fine, docuit.

Quid pulchrius? Expẽde hoc vltimum nimirum, *Nihil esse diu cum fine*: quippe diuturnissima sæcula cum fine nihil sunt; vbi finis est, omnes longinquitates, & diuturnitates viuendi sic euanẽt, quasi nihil fuissent. Vt in fine positi dicant illi Sap. cap. 5. *Nos nati continuo desiimus esse.* Ex quo lucem capit illa Dei sententia aduersus Adamũ lata Gen. 2. *Quocunq; die comederis, morte morieris.* Sed vt sapienter notat D. Greg. comedit Adamus de vetito cibo, & tamen postea vixit supra annos nongentos. Quare ergo dicebatur eãdem die comestionis morituus? Plane ex quo illi denũtiatur mors certò futura, sic dispârent etiã longissimi anni vitæ, quasi vna dies. Mihi crede. *Nihil est diu cum fine*: Ad quod ait putatus Hieronym. ad Demetriad. de Virg. *Et si vita nostra tendatur per mille annos, & ad extremum illum totius diem ætatis quoti libet deliciarũ voluptate veniamus; quale hoc quæso diu est, quod sine delectu sint quis illius voluptatis fructus est, qui statim vt cessauerit, videbitur tibi nõ fuisse.* Quare merito dicebat Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce nõ erat.* Et quo transiuit, vt tanta altitudo sic euanesceret, quasi non fuisset? Transiuit ad extremum iudicij diem, & vbi illum extremũ diem animaduertit, nihil temporale quamuis maximum apparuit distinctum à nihilo. Ait Elias Cretensis in orat. 3. Nazianzeni: *Intueamur iudicij diem, & ita mente nostra cernemus, illum, qui superexaltatus est, & elatus sicut cedrus Libani, in die iudicij nõ esse.* Vt omnium temporalium splendidissima, & maxima videantur non esse, censeantur indistincta à nihilo, hoc sufficit, si cũ extremo componantur die. Conijce oculos ad diem vltimum, & temporalia nihil tibi erunt. Nihili enim stimandum est, quod finitur, siue citius, siue tardius debeat finiri. Matth. 8. quærebantur dæmones de Iesu dicẽtes: *Venisti ante tempus torquere nos*; quasi citius, quam putarant, mitterentur in ignem. Quibus Dominus respondet Isaiæ cap. 30. vbi enim noster legit: *Præparata est ab Heri Tophet*, &c. legit D. Cyrill. *Non enim ante dies lues, numquid etiam tibi paratũ est regnare?* Expende qua ratione probet dæmones non torqueri ante diem, nimirum, quia illis non datum erat regnare æternum in mundo, sed temporaliter. Quippe ait Cyrill. *Non enim ante tempus luit. Nec enim cum paratum est ei; vt ille perpetuo regnet.* Quando illorum regnũ finiendum erat, merito colligit, non ante tempus posse finiri. Plures enim, vel pauciores anni nullius momenti faciunt differentiam in fine. Nihil plus habes, si finiaris in centesimo anno, quam si in primo, dum tamen adsit finis.

Sap. 5.

Genes. 2.

Hieron.

Psal. 36.

Nazianz.

Matth. 8.

Cyrill.

§. V.

§. V.

Quò notior sponsa, eò gratius eligenda.

DVæ sunt cantatissimæ sententiæ de vxore Abrahami, altera eam Thare filiã, & Abrahami ipsius ex patre tantum sororum putat; altera vero nõ Thare, sed Arami filiam, & Abrahami asserit consobrinam. Vtramque sententiam probabilẽ ducit noster Salianus, sed probabiliorem secundam. Sit autem vel soror, vel consobrina Abrahami Sara, necessum erat, vt illi eò notior, quò coniunctior extiterit. Sapiẽs enim vir nullam magis debet in vxorem eligere, quàm quæ notior sibi. Vbi Adamo parabatur vxor, ait Gen. 2. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cũque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam; Hoc nũc os de ossibus meis, & caro de carne mea, &c.* Vnde sciuit Adam illam esse os de ossibus suis? Quando costa eripiebatur, Adam dormiebat? Si ergo dormiebat, quomodo sciebat fœminam de ossibus suis factam? Non erat somnus ille communis, sed extasis erat, quo arreptus fuit Adamus, vt videret mente, qualiter Eua ex eius costa fiebat. Data enim illi conspicienda fuit tota futuræ vxoris constructio, vt nihil illius ignoraret. Et quando aliarum rerum conditionem non viderat, adductus est, vt futuræ vxoris creationem videret, vt tanto viro non nisi notissima fœmina in vxorẽ daretur. Quò spectans D. Basil. Sel. orat. 2. ait: *Porrexit Deus ambitum firmamenti, lumi nosas faces ascendit, animantium greges è solo fructificare fecit; verũ hæc prius fuerunt, quàm ab Adamo spectarentur; ipse, cum sierent, nullo sensu facientem percepit: Ea propter ipsius an te oculos fœminam extruxit; & tulit Deus vnã de costis eius, & ædificauit costam, quam tulerat, in mulierem, & fictam mõstrauit, & sponsam dedu è latere.* Non remotam, & de ignotis penetralibus adduxit; sed è latere excitauit fœminam, quæ illi esset cognita ab ipso ortu, quæ vel in ipsa conditione frequẽs esset illius obtutibus, vt sic in eius veniret coniugium. Et quando nulla aliarum creaturarum ei ostensa fuit, nisi postquam conditæ fuerunt, tunc primum, & fuerunt adductæ, vt noscerentur, & nomine insignirentur ab illo. Quæ futura erat sponsa in ipsa conditione, vel vt philosophi dicerent, in ipso fieri innotuit illi; sic enim decet sapientes viros, quòd penitus sibi notas in sponsas accipiant.

Genes. 2.

Basil. Sel.

Actor. 7. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquã moraretur in Charan, & dixit ad illum. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Tunc exijt de terra Chaldæorũ, & habitauit in Charan.

Gen. 11. Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Loth filium Arã filium filij sui, & Sarai nurum suã, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorũ, vt irẽt in terram Chanaam, venerũtque vsque Haran, & habitauerũt ibi: Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.

§. VI.

Diuinæ apparitiones non ad otium, sed ad labores stimulant.

ECce, vt Deus Abrahamo apparet, non illum in patrio solo quiescere sinit, sed ei longæ peregrinationis labores indicit. Ait enim: *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ: & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, &c.* Non parum enim fallunt mulierculæ, quæ vt otiosæ viuant, cœlestes sibi apparitiones effingunt: quando cœlestes apparitiones non otia amant, sed labores accumulant. Sic Gen. 28. Iacob: *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælũ; angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum subnixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus, &c.* Bonus Iacob a paterna domo exulans, & solus super lapidem incubans vidit scalam, & in scala Deum apparentem sibi; & quid attulit hæc apparitio Dei Iacobo? An apparuit Deus peregrino suo, vt illum à laboribus faceret

Genes. 28

facere? quiescere? Vt iuberet quietum esse in materna domo, & laborum molestias fugere? Absit, imo eo ipso, quod Deus scalæ innixus apparet Iacobo non paucos labores exantlandos indicit. Vt merito dicat D. Hieron. epist. ad Iulianum in fine: *Vidit scalam de terra vsque ad cœlum, & ascendentes per eam angelos, & descendentes, & desuper innitentem Dominum, vt lassis manū porrigeret, vt ascendentes suo ad laborem prouocaret aspectu. Vnde & vocatur locus ipse Bethel, id est domus Dei, in qua quotidie ascenditur, & descenditur. Et sancti corruunt, si fuerint negligentes, & peccatores pristinum recipiunt gradum, si sordes fletibus lauerint.* Expende illa: *suo ad laborem prouocaret aspectu*; quæ clare ostendunt, ad quid Deus sese conspiciendum dedat; nō equidem vt otium suadeat, & negligentiam; sed vt ad laborem impellat. Fallitur, qui diuinas apparitiones non putat stimulos, quibus ad maximos labores sit illi currendum. Actor. 7. ait D. Stephanus: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem a dextris Dei. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Et eicientes eum extra ciuitatem lapidabant, &c.* Vide quo fine decidat apparitio Dei; & cœli aperiuntur Stephano, & Dei filius sese illi ostendit; & simul rapitur ab hostibus, extra ciuitatem trahitur, & ibi multis lapidū nimbis feritur. Quid mirum? Ad hæc certamina vocant apparitiones Dei. Ait D. Hilar. Arelat. serm. de S. Stephano: *Ecce video cœlos opertos. Iuste incunctanter offert sanguinem suum, qui præoculis habet regem suum simul, & brauium suum, & filium hominis a dextris virtutis Dei. Vides, quod expectatis intuitus armat constantiam triumphantis? Digne patentibus cœli portis comparatur cœlum, bella desudant.* Quid pulchrius? Patentibus cœlestibus *bella desudant*. Non enim Deus se aperit suis, quin & bella vocet, & labores, & sudores, longaque certamina intimet.

Actor. 7. D. Hieron. Act. 7. D. Hilar.

§. VII.

In re virtutis ne dedignentur parentes sequi filiorum ductum.

NEmini dubiū est soli Abrahamo datum fuisse præceptum de dimittenda terra cognationis, vt testatur Stephanus Actor. 7. Cur ergo Gen. 11. dicitur Thare egressus fuisse cum Abram? Sic enim habes: *Tulit itaque Thare Abram filiū suum: & eduxit eos de Vr Chaldæorum.* Quando Abramus solus iussus fuerat exire, cur dicitur Thare adortus profectionem illā? Rem sic definit Chrysost. hom. 3. in Gen. dicens: *Animaduertere licet, quod cū filius Deo acceptus esset, visus ei Deus imperauit, vt inde migraret. Quod vt agnouit Thare pater eius, licet infidelis esset, attamen ob amorem in filium, socius illi peregrinationis esse voluit.* Audiuit pater filium sub Dei præceptis ábire, nec illum retardare curauit, sed magis abeuntē secutus idem disponebat iter, nō de dignatus pater in re virtutis fieri sectator filij: Vtinam omnes parentes hanc ebiberent disciplinam, qua currentes ad virtutem filios non retinerent, sed sequierentur. Nunquam enim non decorum est patri fugere vel a filio virtutem. Luc. 2. ait de Iesu puerulo: *Mater eius cōseruabat omnia verba hæc in corde suo.* De quo Ioannes Geometra in cat. Græca ait; *Considera prudentissimam mulierem Mariam veræ sapientiæ, ineffabilisque scientiæ matrē, qualiter scholaris sit puer.* Fœmina erat Maria prudentissima, & ineffabilis sapientiæ mater, nihilominus vt in filio puerulo Iesu audit verba vitæ, nō dubitat eius fieri discipula; & fœmina puerulū, mater filium in re virtutis habere magistrum. Actor. 7. dicitur de Stephano sub lapidantium manibus occumbente; *Et cum hoc dixisset obdormiuit in Domino.* Et statim cap. 4. *Facta est autē in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apostolos.* Post Stephani interfectionem omnes fideles fugiunt Ierosolymam; soli Apostoli non fugerunt; sed ibi manserunt expositi furoribus Iudeorum, vorantes mortem. Sed cur Apostoli non fugiunt, qui alijs fugam consulebant? Cur & ipsi non magis cauent Iudæorum rabiem? Ait D. Maxim. Taurinēsis serm. de sancto Stephano: *Cum sanctus Stephanus ab Apostolis diaconus ordinatus sit; Apostolos ipsos beata ac triūphali morte præcessit; ac sic qui erat inferior ordine, prior factus est passione; & qui erat discipulus gradu, magister ei potuit esse martyrio.* Itaque Apostoli magisterium Stephani secuti, non fugiunt persecutores rabidissimos, sed se morti exponunt pro Christo. Nec dedignantur præstantissimi viri in re virtutis, & filium, & minorem in gradu habere ducem, ac magistrum ad martyrium. Nec aliter 2. Mach. 7. post septem fratrum expensos triumphos, dicitur: *Nouissime autem post filios, & mater consumpta est.* Non enim ad matris dedecus, sed ad

Chrysost. Luc. 2. Actor. 7. Max. Ta. 2. Mach. 7.

gloriam

gloriam dicitur nouissima post filios peruenisse. Vt dicat D. Chrysost. de illa: *Sicut coronæ cuidam pretiosissimis lapidibus compositæ eminentem gemmam, ita carnem suã choro filiorum coaptans ad desiderabilem Iesum pullos suos, vt aquila subsequens euolabit.* Sic ibi de matre secuta filios in virtutum certamine. Sic Zachariæ non credenti Angelo nũtianti nauitatem filij ait Angelus Luc. 1. *Eris tacens, nec poteris loqui, vsque in diem, quo hæc fient.* Mutus cogitur sperare natiui tatem filij, vt à filio nato verba recipiat. Quid ille? Chrysol. serm. 86. *Ille non dedignatur a filio verba recipere, cui dederat vitam.* Sic ibi.

D. Chrys.

Luc. 1.

§. VIII.

Præstantia iubentis præceptorum facit obseruantiam.

NOtanter Stephanus Deum gloriæ dicit apparuisse Abrahamo, ait enim: *Deus gloriæ apparuit, &c.* Quippe Deus non vtcumque, sed sub gloriosa imagine tunc Abrahamo affuit, vt Salianus noster cum alijs notabat. Et meritò se gloriosum ostẽdit Dominus præcepturus profectionem a patria: præstantia namque iubentis, magni interest ad præceptorum obseruantiam. Sic ait D. Amb. lib. de virginibus: *Primus discendi ardor, nobilitas est magistri.* Quot enim præstantiæ in magistro, in præceptore apparẽt, tot sunt calcaria, quæ nos impellunt, vt eius monita, & præcepta exequamur. Hinc 3. Reg. 20. *Vir quidam de viris prophetarum dixit ad socium suum, in sermone Domini percute me.* Iubebat se a socio percuti, & vt id facilius persuadeat, addidit illud, *in sermone Domini*, ostendens non se, sed Dominum esse authorem illius percussionis. Quis enim vereatur præceptum, cuius author Dominus, & rex est? Ait D. Chrysost. orat. 1. aduersus Iudæos: *Etenim ne ille veritus parceret prophetæ, non dixit illi simpliciter, percute me; sed addidit, in verbo Domini, hoc est, Deus præcepit; ne quære vlterius. Rex est, qui hanc præscribit legem.* Præscripsit regiam, diuinamque authoritatem præcipientis, vt sic præceptum facilius executioni mandaretur. Iam iam exigebatur sanguis à D. Stephano Actor. 7. & petebatur ad necem, & ait ipse: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Itum ad mortem apparet Iesus a dextris Dei, vt sic acerba mortis præcepta martyris animo magis infigerentur. Pulchre enim dicit D. Aug. hom. 11. de S. Stephano: *Illius præceptum gestabat in animo, cuius præsentiam cernebat in cœlo, & ad eum flagrantissimo amore suspensus, carnem quantocies relinquere, & ad eum cupiebat euolare.* Equidem quem in cœlis considere cernebat, durissima etiam præcipientẽ amabat, & eius præcepta animo infigebat, etiam si necessum esset relicta carne ad illum euolare. Et simul in cœlestibus præsentem vidit, & præceptum eius de vita contemnenda infixit animo. Nihil enim prius est in præceptis exequendis, quam gloria, & maiestas Imperantis. Ex quo dicebat Tertul. lib. de Pœnit. *Audaciam existimo de bono diuini præcepti disputare. Nec enim quia bonum, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcipit. Ad exhibitionem obsequij prior est maiestas diuinæ potestatis. Prior est authoritas imperantis, quã vtilitas seruientis.* Nunquam non est prior præstantia iubentis, vt præcepta obseruentur: vnde sapienter dicebat Titus Romanus Imperator apud Egesippũ lib. 5. de Excid. Ierosol. cap. 7. *Pronuntiatur enim de dure, cuius præceptum dissoluitur.* Non equidem ostenditur dux præstans, nec in officio illustris, sed vilis, sed contemptibilis, quando eius præcepta contemnuntur. Vnde Paulus de diuinis præceptis monebat: *Omnia facite sine murmuratione, & hæsitatione.* Quæ verba pulchre expendit putatus Hieron. ad Demetriad. de Virg. aiens: *Nec aliqua præcepta Dei, quasi vilia munuscula debemus contemnere. Sed imperãtis in omnibus maiestatem aspicere. Viles, & ignobiles Dominos palam cõtemni videmus a seruis. At hoc in personas nobiles non admittitur; quantòque potentiores Domini, tantò serui ad obedientiam proniores sunt. Certe ad regis imperium ita omnes parati sunt, vt etiam optent iuberi. Et non solum bene merituros se esse credunt, si iussa fecerint, sed tãquam iam meruissent quod iussi sunt, ita pro dignitate præcipientis seruitium beneficij loco ducitur.* Sic ibi, & sapientissimè; præcipientis enim præstantia gloriosam facit præceptorum obedientiam.

Ambr.

3. Reg. 20

D. Chrys.

Actor. 7.

D. Aug.

Tertull.

Tit. Rom.

Hieron.

§. IX.

Virtutis præstantia clarior in alienis, quàm in proprijs.

HAbes Abrahami euocationem a patria; dum ait: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & c.*

tua, &c. Et quidem Abrahamus in patria ſua imperterritus erat veræ religionis cultor, & patrem, & cognatos, & ciues ab idolorum adoratione euocabat. Cur ergo non magis ſinitur eſſe in patria? Cur exire compellitur a patria, cui viam ſalutis monſtrabat, præcipue cum cęteræ omnes regiones etiam eſſent idololatræ? Sane a patria adducitur Abrahamus, cogiturque per barbaras, & ignotas nationes peregrinari, vt eui dentius virtutis in eo oſtendatur præſtantia, quæ in alienis triumphans ſemper eſt clarior. Audiebam 1. Reg. 5. Arcam Domini a proprijs ſedibus ablatam, in exercitũ ductam, imo ab hoſtibus captam; qui eam in templo idolorum ſuorum collocarunt.

1. Reg. 5. Dicit enim textus: *Philiſtiim autem tulerunt arcam Dei, & aſportauerunt eam a lapide adiutorij in Azotum. Tuleruntque Philiſtiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagõ, & ſtatuerunt eam iuxta Dagon. Cumque ſurrexiſſent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam, &c.* Mirabar, quod permiſiſſet Deus arcam à ſedibus ſuis extrahi, & captiuam duci ad Philiſtinorum regionem, & inter idola conſtitui. Cur Domine non magis curas, vt arca teſtamenti tui propria in ſede maneat, vbi ſub eius præſentia, & veræ religionis cultus, & Iſraelitarum pietas eſt? Cur mauis, quod ſit in alienis captiua, quam in proprijs culta? Pertinebat ad gloriam arcæ, vt in alienis vim ſuam oſtenderet, deſtruens, & comminuens idola, vt dicat: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam.* Quod no-

Chryſoſto. tabat Chryſoſt. orat. 3. aduerſus Iudæos, aiens: *Arca capta in aliena terra vim ſuam oſtendit, idolo bis in ſolũ deiecto, effecit, vt etiam comminueretur.* Non equidem arcæ in alienis peregrinatio indecora, nec infructuoſa fuit; quin ibi eius virtus, & vis magis oſtẽdebatur, quando in alienis etiam triumphans, & glorioſa non paruum gentiũ idolis inferebat damnum. Et quæ peregrinans apud gentes, eo deducta eſt, vt fieret lateroturpiſsimi Dagonis, non inde maculam vllam accepit, quin potius cultoribus ſuis manifeſte oſtendit Dagonis infirmitatem, vanitatem. Quid glorioſius arcæ? De Ver-

Ioann. 1. bo diuino aiebat Ioannes cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ecce quam erat Verbum velut in propria ſede, in excelſo ſolio diuinitatis. Quid tũc? *Verbũ caro factum eſt? & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti a Patre.* Prius ſolum dicebat, quod Verbum erat apud Deum, & quod Deus erat Verbum: nec quid de eius gloria enuntiabat; modo ait: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti a Patre.* Cur, & non dicitur antea glorioſe viſus? Sane ex quo propriam diuinitatis ſedem diſſimulans, in mundum venit homo factus, imo hominum factus latero, publicanorũ menſis accumbẽs cum mulierculis conuerſatus, nec inde maculam contraxit, ſed potius omniũ abſtergebat maculas, in ea puritate nitens, qua erat in ſinu patris. Hoc glorioſiſsimum, & omni admiratione erat dignũ in Verbo patris. Ait S. Athan. lib. de Incarnat. citatus in Cat. Græca D. Luc. ad cap. 2. *Hoc admiratione dignum erat, quod hominum more viueret, & vt Verbum patris omnia viuificaret, & vt filius patri adeſſet.* Hoc vel in verbo Dei æſtimabatur miraculum, quod in mundo peregrinatus, varijſque hominibus, & peccatoribus, & prophanis aſſotiatus, eorum aſsiſtens conuiuijs, confabulationibus; tamen vt Verbum patris omnia viuificaret, & ſic in alienis ageret, quaſi nunquam exiſſet a ſinu patris. Quam gloriam miratus in Iacob poſt longas eius peregrinationes aiebat S. Amb. lib. 2. cap. 9. *Quis tam potens in ſuo domicilio, quam iſte in alieno? Quis tam dites in regno, quam iſte in peregrino loco?* Nũquam quidem non eſt magna virtutis præſtantia, quæ vel in alienis peragat, quod magnũ eſſet, ſi in proprijs perageretur.

Athan.

Ambr.

§. X.

Filiorum virtutibus aſſentiendo parentes, eas ſibi appropriare poſſunt:

POſt acceptum præceptum de cognatiõne relinquenda, dicit Actor. 7. *Tunc Abram exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.* Sed Gen. 11. de hac ipſa protectione dicit: *Tulit itaque Thare Abram filium ſuum, & Loth filium Aran: & eduxit eos de Vr Chaldæorum, &c.* Sane Abram præceptũ ſolus accepit, iuxta quod dicitur ipſe exiſſe de Chaldæa; & nihilominus in Geneſi exitus ille non tam Abrahamo, quam Thare patri eius tribuitur. Et cur quod a ſolo Abramo petebatur, & ipſe exequebatur, dicitur à Thare factum? Crediderim, quod, dum Abram præceptum ſibi intimatum oſtendit, & profectionem parat; id animaduertens Thare pater, non ſolum nõ impediuit, ſed ſe ſocium oſtendit itineris, & filium properantem ſtimulauit. Quo meritò

Actor. 7.

Gen. 11.

sibi facinus appropriauit, & suũ fecit esse, quod erat Abrahami. Sic parentes filiorũ assentientes virtutibus, eas sibi nouerunt appropriare. Sic putatus Hieron. Epist. ad Demetriadem de vera Virgin. ait: *Respice, obsecro, quantum a te sanctitatis auia, materq; expectant: quarum egregia erga Deum fides in professione tua maxime claruit, cum te iam nuptijs præperatam, simul atque aliud velle didicerunt, mira continuo assensus celeritate, ad id quod elegeras cohortatæ sunt. Et trepidam pro ætate sententiam voluntatis suæ authoritate firmarunt, tuumque votum commune fecerunt.* Erat virgo Demetriades nuptijs a parentibus destinata; inter ipsas nuptiarum preparationes, in eam mentem virgo deuênit, vt sese Deo dicaret. Nouerunt puellæ propositum auia eius, & mater. Quid tunc? Filiam a decreto animi nituntur reuocare? Absit, imo quam celerrimæ eius proposito suffragantur, impedimenta tollunt, in virtutis iti nere nouitiam confirmant, quibus illius votum suum faciunt. Sic enim ait: *Tuumque votum commune fecerunt.* Non aliter Mach. 2. cap. 7. decantatissima septem martyrum matre dicebatur: *Supra modum mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius dici tẽpore conspiciens bono animo ferebat: singulos eorum hortabatur, &c.* Currebant generosi adolescentes ad tormenta, quos currẽtes ad mortem mater vidẽs, adhibebat sue exhortationis calcaria. Quid inde? Pulchre de illo Fortunatus cecinit lib. 5. editionis Calaritanæ.

Felix his meritis sibi Machabea, vel Orbi
Nobilitas generis, nobilior genitis,
Quæ septem palmas cœlo transmisit ab aluo.

Ecce tibi quando ipsi currebant ad certamina, dicuntur a matre transmissi in cœlũ; quæ enim currentes stimulabat, illorum sibi, & cursus appropriabat, & facinus. Sic parentes filiorum vota sua possunt facere. Et de horũ patre Eleazaro ait Naziãzen. *Septẽ insuper filios obtulit, institutionis suæ fructum. Filiorum enim virtutes parentibus adscribere æquissimum est.* Sic ibi.

Hieron.

Mach. 2.

Fortũn.

Nazian.

§. XI.

Dimittendi sunt aliquando qui veritati nolint acquiescere.

ET Defuncti Arami filios, & Abram cum vxore sua Sara, eduxit Thare de Chaldæa; sed adhuc illi restabat alius filius nempe Nachor cum vxore Melcha, de quo in hac profectione nihil dicit. Quippe ait: *Tulit itaque Thare Abrã filium suum, & Loth filiũ Aran filiũ filij sui, & Sarai nurũ suam, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, &c.* Loth, Sarai, Abram educuntur per Thare, at Nachor non dicitur modo eductus. Sed cur bonus pater relinquit Nachorem apud impios? Cur nõ magis instat, vt & hic egrediatur inde? D. August. lib. 16. de ciuitat. Dei cap. 13. putat Nachorem tunc temporis magis addictũ fuisse idololatriæ, & ideo monentibus egressum non acquieuisse, & ideo merito fuisse relictum. Relinqui enim possunt, & dimitti, qui pertinaciter veritatem nolunt audire. Matth. 27. multa dicentibus Iudæis aduersus Iesum, ait illi Pilatus: *Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses.* Hoc mirum, & insolitum erat Præsidi, quod homo tot tantisque tumultarie accusatus clamoribus, nullum pro diluendis obiectis verbum faceret, sed prorsus tacens ab vniuersis accusari dimitteret. Cur nõ magis obiecta dissoluit? Cur non magis in re aperta pro se loquitur? Pulchrè Eusebius Emissen. fatur: *Non enim conueniens erat, vt tunc Pilato Dominus responderet, quando eum ad litigandum contra falsos, & inuidos prouocabat. Nihil enim est nisi labor, respondere vs, qui veritatem audire nolunt.* Tacet Dominus, & dimittit illos, qui pertinaciter hærebãt mẽdacijs, & nollebant attendere ad veritatem; cum ijs enim agere labor inutilis est, & ideo frequẽtius sunt dimittendi. Nõ aliter faciebat bonus ille latro Luc. 23. de quo blasphemantem sociũ audiente, ait text. *Respondens autem alter increpabat eum dicens. Neque tu times Deum, qui in eãdem damnatione es. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic autem nil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei, &c.* Bonus latro factus concionator in cruce Iesu testatur innocẽtiam; sed de illa pauciſsima fecit verba soli socio suo, & non populo circunstanti. Et quando nouisti Iesum regem, omni culpa immunem, cur non pluribus eius gloriam testaris? Cur non eam procuras multis persuadere circunstanti populo? Cur relicto populo ad solũ socium conuerteris, illiq; pauca dicis, & statim ad Dominum euolas? Vidit bonus omnium auditus ad veritatem obtusos percipiendam, & ideo non longum sermonem terit, sed illis relictis ad Dominum pro se oraturos cõuertitur. Ait D. Thom. in cat. ex D. Chrysostomo: *Beatus igitur adstantes docebat talia differens, quibus*

Augusti.

Matt. 27.

Eusi. Emi.

Luc. 23.

D. Thomi.

bus alterum increpabat. Sed vt videt extinctos auditus adstantium, redit consequenter ad eum, qui nouit præcordia. Nō multis agit cum iis, qui auditum obturabant veritati, sed illis breuiter dimissis, ad Deum ipse transit, cū quo de propria salute agit.

§. XII.

Vxoris erga virum pertinacissimus amor.

IN Peregrinatione suscepta habet Abrahamus socium parētem, & consobrinum, & vxorem Sarai: *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Loth filium Aran, & Sarai nurum suam, vxorem Abram, &c.* Nequiuit bona vxor a coniuge suo separari, & si obeunda essent discrimina, & si pericula superanda. Constantissimus enim est vxoris erga virum amor. Amiserat Iob vniuersam substātiam suam, amiserat filios, & ab omnibus destitutus sedens in sterquilinio extra domum, extra ciuitatem, adhuc sociam habebat vxorem a latere. Ait text. cap. 2. *Egressus Satan a facie Domini percussit Iob vlcere pessimo a planta pedis vsque ad verticem eius; qui testa saniem radebat sedēs in sterquilinio. Dixit autē illi vxor sua, &c.* Ecce tibi quem manantem sanie sedentem in sterquilinio reliquerant ciues, reliquerant famuli, non illum reliquit vxor, sed illi adstat, & cum illo verba facit. Et esto, quod fuerint illius verba stulta, & criminosa; at eius assistentiam marito desolato quis nō laudet? De illa D. Asterius Episcop. Amaset. hom. 5. fatur: *Talem etiam patientissimi Iobi coniugem fuisse reperimus. Deseruerūt eū omnes, vnâque cum opibus adulatores defluxerunt, amici ipsi rebus secundis amicitiam æstimantes cum fortuna mutarunt. Sola autem hæc primaria paulò antè, & ornatissima famina nusquam a viro discessit, assiditque vel in sterquilinio, saniem, & tabum abstergens, vermesque plagis educens. Vere quidem illa vitæ socia, individua cultrix amicitiæ: vnum denique de tanta fortuna, ac tota cognatorū, & benevolentium cohorte reliquum merito bonum.* Nihil in hac fœmina inuenies, quod non oriatur â pertinacissimo amore in virū; in quo sane excesit, cum blasphemiam consulit, ne cum tot malis conflictantem videat. At maximum ostendebat, & primaria fœmina dignum, cum ab omnibus derelictum sola fouebat, sola comitabatur, non detrectans sterquilinium, nec fugiens vermes, sed per hæc omnia individuæ amicitiæ, & vxoriæ societatis ostendebatur cultrix. Nullumque locum sibi alienū putabat, in quo cernebat vel vmbram sui viri. Huc etiam traho Rutham Moabitidem, quæ viduata viro, sic hæsit socrui; vt pauperem sequeretur, nullo longæ peregrinationis discrimine deuicta. Imò aiebat cap. 1. *Ne aduersēris mihi, vt relinquam te, & abeam: quocumq; enim perrexeris, pergam; & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus; & Deus tuus, Deus meus. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibiq; locū accipiam sepulturæ.* Sed vnde tantus affectus in Ruth erga pauperem socrum pergentē ad sibi ignotam regionem, vt inseparabilē sociam se illi adiungeret? Erat in socru memoria defuncti mariti, quem sic amabat, vt vel ab vmbra eius nullis posset separari periculis. De illa Theodoretus aiebat: *Ruth socrum senio confectam, & paupertate laborantem præstulit parentibus propter animi pietatem & coniugis memoriam.* Vel memoriam coniugis sequebatur Ruth per omnia peregrinationis longæ discrimina, per rerum omnium penuriam. Et quem bonorum substātia dimiserat, imò & vita ipsa; vxor bona non valebat dimittere.

Iob 2.

Aster. Ep.

Theod.

Gen. 12. Dixit autem Dominus ad Abrā: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quā monstrauero tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.

§. XIII.

Ea homini charissima patria, vbi charissimorum ossa requiescunt.

DVm esset Abram in ea parte Mesopotamiæ, quæ ad Chaldæos pertinet, in Vr Chaldæorum præceptum accepit

à Deo, vt exiret de patria, & cognatione sua; quod protinus exequens vna cum patre sene, & vxore Sarai, & Lotho venit in Haran, qui populus extra sortē Chaldææ erat, pertinens ad Mesopotamiam Syriæ. Ibique habitauit, donec mortuus est Thare pater eius, & sepultus; tunc enim statim adest Deus, & monet hominem iterum, vt patriam, & cognationem relinquat. Quippe ait: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & c.* Et quando, vt vidimus supra, iuxta primum Dei præceptum iam Abraham patriam Chaldæā, terram natiuitatis suæ reliquerat, & erat in Haran, cur iterum iubet Deus vt terram suam, patriam nimirum relinquat? An post relictam Chaldæam, habebat Abram aliam patriam, quam relinqueret? Aut quæ terra illi patria esse poterat præter terram natiuitatis suæ? Illa terra, quæ patris Thare seruabat ossa, nimirum Haran erat Abramo patria, quam modo iubetur relinquere. Vt enim natiuitatis iure patriam acquirimus, sic, & patriam dulciorem solemus putare, quæ tenet charissimorum sepulchra. Quo spectabat Ruricius Lemouicenus Episcopus lib. 2. epist. 3. de morte cōsobrinæ, fatus: *Solam tamen patriam, quæ mihi per ipsam nequisita fuerat, non amittam; qui hanc mihi potissimum terram, quam illa corpore suo occupat, patriam iudicabo.* Sic patriam, sic natale solum æstimant communiter illud, in quo cognatorum ossa requiescunt. De quo vide dicta in 2. tom. in Vet. Test. lib. 5. cap. 10. §. 10.

Lemou.

§. XIIII.

Fidelis populi cōmodis, quæ propria postponit, maximè Christo Domino appropinquat se.

PAtriam, parentesque relinquere Abrā iubetur, vt in gentem magnam fiat, quo eo perueniet benedictionis, vt fontem benedictionum gignat nempe Christum, à quo vniuersæ nationes benedictionē acquirant. Sic enim habes: *Egredere de terra tua: Faciamque te in gentem magnam: atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Ijs vltimis putat Rup. & Caiet. imò ferè omnes expositores putant promissionem fieri de ortu Christi ex semine Abrahami. Sed notanda quæ præmittuntur ad hoc, vt eo dignitatis deueniat, quod inter suos habeat Christum; præmittuntur namque ea; *Egredere de terra tua. Faciamque te in gentem magnam*, sic exire iubetur de proprijs, vt magnum illum populum fidelium fundet. Qui autem propria contemnit, vt mentem fideli populo augendo adhibeat, is non miror, quod numeretur inter parentes, & propinquos Christi, Matth. 1. recensens Iesu Christi progenitores, duarum aut trium fœminarum tantum meminit, quarum vna fuit Ruth Moabitis, ait enim: *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Multis alijs silētio sepultis, Ruthā nobis ob oculos proponit, quasi mirabundus, quod alienigena, & ethnica fœmina annumerata fuerit inter Christi propinquos. Vnde adeò vilis puella in tantū censum potuit peruenire? Ait Imperfectus hom. 1. in Matth. *Ruth pro meriti fide sua nupsit Booz, quia propriam gentem contēpsit, & terram, & genus, & elegit Israel, & non despexit socrum viduam simul, & peregrinam desiderio ducta generis eius, magis quam sui.* Alienigena erat Ruth, & gentilis, quæ habebat socrum fidelem Israelitam, a qua cum rogaretur, vt māneret in patria, & inter gentiles iuuenes nuptias apud cognatos requireret; ipsa & patriam, & genus proprium cōtemnens adhærebat socrui desiderio ducta generis fidelis, magis quam sui. Dum ergo, & patriam sedem, & genus proprium dimittit, vt fidelem populum impleat, eo deuenit, vt annumeretur inter Christi propinquos. Quis enim nō se maximè Christo Domino appropinquet, genus suum obliuiscens, vt populum fidelem adimpleat? Matth. 12. *Extendens Iesus manus in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.* Et esto quod apostolici viri fiant Christi fratres ex regeneratione, & ex muneris communione, at mater Christi qualiter quis fieri potest? Ait Beda ibi: *Sicut quis frater Domini efficitur in eum credendo, ita etiam mater prædicando.* Nulla est maior propinquitas ad Christum, quam illa, qua eius mater fis; sed ad hāc propinquitatē accedis per hoc quod prædicatione tua populos trahas ad fidem. Vt enim domesticis etiam curis abiectis eo spectes, vt fidelem populum exhibeas, non dubium quin numereris inter Christi Domini propinquos. Sic Matth. 1. *Salmon autem genuit Booz de Raab.* Noluit inter progenitores Christi silentio obtegere vilem meretriculam Raab. Et vnde Raab tantum meruit? Habes ex Iosue 2. vt illa propriam ciuitatem cōtempsit, & fideli Israelitarum populo seruando operā dedit. De qua fatur Theodoret. ser. 10. de Pro

Matth. 1.

Imperf.

Matth. 12.

Bed.

Matth. 1.

uid,

nid. ait: *Et hæc quidem vera esse Raab meretrix testatur, quæ alienigena quidē, & meretrix existens; solà tamen famà contenta per hanc pietatē susceptā, & domesticos quidem destituit, alienos autē amplexa est.* Nō dubitauit bona postponere domesticos malos alienis fidelibus; vt enim animaduertit se proficere posse populo fideli, propria contempsit, & patriam negauit, & tota incubuit in seruandis fidelibus, ne miremur, quod in Christi propinquorum legatur censu. Quis enim populo fideli augendo studuit, & inter Christi propinquos non scriptus est? Matth. 1. *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem genuit Phares, & e.* Animus Euangelistæ erat progenitores Christi Domini percensere; at Iudæ fratres non fuerunt progenitores Christi, nec ad eius ex carne generationem pertinuerunt. Cur ergo cum reliquis progenitoribus recensentur? Non genérarunt illi Christum, fateor, sed generarūt populum fidelem, ex quo merito inter Christi propinquos, & parentes censentur. Ait D. Chrysost. hom. 3. in Matth. *Cuius vero rei gratia, cum meminisset Abrahæ, atque dixisset, quia genuerit Isaac, & Isaac Iacob, nec fratris eius mentionem facere curasset; ad Iacob veniens non solum Iudam, sed etiam fratres eius enumerat? Quia videlicet nihil alij habebant cum Israelitarum genere commune; Saraceni, & Israelitæ, & Arabes, & quotquot sunt ex illorum patribus procreati. Propterea igitur illos quidem reticuit, festinat vero ad eos, ex quibus nascitur Christus, & vnde propagatur populus Iudæorum.* Ecce tibi eodem censu ponuntur Christi progenitores, & fidelis populi propagatores; qui enim facit, vt fidelis plebs in Christo nascatur, augeatur, & conseruetur, is nō distat à Christi ipsius propinquis, & progenitoribus. Is verè illius frater, & mater est. Felix qui sic studet augendo fideliū populo, maximè sibi inde deuinciet Dominum, & vix interitū noscet: qui familiāris est illis, à quibus destruitur fidelis populus, pereat, necessum est. Aiebat enim Arnob. lib. 7. *Sibillæ tamen aperte interituram esse Romam loquuntur, & equidem iudicio Dei, quod nomen eius habuerint inuisum, & alumnum veritatis populum trucidarit.* Et cur nō pereat, qui veritatis alumnum circinat populum.

(***)

§. XV.

Id à nobis Deus requirit, quod præstantiori genere concedere amat.

MVlti perfectè viri præcesserant, nimirum Abel, Seth, Enoch, & alij, quorum nulli dixerat Dominus, quod exiret de terra, & cognatione sua. Id autē Abrahamo fuit primo notificatum. Ait enim Dominus illi: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & c.* Et cur ab Abramo primo requirit Deus hanc profectionem ex patria? Subdit tantæ profectionis præmium, quod ipse Deus descendet de cœlis, & de eius semine natus, ingentem hominibus benedictionem afferet. Sic intelligunt Patres verba illa. *Et benedicētur in te vniuersæ cognationes terræ.* Petit ergo Deus ab Abrahamo id, quod diuiniori genere illi præstabit. Petit, vt exeat à terra sua; quia iam illi præstabitur, quod ipse Deus exeat de cœlis, & de semine Abrahæ natus, peregrinus apud homines habitet. Sic solet Deus a suo homine requirere, quod illi diuiniori genere amat præstare. Aiebat Matth. 3: *Tunc venit Iesus a Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.* Mirabar sæpe; quod candidissimus Iesus lauacrum requireret ex Ioanne! Bone Deus, qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, & tu lotus es, & vel minimē expers maculæ; cur ergo submittis caput baptismo Ioannis? Baptismum petit à Ioanne, diuiniorem alium hominibus dandum meditatus. Ait Sedul. lib. 2. Paschali.

Placidam Iordanis ad vndam
Venit, vt acciperet hoc, quod dare venerat ipse.

Requirit à te lauacrum aquæ, daturus lauacrum Spiritus; tunc enim ex te Dominus petit minima, cum in simili genere, & maxima tibi parat, & diuinissima. Matt. 1. *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid.* Nihil prius nominat acceptum ex hominibus, quam carnē Dauidis, qua innotescebat populo, passim vocatus filius Dauid. Sed cur magis ex Dauid accepit, quo agnosceretur a populis? Requirebat ab hominibus regiū patrem; daturus illis patrem diuinū. Chrysost. hom. 2. in Matth. *Cum filius sempiterni esset Dei, etiam filius Dauid esse dignatus est: modo vt te filium faceret Dei, seruum patrem habere dignatus est, vt tibi seruo patrem faceret Deū.* Nil à te petit humanū, quod nō det diuinū. Exinde, & petit; & accipit aliquid à te, ex quo diuiniori modo tibi parat offerre si milia,

Matth. 1.

D. Chrys.

Arnob.

Matth. 3.

Sedul.

D. Chrys.

milia. Matth. 2. redeuntem ex Ægypto Ie-
Matth. 2. sum proponens inquit: *Veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth*: est autē Nazareth idē, quod florida. Et mirabar, quod veniens Iesus humanas calcaturus delicias patriā acciperet, quæ vel nomine ipso flores deliciarū prætenderet. Cur Deus in terra germinante tribulos, & spinas, floridum locum requiris? Requirit flores, daturus iā ex tunc floridas corollas hominibus. De
D. Bern. quo pulchrè D. Bern. *In Nazareth annuntiatur Christ⁹ nasciturus, quia in flore speratur fructus processurus. Nomen igitur ciuitatis, in qua concipitur, exprimit statum temporis, & finem operis, ad quem venit. Cum enim Christus in Nazareth concipitur, iam hiems transit, tempus innouationis aduenit, fructus appropinquauit, coronans peccatores aduenit.* Sic Bernardus in hom. super *Missus est*, ponderat, quod Iesus Nazareth locum eligat, vt annuntietur, vt concipiatur, vt moretur. Nec miror, quod locum floridum requirat, quando *coronans peccatores aduenit*: Semper enim ex nobis accipit, quod magis solet respondere diui-
Isai. 9. nissimis donis eius. Ait enim Isaias cap. 9. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius.* Ex quo sapientissime argumentatur
Euſ. Gal. Euseb. Gallicanus hom. 1. de Nat. *Sicut totus Deus ex Deo, ita totum hominis corpus ex homine. De carne Mariæ coagulatus, de eius formatus viscеribus, & sanguinem, quem pro matre obtulit, de sanguine matris accepit. Sed & quoniam legimus, Paruulus natus est nobis, non nobis natus est, si nihil sumpsit ex nobis: nihil ex nostro suscepit? Nihil nobis contulit.* Quid pulchrius? A matre requisiuit sanguinem, quē pro illa in pretium daret; à nobis naturam sumpsit, vt præberet gratiam, adeo enim expectat recipere à nobis, quod det, vt si nil recepisset nostræ carnis, nihil largiretur suæ diuinitatis.

§. XVI.

Nil carnale permittitur, vbi Christus.

ECce tibi Deus, & promittit se Abrahæ semini miscēdum illis verbis, *Et benedicentur in te vniuersæ cognationes terræ*; & prius ab illo petit, quod carnales omnes affectus exuat. Ait enim: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Nil enim carnis esse permittitur, vbi Christus oriri debet, Desinant, necessum est in nobis carnales cognationes, carnales affectus, si nobis Christum natum tenere debemus. Sapienter notabat Paulus ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Et cur necessum fuit Dei filium nasci ex muliere? Adamus homo erat, nec tamē natus fuit ex muliere; sic etiam Dei filius potuit homo fieri, quin ex homine nasceretur. Cur magis voluit nasci ex muliere? Ait Chry-
Chryſoſto. soſt. hom. 2. in Matt. *Natus est Iesus secundū carnē, vt tu nascereris spiritu; natus est ex muliere, vt tu desineres filius esse mulieris.* Nihil carnale est, quod non debeat deficere, vt Iesus Dei filius adueniat; ipsa caro, carnales ipsæ natiuitates abscedant, necessum est, vbi Christus eò accedit. Desinat matrem carnalem habere, cognationem omnem spernat quisquis amat sibi nasci Dei Verbum ex fe-
Ad Gal. 4. mina. O quam sese insinuat Verbum diuinum menti vacuatæ omni carnali affectu! Aiebat Sap. cap. 1. *Spiritus Domini replenit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Duo Diuino Spiritui attribuuntur, & quod repleat, & quod vocem habeat, qua se prodeat. Replere autem non potest, nisi vacuum inueniat; nam quī in plenum emittit, effundit; qui in vacuum ille replere potest. Perderentur diuina dona, & effunderētur prorsus, si in plenas carnalibus mentes mitterētur; qua propter vacuas mentes expectat Dominus, & cum primum vacuum apparet; non se cōtinet; nec in sua sede morari patitur, sed vel a suis exiens vacuum replet, & voce se prodit. Erat sanctus Romanus coram Tyranno imperterritus prædicās diuina magnalia. Tūc Tyrannus iubet illi linguam auferri. Quid tunc? Lingua Martyri eripitur; & ille adhuc glorias diuinas loquitur. Sed quomodo fieri potuit, quod ora linguā vacuata adhuc uinis laudibus sonent? Ideo verius sonant, quia vacuata linguis, vt enim in ore martyris vacuum carneæ linguæ apparuit, statim Deus suas sedes dissimulans, aduolat, vt repleat martyris ora, pulchrisque suam præsentiam insinuet vocibus. Ait Euseb. Gallicanus serm. de sancto Romano: *Damnum non sentit in voce, cui Verbum regnat in pectore. Quām tibi tardum est diuina benignitas sanctos tuos in posterum glorificari? Subito impleturus vacuum subditur nouum rediuiuæ vocis officiū.* Quid pulchrius? De Philosophia sumpsit, quo Dei in nos affectum extollat: Est enim elementorum naturis propria sedes, sunt leges propriæ; quas præterire naturaliter non possunt. At cum casu cōtigit, quod vacuum aliquod spatium detur, tunc vniuersa elementa proprias obliuiscuntur, &
Euſ. Gal.

leges,

leges, & ſedes, vnum attendentia, vt in primis, quam citò vacuũ implere poſsint. Sic Deus leges ſuas habet, & decreta, quæ regulariter minimè præterit; at cùm videt cor hominis carnalibus vacuatum; cum primũ vacuum hoc apparet eius ob oculos, non patitur communium decretorũ moras, ſed omnes abrumpit, *ſubito impleturus vacuũ*, ſuamque ibi præſentiam inſinuaturus vocibus; etiam ſi a propria ſede quaſi exeundũ illi ſit, etiam ſi nocte intempeſta proſilire debeat in mediam exterminij terram; etiam ſi tempora ſint anteuertenda, vt det coronas. Felix ille, qui ſic carne vacuatur; fallar, niſi cœleſtia omnia ad illum volent. Matth. 2. Matth. 2. ingreſsi ſunt Magi Ieroſolymam quærentes dominicæ natiuitatis locum. Quorum voce commotus Rex Herodes congregat ſapientes omnes, à quibus requirit locum, in quo naſciturus expectabatur Dominus. Nec mora, & Rex, & ſapientes omnes Ieroſolymitani conueniunt Magos; illoſque informant de loco, & viam oſtendunt, & nomen oppidi. Egrediuntur ergo illi Ieroſolymis, petunt Bethleem, & *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et reſpõſo accepto in ſomnis, ne rediirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt, &c.* Ecce tibi Deus per Angelum ſuum in ſomnis adeſt Magis, illoſque admonet de reditu in patriam, & de via ineunda. At dum Ieroſolymis erant, nõ Deus, nec Angelus; ſed, & Herodes, & ſapientes illos de via, & loco admonent. Et cœlorum lingua ibi immuteſcit; ſoli principes Ieroſolymitani loquuntur. Cur ergo, tacente cœlo, tacente Deo, loquũtur Principes Ieroſolymitani, quando itur ad locum natiuitatis; quãdo autem inde redituri ſunt, tunc Deus per Angelum ſuum illis adeſt? Quando ibant Bethleem, ibant muneribus precioſis pleni, ſic enim dicunt, *venimus cum muneribus adorare eum*: in qua munerum, bonorumque plenitudine non miror, quod Deus ſe abſcondat, & quod illam æſtiment Principes mundiales. Licet enim religioſè Magi aurea munera Deo referrent; at Deus volebat perſuadere, vt magis placeat tibi in patupertate, quàm in auro. At cum redeũt, iam omnia illa munera ad Ieſu pedes poſuerant; iàm apparent omni auro, omnique temporali bono vacuati; vbi autem vacui ſunt, & Deum, & cœleſtes ſpiritus ad ſe maxime trahunt. Ait D. Hieron. epiſt. de Vera Circunciſ. *Magi tamen ex illo veteris vitæ reliquerunt veſtigia; nouumque iter ingreſsi, vacui ſarcinis, non vacui benedictionibus:: Hi vero ſuis affectibus ſpoliati in auro, thure, & myrrha, cõuerſationum itinere mutato, qui per Herodem venerant, per Angelũ redeuntes.* Itaque in auro, & thure, & myrrha ſuis carnalibus affectibus ſpoliati, in reditu vacui vt apparent; cœleſtes trahunt benedictiones, & qui per Herodem venerant, reuertuntur per Angelum. Vt enim mundiales Principes ad plenos euolant bonis temporalibus, ſic diuini ſpiritus veniunt ad vacuos.

D. Hier.

§. XVII.

Ille bonus gubernator, qui omnia facit, quæ à ſubditis fieri exigit.

NOuum, fateor, & antea minimè exauditum præceptum Abrahæ imponitur, dum dicitur illi: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, &c.* Et cur non antea, ſed primò tantum præceptum Abrahæ imponitur? In Abrahamo primò oſtenditur Deus egreſſurus è cœlis, & peregrinaturus in mundo factus homo: & ideo tunc primò Deus exigit ab homine, quod patriã relinquat, quando ipſe oſtenditur etiam relicturus ſua propter hominem. Boni enim gubernatoris eſt, ea à ſubditis ſolum exigere, quæ ipſe facere ſolet. Lucæ cap. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem deſponſatam viro*: Et quãdo virginem requirebat Deus, ex qua naſceretur, mittit Angelum ſuum ad Virginem deſponſatam; an vt ſpõſalia ſoluat, vnionemque caſtiſsimi coniugij diuidat præripiens ſibi Ioſephi ſponſam, & volens, vt ab illa dimittatur ſponſus? Abſit, non enim deceret, quod Deus peteret a ſuis diuiſionem vnionis, quando ipſe tractabat ſibi adiũgere totum hominem. Quæ facit ipſe, non contrariã ex ſubditis petuntur à bono gubernatore. Pulchrè ad hæc D. Chryſol. ſerm. 140. *Pervolat adſponſam feſtinus interpres, vt a Dei ſponſa humanæ deſponſationis arceat, & ſuſpendat affectum, neque auferat a Ioſeph virginem, ſed reddat Chriſto. Chriſtus ergo ſuam ſponſam recipit, non præripit alienam; nec ſeparationem facit, quando ſuã ſibi totam iungit in vno corpore creaturam.* Expende ab illis: *Nec ſeparationem facit, &c.* Quippe cum ipſe totus erat in vniendis diuiſis, non poterat petere a ſuis, vt facerent inter ſe ſeparationem. Conueniant hinc

Luc. 1.

D. Chryſ.

mundiales multi gubernatores, qui minime detrectant multa a suis petere, & præcipue tempore, quando ipsi sibi prorsus contraria volunt. Sane is non Spiritus diuinus sed diabolicus, sed extrema damnationis.

ad Ephe. 2 Aiebat Paulus ad Ephes. 2. *Christus pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Duo erant antea populi; Iudæus, & Græcus; venit Christus & fecit, vt duo hi fierent vnum. Ex quo loco argumentatur Catholici aduersus Arrianos, illosque notant homines extremæ damnationis, qui negabant Christum vnũ esse cum patre: Nunquam enim bonus mũdi moderator, si ipse a patre esset diuisus, posset petere in populis coniunctionem.

Procl. Ait enim Proclus de fide ad Armenos: *Iudæum, & Græcum per Baptismum in vnum hominem condidit veniens potentia; quæ conuersatione dissidebant. Horreat damnationem nouæ impietatis authores, siquidem, cum dissidentia in vnam concordiam vnita sint, is qui vniuit, quantum in illis fuit, in duo est diuisus.* Expende ab illis: *Horreant damnationem, &c.* Hominis enim est damnati, dominatricem potentiam putare in se dissitam, & disiunctã, quãdo ipsa ad vnionem populos inclinat. In solum namque damnatum animum cadere potest, quod potestas aliqua petat a suis id, quod minime ipsa in se admittit.

Matth. 8. Matt. 8. Centurio præclare sentiebat de potestate, quæ erat in Christo Domino, a quo petebat, vt solo verbo sanaret puerum paraliticum. Et cur solo verbo sanaret illum Christus Dominus? Ait ipse: *Nam, & ego homo sum sub potestate constitutus, & dico huic, vade, & vadit.* Et quidẽ sapiẽtissimee x ijs, quæ ipse subditus faciebat, colligebat, quæ deberet facere potestas, quæ erat supra illum; quando, & potestates, & subditi eadẽ sibi opera præfigunt. Quod meditatus D.

Basil. Sel. Basil. Seleuc. orat. 19. inquit. *Admiremur fidem, prudentiam, religionem Centurionis. Fides vno verbo curationem mensa est: prudentia eius, quæ circa se, quæ circa Dominum colligebat.* Prudentissime agit, quisquis ex ijs, quæ videt peragi a subditis, æstimat ipsa dominatoris facinora, quando nullus bonus debet exigere alia, quam quæ facit ipse. Hinc Iesus spirans in cruce Ioann. 19.

Ioann. 19 dicit Mariæ: *Mulier ecce filius tuus*, quasi se ab illa ablegaret, nõ matrem vocat, sed mulierem, & loco sui illi Ioãnem filium attribuit; quæ verba adeò dura fuerunt Mariæ, vt illis impletam fuisse putet Bern. Simeonis

Luc. 2. prophetiam dicentis Luc. 2. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Ait enim Bern. serm. super c. 12. Apocal. *At nõ tibi plus quam gladius fuit sermo ille, (re vera pertransiens animam, & pertingens vsque ad diuisionẽ animæ, & spiritus.) Mulier, ecce filius tuus? O commutationem! Ioannes tibi pro Iesu traditur.* Sanè gladius fuit acutissimus verbum illud nomen matris præteriens, & Mariam à Iesu paulisper diuidens. Et cur Domine tam acutum gladium exeris in Mariam? Cur necessum fuit sic matrem afficere? Erat Iesus qui dicebat Matth. 10. *Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, &c.* *Matth. 10*

Qui ergo gladium porrigebat suis, quo se pro Deo, vel a parentibus diuiderent, merito & ipse gladium exerit, qui maternam teneritudinem diuidat, dum pro mundo satisfacit diuinæ iustitiæ. Boni namq; principis est facere, quæcũque exigit a subditis. Hinc Deutheron. 15. cauet Deus: *Si* *Deuth. 15.* *vnus de fratribus tuis ad paupertatem deuenerit: nõ obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, &c.* Sic ibi iubebantur fratri pauperi aliquid dare. At Matth. 5. Dominus aiebat: *Qui petit à te, da ei.* Nõ solum fratri, sed quisquis sit, qui petat, illi iuxta Christi monitu est dandum. Et cur speciali cura in lege fratribus in Euãgelio autem omni indigenti vt fratri erat eleemosyna danda? Ait Tertul. lib. 4. in *Tertull.* Mar. *Quandiu intra Israelem erat sacramentum, merito in solos fratres misericordiam mandabat. At vbi Christo dedit gentes in hæreditatem: exinde Christus in omnes legem paternæ benignitatis extendit.* Bonus gubernator Dominus, sola petebat a subditis, quæ ipse præstabat. Et ideo quandiu in solos Israelitas fratres suos effundebatur; sic solum petebat a suis, vt effunderentur in fratres. Vbi autem se extendit ad gentes, sic iussi sumus extendi ad extraneos vt fratres.

§ XVIII.

Nomẽ hominis in solo Deo amplificatur a, ternatur.

PRo virtutis præmio hoc dicit Dominus Abrahæ: *Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum.* A solo enim Deo, & virtute venit, quod hominis nomẽ amplificetur & maneat. Rem sapienter ponderat Theodoret. serm. 5. de Natura hominis, fatus: *Factum est vt cuncti mortales Italicæ quidem, Ionicæque sectæ, ac Eleaticæ, ne nomina quidem sciant, eorum namque memoriam temporis longinquitas abolent. Prophetarum vero nomina, quamquam pluribus quam mille ac quingentis annis, eiusmodi Philosophis anti-* *Theod.*

quiorum

quiorum, loquentes huc illuc circũferunt. Quin eos quoque patres, qui prophetas tempore præcesserunt, Abraham, in quam, filiosque Abrahæ, ipsisque vetustiores Noe, Enoch, & Abel, cæterosque quotcumq; laudabilis vita illustres fecit, norunt quam optime. Euanuerũt sane, & nomina cum præstantissimis sæculi hominibus, aut si aliqua manẽt, tam pauci ea norunt, vt meritò putentur ab omnibus ignorari. At illorum nomina, qui Deo seruierunt, & si antiquiora multo, tamen modo, & splendida, & recentia per omnium ora volitant. Quis ignoret Iacob? Quis Isaac? Quis Abrahami? Quis Noe? Quis Abel?

Theod. Et tamẽ ijs nihil antiquius. Et pergit Theodor. *Septem illos sapientes, qui lõgo post prophetas tempore nati sunt, eorumque præterea vomẽ, qui sapientibus illis successerunt, ne illi quidem, qui Græcofauem idiomati, satis sciũt. Matthæũ vero, Bartholomæum, & Iacobũ, Moysem, Dauid, Esaiam, alioq; item Apostolos, & Prophetas æque nunc homines tenent, ac illorum nomina.* Fulgent equidem nomina iustorum in terra; nomina autem impiorum euanescunt cum illis. Quod meditatus Psalm. 61. consulebat: *Rapinas nolite concupiscere.* Vbi ex Hebræo legitur: *In rapina ne euanescatis:* Si mul enim cum mundialibus bonis raptis euanescunt impij, & abeunt in fumos, nec nominum eorum manent vestigia. Luc. 16. *Homo quidam erat dues, & induebatur purpura, & epulabatur quotidie.* Ecce cuius narrantur delitiæ, & diuitiæ, nec nomẽ scitur. Et quare cuius thesauri aperiuntur, nomen non explicatur? Ait Author cat. Græcæ in Lucam: *Hunc tanquam durum, & in pauperes inhumanum Dominus anonymum induxit, vti per Prophetam de Deum non timentibus ait: Non memor ero nominum illorum per labia mea.* Meritò anonymus, id est, sine nomine proponitur, qui sic erat immisericors, & durus; impietas enim vel nomina absumit. Matth. 1. *Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* In censu progenitorum Iesu tacetur nomen Bersabee, quæ vere fuit auia Saluatoris, & ponitur nomen Vriæ, qui ad eam prosapiam non pertinuit. Dicitur enim; *Ex ea, quæ fuit Vriæ,* imò in Græca lectione cuius meminit Pater Cerda in Aduersarijs cap. 187. solum legitur: *Dauid genuit Salomonem ex Vriæ:* Non enim solum nomen talis fœminæ excluditur, sed nec pronomen admittitur demonstratiuum illius. Et cur quando, & Dauidis, & Vriæ mentio fit, nec Bersabee nomen admittitur, quod magis ad rem conducebat, quam nomen Vriæ? Accipite Paschasium de hac quæstione differentẽ lib. 1. in Matth.

Psal. 61.

Auctor cat. Græc.

Matth. 1.

Pat. Cerd.

Hæc quoque adulterio fuscata, simul, & viri homicidio cruentata, meritò videtur prætermissa: saltem vt silentio nominis, quia loquendo nequiuerat, quod turpe videbatur, omnino tacẽdo retegeret. Vnde & nomen viri eius, quod est Vrias velut iusti hominis ponitur. Et notandum, quod non solum indulgentia criminis, sed & satisfactio in Dauid legitur: Bersabee autem, nec pœnitentia, quod cõsenserit in adulterium regis, crimen suum diluisse scribitur. Iustitiam, & sanctitatem sequitur nominis celebratio; ideò Vrias, quia iustus; & Dauid, quia pœnitens inter nominatos Christi progenitores censentur; Bersabee autem nomen inde excluditur, quia cum peccasset; quod pœnituerit, non legitur. De impio namque dicebat Iob cap. 18. *Non celebretur nomen eius in plateis.* Quæ verba exponens Philippus Presbyter ait: *In plateis, atque portis Reges quondam, & iudices residebant, & ideo ait: Nec ibi laudem, & prædicabilem famam impius homo integritatis, ac iustitiæ habeat, vbi Regum, & potentiorum nomen solet virtutum suarum merito celebrari.* Cum nominis celebritatẽ ex virtutibus Reges, & Principes consequantur; vbi horum nomina præfigũtur, nullum locum impiorum nomen habet. Nisi forte ibi cũ execratione, & odio audiatur. Quò spectat prædictorum verborum lectio Græca in cat. nimirum: *Et erit nomen ipsi in facie exterius.* Ad quæ Olympiodor. ibi: *Nomen eius vsque adeò dirum erit, atque execrabile, vt quicumque illud auditurus est, solius nominis odio sit ab eo, qui illud appellarit, os suum auersurus.* Sic turpãt impij nomina; quæ solum à virtute clarescunt.

Iob 18.

Lect. Græ

Olymp.

§. XIX.

In re virtutis ille præstantiõr, qui sibi prius consulit.

NOta ordinem benedictionis Abrahamo collatæ: *Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eritque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atq; in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Prius benedictio Abrahamo promittitur, deinde ex illo ad alios derivatur. Prius benedictio datur Abrahamo, & postquam ipse dicitur benedictus; deinde ait: benedicam benedicentibus tibi, & in te benedicentur vniuersi. Decebat enim tantum virum, ne ab illo benedictiones in alios proficiscerentur, prius quam ipse sibi suam benedictionem assereret. Tur-

pe enim

pe enim est in re virtutis, ad alios deriuare fluenta gratiarum, & ipsum arescere. Iudæus quidam vehementer gloriabatur, quod ipse haberet prophetam tantæ virtutis, quanta in nullo Christianorum erat. Is erat Eliseus, cuius cadauer cum sepulturæ inferretur, vt attigit defuncti alterius ossa, illum ad vitam reuocauit. Ait enim 4. Reg. 13. *Quidam sepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Eliseï. Quod cum tetigisset ossa Eliseï, reuixit homo.* Hæc tota erat gloriatio, & insultatio Iudæi, quod defuncti Prophetæ cadauer vitam alteri dedit, quam nõ habebat sibi: Verum componamus hoc facinus cum Christi Domini facinore; Qui mortuus in Cruce, clausus sepulchro, tertia die surrexit ipse de tumulo. Vter ergo præstantior in virtute, qui mortuus alium suscitat, an qui suscitat se ipsum? Eliseus, an Christus? Crediderim in solo Christo Domino præstantẽ esse virtutem, qua sibi prius resurrectionem prouidit, in Eliseo autem nullam esse propriam virtutẽ, quando non sibi; sed alii præbuit vitam. Ait putatus D. Hieron. epist. de viro perfecto: *Subito Christus infernis terræ cardinibus concussis, cum stupore militum, & ruina saxorum non alium aliquem, sed se suscitauit in lucem. Eliseï hæc si propria dona fuissent, sibi dare maluisset, nec præstare alii poterat, quod indigeret ipse sibi. Denique hoc maius esse vestri prodiderunt maiores.* Maius equidem est in re salutis, quod quis sibi prius, quam alijs consulat: sic fecit Iesus meus resuscitãs se ipsum: sic deberet facere Eliseus, si haberet; virtutem propriam quod autem non se, sed alium exsuscitat, potius prouenit ex defectu virtutis. Hinc Iesum crucifixum blasphemabant Iudæi, quod ipse in tormento crucis maneret, cum alios a malis plurimos liberasset. Ait enim Matth. 27. *Similiter, & Principes Sacerdotum illudentes cum scribis, & senioribus, dicebant. Alios saluos fecit: se ipsum non potest saluũ facere: Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Fatebantur aperte, quod Iesus plurimos alios saluos fecerat, quod è feretro adolescentem, è tumulo Lazarum in vitam traxerat, & tamen ex ijs non credunt diuinũ esse virtutem in Iesu, quando putant se ipsum nõ posse saluũ facere. Sed esto, quod se ipsum nõ possit saluare, si alios vere saluauit, cur non esse virtus Dei credatur? An diuinius est sibi potius, quã alijs salutem afferre? Haud dubiũ, quin hoc clarissimũ sit opus diuinitatis, quod in re salutis, ne totus fias alijs, & minime tibi salutaris. Ex quo pulchrè aduersus Iudæos neotericos concludit putatus sanctus Hieron. supra: *Vestrorum ergo sententia vicimus. Vestri promiserunt se credituros esse, si præstitisset Iesus salutem sibi, quam alus præstare consueuerat. Cur non creditis, quod esse præstantius non negatis?* Non possunt negare vel obduriſsimi homines illum esse præstantiorem in re salutis, qui sibi prius prospicit, quam alijs. Luc. 2. dicitur: *Tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino; sicut scriptum est in lege Domini, Quia omne masculinum ad aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Quæ lex iuxta communem expositorum sententiam vnũ masculum diuinum Iesum respiciebat, in primis, vt qui sanctus in vtero matris existens, inde etiam exiuit sanctus. Sed cur necessum fuit lege notari sanctitatem Iesu in vtero etiam matris? nimirum, vt inde claresceret eius præstantia, qui sibi habuit, quod iam dederat aliis, scilicet Ieremiæ, & Ioanni: Ait D. Amb. ibi: *Hic solus aperuit vuluam. Nec mirum, hic enim dixerat Ierem. 1. Priusquã te formarem in vtero noui te, & in vulua matris sanctificaui te. Qui ergo vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur Propheta, hic est, qui aperuit matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret.* Expediebat hoc Saluatoris præstantiæ, vt nihil salutis alijs daret, quod sibi non præsumeret; & cum alios in vtero sanctificasset, sic sese sanctitatis planũ ab vtero matris exhibuit. Ne quis manens in se infirmus glorietur se dedisse alijs salutẽ.

Cen. 12. Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus, & iuit cũ eo Loth: Septuaginta quinque annorũ erat Abram, cum egrederetur de Haran. Tulitque Sarai vxorẽ suam, & Loth filium fratris sui, vniuersamq; substantiam, quam possederãt, & animas, quas fecerant in Haran, & egressi sunt, vt irent in terram Chanaam. Cumque venissent in eam, pertransiuit Abram terram vsque ad locũ Sichẽ, & vsque ad conuallem illustrem, &c.

§. XX.

Cognati, qui cum Deo haberi poſſunt, non relinquendi.

ILlud notandum, quod dicatur Abrã præceptum de relinquenda cognatione impleuiſſe, quãdo ſimul dicitur Lothum cõſobrinum retinuiſſe. Dicit enim: *Egreſſus eſt itaque Abram, ſicut præceperat Dominus, & iuit cum eo Loth, &c.* At ſi præceptum erat de relinquenda cognatione, qualiter dicitur iuxta præceptum exijſſe, qui ſecum cognatum retinuit? Sane erat præceptũ de relinquenda cognatione impediente negotia diuina; qui autem cum Deo, eiuſque perfectiſsimis obſequijs teneri valent cognati, ij minime dimittendi in periculis. Dimiſit ergo Abram cognationem Deo reſiſtentẽ; at Lothum retinuit, qui Deum ſequabatur, & nullo modo obſtabat, ſed proficiebat ob
Matt. 19 ſequijs diuinis. Matth. 19. dicebat Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Magnum hoc audet dicere Petrus, quod omnia reliquerit; & tamen, & domum, & ſocrum adhuc ſecum habebat. Ait enim Lu
Luc. 4. cas cap. 4. *Surgẽs autem Ieſus de Synagoga introiuit in domum Simonis; ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, &c.* Ecce tibi Petrus habebat domum ſuam, & in ea ſecũ habebat ſocrum, & nihilominus dicit ſe reliquiſſe omnia. Quomodo reliquiſti omnia, ſi adhuc non reliquiſti cognationem? Verè omnia reliquit Petrus, & ſubſtantiam, & paternam domum, & cognationem, quando ſecutus Chriſtum, nihil illorum habet, niſi quod poteſt habere cum Domino. Pul
D. Hier. chrè enim de illo dicebat D. Hier. epiſt. de vera circumciſ. *Abraham reformatur in Petro: omnia ſe reliquiſſe teſtatur: non fluctuat in alto, artis cura non geritur; nec ſocrus ægra ſine Domino viſitatur. Omnis ſingularis viri affectus in Chriſto eſt; hunc ſequitur ſubſtantiæ contemptor, ſtudij negligens, affinitatis oblitus.* Expende illud: *Nec ſocrus ægra ſine Domino viſitatur;* verè enim putantur relicta omnia, & a corde hominis expulſa, quę non niſi cum Domino habentur. Meritò ergo tota Abrahæ perfectio in Petro reformatur, quando vtriuſque affectus in Chriſto eſt, quando vterque omnia reliquit, & ipſam cognationem abiecit, & cognatum retinuit, qui cũ Domino poterat retinere. Quæ impediunt Dei congreſſum cognationes, relinquendæ ſunt viro fideli; ſed retinendæ, quæ ſimul poſſunt currere ad Deũ. Apud 2. Machabęor. 7. dicitur: *Contigit autem, ſeptem fra* 2. Mac. 7.
tres, vna cum matre ſua apprehenſos compelli a rege edere contra fas carnes porcinas. An ignorabimus venerabiles ij fratres, quod non ſi ſguli, & ſine matre ibant in vincula? An hæc mater ideo in gloria, qui non filios reliquerat, ſed nec valuerit ſeparari ab illis vſque ad extremum halitũ vitæ? Abſit, imò hinc glorioſiores omnes, quod ne filij matrem, nec mater filios in curriculo virtutis relinqueret. Vt pulchrè de tanta hac matre dicat D. Ambroſ. lib. 2. de Iacob cap. 9. *Non* D. Amb.
ſic luna inter ſtellas refulget, vt inter filios mater: & cum eos ad martyriũ illuminatura deduceret, refulgebat; & cum amplexata viſceres in medio filiorum iaceret. O vera mater! O indiſſolubile pietatis vinculum! O verè valida charitas! Totum charitatis punctum attigit hæc fœmina, cum filios noluit dimittere; cum nec ad horam ſeparari potuit ab illis, qui in eodem virtutis ſtadio currebant. Et meritò inter filios eſſe dicitur, ſicut luna inter ſtellas; quemadmodũ enim luna cum lucet, ſimul collucentes ſecum ſtellas admittit, ſic bona mater filios ſecum habet, qui poſsint collucere ſimul. Quò ſpectans cantatiſsima illa Paula, vbi filijs, & cognationi carnali valedixit, virgunculam filiã Euſtochium ſecum retinuit, & voti comitem, & itineris. Rem pulchre ponderat D. Hieron. in eius epitaphium: *Paruus Te-* D. Hier.
rotus ſupplices manus tendebat in littore. Ruffinæ iam nubilis, vt ſuas expectaret nuptias, tacẽs flẽtibus obſecrabat. Et tamen Paula ſiccos ad cœlum tendebat oculos, pietatem in filios pietate in Deum ſuperans. Neſciebat ſe matrem, vt Chriſti probaret ancillam. Torquebantur viſcera, & quaſi a ſuis membris diſtraheretur, cum dolore pugnabat: in eo cunctis admirabilior, quod magnam vinceret charitatem. Inter hoſtium manus, & captiuitatis duram neceſsitatem, nihil crudelius eſt, quam parentes a liberis ſeparari. Hoc contra iura naturæ plena fidei patiebatur, imo gaudens animus appetebat, & amorem filiæ maiore in Deum amore contemnens, in ſola Euſtochio, quæ & propoſiti, & nauigationis eius comes erat, acquieſcebat. Ecce tibi vt cognationem, patriamque relinquens, imò teneros filios pro Deo animoſa contemnens, adhuc in vna filia Euſtochio quieſcebat, a qua nõ patiebatur diuelli. Sed cur bona, & hanc cum alijs non relinquis? Cur etiam non ab huius amplexibus te expedis? Inſinuant verba illa: *Quæ; & propoſiti, & nauigationis comes erat;* non equidem relinqui debent filia, quæ matris ſanctiſsimum propoſitum non impediebat, ſed quæ in omni virtutis

aggressu socia poterat percènseri. Tales filij, tales cognati non relinquendi, sed indissolubili pietatis vinculo amplectendi.

3. Reg. 17 Habes 3. Reg. 17. mulierem pro filio defuncto orantem ad Eliam: quid tunc Elia? *Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum, vbi ipse manebat, & posuit super lectulum suum, & clamauit ad Dominum: & reuersa est anima pueri, &c.* Puerum à matris sinu, imò à matris cõspectu separat Elias, vt illi vitam refundat; sed Iesus Luc. cap. 8. suscitaturus puellam, hoc primum agit, vt facinori adsint parentes eius. Ait enim text. *Cum venisset domũ, non permisit intrare secum quemquam nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ.* Elias mater ablegat, vt filiũ suscitet; Iesus, & matrem, & patrẽ vult adesse suscitandæ puellæ. Cur, & à Iesu nõ dimittuntur parentes suscitandæ puellæ, vt ab Elia dimittitur mater pueri? Aiebat Gil-

Gil. Ab. lib. Abbas serm. 16. in Cant. *Sinus ille matris defunctum premere poterat, non viuificare.* Et quando virilibus animis non officiũt blãditiæ parẽtum? Equidem vbi puer, vbi animus virilis in vitam excitandus erat, non miror; quod fugiatur sinus maternus, cuius blanditiæ solent perimere adolescentes. At vbi suscitanda puella est, vt viuidæ puellarum virtuti maxime prodest præsentia parentum, sic nec ad momentum permittitur viuere puella, nisi sub parentũ conspectu. Crede mihi, ablegandi sunt, & fugiendi parentes, qui possunt nocere; at qui proficiunt parentes, & cognati, prorsus debent retineri. Eũti ad supplicium septimo Machabæorum filio mater dicebat 2.

2. Mach. 7. Machab. 7. *Fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in hanc ætatem perduxi. Peto, te nate, vt ad cœlum aspicias:* Quid ad hæc filius? An voces matris effugit? An matrem cõtempsit? Abst, imò ait Marius Victori-

Mar. Vi. nus in Carm. de illa: *Sicut erat monitus matrem, cœlumque videre.*

Constitit; atque hilari vultu contemnere regem.
Cœpit, & vt ridens ardentes irruit ignes, &c.

Simul, & cœlum, & matrẽ conspicie bat in tali cõflictu, vt quem, & matris, & cœli conspectus ad victoriã iuuabant.

(***)

§. XXI.

Patriæ, cognationique renuntians, vt Deo adhæreat, validissimum habet præsidium ex Deo.

QVis non miretur Abrahæ facinus sic imperterrito ingredientis ignotas sibi, & feralissimas regiones? Ait enim: *Septuaginta quinque annorum erat Abram, cũ egrederetur de Haran. Tulitque Sarai vxorem suam, & Loth filium fratris sui, vniuersamque substantiam, quam possederant in Haran, & egressi sunt, vt irent en terram Chanaam, &c.* Ecce tibi senex homo, & inermis cum vxore sua, & substantia sua non veretur peregrinari in aliena terra, apud nationes feralissimas, & prorsus ignotas sibi. Et cur non magis timet inermis ire cum vxore, & substantia per ignotas regiones? Et esto, quod in eo se Dei præceptis obedientem præbeat; cur non adhibet auxilia sibi, quibus tutetur se, & audaciũ impetus retũdat? Sanè in eo, quod patriæ, cognationiq; pro Deo renũtiat, nõ parua auxilia habet, quibus securos per media pericula transeat. In 4. Reg. 4. cum Sunamitidis filius mortuus fuisset, mater posuit defunctum puerum in lecto Elisæi; *Ingressus est ergo Elisæus domũ, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius: ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & orauit ad Dominum.* Erat equidem pueruluus defunctus in lecto Elisæi, & vnus Elisæus clauso ostio, puerulo defuncto aderat, vt eum ad vitam reuocaret. At de Salomonis lecto locutus textus Cant. 3. ait. *En* Cant. 3. *lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel; omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, &c.* Compone modo lectulum Salomonis, & lectulum Elisæi; in Elisæi lectulo habente defunctum puerum vnus cernitur Elisæus; in Salomonis lectulo, sexaginta fortes excubant de fortissimis Israel. Et cur tot milites excubant pro Salomonis lectulo, & nullus pro lecto Elisæi? Non ne Elisæus ille erat, de quo dicitur 4. Reg. 6. *Ecce mons plenus equorum, &* 4. Reg. 6. *curruum igneorum in circuitu Elisæi?* Cur modo suscitaturus puerum in lecto suo, nullũ ibi militẽ exhibet, nulla arma bellica; quãdo Salomon in lectulo suo tot phalanges militares ostendit? In Elisæi lectulo res agebatur pueruli defuncti in domo paterna, & in ea remansuri; in lectulo autem Salomonis spõ-

nis sponsalitium quid ostendebatur, vt spõsa relictis parentibus diuino sponso adhæresceit. Per id autem, quod quis relinquat parentes, vt vniatur Deo, non panca sibi auxilia negotiatur è cœlis. Sic enim rem
Gil. Ab. claudit Gilliber. Abbas ser. 16. in cant. *Maior in Salomonis lectulo gratia, in quo sponsa matrem carnalem de relinquens, perpetuo iure dilecto adhæret, & vnus cum illo efficitur Spiritus.* O gratia hominis renuntiantis cognatis, & parentibus, vt se vniat Deo. Quam felix hic est, pro quo excubat totum armatum cœlum. Dum ad huc apud parentes, & cognatos es, dum non te expedis carnalibus parentum affectibus, fieri poterit, vt decumbens in lectulo prophetam vnũ habeas, sacerdotem vnum, qui te a mortis vmbris in vitam reuocet. At dum cœlestes nuptias appetens, parẽtes relinquis, vt adhæresças sponsoDeo, nõ vnũ, sed sexaginta validissimos duces trahis è cœlis, qui pro te excubent, teque tutum, & pene inuulnerabilem conseruent. Hùc spectans Psaltes
Psal. 44. monebat Psalm. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuũ, & domum patris tui. Et cõcupiscet Rex decorẽ tuum; quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Petit, vt relinquatur paterna domus, & patria pro Deo, de quo statim pronuntiat, *& adorabunt eum.* Sed quid hoc cum primo? Quod omnes Deum adorent, quid consequentiæ habet cum eo, quod pater relinquatur? Merito ad parentum obliuionem pro Deo hortatur ex eo, quo omnes Deum adorent, vt inde ostendat, quantà potestate, & valentia Deus adsit parentum contemptoribus. Ait D. Chry
D. Chrys. sost. ibi: *Et adorabunt eum. Quænam est hæc consequentia? Velo optima, est enim optimum genus exhortationis. Accede, inquit, sunt maximæ eius vires, & omnes ei obedient.* Simul, & persuadet cognationis carnalis obliuionem, & suas maximas vires ostendit, vt subiectas habet potestates omnes, vt omnes velocissimè accurrẽt ad minimam eius vocem. Eo enim, quo cognationem obliuiscaris, habes pro te illum validissimum Deũ, cui omnes seruiunt; qui ad nutum habet vniuersas phalanges Angelorum, quas in auxilium tuũ mittat, & defensionem.

§. XXII.

Virtus in maioribus ætate efficacissimum magisterium est, pro iuuenibus instituendis.

NOn otiosè obedientis Abrahæ notatur ætas, ait enim: *Septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran, &c.* Non adolescens, sed senex, sed septuagenarius vocatur Abrahã ad difficilimæ obedictiæ, & peregrinationis certamina; virtus enim in ætate maioribus efficacius magisterium habet, vt sese iuuenibus persuadeat. Quis non feratur in facinus, quod videt à senioribus fieri? Euseb.
Euseb. Gal. Gallicanus hom. de Martyribus Lugdonẽsibus sic aiebat: *Rapitur ad impiam quæstionem grandæuus, & plenus dierum beatus Pater noster Totius Ecclesiæ huius Antistes; ac post Domini corporis sacrificium, profanis tribunalibus nouam de se oblaturus hostiam infertur. Felix, cui in ipso vitæ limine constituto finem suum, non tam naturæ contigit debere, quam gloriæ. Corroborãtur hinc pia mentes tanti parentis exẽplo, & parata supplicia nõ tam suscipiunt, quã inuadunt.* Sic in senis Antistitis certamine corroborantur reliqui, vt potius videantur inuadere paratas carnificinas, quam perferre. Nunquam enim non de seniorum exẽplo in facinora iuuentus descendit. In 2.
2. Mac. 7. Machab. 6. dum Antiochus nitebatur Iudæos à patrijs legibus deterrere, incidit in glorioſam Machabęorum familiam, in qua septem iuuenes fratres erant cum matre, & patre Eleazaro sene. Quid tunc? Vt iuuenes frangantur, rapitur senex ad quæstionem, ait enim: *Igitur Eleazarus vnus de primoribus scribarum vir ætate prouectus, & vultu decorus aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. At illa glorioſissimam mortem, magis quam odibilem vitam cõplectens; voluntarie præibat ad supplicium, &c.* Et statim subdit: *Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum iuuenibus, sed & vniuersæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis, & fortitudinis suæ derelinquens.* Ex quo D. Ambros. lib. 2. de Iacob cap. 11. acriter pungit tyrannum, vt qui captus sit in astutia sua; cępit enim torquere senem, vt propter fragilitatem deuictus ceteris iuuenibus persuaderet perfidiam. At vbi in sene apparuit virtus, nullus remansit, qui non euolaret ad illam. Fatur Ambros. *Post Eleazarum statui sunt septem pueri cum matre. Insultare licet tyranno, qui dum callide a sene in-*
Ambr.

ne incipiendum putat, magistrum eligit, quo discipulos faceret fortiores. Non decipulam parat iuuenibus cana virtus; quin potius discipulos facit suę generositatis auidissimos, qui quodam ingenuo pudore verecundentur non currere ad facinus, quod vel à senibus peragi vident. Quando enim minores non rapiuntur maiorum disciplina? Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terrā*; quibusdam videtur cœlum in creatione fuisse terræ præpositum, habuisseque in aliquo saltem excellentiæ priori essendi initium. Quid inde? Omnes cœlestium vices æmulatur terrā auidissime. Accipite Tertullianum lib. de Resur. carnis, fantem. *Redaccenduntur, & stellarum globi, reducuntur, & syderum absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat. Redornantur, & speculā lunæ, quæ menstruos numerus attriuerat. Reuoluuntur hyemes, & æstates, verna, & autumna. Quippe etiam terræ de cœlo disciplina est; arbores veste post spolia, flores denuo colorare, &c.* Expende illa: *Terræ de cœlo disciplina est, &c.* Vbi enim cœlum maius natū stellas semel & iterum reaccendit, lunæ defectus reficit; & tenebrarum luminumque facit vices, similem disciplinam terræ indit, vt post spolia arbores vestiat, & flores denuo coloret; viceſque temporum iustineat. A maiorum enim virtutibus non potest, non venire in minores eadem virtutum disciplina.

Genes. 1.

Tertull.

§. XXIII.

Nulla ætatis infirmitas impedit, vbi fides viget.

SEptuagenarius Abraham ad ardua perē grinationis vocatur; quippe: *Septuaginta annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran.* In quo enim fides valebat, senectus impedimentum afferebat uullum; quominus præstantissima Dei facinora perficeret. Ea enim sunt diuina facinora; quæ nulla impediantur ætatis infirmitate, si sola cōualeat fides. In 2. Machabæor. cap. 7. post senem Eleazarum trahuntur septem filij cū matre, qui tyrannum rabidissimum superent. Ait enim: *Contigit autem septem fratres vna cum matre sua apprehensos compelli a Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris, & taureis cruciatos.* Quale certamē? Senex pater, senex mater, & septem teneri filij descendunt in arenam, vt cum tyranno, & tormentis dimicent, imo vt vincant, vt triumphent. Proh Deus, quando durissimi certaminis triumphatores quæris, cur ad homines, aut senes, aut pueros cōfugis? Cur non magis requiris viros validissimos? Non curat Deus in suis athletis ætatis infirma, vbi animaduertit robustam fidē. Merito enim dicit D. Chrysost. hom. de Nat. Septem Machab. *Agonem proponens Christus non iuuenes exercitatos ad certamina, sed primæuos adolescentulos, & cum ipsis senem Eleazarum, simulque mulierem anum, matrem septem adolescentum vult considerari. Non est sensibilis hæc pugna, neq; sensibile certamen. Noli ergo illos athletas extrinsecus considerare, sed ingredere ad interiorem eorum habitudinem: conspice fidei eorum fortitudinem, vt intelligas, quoniam qui cōtra dæmones pugnat, non robore corporali, neq; valida compage membrorum indiget; sed & tener ad hoc adolescentulus in flore primæuo agit, & si senex ad extremis ætatis suæ metas peruenerit, animam vero fortem habeat, & corroboratam fidem, nihil de ætate vel immodica, vel extrema ab effectu certaminis impeditur.* Sic ætatis infirma in re virtutis nullo impedimento esse possunt, vbi fidei in animo crescit robur. Deficiat quamuis corpus præ senio, si habeat fidei robur, omnia peraget, quæ ad Dei obsequium esse possunt. Hinc Petrus Damian. opuscul. de Perfection. Monachor. cab. 23. post laudatum senissimum Leonem, hoc mirum de illo profert: *Illud etiam valde mirandum, quia numquam esurit, nunquā sitit, nunquā eius oculos accidia tædiū deprimit. Adde etiā quod cū præsenectutis caligine facie hominis discernere nequeat; literas discernit, & legit: quotidie psalterium bis lectitando percurrit.* Quid mirabilius? Potuerat senectus sensus hebetare, ne mundialia perciperent; oculos obnubilare caligine, ne vel inter homines discernerent; at vbi ad virtutum munera vētum est, sic omnia senectutis impedimenta excluduntur, vt vel minutissimæ psalterij literæ possint percurri.

D. Chrys.

Petr. Da.

2. Mac. 7

CAPVT SECVNDVM.

Abrahami descensus in Ægyptum.

Textus Historiæ.

EGITVR peregrinum Habrahamum confinia Sichen trāseuntem excepit planicies cātatissima, celsissimis querce tibus nobilis, præstātissimarū frugū copia diues. Hæc Chananæis regio tūc erat, sed iā Abra-

Abrahamitis à Deo præscripta. Inibi enim erranti Abrahamo adest Dominus, vberē soli amœnitatem indigitat, eiusque semini possidendam promittit. Pro cuius promissionis gratia Aram struxit Abrahamus, quā uis non sibi, sed suis amœnissimam terram videret adscriptam, magis de filijs ditatis, quam de se bonus pater gauisus. Hinc per totius vallis amœna dilapsus vbique diuinitatis veræ ingenerat notitiam, & ferales homines ad humanitatem reducit. At non diu ibi morari licuit propter temporū sterilitatem, quando vel regionis incolas dira fames inde compellebat exire. Eundum erat Abrahamo in Ægyptum, si famis rabiem vellet effugere; imminebat tamen homini non paruum aliud in Ægypto discrimen: Præstātia enim formæ in Sara etiam sexagenaria adeō splenderet inter Ægyptias, vt merito sibi vir prudens timeret a procis omnium impudentissimis, si propugnator non esset futurus illius. Inito igitur cum Sara consilio progrediens vxorem dissimulat, sororē acclamat, vt nuptiarum spes procaciss imorum hominum tantisper deludat luxuriem, donec Deus securiorem sternat viam peregrinorum suorum, & pudicitiæ, & saluti. Re verà rara erat in fœmina pulchritudo, cuius conspectus vt vacuat theatra spectatoribus, sic fama totam Regiam subito implet. Ardet Rex adformā peregrinæ, & nō veritus maritum, quem fratrem putat, sibi, suisque gratissimas adornat nuptias. Dum tamē nuptialis thalamus apparatur, lectus enixe requiritur, quo multis doloribus agitatus Rex decūbat. Manus enim diuina regis lasciuiæ exuberanti dolorum frænum præmisit, & interea qua ratione, ipsa nouit, dolenti explicat, vt Sara coniux Abrahami erat, & vt reddenda statim viro suo. Nec mora, de Regis imperio formosissima Sara regalem gymneceum reliquit, & comitātibus proceribus Aulæ redit ad virum, qui nunquam non sperauit, & vxorem inuiolatam, & Ægyptiorum gratiam ex Deo habiturum.

PARS VNICA

Moralis circa textus literam.

NVNC Primū fames expulit Abrahamū in Ægyptū, quę & nos impellit, vt inde sapidissimos metamus diuini verbi fructus.

Cen. 12. Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel, ab Oriente Hai; ædificauitque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.

§. I.

Diuinitatis est nudis se manifestare hominibus.

NVsquam dictū est in scriptura, quod visus Deus alicui sit, sicut dicitur in præsenti visus Abrahamo; ait enim: *Apparuit autem Dominus Abram*; apud Chrysost. legitur. *Visus est Dominus Abræ.* Non sic dicitur visus Adamo, non sic Abeli, non sic Setho, non sic Noemo. Et cur magis dictus est visus Abræ, quam illis proceribus & maximis viris? Abram à patria, & cognatis eductus, in alienis errās, habebatur abiectior, & omnibus vilior, ideo ad illum Deus aduolat, qui non externorum splendorum respectibus, sed nudis hominibus delectatur. Aiebat D. Chrysostom. homil. 22. in Gen. *Quandoquidem Abram diuersa* D. Chryss. *â promissione videbat fieri, & se obambulare vti abiectum, & vilem, & omni præsidio destitutum, nec habentem, vbi diuerteret, vt igitur mentem eius excitet, inquit: Et visus est Dominus Abræ.* Primò in eo statu constituitur Abram, vt quasi abiectus, & vilis, & reiectaneus oberret, ab omni destitutus præsidio, & tunc Deus adest, illique apparet, diuinitatis enim est ad nudum hominem euolare. Nec in alio, quam in nudo homine diuinitas magis apparet. Luc. cap. 2. immediate post narratam Dominicam natiuitatem; vt peperit virgo, vt paruum in præsepio reclinauit, statim pergit. *Et pastores erāt* Luc. 2. *in regione eâdem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere:*

Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subito facta est cũ angelo multitudo cœlestis exercitus laudantiũ Deum, & dicentium; Gloria in altissimis Deo. Ecce tibi apud quos, & pueri Iesu natiuitas, & laudes diuinæ celebrantur: nimirum apud viles, & abiectos, & solitarios pastores. Et erant tunc temporis in eadem regione multi proceres, regio sanguine orti, & puero nato secundum carnem coniuncti; & ij minime vidēt angelos, nec eorum cantus audiunt; sed tota laudatio angelica, & totus ille pueruli pānegyricus ab angelis decantatus, abiectis, & vilibus pastoribus audiendus datur. Cur angeli procerum aures fugitis, & in re tantæ lætitiæ ad viles homunciones euolatis? Res erat illis, & negotium totum patefaciē dæ latētis in puerulo diuinitatis, quæ in eo patentissime visitur, quod externos respectus abijcit, & nudos homines amplexatur. Quo spectās aiebat S. Hipolytus martyr apud Gelasium Papam lib. aduersus Eutychien fatus: *Diuinitatem eius rursus videre clarum est. Quando laudatur ab angelo, & hoc a pastoribus inspicitur.* Meritò clarum putat signum patentis diuinitatis; quod ab angelis laudetur, non apud Principes, non apud regios homines, sed apud pastores viles. Ea enim est diuinitas quæ hominem nacta, despicit omnes alios mundialis fortunæ ornatus. Ioann. 1. *In principio erat Verbũ, & Verbũ erat apud Deum, & Deus erat Verbum; &c.* Sic Verbum inuenit, quidquid contemplatur in Dei filio; qui tamen processu tēporis factus homo, & à Iudæis accusatus coram Romano Principe, sic tacebat, quasi non esset Verbum diuinum. Dicit enim Ioannes cap. 19. *Iesus autem tacebat, ita vt miraretur Præses.* Et cur tantum silentium in Verbo? Inde ostendebatur Verbum diuinum, quod non quærit fastuosas hominum pompas, sed homines nudos. Vt dicat D. Hieron. epist. de Vera Circumcis. *Apud discipulos Dei Verbum est, & apud Principes homo Verbũ non habens inuenitur.* Quot adhibes mundialium excellentiarum prærogatiuas, tot opponis nubes, quibus sese obnubilet Verbum diuinum; quod tũc apparet, cum reiectis mundialibus respectibus homines inuenit nudos. Ideo obmutescens apud Principes, se se insinuat pauperibus, & vilibus discipulis. Sicut enim nullã mundialem gloriam æstimat, sic nullam erubescit vilitatem, vt se prodat, dum hominē inuenit. Videns Isai validissimos filios suos repudiatos à Propheta, ne eligerentur in reges, quasi desperans de tanta gloria suis euentura, aiebat 1. Reg. 16. *Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oues.* Meritò abiectum puerulum dicit, & munus eius vile in pascendis ouibus proponit, vt ostendat, quã alienus sit ab hoc, vt Rex fiat. Hic tamen à Propheta eligitur. Et cur abiectis militibus validissimis, puerulus pastor vocatur ad regnum? Res erat gratiæ diuinæ, quæ in eo ostendebatur, quod nacta hominem, nec æstimat magnalia externa, nec erubescit vilia. Ad hæc aiebat D. Basil. Sel. orat. 15. *Curia gregis distentum gratia vocauit ad regnum. Nam cognita animi mente minime erubescit artem. Placet sibi Deus abstrusum in despecto corpore margaritum conspicatus.* Hoc est diuinitatis proprium, quod vnam quærat mentem humanam; hancque nactus, cætera externi splendoris, siue vilitatis nihili facit. Quo spectant illa verba, nimirum: *Cognita animi mente minime erubescit.* Et quid æstimet Deus, aut respuat de externis, mentem hominis habens? Cæteri spectent pulchritudinem faciei, integritatem corporis, formæ venustatem, regios natales, diuitias, studia literarum, fugiantque ijs contraria. At Deus hoc respicit, vt sit anima, cui se possit communicare. Aiebat Malachias cap. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ.* Et cur Domini aduentum in carnem Soli comparat? Sol enim prodiens sese manifestat; Deus autem oriens in carne sese occultat, & obnubilat. Quid ergo habet Deus nascens commune cum Sole? Pulchrã inuenit similitudinē Ruffinus in Symbolũ, fatus: *Luv omnia membra corporis illustrare potest, a nullo tamen eorum nisi a solo oculo capi potest. Solus enim est oculus qui capax est lucis. Et filius ergo Dei nascitur ex virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed in anima inter carnem, Deumq; mediagenerator. Anima ergo media, & insecreta rationabilis spiritus ac te Verbum Dei capiente, absque vlla, quam suspicaris, iniuria Deus est natus ex Virgine.* Obijcebāt Hęretici, quod Deus in obscuro, & abiecto fœminei veteri esse vellet, vt inde posset nasci. Quos pulchrè exemplo solis confudit Ruffinus; vt enim Sol propriã sedem, à qua capi posset, oculos habeat animalium; & dum sint oculi, quibus capiatur, cætera nihili facit: licet enim claudus sis, aut mancus, aut toto corpore putridus, si oculos claros habes, Solem suscipis, nulla illata iniuria eius radijs. Sic Deus propriam sedem habet animã hominis, à qua potest capi, & in qua requiescere, & quasi in pro-

S. Hipol.

Ioann. 1.

Ioann. 19

D. Hier.

D. Basil.

Malac. 4.

in proprio throno triũphare, & præter hãc cætera nihili facit, vel vilia sint, vel glorio sa. Vnde nactus in Maria animam capacẽ; non erubescit vterum, nec humanæ ignobilitatẽ carnis. Nullæ vilitates fugiuntur à Deo, si in eis sit anima hominis, à qua possit capi; vt præter hanc nihili æstimat cætera s fortunas humanas. De Iesu in domum
Matth. 9. Matthæi intrante dicit Matth. 9. *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cũ Iesu, & discipulis eius. Et videntes Pharisæi dicebant discipulis eius. Quare cum publicanis, & peccatoribus mãducat magister vester?* Sic objiciebatur Deo, quod vilissimorũ hominũ cõsortia nõ fugeret, quod assideret mensæ hominis turpiter diuitis. Et quid in talium mensa potuit esse gratum Domino Christo? Ait Chrysol. serm. 29. *Discumbebat Iesus plus in Matthæi mente, quam figmate.* Non ad ferculorum pretium, nec ad conuiuantium vilitatem aspiciebat Iesus nactus in Matthæo mentem, in qua posset suscipi. Hanc vnam spectat Iesus, nimirum hominis animam, quam habens, cætera omnia mundialia, siue vilia, siue speciosa parui ducit.

Chrysol.

§. II.

Magna gloria viri est, cuius nomen per longissimas filiorum generationes in omnibus clarescat. Vbi pulchra de Societate Iesu.

NOn alijs promittitur Chananæorum terra, quam ijs, qui de facto illam possederunt, qui quidem multis iam generationibus ab Abraham distabant. De illis sane dicit Dominus modo: *Simini tuo dabo terram hanc.* Non ipsi Abrahamo, nec filijs eius, sed quam longissimè disitis nepotibus fit promissio. Sed quantum hoc præmij ad Abrahami virtutes, quod post mille nepotum generationes, ab ijs sati regnent? Regnant nunc Adami, & Noemi filij, & minime Adami, Noemique virtuti datũ fuit, quod tam longinqui eorum posteri regnũ in mundo accipiant. Cur ergo quod non æstimatum est in Noemo, nec in Adamo, id æstimatum est in Abrahamo, adeo vt illi datum sit in præmium virtutis? Fateor Noemi, Adamique longissimos posteros regnare in mundo; sed ij non sic regnãt, vt in eis nomen Adami, & Noemi effulgeat; at Abrahami semen vocatum ad possessionem terræ, non est nudum semen Abrahæ, sed ipsius parentis nomine insignitum, in quo æquali vtrtutum splendore idem semper Abrahami nomen effulgeat. Hoc autem quo lõgius propagatur, eo glorioßius accidit parenti primo; ne immerito pro præmio detur Abrahæ, quod tales posteros sit habitturus, in quibus post mille generationes clarissimum eius nomen rutilet, adeo vt Dominium terræ percipiat. Quo spectans D. Chrysost. hom. 22. in Gen. ait: *Et visus est Dominus Abrahæ, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Est & hæc pollicitatio magna; & assimilis illi per quam eũ a domo exocarat: Dixerat enim: Magnificabo nomẽ tuũ; & propterea nunc dicit: Semini tuo dabo terram hanc.* Non nude sumendum est, quod regnatorum sit in Chanaam semen Abrahæ, vt nũc etiam regnat in mũdo semen Noemi, quin hoc ad Noemi præstantiam faciat. Sed sumendum est semen Abrahæ cum magnifico eius nomine retento, vt idem sit vocarĩ posteros eius ad possessionem Chanaam, quod eius nomen magnificari, dum per tot ætates sic floruit, vt nunquam nõ esset gloriæ Abrahamides vocari. Quod quis neget Abrahamo fuisse decoris singularis? Sanè Cassiod. 9. var. 22. de familia Deciorum Id
D. Chrys.

Cassiod.

cutus ait: *Nihil vobis ætas longa subduxit. Antiquos inte Decios Roma cognouit. Decios, inquam priscis sæculis honoratam prosapiam, libertatis auxilium, curiæ decus, Romani nominis singulare præconium. Vos enim complestis paginam consularem; vos crebro nominat cursus annorum, & dum copia plurimum soleat habere fastidium, vestrum nomen repetitum semper efficitur glorioßum. Huic denique generi, semper supernafauerunt, præstando desiderys pariũ felicia germina masculorum. O temporum singulare præconium! Curia Romana completur pene vestra familia.* Hæc de Deciorum familia dicebat ille & verius nos eadem de Abrahamidum genere dicere possumus. Sanè in recentibus Israelitis semper Dominus Abrahamum antiquum recognouit. Quid dico in recentibus Israelitis? In nuperis fidelibus veteres Abrahamos spectat Dominus, sic de Zachæo dicit Luc. 19. *Hodie salus domui huic facta est, eò quod, & ipse filius sit Abrahæ.* Nihil tanto nomini lõga ætas subduxit: crebro Abrahamides nominat cursus annorum, nunquam enim non fuit, qui sub tanti parentis nomine noluerit prædicari. Et dum copia soleat fastidium afferre, Abrahamidum nomen repetitum semper efficitur glorioßum. Nulli

Luc. 19.

hoc nomen viluit, imò si à vilitate ad gloriam quis transfertur, *portatur ab Angelis in*
Luc. 16. *sinum Abrahæ*, Luc. 16. Et quod magis est, cœlestis Curia completur Abrahamidum
Matth. 8. familia, dicente Domino Matth. 8. *Multi ab Oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.* Ecce tibi multitudo recumbentium in
D. Thom. cœlestibus ad Abraham spectat. Vbi D. Thomas ait: *Cum Abraham recumbent, qui est pater credentium, in cuius semine benedicentur omnes gentes.* Sic cœlestis curia completur Abrahamidum familia, & genere. Et negem glorioſum fuisse præmium Abrahamo promissum, quod nomen eius per tot filiorum, nepotum, & pronepotum generationes nono splendore fulgere deberet & in tot Regum aulis, imo in cœlesti Curia omnia Abrahamidum insignibus
Luc. 1. impleri? Sic Luc. 1. Zachariæ dum vxor asseritur, dicit: *Vxor eius de filiabus Aaron:* & erat hæc fœmina longissimis iam generationibus ab Aran distans; patres, & auos, & proauos, & atauos immediatiores habebat nihilominus ijs prætermissis, vnius Aaronis meminit. Et cur prætermissis immediatis parentibus, ad antiquissimum confugit Aaronem? Aaronis gloriæ multum deferebat, cuius nomen per tot posterorum generationes refusum adhuc glorioſe ad alios
D. Chrys. pergebat. Ait D. Chrysol. serm. 89. *Aaron primus Pontifex in lege fuit, sacerdotij origo: propterea meritò prætermissis omnibus, eius filia dicitur, cuius in se memoria prætulit sanctitatem, quam tanti generis pia custos gloriosissime transfudit ad filiũ.* In re gloriæ, & laudis alijs prætermissis parentibus, vnius antiquissimi Aaronis fit recordatio; cui nihil ætas longa subduxit; sed Aaronicas proles numerans cursus annorum; adhuc glorioſsime Aaronicum munus ad filios alios trãſfundebatnr. Quo nihil Aaroni accidebat in terra præstãtius. Nec me tempero, quin hûc reuocem sanctissimi parẽtis mei gloriam, qui vbi familiam condere in mundo aggressus est, ad nomẽ Iesu cucurrit, vt sub tanto nomine familia fulgeret sua; vt credã
Num. 26 de illo dictum illud Numer. 26. *A quo familia Iesuitarum.* Et quid tanto Iesuitarum fundatori glorioſius dicam, quam natiuæ appellationis reiecto nomine eternis seculis adorandum nomen assumpsisse? Repetã illi glorias, quas supra Deciorum familijs dedit Casiodorus; Vt nihil nobis ætas longa subduxerit. Vt antiquos Iesuitas in Neotericis mundus agnoscit. Vt huic generi cœlestia semper fauerint, præstando desiderij patrum fœlicia germina masculorum. Vt curia cœlestis, completur pene Iesuitarum familia, quando innumeri sub hoc nomine in cœlestibus triumphãt; quãdo, & vniuersi cœlites, vt aliò dixi, vocantur Iesuitæ. Quid plura? Quod Abrahamo, quod Aaroni glorioſum fuit, idem parenti meo gloriæ tribuo, quod in longa posteritate adhuc non sordeat Iesuitarum nomen, sed, & glorioſissime transfundatur in alios filios. Centum anni iam sunt, ex quo Ignatius nomen dedit diuinæ miliciæ, & inter mille tempestates iactata eius in dies nouis rutilat familia huminibus. Cui tribuerim verba data Ieremiæ 1. *Ego dedi te hodie in* Ierem. 1.
ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduersum te, & non prævalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, Ecce tibi vnus iustus mittendus nõ ad barbaros, & exleges homines, sed ad populũ fidelem, ad populum Israelitem, vt armatur à Deo, vt fiat ciuitas munita, columna ferrea, murus æreus, qui durissimas impugnationes ab ipsis legis propugnatoribus sustineat. Et quid in ciuitate munita, in colũna ferrea, & in æreo muro prętenditur? Do Hieronymum fantẽm in rem præsentem:
Ego, inquit, posui te quasi in ciuitatem munitã; Hieron.
quia gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Et in columnam, inquit, ferream, de qua scribit Apostolus: Columna, & firmamentum veritatis. Nec hoc sufficeit, sed in murum, ait, æneum, qui nulla violatur rubigine, nec cæsus imbribus deperit: sed vetustate fit fortior. Eris autem talis contra reges, & principes, & populum terræ, qui terrena sapiunt, & cœlestia non nouerunt. Hi bellabunt aduersum te, & non prævalebũt, Cur quæso? Quia ego tecum sum, ait Dominus. Non pergo cũ Hieronymo, sed hîc sisto, permittens alijs, quod ponderent, vt Ignatij familia sit ciuitas glorioſa, vt sit columna veritatis, vt impugnata a principibus, & sacerdotibus, & populo terræ, vt tandẽ victrix, quia nomen Domini nobiscũ est, Illud modo pondero, quod de æneo muro dictum est, nimirum: *Qui nulla violatur rubigine, nec cæsus imbribus deperit, sed vetustate fit fortior.* Equidem hęc Iesuitarum familia iam per cẽtum annos florens sub diuinissimo Iesu nomen nulla rubigine violatur; sed vetustate fit fortior, quò enim vetustior est, nouis obseruantiarum carceribus arctatur. Tantum abest vt antiquam constrictionem deserat, vt quò vetustior, eò strictior in obseruãtia appareat. Quod non parum ad fundatoris Ignatij gloriam facit. Cui cum adscribo has glorias, illas,

& ma-

& maiores alijs non nego. Sed nunc libuit filio immorari in laude parentis; de alijs alibi dicam, provt occasio tulerit.

§. III.

Christianum est festinare in munere ad salutem spectante.

NOscit ex Deo Abram terram illam sē mini suo dandam, vt in ea Idololatria ablata, verus Deus colatur. Quo audi dito absque vlla mora altare Deo ibi facit; dicit enim: *Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.* Ibi, ait, altare ædificat vero Deo, cui post longa tempora ibidem, & templum, & aræ erant ab eius posteris ædificandæ. In re enim ad salutem spectante maluit bonus Christi auus festinare, nec vllas moras facere. Et fallar, si in aliqua circūstātia magis appareat animus Christianus, quam in festinatione adimplendi muneris ad salutem spectantis. Quæ ex Iuda concepérat Thamar, ad partum peruenit Gen. 38. *Atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in quā obstetrix ligauit coccinum dicens, iste egredietur prior.* Equidem duo paruuli erant in vtero matris, quorum alter, qui postea Zara nominatus est, primum manum protulit. Insuetus modus nascēdi est, quod infans proferat primum manum. Cur iuxta naturæ legem nō prius caput, sed manum protulit? Erat in illo infante Christus præfiguratus, cuius muneris erat manū porrigere Adamo lapso; & ideo nihil prius in illo apparuit quā porrecta manus, vt adimplendo muneri festinaret. Id ponderabat Cosmas Ierosolym. in cat. Græca ad capit. 2. D. Luc. fatus: *Primogenitus ex patre ante sæcula, primogenitus infans ex virgine incorrupta, Adamo manum porrigēs apparuit.* Vt Christiani erat muneris Adamum lapsum a ruina ad salutem sublauare, sic vel in antiquis vmbris festinationem suam Christus delineabat, in porrigenda mann lapsis, vt vel nascentis nil prius appareret, quam porrecta manus. Sic Christianum est festinare in munere ad salutem spectante. Dicit Luc. cap. 1, *Missus est Angelus Gabriel a Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth: ad Virginem desponsatam viro, &c.* In multis, & nobilissimis mundi ciuitatibus erant tunc temporis Iudæi, & virgines Israelitæ, vnde præstantissimum Paulum discipulum ex Tharso Siciliæ traxit ciuem Romanum. Et cur similiter matrem suam non de nationū ciuitatibus, sed de Galilæa traxit? Vt veniebat saluare prius, quod perierat ex populo Israel, sic omnes alias moras abrupit, nascens inter Israelitas, festinans illis salutem dare. Vt dicat Tertul. lib. 4. in Marcion. *Prophetiam interim de loco adimplenit, de cœlo statim ad Synagogam. Vt dici solet; Ad quod venimus, hoc age.* Noluit moras nectere in accedendo ad Israelem saluandū, sed vt ad Israelem veniebat, sic inter Israelitas concipitur, & nascitur, ostendens quam festinato, & sine mora officium suum perageret. Quem spiritum Christianum notans Isaias ca. 9. clamabat: *Primo tēpore alleuiata est terra Zabulon, & c.* quæ verba sic legit Tertul. lib. 4. in Marc. *Hoc primū obito, cito facito regio Zabulon, &c.* Quibus, vt author est Eusebius lib. 7. de Præpar. inuitantur Apostoli, qui de tribu Zabulon, & Neptali erant, ne moras necterent in munere Apostolico exequendo: sed cum primum festinent munus suum obire, vt sese ostendāt Christiano spiritu moueri.

Tertull.

Isai. 9.

§. IIII.

Nihil potentius, quam frugalis vita, quæ necessarijs contenta sit, & fugiat superflua.

AVdita Dei promissione procedens in̄ de Abraham, Tabernaculum tetēdit: quippe ait: *Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra Oriētem Bethel, tetendit ibi Tabernaculum suum.* In quo non desinit mirari Chrysostomus frugalitatem viri; ait enim: *Tumultuarium, inquit, domicilium fecit. Vide quomodo erat frugalis, & luxum fugiebat. Nam sæpe in villam ire volentes, multa indigemus mechanica, valdeq; actuosi sumus; vt multa nobiscum attrahamus, quæ non solum non sunt nobis vsui, sed & supernacanea, & inutilia, & pompæ gratia apparata, vt ea nobiscum circumferamus. Verum iustus ille non sic egit, &c.* Equidem non pompam superfluitatem quærebat, sed ea, quæ sufficerent vitæ frugali. Quid inde? Ait Rup. *Tandem ergo demonstrata sibi terra, quam Deus promiserat, habitat confidenter.* Solus, & peregrinus agēs apud barbaras nationes, apud gentes ignotas, ea confidentia inter illos versabatur, ac inter fratres, ac sub pastoritijs Tabernaculis: sic viuebat, quasi in munitissimis arcibus. Nec miror, validissima est, & potētis-

Luc. 1.

Cosm. Ier.

Chrysost.

Rupert.

sima vita frugalis, quæ solis contenta est necessarijs. Dicebat pulchre Tertul. lib. de Anima: *Omnis natura, aut defraudatione, aut enormitate rescinditur, proprietate natura conseruatur.* Nequit stare natura creata, si deficiant necessaria, nec si superfluant; tam perit superfluitate, quam defectu. Adeo vt si valere amat, contenta debeat esse solis necessarijs. Crede mihi, valentia hominis nō in superfluis, & pomposis bonis, sed in necessarijs, & vtilibus ponderatur. De Iobo dicitur cap. 1. *Fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoq; iuga boum, ac quingintæ asinæ, & familia multa nimis, eratq; vir ille magnus inter Orientales.* Ecce tibi omnia bona Iobi nō extollebāt hominē supra vitā pastoris, & nihilominus inde apparebat magnus, & validus. Quod ponderans Chrysost. in cat. Græca fatur: *Vide hominem agrestibus diuitijs affluentem, neque numerauit auratis laquearibus ornatas domos. Oues, & boues, & quæ ex agricultura percipiuntur, recensuit. Nam quemadmodum dixi, non in pretiosa materia gloriabatur. Sed in ijs rebus, quæ indigentiæ modice subuenirent, cōtentus erat. Hūc nobis regem scriptura proponit, non equorum mentionem facit, nō auro conglutinatorum curruum, non argenti, atque auri Thesauros meminit, non lapidum pretiosorum, non cæterarum rerum, quibus hominum diuitijs inhiantium morbus inflāmatur, sed illa enumerat, quæ ad vitæ necessitatem sunt accomodata.* Sane ad validissimam Regiam Iobi hoc magni faciebat, quod non ibi auri, argentive Thesauri, non lapilli pretiosi, nō aureæ gazæ, sed quæ pastorem decerēt bona seruientia solum vitæ necessitati. Et vtinam ab Hispanorum hominum domibus excluderetur aurum, argentum ve, pretiosique ornatus; & darentur illis bona ex gregibus, ex cultis agris, quæ seruirent necessitati, fallar, nisi potentissima esset Hispania. Modò enim pleni argento, & auro, pretiosisque ornatibus Hispani minus firmi euadunt. Intra vnius Matriti domos, & vel apud mediocres, & plebeios ciues tāta argenti, aurive copiam inuenies, in vrceolis, in serculis, in supellectili, quanta nūquā fuerit apud antiquos Hispaniæ Principes. Imo nec in tota regione fuit tantum argenti antiquitus, quātum modo est in vna ciuitate. Sed in illa penuria erat incredibilis familiarum multitudo, valor, & potentia ciuium orbi notissimus. Nunc in hac argenti, auri, sericive abundantia, nil oppidatim cernitur, quam domorum, familiarumque ruina. Proh pomposus diuitiarum splēdor, clarissima regnorum infirmitas! Proh frugalitas vitæ validissimum prouinciarū munimen! Legi in Hispanorum historijs pulchram vnius philosophiam principis. Is erat Astoricensis Marchio, qui noscens Regem Castellæ per villā ditionis suę trāsiturum, illò aduolat, regale præparat hospitium, regalique Regem excipit conuiuio. At in pretiosissimarum escarum copia, illud erat frugalissimum; quod fercula vniuersa erant lignea. Rex Marchionis penuriam augurans ex ferculis ligneis, iussit illi dari statim ex argēto totum vrceorum, ferculorumque apparatum, qui ad regale conuiuium sufficeret. Post plurimos dies iterū Rex venit in eandem villam; iterum Marchio Regem excipit conuiuio, iterum lignea fercula apponuntur: quibus visis Rex de argenteis a se datis requisiuit. Proferentur statim ex custodijs suis in præsentiarū, ait Marchio; nec mora, vix finitur conuiuium, & militares tubæ omnia clangoribus implēt. Et ecce tibi quadringēti equites frementibus equis, coruscātibus armis, pulchro incedentes ordine regium conspectum alliciunt. Tunc Marchio, & miranti, & scisciranti regi ait; Hęc sunt fercula argētea mihi ex regis liberalitate concessa; quę quia domi asseruata nullius erant vtilitatis, & ad escas trahendas sufficiebant lignea, vendidi illa, & illorum pretio hos militares operarios conduxi, qui me spolijs implent; & faciunt hostibus formidabilem & fructuosum amicis. Quid pulchrius? O Lignea fercula Hispanorum quàm validos effeciſtis Principes! O argētea fercula, quā to terrori orbi essetis si in lignea vos Hispana fortitudo conuerteret!

Tertul.

Iob. 1.

D. Chrys.

§. V.

Nomē Dei puro ore versatum validissimū munimen hominis est. Vbi pulchra de D. Thoma Doctore Angelico.

MIrabar hominem peregrinum inter ef feras, & barbaras nationes secure degentem: vnde inermis, & peregrinus Abraham potest secure versari inter barbaras gentes? Ait textus. *Ædificauitque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.* Proh Deus immortalis, quam securus noster peregrinus erit, passim inuocans nomen Domini! Fallar, nisi ex hoc muniatur, & conualeat aduersus hostiles gentes. Cantatissima est

mà est fortitudo, & victoria septem iuuenũ
Mach. 7. Machabæorum, de quibus 2. Machab. 7. ait: *Contigit autem, septem fratres vnà cum matre sua apprehensos compelli à rege edere contra fas carnes porcinas, flagris, & taureis cruciatos. Vnus autem ex illis, qui erat primus, sic ait. Quid quæris, & quid vis discere a nobis? Parati sumus mori, magis quam patrias Dei leges prævaricari.* Sed vnde tantà innata est iuuenibus valentia aduersus ferocissimum tyrannum, aduersus mortem, & horrendos cru-
Eus. Gall. ciatus? Rem pulchrè tractat Euseb. Gallican. hom. 4. de Epiphania fatus: *Quà tandem causà parvulis vires dedit, vt inter tam exquisitos nouosque cruciatus, infatigabiles Iudæi confessione durarent? Quæ, inquam, alia causa, nisi diuina gratia, & doctrina domestica? Quæ causa nisi quia post transacta cunabula, inter annos infantiæ, religionis affectum de institutione piæ parentis acceperant, & in nomine Domini vincula linguæ trepidantis absoluerant?* Hæc singularis causa est valentiæ, & fortitudinis ad superandas cunctorum hostium rabies; si prima hominis vox Dei nomine formetur, si balbutiens infantis lingua in nomine Dei repetito soluatur. Conueniant hûc matres, & patres, & discant, vt possunt filios suos insuperabiles facere; si nimirum eorum in ore faciant Dei nomen versari. Huc traho validissimam Ecclesiæ columnam D. Thomam, in omnibus vincentem, à nemine vsque adhuc superatum, nec vnquam superandum. Hic adhuc infans, nomen Mariæ scriptum in cartulà nactus, ori applicuit, & salutare nomen Mariæ mandit. Ne miremur, si hostes non timeat, si totum orbem terrarum penetret inuulnerabilis eius doctrina. Cuius ponebatur balbuties infantilis in adeò salutari nomine Dei genitricis, non mirer, si prorsus insuperabi-
Prou. 18. lis posteà cõditionis maneat. Ait enim Prouerb. 18. *Turris fortissima nomen Domini: ad ipsam currit iustus, & exaltabitur.* Planè in salutari Dei nomine inuauit iustus totum suæ vitæ munimẽ, quo possit se ab omni hoste tutari; & quo vel medijs periculis in offensè ad maximam exaltationẽ transeat. Gen. 32. requisitus Dominus de nomine suo, nomen negat, vt ostendat se ineffabilem; at
Exod. 3. Exod. 3. statim ait: *Hæc dices filijs Israel: Deus patrum vestrorum, Deus Abrahã, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomẽ mihi est in æternum.* Et cur, qui ineffabilis erat, qui nullo nomine comprehendebatur, modo nomen sibi appropriat, quod Moysi amat reuelare? Cur non magis manet in suia incomprehensibilitate? Vbi in præsenti se se iam Deus accingebat, vt populum suum a tyrannis educeret, & ad promissam deduceret hæreditatem; nil prius prouidit, quã vt sibi aliquod nomen affingat, quod ostensum suis in primo auspicio libertatis, iã haberent in quo vniuersos possent deuincere aduersarios. Quo spectans Philo lib. de *Phil.*
Abrah. ait: *Deus non habet opus nomine. Attamen humano generi suum nomen largitus est, vt habentes refugium ad preces, & supplicationes, à spe bona non excluderentur.* Ad id finxit sibi nomen Deus, illudque hominibus reuelauit, vt homines haberent refugium, nè sub hostibus caderent, sed semper ad feliciora euolarẽt. Et cur Deiparæ nomen eãdem virtutem non habeat? Crediderim; & nomen Domini, & nomen Dominæ simili modo suis esse salutaria: & quod Angelicus Doctor in nomine Deiparæ ediderit eã virtutem, quà eius vox ab omnibus sapientibus inoffense audiri habeat. Cui etiam apto illud Exod. 23. *Ecce ego mittam angelum* *Exod. 33.*
meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui, obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaueris, & est nomen meum in illo. Ecce tibi Angelus datur sequendus fideli populo; & in omnibus audiendus: & qui Angelus? Iã explicat aiens:
Est nomen meum in illo. Caietan. legit ex He- *Caiet.*
bræo; *Et nomen meum in intus eius.* Est equidẽ singularissime in intimis Angelici Doctoris nomen salutare, nomen Deiparæ, quando infans vorauit illud, & transtulit in viscera. Hic ergo Angelicus Doctor, cuius in intimis inseminatum fuit salutare nomẽ Deiparæ, audiendus, & sequendus est ab omnibus, qui velint habere patentes salutis vias. Et quid non pateat Angelo huic? Stephanus in concilio Iudæorum positus clamabat Actor. 7. *Ecce video cœlos apertos,* *Actor. 7.*
& Iesum stantem, &c. Et vnde tantus vir credibile facit, quod sic sibi cœlestia pateant? Vel cur non veretur in tanto consessu dicere rem prorsus illis incredibilem, quæ magis videretur esse præsumptionis, quam virtutis? Testimonium in Stephano præ-
notabat credibile Actor. 6. dicens: *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, vi-* *Actor. 6.*
derunt faciem eius, quasi faciem angeli. Vbi facies eius quasi facies Angeli apparuit, credibile erat vel apud hostes, quod ei posset patere cœlestia omnia. Ad quæ ait D. Aug. *D. Aug.*
hom. 15. de sancto Stephano: *Tanquam oblẽso signaculo in specie Angelorum patefactæ sunt portæ cœlorum.* Pateant, necesse est, cœlestia, signo dato in specie angelica. Nè mireris, quod Angelico Doctori pateant vniuersa secreta cœlorum. Angelus est Thomas in

mas in communi omnium sapientum acceptione, insuper est Angelus in intimis habens saluberrimum Deiparæ nomen; qua fallar, si illi via aliqua veritatis, aut difficilis, aut abstrusa esse possit. Nec multum est, quod Angelicam sapientiam tribuamus doctori habenti in intimis Deiparæ nomen; hoc namque nomen non nisi in diuinis recondi solet. Quippe ait Petrus Damianus serm. de Annunt. Mariæ: *De thesauro diuinitatis Mariæ nomẽ euoluitur*: vt putes diuinũ aliquid esse in intimis eius, in quibus tantũ nomen recõditur. Et quid diuinũ in Thoma claudente in visceribus Mariæ nomẽ? Hoc putarim in Thoma diuinum, quod vnus Theologiæ lumina ab errorum tenebris distinxit, & in sedes proprias, ordinemque præclarum compulerit. Genes. 2. dicitur: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea. Omne enim, quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius.* Sic vni Adamo tribuuntur vniuersa viuentium nomina. Omnia vocauit Adam; at Deus quid vocauit? Ait Gen. 1. *Diuisit lucem à tenebris. Appellauitque lucem diem, & tenebras noctẽ.* Lucis, noctisque nominis impositionem sibi reseruat Dominus, cæterorum autem nomina imponi permittit ab homine. Et cur hoc? Ait Theophilus Antiochen. lib. 2. ad Autholium: *Lucem Deus vocauit diem: tenebras nominauit noctem. Nullus enim mortalium potuisset luci, aut tenebris, vt par erat, nomina imponere. Aly alijs nomina indiderunt, at illa à solo Deo nomina sua acceperũt, vt qui ea creasset.* Quod animalium naturas nominibus distingueret, explicaretque, hoc non excedebat prudentiam hominis; at quòd inter lucem tenebrasque distingueret, id prorsus erat supra naturam hominis. Et non diuinũ putem aliquid in Thoma; cui datum fuit lucem à tenebris distinguere; & tenebras, lutemque in certas sedes redigere, & in certũ ordinem? Sanè Aristoteli, Euchlidi, Vitruvio, Iustiniano datum est, quod nominibus suis distinguerent, & designarent facultates, quæ pertinent ad vitam terrenam hominum. At distinguere inter errorum tenebras, supernaturaliaque lumina, illaque in sedes, ordinemque certum redigere, terminis, nominibusque insignire, id vni tradi tum est D. Thomæ. *Nullus equidem mortalium potuisset luci, aut tenebris, vt par erat nomina imponere*; nec vllus antea valuit sapientiæ diuinæ nomina, classes, sedes, ordinem à tenebris distinctum tribuere, vt Angelicus Doctor attribuit. Quid hoc diuinius?

Petr. Da.

Genes. 2.

Genes. 1.

Antioch.

D. Thom.

§. VI.

Benedictiones cœlestes inde tibi accrescent, si proximis vtilis fias.

ACcepta promissione terræ Chananitidis, perrexit Abraham, & ædificato altari, *inuocauit nomen Domini*: legit ibi Vatablus: *Prædicauit alys in eo loco Dominũ.* Nõ cogitauit de spoliãdis Chananæis, sed de prædicando, & annuntiando illis nomẽ Domini. Et quando acceperat illius terræ promissionem, cur non magis tractat ea, quæ incolas inciperent perdere; sed maluit tractare ea, quæ magis incolis benefacerẽt, nempe veræ notitiam Deitatis? Sanè nullo magis in promissionibus diuinis firmabatur; nullo magis in augmẽtum ducebat sibi benedictiones factas, quam dum incipit alijs esse salutaris. Luc. 19. dicebat ille cantatissimus bonorum negotiator: *Domine mna tua fecit quinque mnas.* Magnum hoc fuit, quod sic sciuit bona sua multiplicare, vt ex vno quinque faceret: & optarẽ, quod nobis modum sic multiplicandarũ rerũ ostenderet. Qualiter ò bone quinque supra vnum auges? An vicinos spoliando? Absit, imo tunc solum ditior fit in diuinis benedictionibus, cum sciuit proximis suis esse salutaris. Ait D. Chrysost. citatus in cat. Græca D. Luc. *In pecuniis quidem nequit fieri, vt quisque euadat dines, nisi alius prius factus sit pauper. In spiritualibus autem non ita, sed omni no contrarium, fieri non potest, vt quispiam fiat dines, nisi alterum fecerit opulentum; nam si nemini profueris, non poteris effici opulentus.* Curet alijs proficere, qui diuitijs augeri amat spiritualibus. Tunc enim solum dines es, tunc in immensum benedictiones cœlestes in te auges, cum aliorum saluti acquirendæ operam nauas. Quanto enim minus salutaris es alijs, tantum es magis pauper, & egenus factus. Mulier vidua, & pauper relicto à viro suo ære alieno oppressa, in eas angustias deuenerat, vt tantum haberet parum olei in vase. 4. Reg. 4. cui Elisæus ait: *Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca: & mitte inde in omnia vasa hæc &c.* Quæ parum sibi olei habebat, de illo in vicinorum vasa vacua mittere Elisæus mandat. Nec hoc in vanum, imo ex tunc quod vicinorum vasa impleuit, ipsa cœpit abundare. Ait D. Augustin. serm. 206. de Temp. *Quandiu vidua illa oleum in vasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitum reddere*

Luc. 19.

D. Chrys.

4. Reg. 4.

D. Aug.

reddere poterat. Verum est charissimi. Qui seso lum diligit, nec sibi sufficit, nec peccatorum suorum debitum reddit. Cum vero omnibus vicinis, & propinquis, & omnibus omnino hominibus cœperit Oleum charitatis infundere, tunc & sibi sufficere, & ab omnibus se debitis poterit liberare. Nescit penuriam pati, qui omnibus procurat benefacere in spiritualibus. De quo vide Rupert. tom. in vetus Testam. lib. 2. cap. 3. §. 5. ex Actor. 25.

§ VII.

Nomen Dei hostibus suis extremam affert ruinam.

PÔndero adhuc Abrahami sapientiam, qui accepta repromissione terræ Chanatidis, statim cœpit prædicari illis Dei nomen. Vbi enim noster ait: *Invocauit nomen Domini.* Ex Vatablo dicitur, vt vidimus: *Prædicauit aliis in eo loco Dominũ.* Quid hoc cum promissione accepta de habenda terra illa nepotibus suis? An ad prædicationem nominis diuini tunc confugit, vt iam repugnantem nationem disponat ruinæ? Sane primi illi Hispani Indorũ Mexicanorum expugnatores, nescio an sapienter multum dicuntur prius proposuisse euangelia scripta Indis, illisque annunciasse nomen diuinum; & statum in contradicentes, & repugnãtes arma sumpsisse. Et forsam tot hominum myriades in patria suâ à paucis peregrinis debellati sunt, quia nomen diuinũ illis annũtiatum prosternebat aduersarios suos. At quidquid fecerint Hispani; id prudentissime factũ ab Abrahamo crediderim, qui post acceptam promissionem de expugnanda à suis Chananitide, statim eo intendit, vt Chananæis annuntiaret diuinum nomen, nec vnquam terra illa propior apparuit exterminio, quam ex quo in illa diuinum nomen cepit prædicari, & male audire. Nunquam enim nomen diuinum non perdit contemptores suos. Quo spectans D. Cyprianus epist. ad Demetrianum dicebat: *Nec vnquam impiorum scelere in nostrum nomen exurgitur, vt non statim diuinitus diuina vindicta comitetur.* Nunquam nomini diuino, sub quo christiani militant, contradictum fuit ab impijs, quin diuina vindicta illos non miserrime percuteret. Vnde monebat Dominus Exod. 23: *Ecce ego mittam Angelũ meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui, obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnẽ dum putes, quia non dimittet, cum peccaueris, & est nomen meum in illo.* Expende ab illis: *Quia non dimittet, &c.* Tam seuerus enim in peccatores, vt nulli parcat; sed omnes statim puniat. Et vnde tantam seueritatem in duce? Causam seueritatis innuunt verba illa: *Et est nomen meum in illo*; quasi hoc sit proprium nominis diuini, quod non parcat cõtemptoribus suis. Sic Caietan. ib: *Quia nomen meum erit in intimis eius, ideo non parcet vindicando iniurias nominis diuini.* In quo est nomen diuinum, est quo inexorabiliter pereant diuini nominis contemptores. Venit enim de nomine Dei offensio, quod nõ parcatur offensoribus illius. Quo traho illud Isaiæ cap. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius; & grauis ad portandum, labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans, &c.* Sto à sententia Vatabli; & aliorum putantium ijs denotari ruinam Assyriorum; quando Senacherib exercitus iuxta Ierosolymam ab Angelo interfectus est. Quo supposito notat Hieronymus non dici Dominum venisse ad hos perdendos, sed *nomen Domini. Ecce*, ait, *nomen Domini venit*; & cur in hac cantatissima Assyriorum strage, nomen Domini dicitur, & non Dominus miseros perdidisse? Res tunc erat cum blasphematoribus diuini nominis; dicit enim Ezechias 4. Reg. 19: *Dies tribulationis, & blasphemiæ dies iste.* Blasphemauerat namque Rapsaces Assyriorum dux nomen Domini. Ergo aduersus blasphematores, & contemptores diuini nominis; ipsum sufficit Dei nomen, vt eos irremediabiliter conterat.

Vatabl.

Caietan.

Isai. 30.

Ezech. 4.

Gen. 12. Perrexitque Abram vadens, & vltrà progrediens ad meridiem. Facta est autem fames in terrâ, descenditque Abrã in Ægyptum; vt peregrinaretur ibi: præualuerat enim fames in terra.

§. VIII.

In virtutis via progrediendum.

NOn hæsit Abram in cepto curriculo, sed perrexit, vt dicit textus: *Perrexit Abram vadens, & vltrà progrediens ad meri-*

D. Cypr.

Exod. 23

meridiem. Talis enim est semper gressus iu-
Prou.4. storum; de quo ait Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splẽdens, procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Non enim est iustorum hærere in primo lucis exortu, sed sic pergere vsque dum perfectum exhibeant
Rupert. diem. Quò spectans Rupert. sic gressus põderat Abrahami: *Perrexit, vltra vadens, & proficiscens vsque ad meridiem. Bene ergo progredi dicitur ad meridiem, qui ab aurora iam dictæ fidei suæ vltra vadens, & progrediens de virtute in virtutem sine dubio ad plenum, & æternum peruenit perfectionis diem.* Sic semper pergat, qui sectatur iustitiam; non hæreat in primo exortu lucis: non in vno cardine volutetur, sed ad vltiora sese extendere in dies festinet. Luc. 16. dum diues rogat pro Lazaro mittendo ad propinquos, respondit Dominus: *Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos.* At longe aliter, dũ in Thabor Iesus trãsfiguratus appa ret inter Moysem, & Eliã; tũc enim Moyse, & Elia dimissis vox paterna de Iesu solo
Matt. 17 dicit Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacuit. Ipsum audite.* Non Moysem, non prophetam Eliam, sed ipsum patris filium mãdat audiri. Diuitis propinquis mandat, vt Moysem, & prophetas audiant; nihil de Iesu audiendo illis dicit. Petro autem, & condiscipulis non Moysem, nec prophetam, sed vnum Iesum audiendum proponit. Et cur nec illis de Iesu, neq; ijs de prophetis; sed de Iesu audiendo mandat? Diuitis propinqui, vt impij erant, satis esset, si prophetas audirent; Petrus autem, & condiscipuli iam prophetas, & Moysem audierant, satisque erant in horum doctrina versati, ideo ad maiora vocantur, nec ijsdem permanere permittuntur, sed ad progrediendum excitantur, vt Iesum audiant.
Tertull. Quo spectans Tertul. lib. 4. Marcion. fatur: *Non Moysem, & prophetam iussit audiri a discipulis, sed Christum. Merito. Tunc enim Apostoli satis iam audierant Moysem, & Prophetas, qui secuti erant Christum credendo Moysi, & Prophetis. Apud inferos de eis dictum est: Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos, qui non credebant, vel qui nec omnino sic credebant esse post mortem superbiæ, & deliciarũ annuntiata supplicia.* Quando cum infidelibus res erat, satis erat, si ab illis petebatur, vt Prophetas audirent, è quibus vel prima fidei elementa perciperent: at quando cum discipulis fidelibus agit, iam nõ gaudet illos in Prophetis morari, sed mauult, vt indè ascẽdãt ad celsiora alia, & de ipsis saluatoris fontibus doctrinam hauriant. Non enim fidelis perfecti est diu manere in primis virtutum elementis; sed magis expedit, vt ad celsiora semper proficiscãtur. Ait
Cant. 4. Cant. 4. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Hac dentium figura notantur præstantissimi Ecclesiæ filij, qui in regenerationis lauacrum venerũt, & ibi posuere veteris Adami spurcicias. De quibus illud dicitur, quod non diu in lauacro manserunt, sed statim inde ascenderunt ad sublimia. Quod notabat Gillibertus Ab-
Gil. Ab. bas ser. 23. in Cant. inquiens. *Veterem deponentes hominem, & onere superuacuo leuati, & loti alacrius ad superiora conscendunt. Attendis, quod non tibi sufficit detonderi, non sufficit exonerari, non sufficit lotum, & nouum fieri, nisi statim ascendas, & spiritu incedas, qui renouaris in spiritu.* Equidem non ad regenerationis lauacrum vocamur, vt renati ibi, & mũdati in illo infantili candore gratiæ maneamus, sed vt inde ad sublimiora ascẽdamus. De hoc passim in alijs tomis.

§. IX.

Pœnæ, & opprobria non maculant hominem, nisi infligantur pro culpa.

FAme præmissa compellit Deus Abrahamum descendere in Ægyptum, nimirũ ait: *Facta est fames in terra; descenditque Abraham in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi.* Et quod mirere magis, ideo in Ægyptum impellitur à Deo, vt eius nomen magnificetur apud Ægyptios, dicente Chrysosto-
D. Chrys. mo: *Vt igitur opere impleret promissionẽ Deus, quam illi fecerat dicens. Et magnificabo nomen tuum; propterea & famem oriri permittit, & & cogente necessitate in Ægyptum eum ire fecit, &c.* At Abrahamidi semini nunquam non fuit opprobrio terra Ægypti; dicit enim Dominus Iosue 5. postquam vltra Iordanem circumcidit Israelitas: *Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis*: non enim
Iosuë 5. Ægyptus sine opprobrio tenuerat Israelitas. Et quando Ægyptus opprobrio erat Abrahamidi semini, cur illo mittitur Abrahamus, vt nomen eius fiat illustre? Aut qualiter poterat esse honori parenti terra, quæ tanto opprobrio erat filijs? Mittebatur eò Abrahamus necessitate, nõ culpa: filij autem eius culpa sua detinebantur in Ægypto; ideo Abrahamo honori fuit, quæ terra erat opprobrio eius filijs. Pœnæ enim solũ maculant hominem ratione culpæ. Ex quo
D. Zeno. D. Zeno lib. 2. serm. 11. ait. *Verum tamen Iu-*

dæa,

dae, quid monumentis tui criminis gratularis? *In Ægypto seruisti diu; non sorte peregrini, sed merito.* Et serm. 13. *In Ægypto seruis diu, non necessitate, sed merito.* Inde infamantur Iudæi quod Ægypti duritiem merito suo, culpa sua tulissent; inde honoratur Abramus, quod eandem duritiem tulerit, non merito, non culpa, sed necessitate, sed sorte peregrini compulsus. Fælix ille, qui mala mũdi patitur, non culpa, sed sorte peregrini, quia nimirum peregrinus habetur in mundo; vt infelix est, qui verbera patitur mundi vitio suo, vt miserum eius mancipium. Meritò Dominus extollens suos dicebat Ioann. 15 Ioan. 15. *Quia vero non estis de mũdo, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Sustinebant equidem mundi odia, non merito suo, sed sorte peregrini, quia nimirum peregrini erant in mundo; quod maximè faciebat ad commendationem eorum. Hinc Paulus 2. ad Corinth. 11. se plurimum cõ- 2. Cor. 11 mendans aiebat: *A Iudæis quinquies quadragenas, vna minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci.* Ecce tibi Paulus in sui comendationem percenset ea, quæ maculare solent latrones. Ij autem magna diligentia abscondũt, quod vel semel vapulauerint; Paulus vero gaudens prædicat accepta verbera quinquies, lapidationes, naufragia, & innumeras alias calamitates. Et cur patiens Paulus eadẽ, quæ patiuntur latrones, ea in sui commendationem prædicat, quod non faciunt latrones? Sane Paulus patiens illa nõ merito, sed sorte peregrini, sed necessitate in nomine Domini, illa pro ornamento habet; non sic latro, qui ad illa venit nõ necessitate, sed culpa. Ait D. Zeno lib. 2. serm. 38. *Clamat Paulus obrutus calamitatibus beatis; cum pro nomine Domini latrones in itineribus, latrones in ciuitatibus patitur. Cum a Iudæis virgis ter cæsus naufragio triduo diluitur. Cum insani populi furibunda tempestate lapideis vndis feliciter grandinatur.* Itaque Paulus lapidatus, verberatus, naufragus, non veretur tam beatas calamitates prædicare, vt quæ nõ vitio, sed pro nomine Domini obuenerint. Sic miles generosus ostentat vulnera, plagas in conflictu acceptas, sic Maurorum triremium verbera iactat; at fur prosus tacet de flagris, de triremibus, vt qui merito culpæ illa sibi traxerit. Quæ enim huic dedecori sunt, gloriæ fuerunt Paulo. Nunquam enim nõ gloriæ tribuenda sunt mala, in quæ quis deuenit non culpa, non merito, sed sorte peregrini. Vnde Isaias videns Iesum medio in pul- Isai. 28. uere passionis ait cap. 28. *Vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. Et nunc no lite illudere, &c.* Non patitur lũdibrio tribui, sed gloriæ; quod Iesus crucifixns inter iniquos reputetur, quando mala illa susceperat non culpa, sed peregrini sorte, quippe peregrinum erat tale opus ab eo.

Genes. 12. Cumque prope esset, vt ingrederetur Ægyptum dixit Sarai vxori suæ: Noui, quod pulchra sis mulier, & quod cum viderint te Ægyptij dicturi sunt: Vxor illius est; & interficient me, & te seruabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.

§. X.

Interna animæ pulchritudo externam corporis auget.

SExagenaria erat tunc temporis Sara Abrahami vxor, & tamen eius pulchritudinem cõmendat Abrahamus latus: *Noui, quod pulchra sis mulier, &c.* Et quomodo in longæua ætate adeo pulchra apparebat Sara? Author cat. Græcæ ad cap. 20. Gen. *Auct. Cat. Græc.* ait: *Quæ gratia sterilitatẽ naturæ emẽdauerat, eadẽ corporis nitorem velut Aquilæ renouauit.* Quippe diuina gratia intus in anima agẽs, sic externa omnia radiabat, vt miram pulchritudinem efformaret. De santo Stephano ait Actor. 6. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius, quasi faciem angeli.* *Actor. 6.* Nota erat omnibus Stephani facies, sed nunquam adeo pulchra, adeo angelica apparuit, vt nunc cum in concilio pro Christo staret. Et vnde modo tanta faciei pulchritudo aduenit, vt angelica facies putaretur? Ait S. Hilarius Arelat. *Hil. Ar.* hom. de S. Stephano: *Abscondita pectoris ornamenta speculũ frontis irradiant: habens intra se Spiritum sanctum, os præ se gestabat angelicum.* O quam augent decorem frontis exter-

externi radij virtutis internæ? Sane de intimis virtutibus animi ea compositio nascitur externa, quæ nimium faciat hominem pulchrescere. Vbi Dauid in arenam descendit cum Philisthæo, ait textus de illo 1.

1. Reg. 16 Reg. *Erat autem adolescens rufus, & pulcher aspectu.* Theodoret. legit: *Rufus cum pulchritudine oculorum.* Et vnde tanta pulchritudo in Dauidis oculis? Si eius internos oculos spectes, sic videbis illos intentos ad Deum, vt nihil totius illius certaminis nō tribuat Domino. Ait enim ad hostem: *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & c.* Quando ergo internus animi oculus tam clarus erat in agnoscendo, & prædicando Domino, nō miror, quod externis oculis præberet nouum, &

Theod. pulcherrimum splendorem. Ait Theodoret. quæst. 40. *Et ipse erat rufus cum pulchritudine oculorum. Imitabantur enim animi oculos oculi corporis. Illi enim acutè cernebant, & contemplabuntur eum, qui non cadit sub aspectum, dicebat itaque: Ecce ego ad te venio in nomine Domini, & c.* Sic de imitatione oculorum internorum Deum aspicentium veniebat nouus decor, & pulchritudo externis oculis.

§ XI.

Vbi lasciuia, ibi omne scelus.

ET simul timet Ægyptiorum luxuriam, & homicidia; dicit enim: *Cū viderint te Ægyptij dicturi sunt, Vxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt.* Et merito simul, & lasciuos, & homicidas putat. in quo enim luxuria est, nunquam sola est, sed omnia ibi debent timeri crimina: Dicebat enim Gildas sapiens lib. de Excidio Britan-

Gild. niæ: *Auditur fornicatio, qualis nec inter gētes. Non solum vero hoc vitium, sed & omnia, quæ humanæ naturæ accidere solent.* Nullum scelus, nullum nefas non debet timeri, vbi apparet lasciuiæ ardor. Nescit hic affectus solus esse, nec contentus est, nisi ad omnia facinora audere faciat. Luc. 7. *Ecce mulier,*

Luc. 7. *quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, & c.* Lasciuiæ infamem fœminam voluit magis peccatricem in genere, quam lasciuam in specie vocare. Et cur maluit ad genericum, & commune recurrere vocabulum, nisi vt ostenderet cum lasciuia semper esse omnigena peccata? Ait Seruius in Cat. Græca D. Lucæ: *Apposite dixit, Ecce mulier peccatrix, vt pote non vni, sed omnibus peccatis, adeoque fornicationi obnoxia.* Quam nouerat lasciuā, nullum illi scelus deficere putabat; & periurium, & furtum, & Dei contemptus, & quid quid à pessimis timeri solet, id lasciuæ mentis est proprium. Sapient. cap. 2. dicebant Sap. 2. illi: *Coronemus nos rosis antequam marcescāt, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ, vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterano, & c.* Expende ordinem, primo esse luxuriæ delicijs committunt, & exinde ad nefariissima quæque alia deueniunt. Sapienter enim D. August. serm. 246. de tem- D. Aug. pore ait: *Ex hac autem enumeratione libidinū, & putredinum videte in quæ facinora, & in quā immania scelera prosilitur: Omnia horrenda facinora, quā timētur in sceleratis hominibus, videte de qua labe consurgant. Quid mollius, quā illa luxuria? Quid durius, quam ista crudelitas?* Expende illud: *Omnia horrenda, quæ timentur in sceleratis:* Quæcūque timenda nobis sunt à truculentissimis latronibus, hæc sunt etiam nobis à luxuria timenda. Nihil timoris est, quod non inueniatur in animo luxuriæ dedito. Quo spectans D. Athan. orat. de Pass. & Cruce Christianorum victo- D. Athan. riam de lasciuia sic expendebat. *Voluptatem cui in idololatria sua metuebant, in Christo nodo aspernantur.* Equidem in Christo contemni potest voluptas, quæ ex se nihil gignit nisi metum, vt & illi, & ab illa omnia nefaria debeant timeri. Vnde in luxuriæ sede circuncisio Israelitica fuit à Deo decreta, vt in luxuriæ vulnere omnia ostenderentur peccata fugienda, & amputanda, quæ ibi tā quam in radice erant. Quippe ait D. Zeno D. Zeno. lib. 3. serm. 8. *Necessariò luxurioso populo Deus hoc circuncisionis signum dedit, vt locum matricalis culpæ cum denotat, etiam alia crimina fugienda cognoscat.* Et merito luxuriæ sedem matricem vocat omnium scelerū, quæ debēt à nobis caueri; nullum enim est adeo atrox, quod inde non veniat. Ideo Adamus Gen. 3. post facinus admissum clamat: *Mu-* Genes. 3. *lier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* In quo lepide ludens Tertul. Tertull. lib. 2. in Mar. ait: *Adam confessus est seductionem, non occultauit se ductricem, rudis ad hunc hæreticus.* Sic bonus hæreticos irridet, quorum errores omnes à lasciuia procedunt, vt indicat manifestè Adamus nondum instructus astutia hæreticorum, qui aliam causam suorum errorum prætendunt. Rudis autem huius astutiæ Adamus, vt scelus suum confitetur, non occultauit seductricem,

sed

ſed manifeſtè propoſuit fontem, ex quo omnia nefaria veniant.

§. XII.

In arcto diſcriminum prudentiſsimum eſt illud eligere, quod longiores inducias præbeat imminenti malo.

APud impudentiſsima luxuriæ mancipia, qualia erant Ægyptij, maluit Abrahamus Saram haberi ſororem ſuam, quam vxorem, dicit enim: *Dic ergo obſecro te, quod ſoror mea ſis.* Et quando vel ſoror eius credita, vel vxor, eodem modo pericli tabatur eius pudicitia apud laſciuos, & potentes homines, cur maluit illam ſororem dici, & non coniugem? Si coniugem diceret, res erat præſentiſsimi periculi tam cõtra vitam viri, quam contra pudicitiam fœminæ. Quod oſtenduntipſius verba dicentis: *Cum viderint te Ægyptij, dicturi ſunt, vxor illius eſt, & interficient me, & te reſeruabunt.* Et quidem cum primum dixerint illam eſſe eius vxorem, ſtatim, nulla interpoſita mora inſurgerent in viri necem, & in raptum fœminæ. Deſperantes enim de aſſenſu tanti mariti, & tantæ coniugis in nefarium opus, quam primum vellent impedimenta ſuæ effrænis cupiditatis tollere. At ſi ſororem putent, ſpe potiendi detineri poſſunt, lenociniis vacantes, liberæ fœminæ affectum obſequijs, muneribuſque ſollicitantes, quod etiam feraliſsimi homines facere ſolent. Prudentiſsime ergo Abrahamus cõfugit ad illud, quod ſpes ambitiũ alendo, longiores inducias dabat, quæ prouidente Deo poſſent ſeruire euaſioni. Ea eſt enim ſumma prudentia in arcto diſcriminum, ad inducias confugere, quæ dum dentur, interea Deus aditus oſtendit ſaluti, qui diſponit omnia ſuauiter. Accipite ex Matth. 1. Ioſephum turbatum de vxoris vtero; quam nouerat virginẽ puriſsimam, videbat prægnantem: & quid iuſtus faceret in re adeò Matth. 1. difficili? Ait Matth. 1. *Ioſeph autem vir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam, &c.* In vxoris traductione damna erant præſentiſsima, & ineuitabilia; in fuga occultà, inducię multæ dabantur damnis. Iuſtiſsimus, & prudentiſsimus vir, ad rem confugiebat, quæ inducias dabat, & inde meruit immunis euadere ab indebita infamia vxoris, & ab omni crimine. Vt ſapienter dicat Chryſol. ſerm. 2. de Chriſti generatione: *Dum vindictam differt, crimen euaſit.* In eo ſtetit magna euaſionis ratio, quod inducias dedit vindictæ excogitatæ, quæ dum differuntur, Deus affuit, & ſecura omnia monſtrauit. O ſi in imminentibus periculis, diſcriminibuſque ſimile omnes facerent, fallar niſi interea Deus euaſiones multas præſtaret. Sapientiſsimus ille Chuſai Dauidis amicus, vbi vidit Abſalon volentem inſequi patrem; ſe etiam Dauidis hoſtem præmonſtrans, ait 2. Reg. cap. 17. 2. Re. 17. *Hoc mihi videtur rectum eſſe conſilium. Congregetur ad te vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabe, quaſi arena maris innum erabilis: & tu eris in medio eorum Et irruemus ſuper eum in quocumque loco inuentus fuerit: & operiemus eum, ſicut cadere ſolet ros ſuper terram; & non relinquemus de viris, qui cum eo ſunt, nec vnũ quidem.* Sic bonus aduerſus Dauidem conſilium dabat, quod infinitus, & potẽtiſsimus congregaretur exercitus, cuius vel multitudine prorſus opprimi deberet. Sic bone aduerſus amicum tantam manum procurans parari? Veniſti, vt eius cõſuleres in columitati, & ineuitabilem illi perniciem meditaris? Hoc eſt fauere amico, dum conſulis maiorem, & potentiorem aduerſus illum, exercitum congregari? Equidem ſic ſapientiſsimus homo prudentiſsime fauebat amico; quando enim conſilium de illo perdendo erat dandum, ad rem confugit, quæ in ſpecie certiorem perditionẽ illi afferre videbatur, at in re multas inducias Dauidi præſtabat, quibus incolumitas poſſet ſperari. Præſentiſsimum enim damnum, & ineuitabile erat, quod ſtatim licet parua manu Abſalon inſequeretur patrem; præſens autem damnũ prudẽter deuitat, proponens aliud, quod & ſi maius erat, tamen dilationem afferebat neceſſariam, quæ poſſet ſaluti multos oſtendere aditus. Id noſcens D. Chry- D. Chryſ. ſoſt. in Pſalm. 7. aiebat: *Hæc autem dicebat Chuſai, volens Dauidi dare tempus, vt ſe parum recrearet, ac reſpiraret.* Hæc fuit prudentiſsimi viri ſapientia, quæ in iam inſtanti diſcrimine, modum inuenit, licet in maioris periculi ſpecie, quo inducias dabat afflicto, in quibus poſſet ſperare remediũ. Sed & quod materiæ præſenti magis correſpõdet, cum formoſiſsima Thamar 2. Reg. 13. vim pateretur ſibi à fratre Ammone illatã dicebat. 2. Re. 13. *Quia potius loquere ad regem, & nõ negauit me tibi.* At coniugium inter fratres vetitum erat, dicente Deuther. 7. *Maledictus, qui* Deuth. 7. *dormis cũ ſorore ſua filia patris ſui, aut matris ſuæ.* Quare ergo puella confugit ab nefariſsimum coniugium. Et quidem grauius eſſet, quod fratres coniugio nefario copulaſſent

larentur, quam si semel libidini seruirent.
Ioseph. Cur ergo ad grauius cōfugit? Ait Iosephus in Glossa: *Thamar ita locuta est, vt ad tempus petulantem fratris impetum valeret refrænare.* Et quidem bona puella vnum hoc spectabat, vt malo imminenti darentur inducię.

§. XIII.

In tutanda pudicitia illud prudentius consilium est, quod magis remouet, & differt violentiam.

MEritò Abrahamus in Ægypto vxorem dissimulat, & vocat sororē, aiēs: *Dic obsecro te, quod soror mea sis.* Mariti enim custodiâ libera fœmina facilius fouet spes adolescētiū, ne vim inferāt, sed vel nuptias sperent, vel aliter alliciāt eius affectum. Vndè in pudicitiæ discrimine prudentius fuit, ad illud confugere, quod remouebat, aut differebat violentiam. Sanè Iudith cap. 10. se splendentibus ornamentis componit, & vnà cum ancillula Assyriorum castra ingreditur. Ait enim textus: *Imposuit itaque Abræ suæ ascoperam vini, & vas olei, & polentam, & palatas, & panes, & caseum, & profecta est.* Sic sola cum ancilla se in conspectum, imò in manus barbarissimi exercitus dedit. Et cur nō maiori famulorum comitatu descendit? Hæc prudentia fuit, quod puella pulchra sola se in virorū
D. Aug. procatium conspectum dederit? Ait D. Augustus. serm. 229. de tempore: *Pergit diuino spiritu ducta, & singularis ancillæ solatio contenta. Species custodit, quæ blanditur, ne violenter pudicitia custodita lædatur.* In illa specie pergebat, quæ magis ablegabat violentiā; pulchra enim fœmina ex se sola, vt ambitores procos solicitat, sic violentos differt; nemo enim amat ab inuita extorquere, quod obsequijs, & muneribus voluntarie demereri, & obtineri sperat. Custodiæ valentia magis solicitat vim; quam prorsus fugat fiducia faciliter obtinendi cupita.
2. Reg. 13 Thamar 2. Reg. 13. vim patiens à fratre, aiebat: *Quin potius loquere ad regem, & non negabit me tibi. Noluit autem acquiescere eius precibus Ammon*, addit Carthusian. *rationabilissimis.* Vbi duo sunt considerāda, & quod Ammon non acquiescat sororis pulcherrimæ precibus; & quod preces puellæ dicantur rationabilissimæ, cum cōiugium consuleret. Et cur Ammon tantæ pulchritudinis verbis non acquiescit, nisi quia nulla alia via possibilis apparebat illi fruendi delicijs suis? Quis nō antèa obsequijs, blāditijs, muneribus volentem curaret allicere, nisi qui omnes vias obtinendi occlusas sciret? Ardenter amābat, & prorsus desperate; adeò vt propter desperationem tabesceret, quod prænoscens amicus dedit consilium, vt simularet ægritudinem, in qua peteret à patre, vt de custodia virginum regalium exiret soror, cuius leuaretur blanditijs. Hic vnus aditus possibilis inuentus est, vt potiretur Ammon libidine sua, qui si occluderetur, res erat desperata, ex quo nata est violentia illata virgini. At prudentissima puella rationabilissimum (iuxta ignaram persuasionem, qua se fratri in vxorem tradi posse putabat) aliud cōsilium dabat; nimirum: *Loquere ad regem, & non negabit me tibi*: quasi certum, & securum proponebat coniugium. Et cur puella, & virgo honestissima inscijs parentibus sic loquebatur de coniugio? Ait Carthus. *Ideo Thamar protulit verba hæc, vt auerteret fratrē suum à tanto facinore spe obtinendi eam licite, & honeste.* *Carthus.* Sanè nihil sic fugat violentiam, vt spes potiundi cupita. Prudentissimum consilium est, eius, qui vim fugare cupit, in arcto periculi non omnes obcœcare vias, quibus possent sperari ventura cupita. Iudith splendēti ornatu, & nimia pulchritudine fœmina non veretur aulam procacissimi ducis Holofernis ingredi, imò in eius conclaui morari, longas fabulationes texere cum illo, prompta omni obsequio, facilis ad mādata venire. Ita fuit tres integros dies in Holofernis cubiculo, denique cap. 12. *Et factum est in quarto die Holofernes fecit cœnam seruis suis, & dixit ad Vagao Eunuchum suum: Vade & suade Hebræam illam, vt sponte consentiat habitare mecum, &c.* *Iudit. 12.* Mirabar Iuditham pulcherrime ornatā, & splendentem pulchritudine audentem manere tres integros dies in salacissimi Holofernis triclinio, solam cum solo fabulari, & obsequijs omnibus promptissimam. Sed illud magis mirandum, quod ferocissimus dux per tres dies nihil lasciuum dicat fœminæ pulcherrimæ, & quod die quarto hoc solū curet, vt illa sponte in eius currat delitias? Cur ferox homo sic spontaneam sperat, potius quam vi trahat? Sane dum vna fœmina sola sic se gerit, vt virorū cōuentus nō fugiat, nec respuat manere in viri conclaui, nec se illi officiosam insinuare refugiat, spem viri maxime fouet, fore, vt voluntaria veniat in eius libidinem. Et quis adeò barbarus ab inuita vellet, quod ab spontanea sperat citò obtenturus? O sanctissimæ fœminæ cōsilium prudentissimū!

In ne-

In necessitate arctissimi patriæ periculi, dum se inter hostes proijcit, illud assumit, quod violentiam fuget, vt dum spe cõgressus hostis deluditur, violentia differatur, & aditus pateat procuratæ saluti. Pulchrè
D. Amb. D. Amb. lib. de viduis ait: *Quid Iudithæ sapientiam prædicemus, quod huiusmodi est commenta consilium, vt dum potentem elicit intemperantia, a se inferiores arceret, occasionem pararet victoriæ, pudicitiæ gratiam reseruaret?* Habuit omnia hæc consiliũ Iudithæ, quod pudicitiã seruaret, violentias arceret, occasionem victoriæ pararet. Et quale hoc consilium fuit? Nimirum quod castissime, & in verbis, & in animo se gerens, nihilominus adeo se promptam, & facilem communibus officijs viri præberet, vt inde dux spẽ aleret, fore, vt eius illa assentiretur cupiditati. Nulli ego fœminæ consulerem, vt se in hęc pericula daret; at siqua vel forte, vel Dei impulsu, vel aliqua necessitate in ea pericula venerit, quibus violẽtiam timeat; hoc sumat consilium, & sic se gerat in castissimis verbis, & factis, vt hostis vana spe deludatur, vt à violentia abstineat, & interea paretur locus incolumitati.

§. XIIII.

In pudicitiæ violandæ discrimine illud debent omnes seruare, quod ament mori, ante quam assentiri voluptati.

IN depulsione tanti periculi, quid necessum est, quod Abraham sic roget, sic obsecretur Saram? Ait enim: *Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, vt bene sit mihi, &c.* An in re mariti à morte liberandi sic segnis erat Sara; vt indigeret rogari? Quæ tot sponte peregrinationes, tot incommoda subierat, ne maritũ desereret: cur modo rogatur, & obsecratur, vt ne perdat maritum, se eius sororem vellet vocare? Cur difficilius haberet dicere, se sororem, quam vxorem, quando in hoc maritus perdebatur, in illo saluabatur? Sanè in sororis vocabulo se ijs periculis bona fœmina exponebat, quibus necesse erat mortem propriam vorare, vitamque prorsus exponere: quod nõ erat necessarium in vxoris vocabulo. Nã si vxor haberetur, posset ipsa sperare, quod mortuo marito assumeretur in principis vxorem sine vllo vel pudicitiæ, vel salutis damno. Si autem soror putaretur, sola ipsa periclitabatur; quæ vbi ad rem ventum fuerit, deberet resistere impudicis procorũ conatibus etiam vsque ad mortem. Nemo enim in periculo impudicitiæ non debet ita esse paratus, vt morti occumbat, antequam assentiatur voluptati, adeo vt in tali conflictu, nil prius debeas agere, quam mortẽ vorare. Sic Iudith vt adiret hostiles exercitus, se ornauit, & qua potuit arte pulchritudinem acuit, non ignorans quantis violẽtijs exponeret pudicitiam suam apud efferos homines, & barbaros. Imo vt sua pulchritudine caperetur Holofernes exorabat aiens cap. 9. *Capiatur laqueo oculorũ suorum in me.* Sed quomodo bona fœmina sese cõspectui barbari amasij tradit? Quo prætextu audet stare in tam difficili pudicitiæ duello? Equidem ita ibat composita, vt turpitudinem omnem deuitaret, quod si per vim aliquam tractanda esset lasciue, prius mille pateretur neces, quam assentiretur voluptati. Ait D. Amb. lib. 3. de officijs cap. 13. *Non expauit mortis periculum, sed neque pudoris, quod est grauius bonis fœminis: non vnius ictum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidauit. Stetit inter cuneos bellatorum fœmina, inter victricia arma secura mortis. Quantum ad molem spectat periculi, moritura processit, quantum ad fidem dimicatura.* Expende illud: *Moritura processit*, quippe simul vt pro saluanda patria tanto sese credidit pudicitiæ discrimini, hoc primum animo suo præfixit, quod mori eligeret, ante quã vel minimum contra pudicitiam admitteret. Sic dum vorat mortem pro castitate tutanda, in medijs periculis fortiter, sapienterq̃ dimicat pro patria salute. Quam fortissimæ huic fœminæ comparem nisi Susannam cãtatissimam? Hæc dum se lauat in pomario suo, nuda armatos potestate, & malicia hostes incurrit. Quid faceret fœmina in tã difficili castitatis periculo, vbi à potentibus consensus requiritur turpitudinis, aut mors decernitur, & infamia totius familiæ, si resistat? O sapiens Susannæ consilium! Elegit mori, & rapi ad supplicium. Magnum hoc, sed accipe aliud forte maius; statuitur coram omni populo, coram propinquis, coram marito; accusatur violatæ castitatis, vt nuda deprehensa fuit cum iuuene. Quid dicam tam manifesta mendacia fœmina innocens? Cur nõ loquitur de senũ lasciuia in se? Sanè elegit mori, antequam tantam euoluerat turpitudinem lingua sua; sed interea ait Dan. 13. *Erat cor eius fiduciam habens in Deum.*
Dan. 13.

Deum, Quantum ad molem periculi procedebat moritura, vorans mortem, ne vel in lingua turpitudinis verba admitteret; quātum ad fidem, fortiter dimicabat apud Deū & pro salute, & pro honore familiæ. Quod & obtinuit, ex quo maluit mori, quam turpitudini vel leui assentiri. Ad hæc pulchrè

D. Aug. D. Aug. serm. 242. de tempore inquit: *Propter damna pudoris salutis vota compressit, & cui fuerunt chara præmia castitatis, vitæ gaudium non amisit. Contempsit vnum, & consecuta est totum. Et quæ mori voluit, cum gloria castitatis euasit.* Adeo fortis hæc fœmina fuit, & medijs periculis inuincibilis, vt ne verbis pudori officeret, elegit mori, antequam aliorum turpitudinem voluere lingua sua. Quid tunc? Vnum contempsit, & consecuta est totum; dum contempsit vitam, dum mortem vorauit, & vitam, & castitatem, & honorem obtinuit mariti, & totius familiæ. Sic in periculis violandę pudicitiæ contēnenda est vita illi, qui voluerit incolumis euadere ab illis.

§. XV.

Verba à pulchro ore profecta efficacissima.

HOc sæpe mirabar in præsenti, quod res dissimulandi coniugij tota credatur vni Saræ; dicit enim: *Dic, obsecro te, quod soror mea sis.* Multi erant in Abrahami familia, qui nouerant Abrahami, & Saræ coniugium; quibus similiter debebat timare vt dissimularent illud, & dicerent fratres esse; imo & ipse Abrahamus poterat cum vxore sic cōuenire, dicamus, quod fratres sumus. Et nihil horum fecit, sed vni Saræ fidit, quod ipsa se sororem dicat. Et cur id non petit etiam à famulis, vel ipse de se promittit? Cur vni Saræ rem totam credit? Sciebat Saræ pulchritudinem; & quam valeāt verba à pulchro ore profecta, vt credibilia faciant omnibus quecumque dicūt. Adstitit pulcherrima Iudith barbarissimo Holoferni, multaque illi dicit de ciuitate Bethuliæ, vt eius obsidione in summas erat redacta miserias, vt Dei adiutorium demeruerit, vt ipsa viam facilis ingressus ex Deo ostensura erat illi, & reuelatura quidquid Deus de ciuitate decreuerat. Quid tunc?

Iudit 11. Ait textus cap. 11. *Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, & coram pueris eius, & mirabantur ad sapientiam eius, & dicebāt alter ad alterum; Non est talis mulier sub terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum. Et dixit ad illam Holofernes: Bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus, &c.* Iudithæ loquenti nullus est, qui non assentiatur, imo feralissimus Holofernes sic mansuescit, vt promittat se in religionem eius iturū. Veniebat autem iste à Nabuchodonosor, vt terram expugnaret, vt vniuersos nationum Deos expungeret. Quod cum ipse ferocissimus aggrederetur, vt verba Iudith percepit, sic captus est sermonibus illius, vt vero Deo adorationem promittat, inquiens, *Deus tuus erit, Deus meus.* Proh efficacia verborum profilentium ab ore pulchro! Ait D. August. serm. 228. de Temp. D. Aug. *Iudith enim tam barbatos animos insidiosi sui vultus fraude confuderat, vt eum ligaret multarum artefabularum, vt redderet inter exercitus vinctum, & inter arma captiuum.* Expendè ordinē, prius eos tenuit vultus sui pulchritudine, deinde dū multa fabulatur, sic verbis eos ligat; quasi ferreis catenis ligaret captiuos. Adeo valent verba, quæ à pulchro ore proferuntur. Ideo ipsa Iudith cap. Iudit 9. 9. sic orat ad Deum: *Domine Deus patris mei Simeonis, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum*; & post pauca ad rem accedens Holofernis prosequitur: *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percutiet eum ex labijs charitatis meæ.* Expēde à quo proœmio in quam orationē deueniant. In proœmio proponit Deo, vt iam antiquitus fauerit Israeli dans gladium Simeoni aduersus gentes; & inde petit sibi dari decorem in facie, & verba charitatis in labijs ad tyrannum perdendum. Cur gladium meminit, petitura decorem, & verba? Cur ab eo, qui gladium dare assueuerat, nō similem gladium petit; sed oblita gladij, ea petit, quæ ad decorem, & linguam pertinent? Equidem norat, fortius quid omni gladio esse ad captiuandos homines, si duo hæc copulentur, nimirum, & lingua, & decor. Hinc Psal. 44. Psal. 44. loquitur ad Deum dominaturū terræ: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prospere, procede, & regna.* Quæ verba pēdens Tertul. lib. 3. in Mar. ait: *Rideo, si quem* Tertull. *ense ad bellum cingebat, ei de temperiuitate decoris, & labiorum gratia blandiatur.* Equidē quē gladio horrere iubebat, dicens, *accingere gladio*, inconcinne de pulchritudine, & decore extollit, aiens: *specie tua, & pulchritudine tua intende.* Quid gladius ad pulchritudinem? Formoso adolescenti meritò dicebat alius: *Bellaciant alu, tu Pari semper ama.* Qui ergo gladius est iste, qui pulchro & formosissimo Deo conueniat? Apocal. Apoc. 1. 1. vbi Dei filius depingitur ad nos venies, ait:

ait. *De ore illius gladius ex vtraque parte acutus exibat.* Hic enim est gladius formosorũ, nimirum sermo, qui ab eorum ore procedit, qui omni gladio efficacior est ad captiuandas gentes. Sic Tertul. supra: *Licuit ergo Christo creatoris ense sermonis præcingi, cui supradicta tempestiuitas congruat, & gratia labiorum; quem tunc iam cingebatur super Psalmur apud Dauidem. Hoc est enim, quod ait: Extende, prosperare, & regna. Extendens sermonem in omnem terram, prosperaturus successu fidei.* Et quis non credat verbis speciosi præ filijs hominum.

Tertull.

Genes. 12. Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quod esset pulchra nimis. Et nuntiauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & sublata est mulier in domũ Pharaonis: Abram vero bene vsi sunt propter illam. Fueruntque ei oues, & boues, & asini, & serui, & famulæ, & asinæ, & cameli.

§. XVI.

Satius est quodlibet subire periculum, quam retro respicere.

QVam pudicitiæ vxoris, aut vitæ propriæ periculosam nouerat, ingreditur Abram Ægyptum, quando ait textus: *Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum,* &c. Et cur non magis vir iustus fugit hæc pericula? Vt in Ægypto, sic in Chaldæa erat frumenti copia, cur non cauit Ægyptios, apud quos tot videbat pericula; & redit in Chaldæam, vbi tale periculum erat nullum? An vir iustus poterat amare pericula? Absit, quod iustus vir amet pericula secundum se considerata, certissimè namque periret illis. At maius aliud nocumentum fugiendo, innocentius, & prudentius possunt adiri pericula. Et quando iubente Deo Chaldæã Abram reliquerat, ne in id, quod pro Deo dimiserat, damnabiliter rediret, laudabilius amauit in Ægypto pericula subire. Quò respiciens Rupert. in præsenti, fatur: *Iam quidem in aperto apparet, victrix obedientis Abrahæ perseuerantia: quippe qui facta fame in terra promissionis suæ, maluit adhuc in terra Cham, quæ est Ægyptus, peregrinãdo aliena solatia quærere, quam ad patriam, & ad cognationem suam, de quã iubente Deo fuerat egressus, aliquando respicere.* Hæc est victrix sapientia sanctorum, qui semel manu ad aratrum missa, nesciant respicere retrorsum, etiam si in progressione multa sint voranda pericula. Dicebat ille Centurio Matth. 8. *Ego homo sum, sub potestate constitutus, & dico huic, vade, & vadit: & ali veni, & venit.* Expende verba, quibus dicit, vt vnũ missum fecerit, & alium vocarit, non quem missum fecerit, reuocauit, sed alium. Et quidem non absurde exprimeretur eius potestas, si ita loqueretur, Dico huic, vade, & vadit, & eidem dico, veni, & venit. Cur igitur non sic respectu eiusdem suam potestatem monstrauit? Equidem pertinebat ad christianam philosophia, ne semel ex Dei præcepto amandatum reuocaret, nec ad semel dimissum rediret. Ait D. Nissen. hom. 10. in Cant. *Inest etiam quædam in Centurionis voce Philosophia, quod videlicet semel vsi dimissum reducat nunquam, sed alterum in dimissi locum substituat. Nam cum ei dixisset, vade, & vadit: dicit se alium accersere, non eum, quem amandauit.* Loquebatur iam ille de iustorum omnium philosophia, cuius est dimissa semel pro Deo nũquam repetere, nec retro respicere ad ea, quæ precipiente Deo dimissa sunt. Crede mihi, nullum periculũ sic cauere debet iustus, vt periculum, quod est in reuersione ad ea, quæ sunt pro Deo relicta. Matth. 24. *Cum videritis abominationem desolationis in loco sancto. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiãt ad montes. Et qui in tecto, nõ descendat tollere aliquid de domo sua.* In bellorũ periculis, quando ciuitas ab hostibus expugnatur, vt bene notat D. Hilar. & Imperfect. in præsenti, qui in domorum tectis sunt, maiori in periculo sunt, quam qui fugam capessunt. Faciliori enim modo possunt in tectis capi, aut comburi cum domibus, quam in fuga: & magis exposti sunt tormentis militaribus, qui in tecto sunt, quam qui in infimis domorum versantur. Cur ergo in re militari periculi, bellicique furoris tam serio cauetur, ne qui in tecto est, descẽdat tollere aliquid de domo? Imò, cur non magis descendat, vt missilia hostiũ volitantia caueat? Non tam ibi Dominus monebat de periculis materialibus corporis, quam de periculis spiritualibus animæ; è quibus illud magis cauendum, quod in descensu, & reditu ad dimissa inuenitur, quam quod in progressu perfectionis appa-

Matth. 8.

D. Nyss.

Matt. 24.

Rupert.

Euthym. ret. Quò spectans Euthym. monebat: *Qui vero in tecto est, siue qui conuersatione elatus, & excelsior per vitam effectus fuerit, non descendat, vt tollat mundi affectus, quos reliquerat.* In eo maxime consistit periculum progredientium, si ad relicta redeant; si enim sic cauêt relicta, vt nihil vnquam de illis in se velint, cætera pericula ne nimis paueſcãt. Iacob Gen. 31. domum soceri sui Labani fugit, & cum iam non paucos progressus in via fecisset, audit soceri irati aduentum contra se, imò illum armatum iam proxime vidit. Quid tũc Iacob, tractat ne de reditu cum socero, vt eius fugiat iram? Absit, sed hoc ait illi: *Apud quem inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris, scrutare, &c.* Cur rem ad discrimen mortis adducit? Cur tantum periculum amat fieri in familia sua? Cur non magis amat redire cum socero, quam tantum periculum subire? Equidem norat maius esse periculum in reditu, quam in progressu; cuius omnia pericula per id putat facile vinci, si nihil relictorum in se queat inueniri. Ex quo sapienter monet Origen. hom. 29. in Matth.

Origen. *Bonum est fugere etiam à Laban, à conciliatore carnaliũ qualitatũ. Nam & si voluerit persequi post eum, Deus illum auertet à fugientibus eum, vt & si comprehenderit cum postmodum aliquando, nihil malifacere ei possit fiducialiter pronuntianti: Apud quem inueneris Deos tuos, non viuat in conspectu fratrum; cognosce, quid tuorum est apud me, & accipe. Nec enim cognosci potest aliquid apud Iacob de rebus Laban.* Quæ in progressu euenerint pericula, ne pertimescas, quando in ijs Deum auxiliatorem habebis, qui ea propellat. Imò & omnia facile deuinces per hoc, quod in te nihil appareat eorum, quæ relicta fuerunt, & quæ decreuisti fugere propter Deum.

§. XVII.

Carnales homines in bonis temporalibus solum vident externum splendorem, spirituales autem magis ad mala ibi latentia prospiciunt.

Ecce ibi Ægyptij vt vident Saræ pulchritudinem, ibi sistunt nihil inde mali suspicantur, sed omnia putant fœlicia, & prospera. Ait enim: *Viderunt Ægyptij mulierem, quod esset pulchra nimis. Et nunciauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam, &c.* Sic in pulchritudine omnia laudis, & fausti nuntij autumant; longe aliter Abrahamus, is enim dicebat paulo ante: *Noui, quod pulchra sis mulier, & quod cum viderint te Ægyptij, dicturi sunt, vxor illius est, & interficient me, & te seruabunt.* Compone modo Abrahamum cum Ægyptijs; & Abrahamus videt Saræ pulchritudinem, & eandem Ægyptij vident; at ille in pulchritudine, & necem suam, & mulieris calamitates timet; ij autem nil non faustum, & laudabile augurantur in illa. Et cur quam fauſtam & laudabilem putant Ægyptij, Abrahamus plenam putat luctu, & discrimine? Carnales sunt Ægyptij, quorum est in bonis tẽporalibus sola videre pulchra, & splendida: at qui spiritualis est, vt Abrahamus, horrendum quid, & formidabile spectat in illis. Daniel cap. 2. ostendebãtur mundi regna Nabuchodonosori in imagine splendenti, ait enim: *Tu rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis:: Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porro venter, & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, &c.* Quid splendidius, Quidquid metallorum splendidum, & pretiosum est, in statua illa videbatur à rege. Verum cap. 7. ipse Daniel ait de se: *Videbam in visione mea nocte: Et quatuor bestiæ grandes ascendebãt de mari diuersæ inter se. Prima quasi leæna:. & ecce vestia alia similis vrso:: & ecce alia quasi pardus:: & ecce bestia quarta terribilis, & &c.* Quatuor mundi monarchiæ ostendebantur Nabuchodonosori, & Danieli; illi in metallorum splendore, & pulchritudine; in auro, & argento, & ære imaginis, huic in ferarum repræsentatione. Nabuchodonosor nil videt, quod non splendeat, & fulgeat in metallis; Daniel nil non horrendũ, & tremendum videt in feris. Et quãdo eadem imperia repræsentabãtur vtrique; cur Nabuchodonosor aurea, Daniel feralia videt? Ille temporalis princeps, quorum est in bonis temporalibus solos splendores videre: hic sanctissimus Propheta, qui sub bonis latentia mala celerius videt. Ait Eusebius in cat. Græc. D. Lucæ cap. 1. Euseb. *Regi itaque per modum imaginis somnium apparebat, Prophetæ autẽ belluarum sub formis bratorum, atque ferarum ostendebantur.* Quæ carnali regi erant aurea, argentea ve imperia, nihilque illi aliud referebant, nisi splendẽtem imaginem: sancto Prophetæ erãt horribiles, metuendæque feræ plenæ sæuitia, plenæ crudelissimis malis. In florentissimo Israelitarum statu Isaias nudus apparet in foro,

foro. Sic enim habet cap. 20. *In tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filij Amos, dicens: Vade, & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus, & discalceatus.* Et cur Propheta in populo florenti, multisque splendentibus vestibus ornato, summaque, & tranquilla libertate glorioso nudus, & discalceatus præmittitur? Cur Prophetæ nuditas mandatur, quando populo, & libertas, & ornatus glorioſus ſinitur? Populos carnalis in florenti ſtatu nil videt non ſplendidum; at Propheta in quantis opulenta libertate iam præſentit mala, quæ ſub illis bonis imminent. D. Hieron. de Vera circumciſ. ait: *Fit ſignum de vate, & in libero adhuc populo amaritudinem ſentit Propheta captiui.* Expende illud, *in libero adhuc populo, &c.* Cum populus nil niſi libertatem videt, & bona omnia quæ ad libertatem conſequuntur; Propheta ſimul omnes videt captiuorum miſerias, imo iam in ſe præſentit illas. Sic Luc. 19. dicitur de Ieſu: *Vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem ſunt abſcondita ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, &c.* Floridiſsima erat tunc ciuitas, plena populo, plena diuitijs, præter quæ nihil aliud videbat. At Ieſus in illo florenti ſtatu nil non flendum videt, & in ſe præſentit lacrymarum imminentium amaritudinem, quando cæteri ſola vident, quæ afferunt lætitiam, & riſum. Ex quo D. Gregor. PP. hom. 39. in Euāg. *Fleuit enim pius redemptor ruinā perfidæ ciuitatis, quam ipſa ſibi ciuitas non cognoſcebat eſſe venturam. Cum enim carnis ſe voluptatibus daret, & ventura mala non proſpiceret, in die ſuā, quæ ad pacē eſſe poterat, habebat.* Nihil deſiderabat ad pacē in die ſua, cū dedita carnalibus imminētia mala non videt; at Ieſus & mala eius videt, & bella, & extremam ruinam, & præſentit illam. En quoties hoc accidit carnalibus, qui dum ſectantur ſuas delicias, nil, quod ad pacem faciat, deſiderant, omnia ſibi fœlicia prompta, & ad manum vident: at qui veris nititur, & claris oculis vtitur, omnia ibi metuenda cernit, nihil non flendum videt.

Iſai. 20.

D. Hier.

Luc. 19.

D. Greg.

§. XVIII.

Vel vna formoſa puella vniuerſas rapit, & afficit principum, nobiliumque turbas.

VIx Sara cum viro ſuo Ægypti ſolum tetrit, & ecce ad eius pulchritudinem vniuerſi commouentur Principes, & Palatini. Habes enim: *Viderūt Ægyptij mulierem, quod eſſet pulchra nimis. Et nuntiauerunt Principes Pharaoni, &c.* Non vnus, aut alius vidit; nec vnus, aut alius nuntiat; ſed omnes Principes, & Palatini eius commouentur pulchritudine, & eius præcones fiunt. Et quem Palatinum nō rapiat mulier pulchra? Iudith cap. 10. vt coram Holoferne apparuit pulchra fœmina, quales putas voces Palatinorum omnium? Ait textus: *Dixeruntq; ad eum ſatellites eius: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent?* Præſtat horum verba ex textu Græco depromere, vbi ſic dicunt: *Quis contemnat populum hunc, qui habet in ſe ipſo mulieres tales; Quoniam non bonum eſt relinqui ex eis virum vnum, qui dimiſſi poterūt decipere omnem terram.* Sic cenſent palatini Holofernis; quod, ſi vel vnus Hebræus relinqueretur cū vxore adeò pulchra, nullus hominum poſſet ef fugere pulchritudinis retia. Hæc eſt fere omnium Principum, & nobilium palatinorum ſententia, qua putant ſibi prorſus ineuitabilem decipulam pulchræ mulieris. Quo ſpectabat aſtus ille Holofernis Iudith cap. 12. de quo dicit: *Et factum eſt in quarto die Holofernes fecit cœnam ſeruis ſuis, &c.* quæ in Græco ſic leguntur apud Serarium in præſenti: *Fecit Holofernes conuiuiū ſeruis ſuis ſolis, & ad cœnā huius vſum vocauit eorum neminem, qui negotijs præerant.* Ecce tibi in conuiuio, cui intereſſe pulchra Iudith debebat, contentus Holofernes ſuis ſolis ſeruis, cauit vocare dynaſtas, & Præſides exercitus. Et quādo maximus dux conuiuit ſine dynaſtis, ſine centurionibus, & proceribus ſuis, niſi quando timet illis a pulchritudine fœminæ, vel ſibi timet ab illis propter fœminam? Propter quam enim, nihil ſeruis timet; multa timet principibus, & nobilibus; vt quorum ſit rapi citius in pulchram fœminam.

Iudith. 12.

(***)

§. XIX.

Vbi lasciuia est, nequeunt esse bona temporalia.

RApitur Abrahami vxor in regiam, & Abrahami bona ditissima recensentur quippe ait textus: *Sublata est mulier in domum Pharaonis; Abraham vero bene vsi sunt propter illam. Fueruntque ei oues, & boues, & asini, & serui, &c.* Cur bone Abraha mę auctas diuitias cum raptu vxoris coniungis? An dum virum in raptu vxoris dilescentem ostedis, morem geris Fausto Manichæo, Abrahamum coniugij nundinatorem faciens? Absit; imo nullo clarius asseritur Abrahami coniugij castitas, & vxoris pudicitia incõtaminata, quam dũ eorũ bona temporalia stabilita magis ostenduntur & aucta. Ait Egesippus lib. 5. de Excid. Ierosol. cap. 16. *Eyciebat Pharao alienam, & damnato crimine, honorabat castimoniam. Additur aurum, & argentum ad Saræ pudorem. Remeat Sara ditior saluo pudore.* Sic in pudore seruato diuitiæ seruabantur. Lasciuiæ enim opus non est, augmentum diuitiarum, sed potius est omnium bonorum temporalium ruina, & dissipatio. Aiebat sapienter Iulius Firmicus lib. 2. Matheseos. *Si Mercurius cum Venere fuerit, vel cum Mercurio Venerem in hoc loco positam maleuola stella respexerit per quadratum, vel diametrum, vel si cum illis in hoc loco fuerit inuenta, omne eius, qui natus fuerit, patrimonium dissipabitur.* Qui sub Mercurio nascuntur, augendis opibus apti creduntur (licet in firmo satis fundamento) at si Mercurio simul Venus adsit, nullum exinde puta patrimonium non dissipandum. Nequeunt stare humanæ fortunæ, & diuitiæ, vbi Venereæ dominãtur cupiditates; quin potius necessum est, vt inde dissipari incipiant omnia temporalia. Vt dicat de Prodigo filio Lucas cap. 15. *ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose.* Venit equidem cum Venere dissipatio substantiæ. Nec miror, nunquam enim simplicia, sed dupla solent in luxuriosos venire mala. Lib. 4. Reg. 19. dicitur: *Venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorũ centum octoginta quinque millia.* Verum Gen. 19. *Venerũt duo angeli Sodomam vespere, &c.* Vt perderet Assyrios, vnus angelus venit, qui omnes interfecit; vt autem perderent Sodomitas, duo Angeli venerunt. Et cur aduersus illos vnus mittititur, aduersus hos duo veniunt? Castiganda erat in Sodomitis lasciuia: aduersus quam non simplicia, sed duplicia mala venire consueuerunt, vt funditus omnia euertant. Pulchrè ait D. Cyril. lib. 1. de Adorat. *Venerunt pœnas sumpturi de gente, quos impotens libidinis rabies exagitabat. Par autem erat Angelorum.* Non ab vno aut alio singulari malo, sed duplicibus fulminantur malis fortunę lasciuorum. Væ tibi miser, qui te tradis Venereis voluptatibus; nequit fieri, vt diu bona tua cõsistant; sed hinc inde duplicata exurgẽt mala, quibus prẽmaris, & cum omnibus bonis tuis funditus euertaris.

Egesip.

Iul. Fir.

Luc. 15.

4. Re. 19.

Gen. 19.

D. Cyrill.

Cen. 12. Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram. Vocauitque Pharao Abram, & dixit ei; Quidnam est hoc, quod fecisti mihi? Quare non indicasti mihi, quod vxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem? Nunc igitur, ecce coniux tua, accipe eam, & vade. Præcepitque Pharao super Abram viris, & deduxerunt eum, & vxorem eius, & omnia, quæ habebat.

§. XX.

Fœminarum victoria in silentio consistit.

NOn Saræ, vitio vertitur à Rege, quòd celaret coniugium, sed in Abrahamo id reprehendit Rex dicens: *Quare non indicasti mihi, quod vxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eã mihi in vxorem?* Et quidem Abrahamus à Sara petierat, vt sororem se coram rege diceret; ait enim: *Dic ergo obsecro te, quod soror mea sis.* Cum ergo Saræ potius mandatũ fuerat, quod sororem se diceret Abrahami; cur rex non de Sara, sed de Abrahamo queritur? Cur non magis Saræ fraudem tribuit? Meritò id fraudis Abrahamo tribuitur, & non Saræ; quæ licet iussa fuisset dicere se sororem Abrahami; nihil tamen inuenitur locuta, sciens sapiens mulier victoriam fœminarum

narum non indicendo, ſed in tacendo conſiſtere. Vt merito de illa dicat Egeſippus
Egeſip. lib. 5. de Excid. Ieroſol. cap. 16. *Redit Sara ſine armis, referens viro triumphalem victoriã.* Sine virorum armis; non ſine armis fœminarum, quæ in tacendo conſiſtunt, victoriam triumphalem Sara viro referebat; victoriam, in quam partam de Egyptiorum rege. Et quando mulier reges non vincat tacendo? Dum ſeptem præſtantiſsimi iuuenes propter religionem patriam Antiocho
2. Mac. 7 tyrranо ſiſterentur 2. Machab. 7. *Antiochus iuſsit ei, qui prior fuerat locutus, linguam amputari.* Ecce tibi veri Dei martyr ſine lingua quomodo Deum confitebitur? Quomodo in cõfeſsione, & prædicatione fidei vincet? Ad illum ſic loquitur mater apud Ma-
Mar. Vi. rium Victorinum pulchro in carmine.

Interea fœcunda parens iam pectore nudo.
Vbera protendens:
Tu mea progenies, tu primus reſpice matrem.
Te primum peperi, tam nunc imitare parentem.
Summe meos mores, & regem vince tacendo.

Expende totum hunc integrum verſiculũ nimirum; *Summe meos mores, & regem vince tacendo*; hi enim ſunt fœminarum mores, quod tacendo vincant vel feraliſsimos reges. Tacuit mulier, & illi iam applaudit vi-
Dan. 13. ctoria. Dan. 13. Suſanna iudicio ſiſtitur, multis accuſatur; quid illa? *Quæ flens ſuſpexit ad cœlum; erat enim cor eius fiduciam habens in Deum*, & oculos, & cor ad Deum tollit; linguam uec mouet? Et cur non magis loquitur, & propria lingua refellit obiectum cri-
D. Amb. men? Ait D. Amb. lib. de Ioſeph cap. 5. *Suſanna dum tacet in iudicio, melius locuta eſt oculo; & ideo Prophetæ meruit defenſionem, quæ propriæ vocis non quæſiuit auxilium.* Vbi caſtiſsima fœmina propriæ vocis auxilium recuſauit, & elegit tacere, defenſorem accepit, quo principes nefariſsimos vinceret. Ex quo elegantèr
D. Max. ait: *Suſanna mulier, inimicos ſuos tacuit, & vicit.* Sed illud maximè notandum eſt in Æſther, quæ cum decerneret intrare ad regem iratum contra Iudæos, & pro illis ſupplica-
Æſther 14 re; ſic ad Deum orabat cap. 14. *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis.* Carthuſianus explicat, *ſermonem ornatũ* placentẽ regi; nimirũ qui ex artificioſa cõpoſitione, & ornatu regem emolliat. Et qualis in re fuit hic ſermo Æſteris ad regẽ?
Æſther 5. Ait cap. 5. *At illa reſpondit: Si regi placet, obſecro, vt venias ad me hodie, & Amãtecum ad conuiuium.* Ecce tibi quam pauca, quam ſimplicia verba Eſther profert, ad regem: & hæc pauca locutura petebat à Deo ſermonem compoſitum, & ornatum. Quæ in his erat compoſitio? Qui ornatus? Equidem tota compoſitio, & ornatus fœminei ſermonis, quo reges deuinciant in eo eſt, quod pauca, & ſimplicia verba proferant. Huc trahe dicta. 1. tom. de Chriſto Fig. lib. 1. cap. 2. par. 2. §. 1.

§. XXI.

Velin medijs facinoribus vix deſsunt circunſtantiæ, quæ peccati ingerant notitiam.

POſt raptam Saram intrat aulam flagellũm, & rex vocans Abram ait illi: *Quid eſt hoc, quod feciſti mihi? Quare non indicaſti mihi, quod vxor tua eſt?* Sed vndè nouit Pharao Saram vxorem eſſe, & non ſororẽ Abrahæ? Lippomanus ait in cat. *Vexatio Pharaonem erudiuit.* Dũ enim ille formoſiſsimæ fœminæ amplexus appetit, tãtam dolorum ſegetem cœpit indè metere, vt adulterij ſpicula præſentiret. Raro enim vel medijs facinoribus non ſunt, quæ præſagæ mẽti criminis ingerant notitiam. Sic Actor. 7. adducitur Stephanus in concilium, vt damnaretur; *Et intuentes in eum omnes, qui ſedebãt in concilio viderunt faciem eius tanquam faciẽ angeli.* Dum petitur ad mortem Stephanus, quaſi Angelus perſecutoribus ſuis appareret; vt angelica ſpecie percuſsi proprij facinoris præſentirent malignitatem. Aiebat enim ibi S. Hilar. Arel. *Aſpectu Angeli facies impiorum cæduntur, & lapidantium conſcientiæ lapidati lumine repercuſsi agnitionis ce-*
reis lapidãtur. Videmus itaque humanã mẽtẽ tanta præditã eſſe ratione, vt nullus ſit, etiã in medio facinoris tẽpore, cui facinus ſuũ liceat ignorare. Itaq; dũ lapidãt Iudæi Stephanum, ipſius facie angelica fulminati, quaſi ardentibus cereis agnitionis lapidabantur; non enim poterat mens criminoſorum, vel in medio facinoris tẽmpore nõ agnoſcere nefarium ſuum facinus. Quo ſpectans Iob cap. 5. ait de Impio: *Cum ſe mouerit ad quærendum panem, nouit, quod paratus ſit in manu eius tenebrarum dies.* Quæ refert Caietanus ad omnes illos, qui per fas, nefas ve lucris inhiant; ij enim quantumuis cęcè & ſecure procedant, cum primum rem alienam tangunt, ſtatim noſcunt, & ſcelus, & pœnam paratam. Græcus autem explicatius loquitur: *Nouit autem in ſe ipſo, quia manet in ruinam.* Non aliorum teſtimonia requiret

Act. 7.

Hil. Arel.

Iob 5.

malè

male agens, sed in se ipso præsentit eos stimulos, quibus in cognitionem criminis, & supplicij vadit. Vnde Olympiod. in cat. fatur: *Illud grauius, quod idem impius conscientia coactus talia sibi præmuntiat, ac vaticinatur. Is, inquam, est sibi conscius consequentis exitij, videtque sibi tenebras, perturbationem, afflictationem.* Sic res facinoris stimulat peccatoris animum, vt nequeat, & crimina, & tormenta imminentia ignorare. Quod in illo epulone manifestum est; de illo namque ait D. Luc. 16. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie.* Verum D. Chrysost. hom. 1. de Lazaro fatur: *Nec mihi dixeris illum mensa sumptuosa frui, vestibus circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre; sed explica mihi ipsius conscientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, iugem metum, tempestatē, turbationem: videbis velut in curia mentem ad thronum ascendisse regalem, & tanquam iudicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificū adhibentem, in equuleo suspēdentem, lateraque conscientiæ radentem vngulis. Etenim qui commisit adulterium, etiam si nullū habeat accusatorem, non desinit tamen intus se ipsum accusare, &c.* Ecce tibi res criminis, res adulterij quot afflictionum segetes inferat menti, quantis stimulis agat miserum animum, ne liceat illi ignorare perpetratū scelus. Quæ spicula dum Pharaonem diuexāt in raptu Saræ, animaduertere potuit ille, feminæ ingressum nō futuræ vxoris esse, sed discrimen adulterij.

Olymp.

D. Luc.

D. Chrys.

§. XXII.

Quæ à præstantissimo iudice veniunt flagella scelerum fontes non debent augere, sed tollere.

RVentem in scelus regem meritò dicitur flagellasse Dñs, quando ex flagello se rex continuit ab scelere: dicit enim textus: *Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram. Vocauit autem Pharao Abram, &c.* Vt flagellum sensit, Abrahamum vocat, illi restituit vxorem. Sic flagella à bono profecta scelerum occasiones tollant, non foueant. Ex quo pulchre satis destruitur doctrina Pytagoræ asserentis transmigrationem animorum hominum in brutorum corpora: vt lasciui hominis anima prō supplicio transeat in asinum emissariū; prædonis anima transeat in lupum. Quam sectam prorsus perimit Theophrastus apud Ænæam Gazæū in Dialog. hac pulchra ratione sumpta ex præstantia iudicis flagellātis, qui vt bonus debet esse, flagellis suis non fouere scelera, sed tollere, & eradicare tenetur. Quippe ait: *Si in lasciuiam prouoluta anima, mille libidinibus seruierit; quæ ratio suaserit, vt ob hoc ipsum supplicio afficienda in hominem asininum reuiuiscat? Nimirum vt suæ libidini magis inseruiat: ac supplicio illo non tollatur, sed firmetur magis ipsa lasciuia. Atqui pœna vitiosorum, quasi medicina quædam existimatur, quæ coerceat, truncet, secet, & penitus excindat: non autem suscitet, inflammet, vllam materiam vitioso motui suppeditet.* Talis sit, quæ à bono iudice pœna in vitiosos homines proficiscitur, quæ prorsus resecet vitia, non quæ vitijs nouam materiam submini-

Matt. 16.

stret. Hinc Matth. 16. Petro monenti fugā passionis, respōdet Dominus: *Vade post me Satana, &c.* At Iudæ irruenti cum aduersarijs Christi, dicit ipse Matth. 26. *Amice ad quid venisti?* Petrum Satanæ agnomine ferit, & Iudam amici nomine delinit. Cur nō magis Iudam, quam Petrum verbis flagellat? Sane præclarus iudex ibi abstinet à flagello, vbi flagellum minime resecaturum erat vitium. Sic D. Basil. Seleuc. orat. 31. *vbi vulnus est immedicabile, ibi pharmacum inutile; vbi autem curationis spes, sectionem inducit curationi.* Nescit flagelli aculeus prodire à bono iudice, quando nulla speratur vitiorum cura, sed timetur sceleris augmentum. Similiter Matth. 26. murmurante Iuda, Dominus omnes Apostolos reprehendit: *Vt quod molesti estis huic mulieri, &c.* Cur nō magis Iudam in particulari pungit? Ait D. Gaudent. serm. 13. *Quamuis Dominus Iesus conscientiæ index esset; noluit tamen Iudam de occultis eius acrius increpare: Nil ergo acerbū Christus voluit pro merito sceleratæ mentis illius loqui, ne Iudas eum tradere videretur iratus.* Bonus iudex cauit flagellum inferre, quando posset videri nō tollere peccatum, sed iram prouocare.

Matt. 26.

Matt. 26.

D. Basil.

Matt. 26.

D. Gaud.

***

CAPVT TERTIVM.

Abrahamus seiungitur à Lotho.

Textus Historiæ.

CONTINVO Et Abrahamus,& vxor,& Loth ab Ægypto discedētes, Australem plagā repetunt, quos pecus ingens, multaque auri,argētique copia vbique ostendit ditissimos. Excepit redeuntes Bethel,& arailla, quam prima Deo sacrarat Abrahami religio. Ibi cepit angusta videri terra pene infinito gregi, qui dē Abrahami,& Lothi pecore consurgit: Nec minori angustia afficiebant iusti animum pastorum diuersorum nunquam satis sopitæ rixæ;semper enim lucri amor discordes facit etiam coniunctissimos. Senior itaque iuniori cedit (quod insolens) & Abrahamus Lotho permittit regionis eligendæ conditionem, qua separatim pascat greges suos. Regio erat versus Orientem sine retractatione Chananæorum prima, qua Iordanis fluuius illabebatur, cuius fluentis impetu Zephyris assiduo,per ea locorum spirantibus Pentapolis momentis prope omnibus refrigeratur, vt orientis in partibus orientem abscondat. Inde dulces aquæ finitimū nemus in textum arboribus crebris proluebant, Paradisum vocares, quod nunquā deponeret viriditatem. Frequens, & lætior ibi populus, facetiorque prope omnibus, sed proprior lasciuiæ. Situs amænitate captus Loth euolat ad hanc partem, nihil sibi timens ab incolarum corruptissimis moribus. Nec diu Abrahamus discessum gustat nepotis,& Deum sibi accedentem experitur,à quo sibi multa audit promitti; vt versus omnem mundi plagam dilatandum erat eius dominium; vt futurus tot filiorum pater,qui terreni pulueris valeant exæquare numerum. Ijs ex Deo perceptis progreditur Abrahamus paulisper,donec in Hebrō perueniret: vbi iuxta conuallem Mambre,& sibi habitationem parat,& Deo erigit altare gratissimum.

PARS VNICA

Moralis circa textus literam.

RApiunt Loth Sodomorum amæniss. ma imagine Paradisi; fœliciores nos si rapiamur verà paradisi subsitia, quæ latet in cortice literæ.

Cen. cap. 13. Ascendit ergo Abraham,ipse,& vxor eius,& omnia,quæ habebat,& Loth cum eo ad australem plagam. Erat autem diues valde in possessione, auri,& argenti. Reuersusque est per iter,quo venerat à Meridie in Bethel vsque ad locum, vbi prius fixerat Tabernaculum inter Bethel,& Hai: in loco altaris, quod fecerat prius,& inuocauit ibi nomen Domini.

§. I.

Ægyptius panis aurum retinet, cœlestis autem panis aurum dimittit.

NOtandum maximè est, quando dicatur Abrahamus *diues in possessione auri, & argenti*, nimirum quando exsaturatus pane Ægyptio redibat. Ait D. Chrysost. *Nec enim temere,& in vanum diuitē nunc vocat Patriarcham, id quod nullibi alias meminit, sed nunc primum dicit, quod diues fuerit. Quare hoc? Vt discas diuinæ sapientiæ solertiam. Nam qui famis necessitate in Ægyptum peregrinari coactus fuit, is subito diues factus est, & diues non tantum pecoribus, sed argento, & auro: Abiit, vt aliquam famis consolationem inueniat, & redit non solum fame mitigata, sed & diuitus conspicuus.* Ecce tibi, quid fecerit in Abrahamo Ægyptius panis, & hominem liberauit à fame, & impleuit auro. D. Chrys.

Nunquam antea diues in auro dictus fuit, nisi postquam depulit famem Ægyptio pane. Facit hoc panis Ægyptius, vt aurum teneatur, & in diuitias inclinent mentes humanæ. Longe aliter cœlestis panis, qui facit aurum reijci, & egentibus dari. Cantatissimi illi Magi Matth. 2. Bethleem abierunt, quæ interpretatur domus panis, quæsituri inter paleas cœlestem panem. Quid tunc? *Inuenerunt puerum, & Mariam matrẽ eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, &c.* Vt cœlestis panis domum intrant, nil citius faciunt quam adorato puero thesauros reserare, aurum despicere, eiusque pedibus præbere conculcandum. Cur sapientes viri sic aurum à se ablegant? Fecit hoc gustus cœlestis panis, qui vehementer contrariatur diuitijs temporalibus obseruandis.

Matth. 2.

D. Chrys. Ex quo D. Chrysost. hom. 7. in Matth. monet: *Fallacem istius sæculi vmbram relinquẽs, in Bethleem festinus accurre, ac domum spiritualis panis ingredere: Caue ne Herodi efficiaris similis. Huius enim similes sunt, qui indigne abutuntur communione mysterij. Qui enim huiusmodi sunt, habent in se tyrannum, & regno Christi inuidentem, longe sane Herode illo nequiorẽ, Mammonam scilicet. Hoc enim in homines tenere imperium gestit, suos cultores simulat, & mittit ad Christum, vt specie quidem adorare videantur, quantum in ipsis est, interimunt eum. Igitur adoraturi Christum cuncta proijcimus è manibus: si habuerimus aurũ, offeramus ipsi, non terrã defodiamus.* Sic pulcherrima tã ti doctoris verba constrixi; quibus docemur, quid in domo cœlestis panis cauere debeamus, nimirum Herodis similitudinẽ, & tyrannidem, quæ quidem in Mammona, hoc est in diuitijs, & auro apprime adumbrata consistit. Herodes mittebat ad Christum Magos; at ipse cupiebat Christum interimere. Sic Mammon, sic aurum in specie videtur permittere suos ire ad Christũ, cœlestem panem ab altari sumere, adorare; at non adorat, sed pessundat Christum. Sciat hoc christianus, & caueat pectora plena auro, plena diuitijs coniungere cœlesti pani; contrarium est Christo aurum reconditum, magis quam Herodes. Necessum est vt qui cœlestem mensam participat, aurum prodat, aurũ exhibeat, quod egenis possit transmitti. Alioquin fallar, nisi pereat in contrarietatẽ cœlestis panis, & auaritiæ.

Actor. 1. De Iuda dicitur Actor. 1. *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* Suspenditur gutture, & finditur eius venter, scinditurque. Quis vnquam tale putaret? Aut quæ ratio fuit rei adeo nouæ? Ait Ioan. cap. 13. *Cum accepisset ille buccellam, continuo exiuit*; exiuit enim post buccellam acceptam recepturus nummos, & Christum proditurus. Nec miror, quod in cogitatione auri accipiendi, & perceptione buccellæ diuinæ disrumperetur, nequeunt enim commorari simul auaritia, & panis cœlestis. Vt dicat D. Petrus Celens. lib. de Panibus cap. 4. *Iudas buccellam panis quidem azimi accepit; sed medius crepuit. Vis enim magna discernens mundum ab immundo in pane illo cum stercoribus auaritiæ non patitur commorari.* Auri cupiditas, & diuini panis buccella non potuerunt simul in eodem pectore commorari; sed necessum fuit, vt disrumperetur auarus, qui auri cupiditate plenus ausus est diuinum sumere panem. Vel crediderim diuini epuli sacrum non esse in eo, qui auro tradidit viscera sua. Amos cap. 5. *Nunquid hostias obtulistis mihi in deserto quadraginta annis?* Quibus queritur Deus non fuisse sibi oblatas hostias ab Israelitis in deserto. Sed Exod. 24. *Misitque iuuenes de filijs Israel, & obtulerunt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas Domino.* Ecce tibi dicuntur Israelitæ in deserto obtulisse hostias Domino; quod videtur negare Dominus per Amos supra. Cur igitur negat Deus sibi offerri hostias, quas videmus oblatas? Ait D. Hieronym. in Amos: *Ex eo tempore, quo aurum in caput vituli transformarunt, dicentes: Hi sunt dij tui Israel; omnia, quæ fecerunt, non Deo, sed idolis fecisse monstrantur.* Sanè ex quo aurum adorauere, nil vere in illis fuisse dicitur Deo sacrum, sed idolis.

Ioan. 13. *Pet. Cels.* *Amos 5.* *Exod. 24.* *D. Hier.*

§. II.

Priuatus homo fortè innocentius potest retinere aurum, quam Regius.

MIrabar, quod de auri possessione laudetur à Deo Abrahamus, dicit enim textus: *Erat autem diues in possessione auri, & argenti.* Sic aurum in Abrahamo erat laudabile, è priuatis enim hominibus forsan non difficile inueniatur, qui possit in possessione auri laudari; non sic è regijs hominibus quando à Regibus aurum asseruatum vix inuenitur sine malo. Ecclesiastes, capit. 2. dicebat: *Coacerraui mihi argentum, & aurum*

Eccles. 2.

aurum, & substantias regum, &c. Quibus verbis nefarium quid putant significari. Sed vnde ostenditur nefas? Nonne aurum potest innocenter cõgregari? Nonne Abrahamus immaculatè fuit diues in argento, & auro? Vnde ergo elicitur in præsenti nefas aliquod? Crediderim aliquid culpæ insinuari per id, quod dicit *substantias regum*; vbi enim aurum coacervatum numeratur inter Regum substantias, vix id potest esse non culpabile. Ait D. Nyssen. hom. 4. in Eccles. *An hæc fortasse nulli esse crimini affinia existimaueris, sic tibi pecuniam cõgregare ex metallis terræ? Sed quoniam additur orationi Regum & prædiorum copias mens congregandi non potest esse â culpa immunis.* Potest fortè priuatur animus operam dare auro congregando sine culpa: at regius animus, qui incubet aur. ovix inueniri potest non culpabilis. Hinc de Iobo cap. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob; & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens â malo:: Et fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingẽta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis.* In tantis hominis diuitijs nulla mentio fit auri, argentive: & cur non etiam ibi aurum annumeratur? Exprimebatur Rex prorsus innocens, prorsus immaculatus, ideo placuit nullam mentionem fieri auri asseruati, vix enim credi posset innocentia in rege, qui abit post aurum. Pulchrè ait D. Chrysost. in Cat. Græca: *Hunc nobis Regem scriptura proponit, non equorum mentionem facit, non auro conglutinatorum curruum; non argenti, atq; auri thesauros meminit, non lapidum pretiosorum, non cæterarum rerum, quibus hominum diuitijs inhiantiũ morbus inflammatur.* In sancto, & iusto rege extollendo, meritò cauit textus sacer meminisse auri, argentive thesauros; vt enim ij regiè erogãtur, sic vix sine culpa à Regibus asseruantur. Quam regium sit aurũ virtuti postponi, patet tom. 2. in Vet. Testam. lib. 5. cap. 10. §. 9.

D. Nysse. Iob 1. D. Chrys.

§. III.

Non qui possessionem, sed qui seruitutem auri in se ostendit, male audit apud Deum.

DIcitur Abrahamus *diues in possessione auri, & argenti*, quando diuites sic apud Deum periclitantur, vt *facilius sit camelum per foramen acus transire, quam diuitem introire in regnum Dei.* Matth. 19. Ergo si Abraham diues est, etiam periclitabitur. Absit, est enim Abrahamus diues in possessione, non in seruitute; sic dominatur auri quasi eius verus dominus, & possessor; nõ illi subiacet quasi seruus, in quo difficultas salutis versatur. Sophonias cap. 1. *Disperierunt omnes inuoluti argento.* Ecce tibi qui pereunt sub argento, nimirum omnes illo inuoluti. Et quis est inuolutus? Crediderim ijs verbis insinuari quendam statum infantiæ, quãdo pueruli dum fascijs, pannisque inuoluuntur, licet domini sint bonorum, tamen ita se habent, quasi domini non sint, sed serui. De quibus ait Paulus ad Galat. cap. 1. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium.* Et quidem pannis, fascijsque inuolutus puer licet magnæ hæreditatis sit dominus, tamẽ nihil differt à seruo. Eodem modo inuoluti argento, illi sunt, qui licet videantur domini diuitiarũ suarum, tamen nihil differunt à seruis, sed quasi vera mancipia auro subiacent; ex quo in perditionem eunt. Ad hæc Rupert. ibi: *Non dixit; Disperierunt omnes habentes argentum; sed disperierunt omnes inuoluti argento. Longe aliud est habere argentum, quam esse argento inuolutum. Siquidem, & Abraham, & Dauid, & multi alij sancti, & iusti argentum habuerunt, in auro, & argento diuites fuerunt, & tamen non disperierũt. Quare? quia pecunias tanquam domini possederunt, non tanquam serui pecuniæ in pecunijs argenti sperauerunt.* Itaque non in possessione, sed in seruitute argenti periclitantur homines, qui tanquam veri possessores dominantur auri; ij facilem habent ingressum in regnum cœlorum, non sic, qui tanquam serui subijciuntur argento. Quò respiciens Eccles. 31. dicebat: *Beatus vir, qui inuentus est sine macula, qui post aurum non abijt.* Dominus namque præcedit, seruus sequitur; & qui post aurum non abit, est, qui auro minime seruit, sed tanquam dominus præcedit, in quo eius beatitudo expenditur. Sapienter enim dicit Cassiod. in rem præsentem 9. variar. 3. *Gryphes aurum iugiter leguntur effodere, atque huius metalli inspectione gaudere: quibus quia non est ambitus lucri, cupiditatis crimine non dicuntur accendi, scilicet, quia omnis actus in qualitate propositi est; & non est vituperandum, quod nulla fuerit voluntate lasciuum.* Volant Gryphes ad aurum, & volant laudabiliter, quia nulla cupiditate lucri raptatæ euolant auro seruituræ. Quid tunc? Nõ dãnanda est possessio auri, sed damnãda seruitia,

Matt. 19. Sophon. 1. 1. ad Gal. Ruperti. Eccles. 31. Cassiod.

in seruitio est vituperanda turpitudo, nihil autem turpe in eo reperitur, quod aurū possideas. Possidet aurum Deus Psal. 49. *Meus est orbis terrarum, pulchritudo agri mecum est.* Non est ergo turpe in auri possessione, sed in seruitio. Vnde Mar. 3. de electione discipulorum Christi Domini locutus ait: *Et imposuit Simoni nomē Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi; & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filij tonitrui.* Et cur filij tonitrui? Vt sicut tonitruum facit sub se tremere terram, vt seruus tremit sub voce Domini sui: sic ipsi se gerant, vt sub illis tanquam sub Dominis vniuersa tremant bona terrena. Ex quo D. Ambr. lib. 7. in Luc. in principio ait: *Dices, Quomodo possum esse filius tonitrui? Potes esse, si nō in terra, sed in pectore Dominire cumbas. Potes esse filius tonitrui, si te terrena non moueant, sed ipse potius ea, quæ terrena sunt, mētis tuæ virtute concutias, trematte terra, non capiat, vereatur potestatem animi tui, & concussa subdatur.* Talis sis, vt te terrena omnia, carnalia omnia tremant, non capiant, vt subdita tibi vereantur tuam potestatem, ne tuillis subdaris.

Marc. 3.

D. Amb.

§. IIII.

Nomen Dei iunctum mysterijs passionis, & crucis efficacissimum.

NOn antea inuocat Abrahamus nomē Dei, quā venit in locū vbi aram struxerat. Dicit enim text. *In loco altaris, quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini.* Et cur non antea inuocat nomen Domini, sed in loco altaris? Fuit patribus altare memoriale Christi passionis, eiusque crucis; ideo non nisi in loco altaris inuocat nomen diuinum, sciens de adiūcta passione, cruce vè esse Dei nomen efficacissimū, Exod. 17. *Fecit Iosue, vt locutus, erat Moyses, & pugnauit contra Amalec: Cūmque leuaret Moyses manus, vincebat Israel.* Moyses in monte erat leuatis manibus orans pro exercitu suo; interea Iesus Naue pugnabat cōtra Amalec. Sed tunc vincebat Iesus, cum Moyses in oratione leuatas manus haberet. Quæ ergo erat causa, quare Iesus vinceret? An Moysis oratio? Ait D. Iustin. Martyr cap. 21. Document. *Neq; enim quia precabatur Moyses, propterea vincebat populus: sed quoniam nomine Iesu in prima acie versante, ipse crucis signum efformabat.* Non de oratione Moysis veniebat victoria, sed de coniunctione nominis Iesu, & crucis efformationis. Dum nomini Iesu versanti in acie adiungitur crucis efformatio per manus Moysi in mōte leuatas, inde triumphus, inde victoria plausit. Accinit Tertul. lib. 3. in Mar. fatus: *Nisi quia illic vbi nomen Domini dimicabat, dimicaturi quoque cōtra diabolum, crucis quoque erat habitus necessarius, per quā victoriam Iesus esset relaturus.* Quippe vbi nomen Domini dimicabat, crucis quoque habitus erat necessarius, vt de cruce addita haberet diuinum nomen maiorem efficaciam, qua de hostibus triumpharet. Iosue 2. Raab meretrix dimissis exploratoribus *appendit funiculum coccineum in fenestra.* Et cur funiculum coccineum appendit? Quando Iesus Naue expugnaturus vrbem, daturusque illi salutem veniebat, recte coccineum obiecit, in quo passionis ostenderetur mysterium; vt de adiuncto signo passionis diuinum nomen induce victorias obtineret. Quo respiciens D. Ambr. lib. 5. de Fide cap. 4. *Coccum in fenestra ligauit, vt species cruoris mystici, quæ foret mundum redempturā, vernaret. Ita foris Iesu nomen fuit prælian tibus ad victoriam, intus species Dominicæ passionis periclitantibus ad salutem. Vnde quia intellexit Raab cœleste mysterium, dicit Dominus in Psalmo: Memor ero Raab, & Babylonis sciē tibus me.* Illi enim sciunt diuinæ fortitudinis auxiliatricis mysterium, qui passionis signum adiungunt nomini diuino. Vbi enim, & nomen Domini, & passio concurrunt, nulla desideratur protectio, nulla victoria non exurgit.

Tertull.

D. Amb.

Gen. 13. Sed & Loth, qui erat cum Abram, fuerūt greges ouiū, & armenta, & tabernacula, nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul. Erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. Vnde facta est rixa inter pastores gregum Abram, & Loth. Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa.

§. V.

Iustorū societas lucrosa homini.

Nō solū Abrahamo, sed & socio eius Lotho auge-

augebantur greges, sic ait text. *Sed & Loth, qui erat cum Abraham, fuerunt greges, &c.* non enim solitarie Lothum nominat, sed addens, *qui erat cum Abraham*; vt substantiæ augmentum illi obuenisse ostendat de Abrahami consortio. Et quando iusti societas non fuit homini lucrosa? Dicebat Gen. 30. Iacob Labano: *Modicum habuisti, ante quam venirem ad te, & nunc dives effectus es. Benedixitque Deus tibi ad introitum meum.* Ex Hebræo: *Benedixit te Dominus ad pedem meum*: simul & iusti pes ad nos accedit, vel nos prouoluimus iustorum pedibus; & diuinis benedictionibus, multisque bonis implemur. Nunquam non bona prosiliunt multa de societate, & consortio iustorum. Dan. 1. Dan. 1. *Venit Nabuchdonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu eius Ioacim Regem Iudæ, & partem vasorum domus Dei, &c.* Non miror, quod impij Israelitæ tradantur in manu Nabuchdonosoris, & in captiuitatem ducantur ad Babylonios. Sed illud mirandũ, quod etiam pijssimi, sanctissimique ducantur captiui; erant enim ibi tres candidissimi pueri, qui se flammis pro Deo deuouerent, erat Daniel ipse omni virtute ornatissimus. Cur ergo Deus iustos suos sic patitur affligi? Cur immerentes in captiuitatem ducit? Volebat Dominus Babylonios augere bonis, & ideo ad illos adducit Danielem cum socijs sanctissimis, sciens ex nullo maiora bona frequentius venire, quam ex consortio, & societate iusti. Sic disputat Theod. ibi Theodor. serm. 8. de Prouid. *Quænam de causa eos, qui iniuste vixerant summus Deus Babyloniorum Regi subiecit, simulq; iustos quoq; captiuos duci passus est? Porrò quod horum captiuitas non contribulibus modo salutis causa fuerit, sed & alienigenas Dei cognitione illuminauerit, abunde satis historia testatur. Concaptiuis autem fuerunt causa salutis, & argumentum, sed & barbaros iuuerunt, &c.* Eo diuina prouidentia spectabat, vt impij captiui leuamen haberent, & in captiuitate prospere viuerent, & ipsi barbari dona reciperent non parua: ideo vtrisque iustos sociauit, ex quorũ societate omnia illa bona pullularũt. Mihi credo, nescies sociari iusto, quin Luc. 9. inde maxima bona acquiras. Luc. 9. Dum oraret Iesus, *facta est species vultus eius altera; & vestitus eius albus, & refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate.* Vnde tanta maiestas, & gloria accreuit Moysi, & Eliæ, nisi ex Iesu consortio? Ait Io. Geom. Ioannes Geometra in Caten. Graca D. Lucæ: *Vidit Moysem, & Eliam in gloria quando vidit illos cum Iesu.* Sane Elias discipulo apparuit raptus in turbine, Moyses erat in mortis calligine; sed ex quo apparuerunt iuncti Iesu, in maiestate, & gloria fuerunt visi. Sic de iusti consortio ingentia bona parturiuntur. Vnde dicebat Dominus Matth. 19. *Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Et mirarer, quod nouissimus quis ad primatum ascenderet, nisi id persuaderet Iacob, qui cum vltimus esset filius, maiori nato primas eripuit. Sed vnde minimo primatus obtigit, nisi de societate, & consortio Rebbeccæ matris sanctissimæ? Erat Esau maior, erat Iacob minor; Esau in agro frequens ferìs sociatus, venationi operã dabat, & primatum amisit: Iacob domi sedens à matris latere non discedebat, de cuius cõsortio habuit vt è nouissimo fieret primus. Quò rem pexisse crediderim D. Damascenum dum rem ad Mariam Deiparã deducit, inquiens orat. 1. de Nat. eius: *Certabant inter se sæcula, quodnam ortu tuo gloriarentur. At postrema prima facta sunt, dum ipsis fœlicissato natiuitas tua obtigit.* Dum certant sæcula de primatu, illa postrema, prima facta sunt, quibus contigit societate Mariæ posse potiri. De consortio enim tantæ sanctitatis non potuerũt ingentia bona non prosilire.

Matt. 19.

D. Pasc.

§. VI.

Vbi est multitudo, non possunt non esse lethalia multa.

CVm substantia Abrahami, & Lothi creuit etiam famulorum numerus, & statim exortæ sunt odia, & rixæ: quippe ait: *Vnde facta est rixa inter pastores gregum Abram, & Loth.* Dum ambo cum parua familia de terra sua, & cognatione sua egrediuntur, nihil habent non pacificum; vbi crescit pastorum multitudo, de multitudine non potuerunt non exire lethales rixæ. Sic cap. 4. Genes. *Adam cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum. Rursumque peperit fratrem eius Abel.* Ecce tibi vt crescebat hominum numeros. Quid tunc? *Consurrexit Cain aduersus fratrem, interfecitq; eum.* Vt cœpit crescere numerus, cœperunt apparere rixæ, & lethalia vulnera. Pulchrè ait Sedulius lib. 2. Pasc. cap. 1. *Proh dolor! Duo tantum fuerant æterni. Postquam crescere cœpit* Sedul.

Genes. 4.

origo, tunc perut, clademque parturiens à semine detrimenta suscepit. Cum duo tantũ erant, tunc pax æterna batur cum vita; at vbi ad multitudinem itur; & calamitates oriũtur, & rixæ. Dicebat Isaias cap. 9. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam*: & merito; vbi enim multitudo est, non lætitia de gaudio aucto, sed lachrymæ oriuntur de luctu. Res enim gaudij non augentur in multitudine, sed minuuntur. Vt dicat D. Hieron. in vita Malchi: *Postquam Ecclesia ad Christianos Principes venit, potentia quidem, & diuitys maior, sed virtutibus minor facta est.* Quis ignoret sanctitatem, vnanimitatem in primis illis paucis Christianis? Quis non videat scaturientia vitia in multitudine? Vt dicat etiam D. Bern. serm. de Conuers. ad Clericos cap. 29. *Et si multiplicasti gentem Domine, non magnificasti lætitiam, dum nil minus apparet decessisse meriti, quam numeri accessisse.* Raro cum multitudine non apparet clades. Gen. 6. de diluuio ait: *Deleuit omnẽ substantiam, quæ erat super terram ab homine vsq; ad pecas: remansit solus Noe, &c.* Vbi ait D. Basil. Seleuc. orat. 5. *Noe solus in communi creaturarum naufragio conseruatur, iustitiam comitem nactus ad salutem; tunc gentes dentissima prosuse fluctibus hauriebãtur iniustitiæ merito demersæ.* Ecce in vno Noemo iustitia, & salus seruatur, in gentium densitate, & multitudine, & iniustitiæ, & ruinæ.

Isai. 9.

D. Hier.

D. Bern.

Gen. 6.

Bas. Sel.

Gen. 13. Dixit ergo Abram ad Loth: Ne, quæso, sit iurgiũ inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est; recede à me, obsecro; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexterã elegeris, ego ad sinistram pergam.

§. VII.

Non à natura, sed à Dei gratia venit, quod primas alteri cedas minori.

QVis non miretur Abrahami facinus? Ipse gradæuus, & senior, & in illa familia primus minori eligendi terram primas concedit, quippe ait: *Ecce vniuersa terra coram te est, &c.* Posset equidem ipse sibi prius terræ partem asserere, & reliquam Lotho permittere. Sic dicebat Elias mulieri Sareptanę 3. Reg. 17. *Mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum & affert ad me: tibi autem, & filio tuo facies postea.* Cur similiter Abrahamus nõ sibi prius elegit terram, & reliquam Lotho posteà dimisit? Erat in Abrahamo diuinæ virtutis abundantia, de qua sola venit, quod primus ipse minori cedat primas. Chrysost. hom. 33. ibi: *Magna est iusti huius Philosophia. Per omnia non vult esse onerosus fratrueli, quasi diceret; Vt cessent contentiones, propterea te Dominum electionis, & arbitrum constituo, & omnẽ tibi potestatem do, vt terram, quam meliorem cẽsues, tu eligas, & reliquam sinas esse meam. Nam hoc quis vnquam vel æquali, vel fratri faciendũ consuit, id quod fratrueli Abrahamus? At excellentis virtutis suæ exhibet exemplum.* Non equidem à communi hominum consuetudine, non à natura, sed ab excellentis virtutis gratia venit, quod minori primas cedas. Genes. 38. res accidit mirabilis, & inaudita: habebat Thamar duos filios in vtero, cum vero partus appropinquaret, *in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccineum, dicens, iste egredietur prior. Illo vero retrahente manu, egressus est alter.* Vnde venit res adeo mirabilis? An à natura potuit venire, quod qui prolata manu primatum arripuerat, eandem retraheret concedens primas nascẽdi alteri? Minime id natura fecisset; sed fecit id Dei gratia gubernãs manum infantis. Ait D. Chrysost. hom. 3. in Matth. *Neque enim erat consequentia naturalis, vt is, qui emisisset manum, eandem postquam esset vincta revocaret. Nam præmissa quidem huius manu, alterum egredi, naturale fortaste sit: retrahi vero istam, & transitum alteri cedere, non iam sit lege nascentium, sed profecto ex Dei gratia, quæ tunc pueris aderat.* Sola Dei gratia est, quæ potest facere, vt qui primus in aliquo erat, se cohibeat, & primas alteri cedat. Quod alter primas præripiat absque eo, quod tu cedas, id fortasse continget lege nascentium; at quod te cohibeas, vt alter progrediatur; id à sola Dei gratia venit. Ioan. 1. magnus ille Baptista aiebat de Iesu: *Ipse est, qui post me vẽturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Et posteriorẽ in aduentu Iesum prædicat, & nihilominus illi primas cedit, quod sane non lege nascentium, sed gratia ipsius Dei faciebat. Vt dicat Guarricus Abb. ser. 3. *Nobis non solum miranda, sed imitãda proponitur virtus humilitatis Ioannis, qua maior se credi cum potuit,*

3. Reg. 17.

D. Chrys.

Gen. 38.

D. Chrys.

Ioann. 1.

Guarr.

posuit, noluit; imo credentes, ne errarent, compescuit. Fidelis enim amicus sponsi magis amator Domini sui, quam sui: se minui, vt ille cresceret, optabat, & de minoratione sui gloriam illius augere satagebat. Ideo nimirum magna est gloria eius in salutari tuo: in Iesu tuo Domine. Quidquid magnum, quidquid glorioſum in Ioanne à Iesu venit, à salutari Dei procedit, vt qui minoratione sui, Christi gloriã augebat, ei in omnibus primas cedit. Nullo enim clarius in se Dei spiritum quis ostendit, quam dum alteri primas cedens, de minoratione sui facit vt ille crescat. Iesus duodenus suam diuinitatem ostendens parentibus aiebat Luc. 2. *Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad illos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Expende ordinem; in primis illis cœlestem patrẽ proponit, quo se super creata omnia constituit; at dum illi verba proponentis cœlestem originem non percipiunt, ipse tacet, descendit cum illis, seseque illis subijcit, & primas cedit. Quid agis Domine? Sic modo exaltabaris, & sic modo submitteris? Modo te superiorem illis proponebas, & filium Dei; & statim te illis inferiorem, & subditum facis; cur hæc? Deum de suprema deitate differentem non percipiunt, qua se super illos extollebat; se se cõtrahit, & inferiorem se illis facit, vt inde clarius se illis diuinitas expediat. In illo enim clarissime apparet Deus, qui se contrahere nouit, & primas alteri cedere. Ait Beda hom. 2. ibi: *Cum arcem tanti mysterij ascendere intelligendo non possent, descendit ipse cum ipsis ad inferiora conuersationis eorum, eo pitque manere in his, quæ illorum erant, & erat eis pia dispensatione subiectus, donec proficiente humilitatis magisterio, quantum omnibus creaturis esset præferẽdus, agnoscerent.* Itaque se subdidit illis, vt ex hac humilitate deducat eos in cognitionem diuinæ altitudinis, qua cunctas creaturas excedit. Non enim ex creata aliqua natura, sed ex Deo assistente venire poterat, quod sic se præstãtissimus cõtraheret, & minoribus subiaceret.

(***)

§. VIII.

Cœlestis policia à mundiali distinguitur in eo, quod cœlestis princeps se suaque postponit paci, & incolumitati suorum; non sic mũdialis Princeps.

TErram vniuersam cedit Abrahamus minori fratrueli Lotho, vt sic paci, & incolumitati suorum prospiciat, quippe ait: *Ne, quæso, sit iurgiũ inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra corã te est; recede à me obsecro, si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo.* Itaque bonus Abrahamus vt pastores suos, subditos suos à iurgijs, belliſque liberaret; libẽtissime omnẽ terrã cedit Lotho, vt ipse eligat ditiorem, & amæniorem sibi. Quam aliter de Achabo legitur 3. Reg. 22. vbi sic: *Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam, & Israel :: Dixitque Rex Israel ad seruos suos; Ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad, & negligimus tollere eam de manu regis Syriæ? :: Ascẽdit itaq; rex Israel, &c.* 3. Re. 22. Nõ tulit Achab rex tres annos pacis in regno suo; sed vbi aduertit ciuitatem Ramoth Galaad à Syro regi teneri, nõ dubitat suos in periculosissimum certamen educere, vt vel eorum sanguine sibi ciuitatem acquirat. Quãtum hoc? Abrahamus vt suos contentionibus liberet, vniuersam terram minori cedit; Achab vt vel vnam ciuitatulam non cedat, sed sibi acquirat, nõ dubitat suos contentionum lethalium, præliorumque discrimini offerre. Sed erat in Abrahamo cœlestis regni Policia, cuius est se suaque postponere paci, & incolumitati subditorum. Erat autem in Achabo Policia mundialis regni, quæ pro suis stabiliendis subditos bellis, contentionibus tradere non dubitat. Attila Gothorum Rex cum in arẽna staret aduersus Theodoricum, & Valentinianum; eius rei occasione ait Iordanus Episcop. Rabenatis lib. de rebus Geticis: *Cõferuntur acies, vtrãque fortissimæ. Quæ potest digna causa tantorum mortibus inuenire? Aut quod odium in se cunctos animauit armari? Probatum est humanum genus regibus viuere, quando vnius mentis insano impetu ferages sit facta populorum, & arbitrio superbi regis momento deycitur, quod totsæculis natura progenuit.* Iord. Pulchre bonus author mundialium principum poli-

politiam expendit, quæ nullis suorum parcit contẽtionibus, nullis prælijs, nullis periculis, vt vel particulam terræ acquirant. Quod notans Dominus Ioan. 18. dum de affectato regno apud Pilatum accusaretur; ait: *Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis.* Ecce tibi vnde probat Iesus Dominus regnũ suum longè absimile esse regnis mundialibus; quia nimirum si mundiale esset, *ministri decertarent, &c.* Est enim mundialis politiæ inseparabilis proprietas, quod subditi suis principibus viuant; pro quibus augendis, ditandis, mille tradanturiurgijs, cõtentionibus, prælijs periculosissimis. A quo quam longissime abest cœlestis politia, vt quę se suaque perdat, vt sui pacificè, & incolumes viuant. Quod in Christo Iesu aduertens Paul. ad Colos. cap. 1. ait: *Vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Vide politiam cœlestis imperij, nimirũ *pacificans per sanguinẽ crucis, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris*: vt enim pace, quieteque fuerẽtur quicumque erãt siue in cœlo, siue in terra, proprio sanguini non pepercit, sed totum se pro illis impendit. In mundialibus viuunt subditi regi; in cœlestibus subdito rex viuit, & moritur; vt ipsi pacificè viuant. Quo credederim respexisse Cassiod. 2. vàr. 29. inquiẽs: *Regnantis est gloria subditorum otiosa tranquillitas.* Sed longe aliter aiebat D. Synes. lib. de Regno: *Bellorum Imperator artifex est, vti sutor calceamentorum.* Hic de mundiali regno, ille de cœlesti loquebatur, quando mũdiales Principes bellis, pugnis intenti nihili æstimant, quod sui in perpetua sint luctu, dum terras suas stabiliant. Cœlestis autem Princeps tunc se gloriosum reputat, quando vel sanguinis proprij dispẽdio sui apparent incolumes, & tranquilli.

Ioan. 18.

1. ad Col.

Cassiod.

D. Synes.

Cen. 13. Eleuatis itaque Loth oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegit itaque sibi Loth regionem circa Iordanẽ, & recessit ab Oriente: diuisique sunt alterutrum à fratre suo.

§. IX.

In bonis temporalibus figura solum est, in æternis veritas.

AMæniss*i*ma tota illa Iordanis regio à Lotho visa in florenti statu suo erat *sicut paradisus Domini.* Expende illud, *sicut*, ad summum enim exprimit aliqualem similitudinem, seu figuram. Et quidem in mundialibus bonis nil aliud inuenitur quã similitudo, quam figura. In solis diuinis veritas est, & soliditas. Aiebat Psalm. 16. de terrena Ierusalem loquens: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Vbi præclare D. Hieron. ait: *Quare non dixit, Lætantium omnium habitatio est in te, sed sicut lætantium? Quoniam in isto præsenti sæculo non est certa lætitia, sed quasi lætitia.* Mihi crede, nullum bonum certum, nec solidum, nec verum inuenies in isto sæculo; quasi bona sunt terrena omnia; at cœlestia in veritate, & soliditate bona sunt. Dum se tibi obijciunt mũdi bona, figuram quandam, & similitudinem obijciunt, vt quæ præter has habeant nihil; at in Dei bonis nihil non verum, & solidum obijcitur. Aiebat procax illa fœmina amatoribus suis Prouerb. 7. *Intexui funibus lectulum meum, strauitapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo. Veni inebriemur uberibus.* Sic illa lectuli sui voluptates propinat, in ipso lectuli ornatu; sed qualem asserit ornatum? Aite: *Strauipictis tapetibus ex Ægypto*: Non sic Cant. 3. legitur de lectulo verissimi Salomonis, de quo ait: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, &c.* Nil ibi de pictis tapetibus, sed nudus lectulus proponitur. Et cur etiam diuina sponsa in lectulo dilecti sui non commendat aromatum pretiosi tatem, tapetum picturam? Ait Gillibert. Abb. serm. 16. in Cant. *Nihil in se habet lectus Salomonis alieni ornatus, nihil picti, nihil mundani, sed totum sancta voluptas, & solida veritas.* In mundialibus bonis figura est, pictura est; verum in cœlestibus totum sancta voluptas, & solida veritas. Fallar, si in tota mũdi opulẽtia aliquid inuenias, quod excedat speciem picturarum; si solidum, si verum amas, illud de cœlesti est requirendum

Psalm. 16. D. Hier.

Prou. 7.

Cant. 3.

Gil. Ab.

dum promptuario. Dum haberent lampades paratas prudentiſsimæ illæ virgines
Matt. 25 Matth. 25. *Clamor factus eſt, Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerũt omnes virgines illæ, & ornauerũt lampades ſuas*: nec partem olei dederunt ſororibus, ſed illas ad vẽdentes miſerunt, *ite potius ad vendentes*. Ecce tibi vt prudentes virgines remittunt fatuas ad vendentes, ad quos ipſæ ire detrectant, ſed accenſis lampadibus malunt ſponſum domi expectare. Et cur, & ipſę cum ſororibus ad vendentes non eunt? Cur malunt ſine illis ſponſum accenſis expectare lampadibus? In vendentibus erant bonorum ſplẽdores temporalium, quare prudentiſsimæ talium venditores merito cauent, & diuinũ ſponſum ſolum expectant, vt à quo ſolo poſsint habere bonorum ſoliditatem, veri-
Clem. Al. tatem. Ait enim Clemens Alexand. lib. 5. Strommat. *Prudentes animæ mundæ vt virgines, cum intelligant ſe eſſe ſitas in mundana inſcitia, lumen accendunt, & mentem excitant, & tenebras illuminant, & quærunt veritatem, & expectant aduentum præceptoris.* Videbant bonæ humanæ omnia plena erroribus, plena fallacijs, & quia accenſis lucernis veritatem quærebant, magiſtri, & ſponſi ſui præſtolabantur aduentum, in quo veritas inueniri poterat; temporalium cauebant vendi tores; apud quos nihil verum, ſed adumbrata ſunt omnia.

§. X.

Peſsima hominum mundialiũ electio eſt, qua in hac vita beari amant.

MVndialium hominum præcipites electiones in hac Lothi electione taxãtur; de quo dicit: *Elegit itaq; ſibi Loth regionem circa Iordanem, & receſsit ab Oriente.* Dixerat immediate ante, quod hæc regio rigabatur, *ſicut Paradiſus Domini*, quam videns Loth, & eligens merito dicitur receſsiſſe ab Oriente. Metuendum enim ſemper eſt, quod recedat à luce, & eat in tenebras, qui ſibi in hac vita Paradiſum nita-
Eccleſ. 10 tur aſſerere. Aiebat Eccleſiaſtes cap. 10. *Væ tibi terra, cuius rex puer eſt; & cuius Principes mane comedunt.* Et quãtum malum eſt, quod Principes mane comedant, vt ideo illis væ annuntietur? Sane multa ſunt in principibus deteſtabilia facinora, adulteria, tyrannides, pauperum ſpoliationes, ſeruorũ inedia, contemptus diuinorum, & ijs omnibus prætermiſsis hoc vnum illis ad damnationem obijcit, quod mane comedant. Quid in hoc intelligitur, quod damnabilius ſit illis omnibus? Putarim ibi intelligi radicem malorum omnium, de qua dicit Auguſt. *Auguſt.* lib. 17. de Ciuit. cap. 2. *Principes ciuitatis diabolicæ mane manducantes ſunt, id eſt, ante horam congruam: quia non expectant opportunam, quæ vera eſt, in futuro ſæculo fœlicitatem, feſtinanter beari huius ſæculi celebritate cupientes.* In præſenti labor, & opus conſtitutum eſt à Deo, in futuro requies, & indeficiens fœlicitas. At miſeri errones omnia peruertunt, & quæ pro futura vita ſeruãtur, ea modo præoccupare ſtudẽt. Ante tempus currunt ad fœlicitatẽ cupientes habere in principio, quæ in fine laborum datur. Paul. ad
Roman. 2. *Non eſt regnum Dei eſca, & potus;* *2. ad Ro.* *ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Expende progreſſum fœlicium, nimirũ ablatis comeſſationibus prius ponuntur iuſtitiæ opera, & pacis, deinde in fine ſtatuitur gaudium. Sed miſeri filij hominũ quod in fine eſt, ad principium trahunt, volentes gaudere, vbi debebant ſudare. Pro qua D. Bernard. ſerm. 2. *Attendis, quia gaudium in* *D. Bern.* *fine eſt? Sed ſatui filij Adam, & præcipiti ſaltu iuſtitiam tranſilientes, & pacem, rem finalem in principium conuertere, & præuertere vultis.* Maxima hæc eſt hominum peruerſorum ſtultitia, quod rem finalem ad principium conuertant; & quod eſt gaudij in fine, id exnũc ante tempus velint habere. Sanè Pſal. 127. aiebat: *Labores manuũ tuarũ, quia man-* *Pſal. 127.* *ducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Alij legũt cum D. Zenone: *Labores fructuum tuorum,* *D. Zen.* *quia manducabis*: quaſi inde quis beatitudinem ſpectet, quia manducat non fructus laborum, ſed labores fructuum. At minime id accidere ſolet; communiter enim nõ mãducantur labores fructuum, ſed qui laboribus fructus decerpitur, is manducari ſolet. Cur ergo res inuſitata ad beatitudinẽ proponitur? Quis manducat antea labores, quã fructus? Equidem in re corporali fructus manducantur; at in re ſpirituali etiam manducantur labores: imo qui ad æternam contendunt beatitudinem, ſic ſe componant, vt prius ad labores, quam ad fructus eant. Laboris, ſudoriſque panis in præſenti vita apponitur, fructus autem laborum in cœleſtibus poſt hac nos expectat. Ille felix, qui non inuertit ordinem, ſed dum in præſenti eſt, labores guſtat, labores comedit, comeſturus in futuro fructus eorum. Ait D. Ze-
D. Zen. no ibi: *Horum laborum fructus in æternitate eſt, ſed labor hic æternorum fructuum ante comedendus eſt, eo quod in vita hac corporali anima*

nostra alenda est per cibum horum laborum obtinens panem vitam. Hi sunt labores fructuum manducandi, eorum scilicet fructuum, qui in cœlis metentur. Dum hic sumus, labor comedẽdus est, ad labores ire debemus, & non nisi de laboribus alamus animas nostras, vt in futuro percipiamus fructus, qui sine labore asseruantur in cœlestibus horreis. Ne fallaris homo, male tibi eueniet, si in præsenti velis mãducare panem sibi labore: is enim cibus in futura tempora reponitur. Cum daretur manna, singulis diebus debebat colligi, adeo, vt siquis asseruaret aliquid in crastinum, in vermes abiret totum. Ait enim Exod. 16. *Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidã ex eis in manè, & scatere cœpit vermibus, &c.* Id solum, quod iuxta Dei placitum asseruabatur in Sabbathũ, integrum, & sanum permanebat. Et cur quod asseruabatur in Sabbathum integrum manebat; quod autem asseruabatur in alium diem ebulliebat vermibus? In Sabbatho adumbrabatur futurum sæculum, cuius est proprius cibus sine labore vllo; in alijs autem diebus representabatur vita præsens, cuius est non nisi de laboribus edere. Ideo, quod reponebatur pro hac vita præsenti, vt sine collectionis labore in aliquo die comederetur, merito cõuertebatur in vermes. Quo spectans Orig. hom. 7. dicebat: *Illud, quod pro die Sabbathi reponebatur, nõ est corruptum, neque vermes ebullierunt in eo, sed permanet integrum. Et tu ergo propter præsentem vitam thesaurizes, continuo vermes ebullient.* Non panem, sed vermes, quibus corrodatur, inueniet, quisquis in præsenti vita ex repositis sine labore manducare velit.

Exod. 16.

Origen.

Cen. 13. Abrã habitauit in terra Chanaam: Loth vero moratus est in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.

§ XI.

Impiorum cõuersatio dolori est iusto viro.

NOn ad paruam iusti Lothi ærumnam dicuntur quales fuerint Sodomitæ, apud quos degebat; *Homines autem Sodomitæ pessimi erant.* Et quantum hoc malũ Lothi? Sanè illi erat dolor inter tam pessimos viuere. Dominus Iesus Luc. 9. ad Synagogæ Principes aiebat: *O generatio infidelis, & peruersa, vsque quò ero apud vos, & patiar vos?* Verba equidem sunt rem Iesu durissimam exprimẽtia; nimirum quod adeo grauem experiretur eorum conuersationem, vt ardenter cuperet vel à mundo abire, dum se ab illis liberaret. Sed ò domine discessio tua plena erit tormentis, quando per crucem discedere debes. Quid ergo maius in cruce iam esse, quam apud impios Iudæos? Erat sane iustissimo Iesu mors ipsa crucis tolerabilior, quam impiorum consortium. Ait D. Chrysost. in cat. Græc. D. Luc. ex hom. 58. in Matt. *Dicens autem illud; Quousque vobiscum ero? Ostendit desiderio discessus, & quod non tam crucifigi, quam cum illis commorari, sibi esset graue.* Super tormenta crucis æstimabat Dominus malorum cõsortium, vt mallet crucifigi, quam cum illis morari. Nec miror, quod malorum consortium adeo graue fuerit Iesu; quando tanta est illorum pestis, vt vel in Iesu mirandum Vnionis opus sit, quod ab illa nõ potuerit inquinari. Dicit enim Lucas cap. 23. de crucifixo Domino: *Ibi crucifixerunt eum, & latrones, vnum a dexteris, & alterum a sinistris.* Quod notans D. Athanas. in cat. Græc. *Cũ iniquis reputatus est. Verum non communicauit iniquitati, aut suspicioni eorum: nam quod mirãdum est, illis coniunctus, nullum ab ijs accepit nocumentum.* Expende illud: *Quod mirandũ est*, quasi sapiẽtissimus doctor miraculo saluatoris tribuat, quod versatus inter iniquos, ab illis non acciperet nocumentum. Insolitum hoc est, & rarum, & in solo Iesu visum, quando vix alius posset inueniri, qui sic exiret illæsus de malorum consortio. Iosue cap. 3. locutus de aquis Iordanis in mare prolabentibus, ait: *Quæ inferiores erant, in mare solitudinis, quod nũc vocatur mortuum, descenderunt.* Iordanis quippe per regionem Sodomorum transiens in mare solitudinis influebat; quod mare post regionis illius ruinam cœpit mortuũ appellari. De infandæ enim regionis vicinitate non potuit non participare mortis sulphuris antiam. Ait Tertul. lib. de Pallio cap. 2. *Hactenus Sodoma, & nulla Gomorrha, & cinis omnia, & propinquitas maris iuxta cum solo mortẽ bibit.* Quid mali non bibatur de malorum propinquitate? Arsit Sodoma, & in cineres tota abijt; & illi propinquum mare mortem illam non potuit non participare: Sic afficiũtur omnia malorũ propinquitate. Hinc Dauid dum se in terra persequẽtium Chri-

Luc. 9.

D. Chrys.

Luc. 23.

Iosue 3.

Tertul.

stum

stum videbat, fortiter clamabat Psalm. 68.
Psal. 68. *Ne me demergat tempestas aquæ.* Præuidebat enim horrendam illam tempestatem, qua Iudæi persequendo Christum naufragabantur, & meritò cauebat, ne ipse vt illis proximus, simul cum illis inuolueretur. Sic D.
Cyr. Alex. Cyrill. Alexand. lib. 3. in Ioan. cap. 11. fatus: *Naufragium enim hoc Iudæorum significans, deprecabatur, ne cum illis in profundo impietatis submergeretur.* Timendum semper est illi, qui est iunctus malis, ne simul ab eorum malitia rapiatur in facinus. Hinc Israelitas ingredientes per mare, aquæ maris fu-
Ps. 113. giebant hinc inde, vt dicat Psal. 113. *Quid est tibi mare, quod fugisti, &c.* Nec immeritò refugiunt aquæ vel tangere eos, qui maDi-
di Saluatoris sui sanguine præsentiebãtur.
D. Zen. Dicit enim D. Zeno lib. 2. serm. 13. *Per mare ambulat Israel, veloces pedes suos ad effundẽdum sanguinem dextrà, Leuàque in se refugiens vnda testatur.* Iam in aquarum fuga deicida populus notabatur, cui propriàs sedes cedebant aquæ, ne de consortio illorũ possent fœdari. Vtinam, & Petrus eorum consortium fugisset; & minime inficeretur negationis crimine. At dicit de illo Ioan-
Ioan. 18. nes cap. 18. *Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Num quid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, &c.* Quid miserius? Sed in hoc malum deuênit, quia impiorum conuersationi se im-
Lau. Iust. miscuit. Rem pulchre tractat D. Laur. Iustinian. lib. de Triump. Agon. cap. 8. *Qui Dei filij vsus fuerat contubernio, atque sapientiæ audierat verba, nunc sceleratorum hominum residebat in medio, & illorum potissimum, qui Dominum ipsius ligauerant, atque percusserant. Tales equidem obscœna semper, & impudica consueuerunt proferre eloquia. Vnde tanta ò Petro mutatio, tanta tibi repentina deiectio contigit.* Et quid non contingeret ei, qui vtebatur impiorum consortio? Sic caueda est impiorum conuersatio. Huc trahe dicta 1. tom. in Vet. Testam. lib. 2. cap. 4. §. 7. & alibi.

Cen. 13. Dixitque Dominus ad Abram, postquam diuisus est ab eo Loth; Leua oculos tuos in directum, & vide à loco, in quo nunc es, ad aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentẽ. Omnem terram, quam cõspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum. Faciamque semen tuum sicut puluerem terræ: siquis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.

§. XII.

Eleemosyna auget bona.

Diuisæ regionis primas dedit Abrahamus Lotho, & statim à Deo accepit integras totius regionis partes. Sic ait text. *Dixit Dominus ad Abrã, postquã diuisus est Loth ab eo: Leua oculos tuos in directum, & vide a loco, in quo nũc es, ad aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentem. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo.* Quid pleniùs lucro? Ipse partem dederat vnam, siue dexteram, siue sinistram; & omnes integrè à Deo accipit partes. Et cur sic numeratis omnibus partibus terræ, eius integram possessionem Deus mandat Abrahamo? Insinuat textus aiens: *Dixitque Dominus ad Abram, postquam diuisus est Loth; Leua oculos, &c.* Ex eo, quo diuisæ terræ partem obtulit, totam accepit. Ait D. Chrysostom. in
D. Chrys. præsenti: *Vt discamus, quod Deus remunerauerit eum, pro vs, quæ in Loth collocauerat, hæc addidit: dixitque Dominus ad Abram, postquã diuisus est Loth; quasi manifestè dicens: Partem terræ cessisti, ecce ego totam tibi terram polliceor:: Vidisti quantis cessit, & quanta est assecutus? Hic erudiamur, vt magna in dandis eleemosynis largitate vtamur, quo datis paruis adipiscamur magna.* Abrahamus totam terram ob oculos Loth posuit, vt quam vellet partem acciperet; Deus statim totam terram ob oculos posuit Abrahami, vt totã, & integram perciperet. Sic augeri solẽt parua,
Ioann. 6. quæ à nobis in egenos proficiscũtur. Ioan. 6. accepit Iesus quinque panes, quos manibus suis fregit, & dedit ingenti virorũ, puerorum, & mulierum multitudini; qua saturata, iubet colligi fragmentorum reliquias. *Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Ecce tibi Apostoli exhibuerant quinque panes dandos multitudini, & duodecim cophinos fragmentorum
Cyr. Alex. accipiunt. Cur hæc? Ait D. Cyrill. Alexãd. lib. 3. in Ioan. cap. 18. *Liberalitas nobis hoc miraculo commendatur, & quasi magna voce dicitur: quanto plura dabis liberaliter, atque misericorditer, tanto tibi plura largius confluẽt.* Mihi crede, crescunt semper bona, quæ cũ egenis diuiduntur, & omnibus sufficiunt;

& pos-

& possessorē inplent. Sic 4. Reg. 4. iussit Eliseus diuidi viginti panes inter centū ho-
4. Reg. 4. mines dicēs: *Da populo, vt comedat, hæc enim dicit Dominus, comedent, & supererit. Posuitq; coram eis, qui comederunt, & superfuit.* Et vnde ex tam paucis, paruisque panibus post saturum populum potuit aliquid superesse? Pulchre D. Amb. lib. 6. Examer. cap.
D. Amb. 2. *Dividere omnibus voluit, & sufficere omnibus iudicauit.* Nunquam ex eo, quòd egenis datur, non maximum redundat lucrū.
Gen. 24. Gen. 24. Puella Rebecca audiuit sitibūdū virum, qui aquam petebat, cui bona puella statim porrexit hydriam, quin & eius camelis dedit etiam bibere. *Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas appēdentes siclos duos: & armillas totidem pondo siclos decem, & c.* Dedit illa aquam, & accepit inaures, & armillas aureas pro auribus, manibusque ditandis. Sed cur beneficæ puellæ aures, manusque auro implentur? Theodoret. serm. 8. de Prouid. *Aures quidem, vt*
Theod. *pote quæ hospitum petitiones facile excipiebant, auro exornant: similiter & manus, vtpote animæ magnanimitati pulchre subseruientes, eodem vestit.* Sic quæ aquam dabat, aureis impletur muneribus, vt videas, quam crescant bona, quæ liberabiliter exibentur.

§. XIII.

Deus quasi nescit parua donare, sed à magnis incipit. Vbi quam periculosum sit à magnis venire ad parua.

ECce tibi quam largiter donat Deus; quippe ait: *Vide a loco, in quo nunc es, ad aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentem. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo.* Simul omnes terræ partes proponit, & omnes simul largitur; quasi nesciat non magna, & integra largiri dona. Sanè Abrahamus dimidiam regionis sibi volebat, dum ait: *Si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* At Dominus illi offert omnes simul partes, quasi nesciat, nō nisi mag-
Luc. 12. na, & integra suis præstare. Luc. 12. *Ait ei quidam de turba, Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei, Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Sic Iesus a se ablegat munus diuisoris, nec vult cum fratribus agere de hæreditate diuidenda, vt quisque suam partem tollat. Et cur qui hominum langores tulit, & infirmitates portauit, sic se negat diuidendæ hæreditati? Vix erat Dei, quod hæreditatis terrenæ particulæ hominibus darentur, de cuius munere veniebat, quod totam & maximam ipsi acciperent cœlorum hæreditatem. Ait D. Augustin. serm. 196. de
D. Aug. Temp. *Petebat ille dimidiam hæreditatem. Petebat in terra dimidiam, in cœlo Dominus offerebat totam.* Equidem detrectat Dominus dare dimidium in terra, quia nō est eius beneficentiæ particulas dare; sed totam, & integram rem in cœlis parat. Hinc beneficiorum suorum receptorem hominem creaturus, prius ei habitaculum parat. Et quale habitaculum? Ait Gen. 1. *In principio creauit*
Genes. 1. *Deus cœlum, & terram.* Vt homo existeret, sufficeret, quod Deus illi terram crearet; cur statim maluit, & terram, & cœlum illi creare? Parua res erat terra, vt sola à Dei beneficentissima manu daretur, additum fuit cœlum, vt diuina largitas inciperet à magnis; solet enim Deus non tam à paruis ire ad magna, quam à magnis ad maiora extendere suam largitatem. Sic Tertul. lib. 2. con-
Tertull. tra Mar. fatur: *Hoc præconio suo addidit bonitas Dei, quod prius domicilium homini commē ta est, aliquam postmodum molem maximam, postmodum, & maiorem, vt in magna tanquam in minore proluderet, atque proficeret: & ita de bono Dei, id est, de magno ad optimum quoque eius, id est maximum habitaculum promoueretur.* Hoc est diuinæ bonitatis, largitatisque præconium singulare, quod magnum quid semper suis affectis meditetur, & non tam de paruo ad maius, quam de magno ad maximum in suis donis procedat. Datum fuit homini à Deo prius domicilium, nō in parua casa, sed in maxima vniuersi mole, vt de hoc magno ad maximum cœlestis gloriæ procederet. Fœlix qui benefactorem suum Deum sic æmuletur, vt de magnis ad maxima tendat! Nūquam, mihi crede, sine periculo de magnis ad parua veniet. Genes. 6.
Genes. 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores, & c.* Eucherius legit? *Videntes filij Dei filias hominum, quia bonæ, & c.* Sed quale flagitium fuit, quod filij Dei de bonis filiabus hominum vxores acciperent? Si ipsæ filiæ hominum bonæ apparebant, cur culpantur filij Dei eas accipientes? Ait tibi Eucherius: *Descrto itaq; bo-*
Euchet. *no magno, lapsus est factus ad bonū minimum, non bonis proprium, sed bonis, malisque commune.* Vt filij Dei erant, in magno iam versabantur bono, & de magno ad maximum, & præstantissimum debebant currere. At illi videntes bonum minimum pulchritudinis in ho-

in hominum filiabus, quod eſt bonis, maliſque commune; de magno ſeſe inclinarũt ad hoc minimum, & lapſi ſunt miſere. Caueat quiſque in magnis eſt, ne deſcẽdat ad minima, niſi velit in magnum venire diſcrimen.

§. XIIII.

Virtus fœcundior in ſemine, quam natura.

MAgna erat illa Dei promiſsio Abrahę facta, vt daret ſemini eius terrã, quippe ait: *Omnem terram, quam conſpicis tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternũ.* Verum ſemen Abrahę talem promiſsionẽ amiſit eiectum à terra ſua. Quomodo ergo fuit vera promiſsio de ęternanda terra in ſemine Abrahæ; ſi nullum eſt Abrahæ ſemen, quod regnet in terra? Reſpiciebat promiſsio non ſemen Abrahæ naturale, ſed morale, quod apparet in doctrina fidei, in exẽplis virtutum; quod, & in Abrahamo, & in omnibus fœcundius eſt ad æternandam ſortem promiſsionis diuinæ. Cauebat enim
Leuit. 24 lex Leuit. 24. *Accipies quoque ſimilam, coques ex ea duodecim panes, qui ſinguli habeant duas decimas: quorũ ſenos altrinſecus ſuper menſam puriſsimi inſtatues coram Domino; & pones ſuper eos thus lucidiſsimũ: vt ſit panis in monimentum oblationis Domino. Per ſingula Sabbatha mutabuntur coram Domino ſuſcepti a filijs Iſrael fœdere ſempiterno.* At qui filij Iſrael ſuſcipientes panes illos, & illis veſcentes minime inuenti ſunt poſt ruinam Templi Ieroſolymitani. Quomodo ergo in illis ſeruari potuit fœdus ſempiternum? Non loquitur ibi ſpiritus diuinus carnaliter ſolũ, ſed magis ſpiritualiter, vocans filios Iſrael illos, qui maiorum virtutibus, & exemplis bonorũ operum paſcuntur; qui paſtus adeò fęcundus eſt, vt nunquam non nutriat veri
Pet. Cell. Iſraelis filios. Ex quo ait D. Petr. Cellenſ. lib. de Panibus cap. 9. *Fortè hi panes ſunt propoſitionis, quorum facta, & dicta poſteris tanquam forma, & exempla proponuntur imitanda virtutis: Virtutis enim opera tam authorem ſuum, quam & authoris imitatores, ſufficienti pabulo inconſumptibili paſcunt. Nam quo plures ſuperueniunt virtutis deguſtatores, eo ſemper ſuper adhæreſcunt reliquiæ vberiores.* Neſcit ſterileſcere ſemen virtutis; ſed in dies augetur ſupra modum. Natura quot venas aperit naſcentium, tot perdit. At qui virtutis ſemina in mundum mittit; indefectibiles trahit ſegetes imitatorum, vt numeroſiores appareant, & diuturniores familiæ, quæ maiorum virtutis æmulis conſtãt. Hinc Apocal. 7. *Audiui numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſrael. Ex tribu Iuda duodecim millia ſignati, &c.* Quæuis tribus multis filiorum agminibus ſtipata Deo aſſiſtit. Et vnde tanta fœcũditas in tribubus? Apoc. 7.
Ait D. Petrus Cellenſ. ſupra: *Vnde enim cuiuſque tribus patriarcharum tanta filiorum numeroſitas, vt duodecim habeat millia ſignata; niſi quia vera virtus ſterilitate remota propagatur etiam in mille generationes? Tanta namque Iudæ ſuccreſcit proles virtutis, quanti fuerint æmulatores confeſſionum, &c.* Semper virtutum ſatores numeroſioribus gaudent imitatorum prolibus. Pet. Cell.

Gen. 13. Surge ergo; & perãbula terram in longitudine, & latitudine ſua, quia tibi daturus ſum eam. Mouens igitur Abram tabernaculum ſuum venit, & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ eſt in Hebron. Ædificauitque ibi altare Domino.

§. XV.

Dum Deus non relinquatur, nil intereſt cætera omnia relinqui.

IN loco diuiſionis habuit Abrahamus Deum, & apparentem ſibi, & colloquẽtem, imò & pollicentem multa & tamen inde ſurgit, & mouet tabernaculum ſuum. Ait enim: *Mouens igitur Abram tabernaculum ſuum venit, & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ eſt in Hebron. Ædificauitque ibi altare Domino.* Cur, bone, inde tabernaculum moues? Cur locum dimittis, in quo Deum vides, cum Deo loqueris, & multa pollicentem experiris? In loco diuiſionis Deum habes pollicentem; cur hunc dimittens locum iuberis mouere tabernaculum, & Hebron ire? Etiam in Hebron Deũ ſpectat, cui aram erigit. Et dum non deſcedit à Deo, cui etiam in Hebron litat, aramque illi ſtruit, nõ æſtimat alia relinquere. Nulli alligatur niſi Deo, quæuis alia facile dimittit, dũ ob oculos habeat Deũ, cui exhibeat cultum. Cant. 3. *Ferculum fecit ſibi rex Salo-* Cant. 3.
mon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum;

pureum; media charitate constrauit propter filias Ierusalem. Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, &c. Erant purissimæ puellæ in ferculo aureo, inter Salomonis veri diuitias, & delicias; nihil ibi non diues, non pulchrum, non delectabile; & tamen iubentur egredi inde. Cur non magis hæreant ibi? Cur relinquant tantum ferculum? Cur non magis delicientur ibi cum dilecto suo? Ait: *Egredimini, & videte regem Salomonem.* Iubentur egredi, sed vt Salomonem verum videāt; & dum verissimū Salomonem non relinquant, sed vbiuis ad illum festinent, nil interest, quod cætera omnia relinquant. Pulchrè ait Gillibert.

Gill. Ab. Abb. serm. 20. in Cant. *In reclinatorio aureo erāt, de quo præcessit sermo hesternus. Delectabilis ille locus est, & vberior ad lætitiam, quam humana queat affectio capere. Vicibus alternatur hoc gaudium, nec potest esse cōtinuum, quod est nimium. Bona tamen vices, vbi non discedituir ab Sponso. Egredimini, inquit, & videte Regem Salomonem. Non vult eas discedere a Christo.* Equidem dum minimè à Deo nobis discedendum est, nil interest, quod discedamus ab alijs quibuscumque; etiam si discedamus ab omni fortuna, & ab omni gaudio

Iob. 17. mundi. Dicebat Iob Deo cap. 17. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Quasi cum omnibus pugnis, belliſque hostium vellet comparare, quod apud Deum quietus esset, sedens cum Magdalena secus pedes eius, hanc optimam eligens partem.

Cant. 1. At sponsa ait Cant. 1. *Trahe me, post te curremus, &c.* Non sedere, sed currere amat; non secus pedes poni, sed trahi huc, illucq; gaudet. Cur non magis secus pedes manere postulat? Non ne ibi optima est pars fœliciū? Cur ergo ab optimæ partis quiete abduci amat, & magis in motu, & cursu esse gaudet? Ipsa ait: *Curremus post te:* dum & in cursu Deum habeat, Deo adhæreat, nil æstimat aliud, licet discedēdum sit ab optimis

D. Amb. partibus. Quò respiciens D. Ambr. lib. de Isaac cap. 3. ait. *Anima ergo bona contemnit visibilia, & sensibilia, nec consistit in eis, nec in suscipiendis his immoratur, & residet; sed ascendit ad illa æterna, & inuisibilia, & plena miraculis. Etenim perfectioni studens, solum illud bonum diuinitatis intendit, nec aliud quicquam requirendum putat; quia tenet, quod summum est.* Sic faciat, qui sapit, vnum Deum attendat, quem dum præmāibus habeat, nihili æstimet alia; siue amittenda sint omnia, siue perdenda sint vniuersa, hoc solum spectet, quod Deum habet.

CAPVT QVARTVM.
Abrahami prælium, & victoria.

AT Verò Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlahòmor rex Elamitarum, & Thadal rex gētium, quod erat in Assyria pnbis validæ cōgregantes Pentapolim hostiliter petūt, amplam quidem, & vrbibus frequētem regionem, sed opis, subsidijque indigam, quæ delicijs suis incolas enerauarat, & tantum non in fœminas redigerat. Præerant tunc regioni quinque reges; Sodomæ, Bara; Gomorrhæ, Bersa; Adamę, Senaab; & Seboim, Semēber, & innominatus alius Balæ, quæ est Segor. Hi omnes post duodecim annos seruitutis à Chodorlahòmor defecerant; quem armatum, amicisque munitum iam inuadentem perduelles, multaque vastantem inuolant cohibituri. Tenuit vtrisque partis agmina vallis siluestris nota Pentapolitis, & secura, Assyrijs autem vt ignota, sic plena discriminum propter frequentes vituminis puteos. Sed Chodorlahòmor dominij memor antiqui, malos seruos aggreditur, voce turbat, turbatos fugat, totoque campo insectatur palantes; fusſoque, & contrito bellatorum exercitu ditissimas nudat vrbes, imbellēque turbam, cum qua & Lothum Abrahami propinquum rapit in seruitutem. Non diu tamen Pentapolitæ inulta regni sui viderūt dispendia. Vulgata namque eorum strages vt Abrahamum impleuit, sic affectus est Lothi desiderio, vt numeratis vernaculorū trecentis & decem & octo, auxilio futurus misero aduolaret, quāuis vni aduersus quatuor exercitus numero inferiore certandū foret. Non parno itinere superato vsque Dan nocturnis tenebris nihil suspicantes hostes aggreditur, prælio delet, captiuas opes occupat; Lothum, cæterosque omnes Pētapolitas in libertatem restituit. Triumphatori tanto redeunti obuij fuere Sodomorum Rex, & Rex Salem Melchisedech; hic, qui viro cœlestem benedictionem adiungeret, sacerdos enim erat; ille, qui tantæ offerret præmia virtutis. At Abrahamus vt fortis fuerat in pugna; sic in victoria religiosus, & pius cū Melchisedecho in pane & vino Christianorū sacramenta delineat; à Rege autem Sodomorum nec filium accipit, nolēs tam alteri debere bona sua, quam Deo vero, & summo.

PARS VNICA

Moralis circa literam.

NOTVM Est in Abrahamo, vt viro fideli cum pugnis venit victoria, & triumphus; ne sit Christianus, qui triumphi spe non amet pro virtute pugnas subire.

*Cen.*14. Factum est autem in illo tempore, vt Amraphel rex Sēnaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlahòmor rex Elamitarum, & Thadal rex gentium inirēnt bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Bersa regem Gomorrhæ, & contra Senaab regē Adamæ, & contra Semèber regē Seboim, contraque regem Balæ, ipsa est Segor. Omnes hi conuenerunt in vallem syluestrem, quę nūc est mare salis. Duodecim annis seruierant Chodorlahòmor, & tertiodecimo anno recesserunt ab eo. Igitur decimo quarto anno venit Chodorlahòmor, &c.

§. I.

Peccatori nunquam deficiunt pœnæ, & molestiæ mille.

ECce tibi quid sibi metant Pentapolitę; quippe quatuor validissimi reges dicuntur venire cōtra illos, quia cū duodecim annos seruitutis sustinuissent, ruperunt iugum. Quippe ait, quòd illi *inierunt bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Bersa regē Gomorrhæ, &c.* Et statim belli causam ostendens ait: *Duodecim annis seruierant Chodorlahòmor, &c.* Igitur antea Pētapolitas longa seruitus pressérat, modo durissimum prælium eosdem concutit. Cur tot molestiæ in miseros insurgunt? Dixerat supra cap. 13. *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores, &c.* Nec miror, quòd peccatores tot molestiæ affligāt; nequit enim peccator sine molestijs, pœnisve diu agere vitam. Pulchrè enim Nazianzen. homines peccatores vocat architectos, fabrosque peccati; quippe ait orat. in sanct. Baptisma: *Crede, nullam mali essentiam esse, nec principatum:: Sed nos, pestiferumq́, spiritum fabros eius, & architectos esse.* Architecti, fabri ve, vt operam dent arti suæ, necesse habent ingentes trabes voluere, sub illis sæpè gemere. Sic peccatores dum se tradūt peccatis, fabri sunt, architecti sunt, ingentia mouentes pondera, & sub ponderibus gementes, sudantes. Hinc Caino Gen. 4. iuxta Septuag. *Peccásti: Quiescè.* Petitur ex peccatore, vt quiescat; quasi peccatori non quies sit, sed molestia, sed labor. Vt dicat D. Aug. lib. de vera, & falsa pœnit. *Qui ergo nunc quiescit, dolere oportet, quòd non prius quieuit.* Equidem prius nulla quies poterat esse peccanti; nunquam enim peccatoribus non sunt molestiæ, non adsunt pœnæ. Gen. 7. emisit Noe columbam de arca, de qua dicit: *Quæ cum non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, &c.* Ecce tibi columba, dum ab arcà se subducit, non inuenit requiem. Sic peccator separatus à Deo, nullam requiem habet, sed vndique illum exagitant molestiæ. Ait D. Cyprian. ad Nouatianū: *Columba, quæ pedibus suis requiem habere non poterat, lapsorum imaginem portabat, qui immemores diuinarum prælictionum ceciderūt: quorum Dominus ruinam his verbis significarat, dicens: Qui audit verba mea, & nō facit ea, similabo eum viro stulto: qui ædificat domum suam super arenam; venerunt tempestates, & impegerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna.* Sic qui à Deo deficit, sine requie manet, tempestatibus mille obiectus, mille onustus molestijs. Isaias cap. 1. de peccatoribus conuersis ad Christū ait: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.* Nomine bobis, & asini duos populus significat, nimirum Iudaicum, & Gentilem. Iudaicus populus bos dicitur propter legis iugum; gentilis autem meritò asinus, vt quem idola importabilibus oneribus soleant comprimere. Ait Nyss. hom. in Nat. *Bos autem est Iudæus legi subiugatus. Asinus verò animal ferendis oneribus aptum gētilis est sub grauissimo idolatriæ onere gemens.* Quæ malorum onera imponit suis idolum quodque mundi, non sine ingenti gemitu feruntur. Eu miseri homines, qui asinino stupore rapimini, vt idola mundi colatis, vt seruitia impendatis vitijs, fallar nisi multum gematis sub oneribus gra-

Naziāz.

Genes. 4.

D. Aug.

Genes. 7.

D. Cypr.

Nyssen.

Psal. 57. grauissimis. Psal. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Et cur lætabitur iustus de vindicta? An quia gaudet in malis aliorũ? Absit, sed quia videns pœnas vitiosorum etiam in hac vita, dum se impendũt voluptatibus, ipse de suis bonis lætatur. Ait Rus-
Ruffin. finus ibi: *Ideo lætabitur; quia ipse non erit particeps impiorum pœnæ. Attende pœnam malorum etiam inter suas voluptates. Ecce ille æstuat auaritia, alius seruet luxuria, alius tracundia accenditur, alius inuidiæ facibus inflammatur. Sic se Deus in præsenti a malis vindicat, eosque ipsis suis vitijs flagellat.* Vt nemo sit, qui sub onere suorum idolorum non gemat. Hinc Dominus conuocans ad se peccato-
Matt. 11. res aiebat Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos.* Vnum offert leuamen laborum, & onerũ, & innumeros rapit, qui seruiebant vitijs.
Basil. Sel. D. Basil. Sel. orat. 29. ait. *Huius vocis hæreditatem obtinuit Apostolorum cœtus, hanc in manibus habentes, non inflata tuba cœlum hominibus peruium reddiderũt; terras integras peruasit ea vox, sine vi captæ sunt ciuitates.* Rapiũtur ad Deum ciuitates, vbi audiunt subleuandæ esse oneribus, & laboribus, sub quibus gemebant seruiendo idolis, & vitijs.

§. II.

Monimenta peccatorum punitorum sapidissima.

DE campo pugnantium regum propter sequentes syluas, & nemora amæniss imo locutus, ait: *Quæ nunc est mare salis*: totus enim ille campus fulminatus à Deo propter incolarum vitia conuersus fuit in lacum, qui dicebatur lacus Asphalti, vt notat Caietan. & mare mortuum, vt ait D. Hieron. Cur relictis illis notissimis nominibus laci istius maluit textus noster illud vocare in præsenti *Mare salis*? Diuine author nostri textus recurrit ad nomẽ, quod lacum illustriorem constitueret; sapidissima enim sunt, & gratissima monimenta, quæ perduellium pœnas ob oculos constituunt. Hinc cũ Theodoricus rex perduelles suos prælio fudisset, camposque, imo & fluuium Athæsim eorum cadaueribus im-
D. Enno. plesset, ait D. Ennodius in eius Panegyrico. *Salue fluuiorum splendidissime, qui ex maiore parte sordes Italiæ eluisti, mundi facem suscipiens, sine dispendio puritas. Ecce ille tectus artis campus enituit humanorum ossium cando re nobilissimus. Scenam pulcherrimam seruet terra sublimis, tandiu maneat, quod passi sunt, quandiu deleat oblinio, quod fecerunt.* Ecce tibi quot illustria nomina congerat Ennodius in campum, & fluuium, qui cadauera perduellium receperat. Ex inde fluuius splendidior, vt qui fæces absorbuerat Reipũblicæ sine puritatis dispendio. Exinde campus tot nitoribus fulget, quot cadaueribus. In tanta ossium humanorum congerie, non funestus tumulus, sed scena pulcherrima apparebat, & sapidissima. Sic bonus scenarum sales in loco peccatorum punitorum gustat. Sapidissimum enim est spectãtibus supplicium iunctũ delictis. Hinc Iesus noster trophæo suo elegit locum punitorum cadaueribus conspicuum. Dicit enim Matth. 27. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. Et dederũt ei, &c.* Erat celebris collis decollatorum reorum caluarijs, ossibusque plenus; & cur hunc locum sibi Dominus ad triumphum elegit? Merito mundaturus mũdum, effusuruque riuos gratiarum elegit locum, qui punitorũ ossibus albicabat. Ex punitis enim peccatis gratiarũ fontes, virtutũque propagines mirifice saporantur, vt ab hominibus capiantur. Quo spectans D.
D. Hier. Hier. ibi fatur: *Apparet Caluariam locum significare decollatorum, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia.* Equidem vbi abũdans peccatum puniebatur, locus erat aptissimus, vt inde oriretur superabundãs gratia. Et Christianus Druthmarus etiam ibi ait: *Quia ibi caluariæ auferabantur reis hominibus; placuit Deo ibi mori, vbi rei puniebantur, vt erigeretur vexillum virtutum.* Ibi tempestiuissime vexilla virtutum figebantur, vbi rei puniebãtur; quorum punitionibus sic virtutes saporabantur, vt ad se homines raperent. Vt dicat Psalm. 57. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam; manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Ecce tibi ex punitione peccatoris iustus recipit, & lætitiam, & munditiẽ; estque illi sanguis peccatoris effusus pro lauacro. Et qualiter est pro lauacro sanguis peccatoris effusus? Ait Ruffi-
Ruffin. nus ibi: *Actiones suas mundabit iustus ex consideratione vindictæ reproborum. Quando videt peccatoris pœnam, proficit ipse, & mors alterius valet ad vitam.* Sic locus punitorum peccatorum ossibus illustris scenam pulcherrimam præbet, qua in sua innocentia lætetur iustus; & sordes abluit, vt festinantius currant homines ad munditiem.

(***)

§. III.

§. III.

Tolerabilior est seruitus durissimis exactionibus potentiori exhibita, quam defectio exposita bellorum periculis.

DEbellati ab Assyrijs Pentapolitæ duodecim annis seruierunt Chodorlahomor, cuius seruitutis duritiem non sustinẽtes rebellarunt aduersus eum, & quem Dominum noluerunt, sustinuerunt violentissimum hostem. Ait enim: *Duodecim annis seruierant Chodorlahomor, & tertio decimo anno recesserunt ab eo. Igitur quatuordecimo anno venit Chodorlahomor, & Reges, qui erãt cũ eo: percusseruntque, &c.* Venit, inquam, Chodorlahomor in bello aduersus rebelles suos, quorum exercitum contriuit, vrbes spoliauit, fœminas, & paruulas in miserum redegit captiuerium. Quis vel ex hoc facto neget, tolerabiliorem seruitutem fuisse Pẽtapolitis, quam defectionem in bello? Dum seruiebant, erant sub Domino, fateor; exactiones durissimas persoluebant, non nego. At dum deficiunt à Domino, manent sub hoste, & quem refugiunt exactorem, patiuntur deprædatorem, interfectorem. Herodes callidissimus Princeps hac ratione cohibebat Iudæos suos, ne seruitutem negarẽt Romanis, iam pridem datam apud Egesippum lib. 2. cap. 9. *Duo sunt itaque, quibus respondẽdum arbitror: quæ in maximo sunt querelarum pondere. Quod plerique vociferantur de iniurys Præsidum, & quod plerique perysse sibi libertatem gemant. Consideremus ergo, ne in vtroque eorum non perfunctoria materia bellorum sit; quid enim ineptius, quam de iniurys queri, & bellum subtexere, ac periculis mutare contumelias? Dum iudicem refugias, hostem inducas: cum iudex iniquus plerumque iuris interpres sit, hostis autem etiam iustus semper sit appetitor salutis.* Hoc indubitatũ est, quod vel iniquissimus Dominus, aut Iudex non tam intolerabilis est subditis, quam hostis: Dominus enim quamuis durissimus tuam infectetur crumenam, dum hãc fugat, in cæteris potest esse proficuus. At factus hostis in totum damnosus est, & crumenam infectatur, & salutem. Quis populo intolerabilior, quam Roboam Salomonis filius? Ipse 3. Reg. 12 ait 3. Reg. 12. *Pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum. Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Quid durius? Nõ mirer, quod decem tribus deficiant à tam quo Domino; defecerunt quidem decem tribus ab illo, cum quo manserunt solæ duæ. Sed in defectione inuenerunt mitius aliquid? Ait 2. Paral. cap. 12. *Pugnauerunt que aduersus se Roboam, & Ieroboam cũctis diebus.* 2. Par. 12 Fugientes pacificas exactiones, inciderunt in sumptus pertinacissimi belli. Imo cap. 13. egressus Abias contra illos rebelles bellum intulit; *Fugerũtque filij Israel Iudam, & tradidit eos Dominus in manu eorum. Percussit ergo eos Abia, & populus eius plaga magna, & corruerũt vulnerati ex Israel quingenta millia virorum fortium. Humiliatique sunt filij Israel in tempore illo: Persecutus est autem Abia fugientem Ieroboam, & cepit ciuitates eius.* Cõpone modo cum tota duricie illa sæuissimi Domini hæc munera hostis. Haud dubiũ, quin sub illius Domini scorpionibus non passi fuissent Israelitæ, quod passi sunt sub eodem hoste. Nec tot sumptus facerent bonorum in exactionibus Roboami; quot sumptus fecerunt in sustentando bello aduersus eum, in cogendo exercitu quingentorum millium hominum; præter quã quod perdiderunt in tanti exercitus cõtritione, in tantarum vrbium depopulatione. Suaiius equidem tribum Iudæ haberent decẽ tribus sociam in soluendis tributis auarissimo Roboamo; quam deficientes ab illius seruitute se exponerent violentissimis mortibus, & rapinis. Ex quo Paulus Orosius lib. 5. cap. 2. componit felicitatem sui æui, quãdo patria habebat Romam dominam, cum miseria temporis, quãdo illam hostem patiebatur. Ait enim: *Tantum interest inter præsentia præteritaque tempora, vt quod Roma in vsum luxuriæ suæ ferro extorquebat a nostris; nunc in vsum communis Reipublicæ conferat ipsa nobiscum.* Sane Domini, licet multa exigant à nobis, multa & ipsi conferunt nobiscum in communes vsus Reipublicæ; at hostis nullum bonum nobis commune respicit, sed ferro extorquet quidquid suis cõmodis putat vtile. Præferenda ergo seruitus est tot alijs spoliationis, salutis, vitæ periculis. Id quod suis persuadebat Iosephus apud Egesippum lib. 5. cap. 15. *Referre mori præstare, quam libertatem amittere. Quando vobis ista Iudæi successit sententia? Aut quando apud Hebræos vtilis fuit seruitus libertati inimica non præleta? Iacob ipse Patriarcha in Ægyptum deduxit Hebræos, ne perirent fame. Descenderunt Patriarchæ, simul duodecim filij eius præclara illa generis nostri exordia. Ibi Iudas ille nobilis Iudæorum prosapia, qui nomen populo dedit. Ibi Ioseph curru sublimis, & equis, subijcere se in potestatem ini-*

Egesipp.

3. Reg. 12

Paul. Oros.

Iosephus

luit, vt aleret suos, quam ad originis propriæ libertatem redire. Quia non erat crimen seruire potētioribus. Sic patribus vestris etiam dura seruitus non displicebat, vt periculis anteferretur. Nec vlli proprijs comodis attento non debet magis placere duriter in pace seruire, quam se submittere extremis periculis Et vt ait ipse Iosephus lib. 6. de Bello Iud. *Licet pulchrum sit pro libertate pugnare, tamen id in principio decet fieri. Semel autem subditus, qui multo tempore paruisset imperio iugum excutiens, malæ mortis cupidus non libertatis amator videtur.* Sic ibi, & vere,

Ioseph.

Cen. 14. Et egressi sunt rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rex que Adamæ, & Rex Seboim, nec non, & rex Balé, quæ est Segor, & direxerunt aciem contra eos in valle siluestri scilicet aduersus Chodorlohamor regem Elemitarum, & Thadal, &c. Quatuor reges contra quinque. Vallis autem siluestris habebat puteos multos vituminis. Itaque Rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ terga verterunt, ceciderunt que ibi, & qui remanserant, fugerunt ad montem.

§. IIII.

Auspicata congressio est, in qua Principes appareant primi. Vbi de Christiano triumpho.

NOn negabo hoc auspicatissimum fuisse in hac congressione, quod primi in illa recensentur Principes, dicit enim: *Egressi sunt rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & Rex Seboin, nec non, & rex Bale, quæ est Segor, & direxerunt aciem contra eos, &c.* Itaque in re congressionis reges primi, & soli numerantur, quod multum faciebat ad victoriæ auspicium. Pulchre enim de Theodosio Imperatore dicit Paul. Oros. lib. 7. cap. 35. *Signo crucis se muniens signum prælio dedit, ac se in prælium, etiã sine me sequeretur, victor futurus immisit. Præmonstrabat iam bonus Imperator futuram victoriam, ex eo quod primus nullis expectatis comitibus in prælium immisserit.* De quo etiam D. Amb. orat. in eius obitu ait: *Cum locorum angustus, & impedimentis calonum agmen paulò serius in aciem descēderet, de filyt e quo Princeps, & ante aciem solus progrediens ait, Vbi est Theodosij Deus? Quo dicto excitauit omnes, & exemplo omnes armauit.* Crede mihi nullis auspicationibus armis munimur in periculis; quam si videamus Principes præeuntes. Quo traho illud 3. Reg. 20. vbi dum Achab rex Israel cum paucis satis circumdatus esset à penè innumera Syrorum multitudine; *Ecce Propheta vnus accedens ab Achab regem Israel, ait ei, Hæc dicit Dominus; Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? Ecce ego tradam eam in manum tuam hodie; vt scias, quia ego sum Dominus. Et ait Achab: Per quem? Dixit ei, Hæc dicit Dominus, Per pedisequos principum prouinciarū. Et ait, quis incipiet præliari? Et ille dixit, Tu.* Vbi Abbalens. quæst. 7. ait: *Ita quod Achab iret in prima acie contra exercitum, &c.* Expē de modo, auspicati certaminis, venientisque victoriæ quale detur signum, nempe quod rex sit in primis, quod ipse prælium incipiat ante suos. Et quis non putet victuros illos qui Principem suum præeūtem incertaminibus vident? Sapienter D. Ennodius in Panegyrico Theodoricum suum media in arena positum sic loquentem inducit: *Qui in hostile acie viam desiderat me sequatur. Non respiciat alterum, qui dimicandi poscit exēplum. Virtus multitudinem non requirit. Ad paucos vadunt bella, bellorum fructus ad plurimos. De me æstimabitur exercitus, & in his, quæ gessero gens triumphabit. Attolite signa, per quæ ne lateam, prouidetur. His dictis poculum causa popposcit auspicij, & laxatis in prælium habenis effusus, vt torrens fata, vt leo armenta vastasti.* Sic rex triumphantium militum se cō ponebat, vt ipse præiret, vt ipse & suis, & hostibus primus esset notissimus, vt sui haberent, quem sequærentur, & hostes in quē primos certaminis impetus confringerent, notissimis signis vult signis præcedere. Quo facto auspicium capit, & hostes victurus aggreditur. Auspicium vitæ est in regibus, in principibus, quod in re congressus suos conspicui præcedant. In funestissimo illo Israelitarum certamine cum Syrijs socium habuit Achab regem Iudā Iosaphat. Cui ait 3. Reg. 22. *Dixitque rex Israel ad Iosaphath; sume arma, & ingredere prælium, & induere vestibus tuis. Porro rex Israel mutauit habitum suum, & ingressus est bellum.* Præmittit socium regem in bellum regijs ornamen

Paul. Or.

D. Amb.

D. Ennod.

3. Re. 22.

men

mentis indutum; & ipse dissimulato habitu postremus accedit. Et cur præmisso, socio sub regio habitu ipse habitum regium exuit? Ait Carthus. *Ne ipse Achab cognosceretur a Syris, sicque minus impugnaretur ab illis, vel vt pondus belli supra Iosaphath immineret.* Cum habitu regio pondus belli à se depellebat, & in Iosaphath moriturus rex immittebat: iã inde Iosaphath auspiciũ prębens vitæ, & sibi, populoque suo extremũ protendebat exitium. Ominosum est enim Principi, quod in congressibus amet nesciri, vt auspicatum est, quod primus pergat, & notissimus. Sicque Achab in illo certamine, quo ablatis regijs ornamentis intrauit vltimus, perijt cum populo suo; & solus Iosaphath vixit, qui in habitu proprio splẽduit primus. Quod fœlicitatis auspicium suis sectatoribus dedit Iesus, qui cũ ad verbera nudaretur, & apud Herodem albis vestibus indueretur, & apud Pilatum coccinis, tandem crucifigendus proprias vestes resumit. Ait Matth. cap. 27. *Et postquam illuxerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent.* Vnde hæc cura processit, vt crucifigendus Iesus nõ mutato habitu, sed in ptoprijs vestibus procederet? Quippe rex regum; & Dominus dominantium, in eo dabat auspicium de triumphati mundi, peccatique, quod vel à vestibus notissimus præcedebat in periculis, non alijs remittens, sed sibi pondus certaminum resumẽs. Quo respiciens Hieron. ait *Tunc pristinas vestes recepit, & proprium assumit ornatum; statumque elementa turbantur, & creatori testimoniũ dat creatura.* Quid auspicacius? Vbi rex omnium in bello aduersus mundi potestates suis proprijs agnitus vestibus præcedit, sese illi subdidit orbis vniuersus. Est nostræ auspicium victoriæ in eo, quod regem nostrum videamus in certamina præcedentem. Hinc Luc. 19. videns Zachæum in arbore clamat; *Zachæe festina, descende.* Cur Zachæus ab arbore descendat, quando in arbore Dominus de triumphaturus est potestates aduersas? Pulchre D. Chrysol. serm. 54. *Antea Zadhæus ascenderat arborem, quam Iesus crucem ascenderat, hinc est, quod dicitur, Festinans descende. Descende ante Dominum de Adami arbore, vt post crucem Dominicæ passionis ascendas. Nisi quis tulerit crucem, & secutus fuerit me, non dixit, præcesserit me.* In eo erat situm Christianæ victoriæ auspicium, quod videamus in cõgressionibus nostrum regem præeuntem.

Carthus. Matt. 27 D. Hier. Luc. 19. D. Chrysol.

§. V.

Cadat, necessum est, qui inexpertus venit ad pericula.

QVinque erant Pentapoliti reges aduersus quatuor; sed vix illi quinq; appropinquant istis quatuor, & ecce palantes fugiunt, & pereunt in fuga. Dicit nãque: *Itaque Rex Sodomorum, & Rex Gomorrha terga verterunt, ceciderunt q;, & c.* Et quid aliud posset euenire vel in conspectu periculi delicioßissimis, & prorsus mali in expertibus hominibus? Duodecim annis seruierant Pentapolitæ, & decimo tertio anno excusserant seruitutis iugum, interea nihil militare nouerant, nullum fecerant tẽtamentum virium, nullum certaminis meditamentum, tunc primum cum hostem vident, sentiunt bellorum duriciem. Cur nõ pereant primo in congressionis impetu? Pulchrẽ ingentes Iudæorum exercitus despiciebat Titus ijs verbis apud Egesippum lib. 3. cap. 24. *Neque vos numerus moueat plebis Iudææ, cum illos tot vestræ virtutis insignia non deterreant, quæ validiora sunt. Nec enim vllain Hebræis vel rei militaris scientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia, nullus disciplinæ vsus, nulla tolerandi patientia. Illi nesciunt arma nisi in bello, nos in pace armis exercemur; vt in bello casus belli dubios non sentiamus. Insuetis enim euentus dubij, veteranis solemnis triumphus. Quid enim aliud agimus quotidie, nisi vt nobis vana nunquam prælia sint? Vnusquisque domi, quasi in prælio exerceatur, vt in prælio meditatio quædã certaminis sit.* Hinc bonus Princeps pandit Iudæorum infirmitatem, & certam fugam; & ostentat suorum virtutem etiam in paruo numero militũ validissimam. Quia nimirum Iudæi sine disciplinæ vsu, sine vlla tolerandi patiẽtia prorsus inexperti, & insueti periculis se obijciebant bellorum; Romani autem non præliabantur, nisi post multa exercicia, post longa in pace meditamenta certaminum. Cur illi non pereant? Cur hi non triumphent? Crede mihi illi insuperabiles sunt, qui post multa meditamenta veniũt ad discrimina. Iob c. 15. locutus de malis irremediabiliter afficientibus impium ait: *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem, qui præparatur ad prælium.* Legũt multi: *Vallabit eũ angustia, sicut rex, qui præparatur ad prælium.* Ecce tibi vt tota valentia rei insuperabilis comparetur Regi, qui Titus. Iob 15.

præparatur ad prælium, qui non init certamen nisi post absoluta multa bellorum meditamenta. Quò spectans Vatablus ait: *Circũdabit eum angustia, instar regis parati ad bellum, quod est Chidor. Quidam existimant esse genus praludij.* Et forte ex Vatablo Regia apud Pinedam in præsenti, pro verbo *Chidor*, posuit *hastiludium*, quod Hispani vocãt *Torneo*; sunt nimirum militares ludi, quibus viri in festis pacificis omnia militaria pericula sine sanguine exercent; vt in vero certamine nullum impetum, nullum hostium assultum inexperti præsentiant. Vt de his validissimis dicat Titus: *Nos in pace armis exercemur, vt in bello casus belli dubios non sentiamus.* Sane sic roborant hominem hęc malorum præmeditamenta, quibus extra occasionem periculi exercetur, vt pene insuperabilis reddatur; quando postea periculaobuenient. Noui Iacobum pascẽdis ouibus assuetum, vbi fratri armato appropinquabat, in maximo fuisse timore, & metu. Et cur non timeat inermis pastor armatum, bellatorem? Sed ait textus Gen. 32. *Traductisque omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo, vsque mane.* Timebat Iacob diem, ne cum fratre congrederetur; & ecce ex Deo venit, qui cum illo nocte congrediatur, & luctetur. Bone Deus sic premis alumnum tuum? De Iosue dicitur cap. 5. *Cum esset Iosue in agro vrbis Iericho leuauit oculos, & vidit virum stantem cõtra se euaginatum tenentem gladium, perrexitq; ad eum, & ait, Noster es, an aduersariorum? Qui respondit, Nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio, &c.* Vterque erant solitarij in agro, Iacob, & Iosue; vterque expectabat hostiles congressus armatorum. At Iosue apparet ex Deo vir stricto gladio, qui illum in certamina ducat, & comitetur; Iacobo autẽ apparet vir, qui cũ eo luctetur, & tota nocte luctis exerceat. Cur Iosue venit auxiliator, & comes; Iacobo autem magis luctator venit? Sanè Iacob in maiori erat metu, & infirmitate, quã Iosue; & ideo illud ei datur, quo magis roboretur, nimirum quod in solitudine, & pace luctas agat, hostiles luctatoris impetus excipiat, & repellat. Id, quod supra omne externum auxilium hominem inexpugnabilem reddit, cum ad hostilem arenam peruenit. Adhæc D. Chrysost. hom. 58. in Gen. *Magna Domini misericordia, quoniam occursurus erat fratri, vt sciret re ipsa, quod nihil asperum laturus esset, in figura hominis luctari cum iusto voluit.* Tunc prorsus illi adimit malorum incursorum metus, & ostendit illi Dominus, fratris arma minimè pauẽda, quando illi in solitudine extra occasionem periculi existenti luctas obijcit, quibus se exerceat. Luctatur cum illo nocte Deus in solitudine, vt expertus luctarũ impetus, nil sibi mali timeat in arena. Proh Deus, quam nobiscum misericorditer agitur, si in pace luctis exercemur; si, cum sumus extra occasionẽ, nobis obijciat Deus discrima incursorum, impetus hostiles, cũ quibus in pace luctemur, vt de his præmeditamentis insuperabiles progrediamur ad vera bella, & sanguinolenta. Sanè infrà, vbi Abrahamus sciuit captũ Loth, volens eum liberare; *Numerauit expeditos vernaculos suos trecentos, & decem, & octo.* Hebraice legitur apud Caietanum: *Et armauit vsitatos suos.* Alij apud Lyppoman. *Et expediuit exercitatos adolescentes suos.* Et quidem Abrahamo nullum fuerat antea bellum; quomodo dicitur expedisse exercitatos, & vsitatos suos? Equidem sapientissimus vir præcauẽs pericula, quæ possent occurrere, sic suam regebat familiam, vt iuuenes in pace meditamenta haberent bellorum, & militares ludos, quibus exercebantur, vt in re periculi insuperabiles existerent. Quò spectans D. Chrysost. hom. de Arboris interd. dicebat: *Inimicus cito deuincitur, si qui dimicaturus est prælia meditetur.* Et Titus Imperator apud Egesip. lib. 3. cap. 24. inde extollebat Romanos supra Iudæos, fatus: *Illi nescium arma nisi in bello; nos in pace armis exercemur, vt in bello casus belli dubios non sentiamus.* Sic de experiẽtia pacifici certaminis in veris euadet triumphator.

Vatabl. Idem. Titus. Gen. 32. Iosue 5. D. Chrysſ. Hebraicè. D. Chrysſ. Tit. Impꝛ.

§. VI.

Timenda perditio est, si te inter delicias agentem hostes impetant.

NEc miror, quod Pẽtapolitæ Reges cadant coram hostibus, quos excipiunt in valle siluestri? Dicit enim: *Vallis siluestris habebat puteos multos vituminis. Itaque Rex Sodomorum, & Rex Gomorrhæorum terga verterunt, & ceciderunt ibi.* Erat vallis siluestris in subvrbijs Sodomæ, vt placet Saliano nostro, & vocem *Siluestrẽ*, Theodotion interpretatur *amena nemora.* Vt videas Pentapolitarum ignauiam, qua excepturi hostes crudelissimos, in amœnis hortis, & memoribus subvrbij sui morantur, nec extra delicias suas pedem mouent. Cur nõ cadant ibi percussi ab hostibus? Crede mihi, tunc

Saliañ. Theod.

hi tunc tibi maxime timenda ruina est, cũ inter delicias tuas te impetit hostis. Iob cap. 15. de impio locutus ait: *Terrebit eum tribulatio,& angustia vallabit eum,sicut regẽ, qui præparatur ad prælium.* Sto a lectione Tygurinæ dicẽtis: *Angustia,& circumvallatio eum circumstant, vt regem confertis globis prælaturum.* Vbi Tigurina legit *globis*, Regia iuxta nostrum Pinedam ponit *hastiludijs*. Sic enim inuadent mala impium, vt regem agentem in hastiludijs inuadunt hostes, quod non potest fieri sine ingenti ruina. Quis enim non timeat regi existenti in ludis,& festis,& amænitatibus; cum hostes in illum irruunt? Et quis non timeat sibi ab hostibus, si tunc impetant, cum ipse sit inter delicias? Ait Egesippus lib. 3. cap. 5. de expugnatione Antiochiæ Syriæ locũtus: *Cum ludi scænici in ea celebrarẽtur vrbe, ferunt quendam authorem mimorum eleuatis oculis ad montem, Persas vidisse aduenientes, & cõtinuo dixisse; Aut somniũ video, aut magnum periculum: Ecce Persæ.* Et meritò magnum periculum putauit, quod hostes irruerent in populum agentem in ludis. Ægrè etiam homo dum in ludis,& delicijs est impetum inimicorum sustinet. Achab ab ingenti Syrorum exercitu impugnabatur 3. Reg. 20. tamen de sententia Dei ducentos viros Principes in Syros emittit, de quibus ait textus: *Egressi sunt meridie. Benadab autem bibebat temulentus in vmbraculo suo,& reges trigintà duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant.* Ecce tibi ad Regem, qui munitus erat auxiliaribus copijs trigintà duorũ regum, mittuntur ducenti viri. Cur tam pauci in tot, tam validosque reges mittuntur? Erant reges Syrij in vmbraculorum delicijs, in conuiuijs festiuissimis; ideò meritò putantur fore, vt vel sub paucorum hostiũ cadant impetu. Ait Iosephus lib. 8. de Ant. cap. 8. *Accitis igitur principum filijs, qui triginta duo erant suprà ducentos, cognito quod Syrus ad epulas,& luxum se dedisse, patefactis repente portis emittit iuuenes. At illi repentino impetu in Syros delati facile eos profligant, &c.* Nullum non perdit hostis, si tunc inuadat, quando inuadendi agunt in amænitatibus; in delicijs. Vt hinc Christianus discat, quã sibi in amœnissimis recreationum debeat cauere ab inimicis.

Iob 15.

Lect. Tig.

Egesipp.

Ioseph.

Gen. 14. Tulerunt autẽ omnẽ substantiã, Sodomorum, & Gomorrhæorum,& vniuersa,quæ ad cibum pertinent,&abierũt. Nec non,& Loth,& substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis. Et ecce vnus, qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo, qui habitabat in conuallè Mambre Amorrhæi fratris Escol,& fratris Aner, hi enim pepigerant fœdus cum Abram.

§. VII.

Mala vel bona accidentia iustis hominibus respondent his, quæ implent eorum populos.

NOn miror captiuatos,& spoliatos fuisse Pentapolitas ab hostibus; sed illud mirandum, quod textus loquẽs de eorum spoliatione, de captiuitate, nec verbũ proferat. Sic enim ait: *Tulerunt autem omnẽ substantiam Sodomorum, & Gomorrhæorum, & vniuersa, quæ ad cibum pertinent, & abierunt. Necnon & Loth,& substantiã eius, &c.* De Sodomitis solũ dicit ablatam esse substantiam, non explicat captiuatas esse personas, quæ sanè captiuatæ fuerunt, vt constat infra, petente Sodomorum rege ab Abrahamo personas redemptas. De Lotho autem explicat,& ipsum captiuatum,& bonis nudatum. Cur ergo explicãs Lothi captiuitatem, non similiter explicat captiuitatem Pentapolitarum? In Lothi captiuitate sufficienter explicata est captiuitas eorũ; quæ enim accidunt iustis pijsque hominibus respondere solent ijs, quæ accidunt populis eorum, quos ipsi colunt. Habes ex 3. Reg. 11. vt Ahias Propheta occurrerit Ieroboã pallio nouo indutus,& vt Ieroboãmum vidit: *Apprehendens Ahias pallium suum nouum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes,& c.* Hoc in pallio viri Prophetę factum est; longe aliter in tunica Iesu incõsutili; de qua Ioann. cap. 19. *Erat autem tunica insonsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem, Non scindamus eã, &c.* Non passus est Iesus tunicam scindi suam; sed id passus est Ahias Propheta videns suum pallium in duodecim partes scissum. Et cur, quod patitur Ahias non patitur Christus? An Iesus minorem patiendi habebat sitim, quam Ahias? Absit; sed in Iesu &

3. Reg. 11.

Ioann. 19.

lu & in Ahia signabatur, quid erat futurum in populo vtriusque: in Ahiæ scissuris, vt erat scindēdus populus eius Hebræus? in Ie lu, vt minime scindēdus erat populus Eccle siæ, quam copulabat sibi. Ait enim D. Cy-
D. Cypr. prian. lib. de Vnitat. Eccles. *Cum duodecim tribus Israel scinderentur; vestimentum suum Propheta Ahias discidit. At vero, quia Christi populus non potest scindi, tunica eius per totum textilis & cohærens, diuisa a possidentibus non est: sacramento vestis, & signi declarauit Ecclesiæ vnitatem.* Vt populus à Christo Domino collectus seruatutus erat vnitatem; sic nec in tunica Christi admissa est scisura. Ahiæ autē vestis scinditur, quia scindēdus erat populus ipsius. Sic enim mala, vel bona iustorum hominum accidentia respondere solent ijs, quæ eorum populos implēt. Fallar, nisi in iustorū hominum accidentibus clarissime pateant, quæ accidant eorū vrbibus. Ionas ingressus Niniuē eius euersionem amabat, euentum autem spectabat sub viridantibus folijs cucurbitæ, quæ in modum vmbraculi adaptauerat sibi. Sed vermis ascendens corrosit cucurbitam, folia exsiccata sunt, & Propheta ingemiscere cœpit amissionem sui tugurioli. Cui statim Deus cap. 3. *Tu doles super hederam, in qua tu non laborasti:: Ego non parcam Niniue ciuitati magnæ?* Quasi necessum esset, quod hedera Ionæ responderet ciuitati Niniue, vt nihil accideret Prophetæ tuguriolo, siue mali, siue boni, quod etiam ciuitati, in qua intrauerat, non accideret. Rem pulchrius
D. Ephr. exprimit ipse Dominus apud D. Ephræm inquiens: *Debes in vili, ac miseranda cucurbita, quasi per experientiam addiscere, quanta sit vis miserationum Dei. Tu parcis cucurbitæ, ego ciuitati. Tugurium tuum sit speculum ciuitatis.* Et quidem iusti hominis tuguriū speculū est, in quo relucet, & in quo videas, quidquid boni, vel mali venit eius ciuitati, in qua viuit. Conueniant hunc, qui velint scire, quæ mala, bona ve ciuitatibus, regnis sunt ventura. Accedant ad iustorum, religiosorūq; hominū tuguria, in illis quasi in speculis clarissimis omnia relucent. Sunt bona iustis? certum est, quòd implebūt bona illorum conciues. Sunt iustis mala? væ tibi regnum, væ tibi ciuitas; durissima iam tibi mala imminent. *Tugurium tuum sit speculum ciuitatis.* Malum, quod in viro iusto cernitur, mirum erit, si lethalius non appāret in Republica. Exemplo rem illustro: homo quidā febri maligna corripitur: accedit medicus, pulsum hominis tentat, digito linguam pertingit, & hæret dubius. Iubet infirmum discooperiri, & accensa lucerna pectusque, tergumque attentissimè lustrat; cernit tandem in extima cute minutissimas quasdam macululas nigras, nō maiores, quam puncta quædam indiuisibilia. Quid tunc? Desperat prorsus de infirmi salute. Sed cur maculæ illæ adeo minimæ tā tam desperationem gignunt? Equidem quā do in extima cute illæ maculæ apparent, clarè designāt, ingens, & irremadiabile malum latere intrinsecus. Sic in viris iustis, qui extra vulgus sunt, si mala vel minima apparent, clarissimè indicant lethalioribus perfundi intima Reipublicæ. Quanta enim necessum est, vt sint mala in multitudine, quæ vel possunt iustos viros pertingere?

§. VIII.

Concordiæ amatores ex solo auditu mala solent percipere.

CApto Lotho ab hostili agmine, res Abrahamo nuntiatur; ait enim: *Ecce vnus, qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mābre Amorræi fratris Escol, & fratris Aner, hi enim pepigerant fœdus cum Abram.* Et simul dicitur Lothi clades nuntiata Abrahamo, & simul numerantur hi, cum quibus Abrahamus erat fœderatus, & viuebat in pace. Et quid necessum erat meminisse in Abrahamo pacis fœdera, quando nuntium accipit de Lothi clade? Quia, vt notat Chrysost. Loth hostibus traditus discordiæ pœnas subibat; bene notatur concordia Abrahæ, dum illius cladem audit, vt sciatur differentia inter eos, qui concordiam vel oderunt, vel amant. Vt enim discordes in ipsis inueniuntur malis, sic concordes solo ex auditu solent noscere mala. Sic Dominus discipulis suis dicebat Matth. 24. *Audituri estis prælia, & opiniones præliorum. Videte, ne turbemini, &c.* Orig. legit: *Audietis prælia, & auditiones præliorum, &c.* Ecce tibi, non dicit, quia erunt in prælijs, nec quia præliorum strages videbunt, sed quod audient prælio rum rumores, non visu, sed auditione tantum prælia percipient. Et cur auditione tā tum? Filij pacis sunt, non miror, quod solo auditu prælia nouerint. Ait Orig. hom. 28. in Matth. *Ponamus audire quidem prælia esse, quando filij pacis à prælijs custodiunt oculos suos, vt non videant maligna: & quoniam non possum aspicere super labores, & dolores, audiunt de prælijs, qualis ciuitas pugnet aduersus*
Matt. 24.
Origen.

qua-

qualem ciuitatem, aut qualis gens, à quali expugnetur gente. Vt sunt filij pacis, & inter se cõcorditer, & pacifice viuunt; sic prælia, eorumque stragis minime vident, sed solum de illis audiunt. Et quidquid bellici laboris est, quidquid sæui doloris, non visu, neque vsu, sed auditione sola percipiũt. Hinc quando Angelus Domini stricto gladio Ægyptiorum percutiebat primogenitos, de
Sap. 18. Israelitis dicit Sapiens cap. 18. *Absconsè enim sacrificabant iusti pueri bonorum, & iustitiæ legem in concordia disposuerunt: similiter, & bona, & mala recepturos iustos, patri omniũ decantantes laudes. Resonabat autem inconueniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium, &c.* Ecce tibi iusti intra domos suas sacrificabant, & Deũ laudabant; interea durus debellator angelus Ægyptios miserè conficiebat, quorum vox, & lamenta ad aures perueniebat Israelitarum. Non videbant, sed tantùm audiebant interfectorum planctus. Ægyptij videbant cladem, & manum interfectoris experiebantur, quam multis persequebantur planctibus: Israelitæ solas audiebant voces. Et cur apud Ægyptios ipsa materia planctus versabatur, apud Israelitas solæ voces illorum audiebantur? De Israelitis dicit: *Iustitiæ legem in concordia disposuerunt;* meritò qui in pace, & concordia agunt, solas percipiunt voces calamitatum. Ait Hu-
Hug. Ca. go Car. *Dum Hebræi concorditer immolarent pascha, Ægyptij è contrario discorditer vllulabant, & clamabant propter mortem primogenitorum suorum.* Sic apud discordes animos erat materia, & vsus calamitatis; apud concordes autem tantum erat auditio illarum. Hinc Deus perditurus funditus Babylonẽ
Ierem. 51 clamabat Ierem. 51. *Egredimini de medio eius populus meus, vt saluet vnusquisque animam suam ab ira furoris Domini. Et ne forte molleſcat cor vestrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra, & veniet in anno auditio, & post hunc annũ auditio, & iniquitas in terra, & dominator super dominatorem.* Iubet Dominus, Israelitas exire de ciuitate Babylonis, antequam eius ruina, & perditio extrema veniat, de qua locutus ait: *Veniet in anno auditio*; quia nimirum post annum venturus erat exercitus Medorum, & expugnaturus Babylonẽ, Regemque, & Principes interfecturus. Et cur non magis dicit, veniet in anno exercitus Medus, & mors regis Babylonis, sed maluit dicere, *veniet in anno auditio?* Loquebatur tũc cũ pacificis seruis suis Israelitis, quos longè facit à Babylone, in qua quotidie discordiæ, & dissentiones erãt, alij partes Medorum imminẽtiũ, alij partes Persarũ agẽtes, vt ait noster Cornel. ibi. Respectu autem Israelitarum à dissidẽtibus separatorum, benè dicit, quod veniet auditio. Qui enim à discordibus separatur, non rem calamitatis & belli, sed auditionem solam sentiet. Miseri Babylonij dissidentes inter se passi sunt Medorum exercitum, viderunt & regem suum, & populum interfectum. Israelitæ autem pacifici solam auditionem tantæ cladis perceperunt.

Gen. 14. Quod cum audisset Abram, captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos vsque Dan. Et diuisis socijs irruit super eos nocte: percussitque eos & persecutus est vsque Hoba, & Phænicem, quę est ad læuam Damasci. Reduxitque omnem substantiam, & Loth fratrem suum cũ substãtia illius, mulieres quoque, & populum.

§ IX.

Cærnalis fortitudo temeritatem pudendam facit, spiritualis autem fortitudo cautelam gignit triumphalem.

CVm electis, & notis iuuenibus suis, & cum amicorum manu pergit Abrahamus aduersus Assyrios Sodomæ expugnatores, & inueniẽs eos apud Dan, *irruit super eos nocte.* Quod expeditos elegit, res erat fortitudinis; quod noctæ irruit, res apparet timoratæ cautelæ. Cur, bone, noctis quietem expectas, vt cum inopinatis confligas? An metuis fortitudini tuæ, & tuorum, ne forte aperto Marte, non possit vincere? Cur non magis adolescentum expertorum valentiæ cõfidis? Vnus erat Phi listheus, ille spurius, 1. Reg. 17. qui exprobabat agminibus Israel, prouocans singulos ad singulare certamen: *Procedebat vero mane, & vespere, & stabat quadraginta diebus.* *1. Reg. 17*

Non

Non tenebras noctis opperiebatur, sed ipsa in luce diei se solitarium exponebat aduersus Israelitarum agmina. Cur similiter Abrahamus electos suos in media luce nō producit in certamen aduersus Assyrios? An fortitudo Abrahamidum minor, quam fortitudo spurij illius? Non minor, sed spiritualior, sed diuinior; in spurio carnalis fortitudo temeritatem gignebat, qua periret: in Abrahamo spiritualis fortitudo metuentis cautelam adciscebat, quæ Dei æmulum triumphantem efficeret. Hinc S. Ennodius in Panegyr. commendabat valentiam Theodorici regis inquiens: *Nec viri fortis in te deest securitas, nec cautela metuentis. O geminam in vno Principe virtutum plenitudinem, quæ Deum designat authorem, quia nō habet inter homines, a quo videatur sumpsisse, quod exhibet.* Duæ virtutes sunt, quæ mortalem diuinæ valentiæ faciunt participem, si simul sint; nimirum, & fortitudinis securitas, & metuentis cautela. Fortia pectora res difficiles aggrediuntur, timida cauent sibi à periculis; diuinæ valentiæ æmulus hos duos affectus sic in se coniungat; vt quasi fortis secure, & alacriter omnia agrediatur difficilia; & quasi timidus caueat vt suspecta quæuis pericula. Ride fortitudinem, quę nihil cauet, nō enim stabit coram Deo. Validissimus, & potētissimus Philisthinorum exercitus erat in statione sua; aduersus quem tendens vnus Ionathas cū singulari armigero dicebat 1. Reg. 14. *Eccenos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos; Manete, donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint, Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris, hoc erit nobis signum.* Ita hoc signum præfixit Ionathas, per quod aperte videret validissimum exercitum a se facile expugnandum; si nimirum militares acies videntes ipsum Ionatam cum armigero vocarent eos ad se. Dicebat enim, vt ait Theodoret. quæst. 3. *Si ab hostibus quidem essent vocati in eos irruerent, tanquam Deo aperte opem ferente.* Sed vnde apertam Dei opem videbat aduersus validissimum exercitum, ex eo solum, quod hostes vocarent eos ad se? Quid habebat commune cum infirmitate, aut cum valētia hostis, quod tātus exercitus, & tam validus vocaret ad se duos milites, vel arceret? Sanè in eo, quod exercitus vel duos contrarios milites arceret, nec permitteret ad se in stationibus suis accedere; ostendebatur non solum securitas fortis in munimentis stationis, sed etiam metuentis cautela, quibus duobus munitum exercitum merito vinci posse Ionathas desperat. At in eo, quod vocarent eos ad se, & accessum facilem sine resistentia præberent, ostendebatur securitas fortis munimēti absque vllo prorsus metu, nec cautela, quæ nō fortitudo, sed præsumptio est, & temeritas inimica Deo. Aduersus quam sapientissime Ionathas Deum sibi propitium fore cōtendit. Illa sola fortitudo triumphat apud Deum, quæ cum securitate valentiæ, & alacritate habet etiam metuentis cautelam. Iudic. 6. Gedeonem sic salutat Angelus: *Dominus tecum virorum fortissime.* Et cōtinuo: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madiam.* Sic Gedeon à Deo ponitur in catalogo fortissimorum, cuius fortitudo detriūphatura sit Madianitas. Quid tunc Gedeon? Iussus est succidere Idolorū lucos, & taurum Deo immolare, tunc ipse: *Assumptis ergo Gedeon decem viris de seruis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, & homines illius ciuitatis, per diem noluit facere, sed omnia nocte compleuit.* Expende illa: *Timens domum patris sui per diem noluit facere*: diem cauit, noctem expectat, vt cū assumptis seruis lucos succidat, timebat enim homines Idololatras repugnaturos. Timet ergo ille, qui à Deo habebatur fortissimus, & cauit diei lucē. Et quomodo in fortissimo inuenitur timor? Crediderim ideo fortissimum haberi à Deo & in fortitudine egredi putari, quia in re periculi scit timentis cautelam assumere. Quod assumptis decem seruis solis aggressus est imperata perficere, rei fuit securitatis validissimæ; quod cauit diei lucem, vt idololatrarum resistentiam fugiat, cautela fuit metuentis, quibus diuinæ fortitudinis æmulatus est plenitudinem. Vt dicat Psal. 17. *Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meā. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & superexcelsa statuēs me. Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti vt arcum æreum brachia mea. Et dedisti mihi protectionem salutis.* Quid fortius ęre? Quid timidius ceruo? Sed qui virtute ex alto præcinguntur, vt triumphent, de ceruorum metu, & de æris valentia debent compingi. Quasi ærei sint, indi ficultates prosiliant, & quasi cerui, timentium cautelam assumant. Hæc est virtutis plenitudo, qua principes sapiētes æmulātur diuinā fortitudinē. Fortissimus enim saluator, qui ad certamē passionis festinabat, vt cū aereis potestatibus cōfligeret, simul clamat in horto: *Pater si possibile est trāseat a me calix iste.* Noluit enim timētiū cautelā obliuisci, quādo est in fortitudine sua de hostibus triūphaturus.

S. Ennod.

1. Re. 14.

Theodor.

Iudic 6.

Psal. 17.

§. X.

§. X.

De solius Dei potestate venit, quod de numeratis nullus deficiat.

NOn cõfuse, sed numeratis, distinctisq; socijs in certamen Abrahamus accingitur; ait enim text. *Numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo &c.* Circa quæ non otiosa est D. Chrysostomi quæstio apud Lyppoman. inquiens: *Quare numerauit trecentos & decem & octo vernaculos, dicet quis. Quare non simpliciter omnes accepit, & vernaculos, & qui cum Loth nati erant?* Potuit equidem Abrahamus nullo præmisso censu non paruam manum seruorum assumere, & cum omnibus proficisci. Sed maluit socios numerare prius, & non nisi cum selectis, & numeratis ire: cur ergo non nisi cum numeratis iuit? Vt seruatis omnibus ostenderetur res esse halitus diuini, de solo enim Deo venit, quod de numeratis deficiat nullus. Hinc à Philone introducitur Melchisedech miratus saluis omnibus redeuntem, ait enim: *Abrahamum redeuntem conspicatus ille magnus Pontifex, reducentemque suos omnes ad vnum incolumes, & victores, attonitus tanti facinoris magnitudine, & id, quod verum erat cogitans, præsentem ei opem diuinam adfuisse, &c.* Meritò non dubitat Melchisedechus de assistentia Dei Abrahamo præstita; vbi videt illum reducentem omnes suos ad vnum incolumes. Solus enim Deus est, qui numeratos sic seruat, vt non pereat vnus de numero. De Iesu ait Lucas cap. 6. *Cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos, & Apostolos nominauit.* Sic collegij sui Apostolici numerum designauit Iesus. At Matth. 26. de prodituro locutus dicit: *Tunc abyit vnus de duodecim, &c.* Ergo mancus permansit electorum numerus abeunte vno in locum suum? Absit: sapienter enim dicit D. Philipphus Abb. lib. de salute primi hominis cap. 10. *Adeo autem Christus secum voluit esse duodecim, vt nec Iudas posset efficere, vt tantum essent vndecim, sed eo corruente in præcipitium, sua tamen perfectio seruauit duodenarium.* Est hoc diuinitatis proprissimum, vt assignatus numerus per nullam malorum ingruentium violentiam deficiat. Non creatura, sed Deus indefectibiliter seruat numeratos suos. Peccauit Dauid adulterio, peccauit homicidio; sed peccati pœnam in propria persona experitur. Dicit enim Dominus 2. Reg. 12. *Ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, &c.* Iterum Dauid peccat numerando populum suum, & numeratorum cathalogo gloriatur; propter quod Deus pestem populo immisit supra cap. 24. *Et mortui sunt ex populo Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorum.* Ecce tibi supra peccat Dauid, & ipse luit pœnas populo manente integro: hîc peccat Dauid, & pœnas luit populus, sublatis septuaginta millibus. Cur modo non Dauid in propria persona, sed populus castigatur? Respondet pœna peccato, & quando peccat Dauid numerando populum, gloriatus de numeratis suis; meritò tot millia numeratorum iubentur à Deo perire, vt scias, quam vanum est, quod sis in numero apud creaturas. Non enim creatura, sed Deus potest indefectibiles seruare numeratos suos. Hinc Luc. 15. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, non ne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, &c.* Non sanè humani est vsus, sed diuini, quod relictis nonaginta ouibus curratur ad vnam. Deus est, vt bene notat Chrysol. qui vnam de centum requisiuit ouem. Et cur vnam? Cur non magis quatuor requirendas proposuit? Pulchrè ait Chrysolog. serm. 168. *Quare non quatuor, quare non quinque, sed vnam? Vt ostenderet non ex damno fuisse, sed ex numero plus dolorem. Namque amissio vnius tantum dissipauerat centenarium numerum::: Ideo relictis nonaginta nouem vnam sequitur, vt redintegraret omnes in vna.* Sanè hæc est cura, & valentia Dei, quod nullum de numeratis amittat; quod selectus semel semper sit integer numerus.

Lyppom. Philo. Luc. 6. Matt. 26. Phil. Ab. 2. Re. 12. Idē c. 24. Luc. 15. Chrysol.

§. XI.

In eo est victrix fortitudo, quod rem aggrediaris toto animi conatu.

VBi noster dicit: *Numerauit expeditos*, ait D. Amb. *Quid est numerauit, nisi elegit?* Quos enim præstantes habebat in fami- D. Amb.

familia hos sibi adciscit, & a turba seligit sibi socios, vt omnibus sibi pretiosis, & magis æstimabilibus adiunctis integro animo pergat, & fortiter certamen conficiat. Quo
Philo. spectãs aiebat Philo: *Itaq; magna cõtentione properauit, nunquam remittens celeritatem, donec potitus occasione, noctu superuenit hostibus iam sumpta cœna ad somnum se componentibus, in quos irruens alios trucidauit in cubilibus, alios resistere conatos fugauit, atque ita omnes deuicit, non tam armorum apparatu, quam virtute animi.* Itaque non ab armorum apparatu, sed ab animi virtute venit fortitudo, qua Abrahamus hostes deuicit. Et in quo consistit hæc animi fortitudo? Crediderim inde coalescere animi fortitudinem victricem, quod quis non partito, sed toto, & integro animo rem aggrediatur. Sic lex de
Deut. 20. bellatoribus cauebat Deuth. 20. *Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? Vadat, & reuertatur in domum suã, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eã. Quis est homo, qui plantauit vineam, & necdũ fecit eam esse comunem, de qua vesci omnibus liceat? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio. Quis est homo, qui despondit vxorem, & non accepit eam? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam.* Ecce tibi lex bellatorum excludit ab exercitu eũ, qui vel domum ædificauit, vel vineam plantauit, vel despondit vxorem, necdum tamen horum fructibus est potitus. Et cur legislator tanta cura dictos homines ab exercitu suo ex-
Philo. cludit? Pulchrè ait Philo lib. de Fortitud. *Altera causa est, ne præsentes corpore in exercitu, absint animo. Necesse est enim mẽte illo tẽdere, quo desiderio trahitur. Nam quemadmodũ esurientes ad conspectum cibum accurrunt, ad eundem modum, quicumque vxorem, aut domum, aut prædium parauerunt, egreferunt speratum fructum intercipi sibi: vt quamuis versentur inter socios: meliore tamen sui parte absint animo, quo solo res fortiter geritur.* Equidem in quibus necessum est animum diuidi; necessum est, vt desit illis fortitudido, qua hostes superent. Ineptos puta victoriæ, & triumpho eos, qui ad certamen non accedunt mente integra, sed partem eius relinquunt tradeam alijs curis. Fortissimus ille Sanson post semel, & bis delusam Dalidam in ostendẽda radice fortitudinis, ter
Iudic 16. tio ait Iudic. 16. *Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, & clauum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.* Nec nunc prodit fortitudinis radicem, sed continuo prodibit. Fallar enim nisi iam cadat in retia, & omnia prodat, vt reddatur vere infirmus. Et ratio est, quia fortitudo erat in eo, quod omnes suos crines Deo dicauerat ab adolescentia sua, modo autem iam diuidit inter crines, & illorum partem, nempe septem amasiæ prodit, vnde fieri nequit quod maneat fortis, qui partitis crinibus non ex toto incumbit operi diuino. Ad hæc alibi datus Ioachimus Abbas inquit:
Ioac. Ab. *Iam fortiter agere non poterit, quia veluti læsis crinibus ex parte, & non ex toto spiritus assistit.* Fortitudinem ablegat, quisquis diuiso animo, operi incumbit diuino. Ex quo mẽtem partitur, infirmus est, & inualidus ad obtinendos triumphos.

Cen. 14. Egressus est autẽ Rex Sodomorum in occursum eius postquã reuersus est a cæde Chodorlahômor, & regum, qui cum eo erant in valle Saue, quæ est vallis regis. At vero Melchisedech rex Salem proferens panẽ, & vinum, (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cœlum, & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.

§. XII.

Dei vmbra, vel in viliſsimis valentias mundi ſibi proſternit.

QVis tale vidit? Rex Sodomorum fastuosissimus non dubitat obuiam ire peregrino. Sic enim ait: *Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum eius, postquam reuersus est a cæde Chodorlahomor.* Dauid audita victoria exercitus sui, qua sibi restitui nouit regnum, vt victoribus gratificaret, in portæ limine posuit suas sedes. Dicit enim 2. Reg. 19. *Surrexit ergo rex, & sedit in porta; & omni populo nuntiatum est, quod sederet rex in porta: venitq; vniuersa multitudo coram rege.* Itaque in 2. Re. 19.

porta

porta expectat victorioſum exercitum, Rex autem Sodomæ mauult obuiam ire Abrahamo humili, & peregrino homini. Et cur rex Sodomę adeò ſe dimittit priuato homini, vt illi procedat obuiã, quod minimè reges facere ſolẽt? Nouit in Abrahamo Dei adiutorium, & in quo vel vmbra Dei apparet, non miror, quod ſibi ſternat valentias
D. Chryſ. orbis. Ait D. Chryſoſt. apud Lyppom. *Attende, quanta ſit virtus aliquem diuino frui adiutorio. Rex peregrino, & ſeni in occurſum egreditur, & omnem honorem impendit. Iam enim didicerat, quod nihil potentius ſit eo, qui manu Dei adiuuatur.* Subduntur reges, & proſternuntur ſuperbiſſimo Principes ei, in quo vel vmbram Dei eſſe perſpiciunt. Non ne Nabuchdonoſor, & potentiſſimus, & ſuperbiſſimus erat? Huic tamen diuinitus imbutus Daniel ignotas tegnorum vices reuelat. Quid tũc? Dan. 2. *Tunc rex Nabuchdonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielẽ adorauit, & hoſtias, & incenſum præcepit, vt ſacrificarent ei.* Rem miratus Porphirius negat id potuiſſe accidere, quod rex ſuperbiſſimus ſic ſe ad captiui Danielis pedes deijceret, & eum adoraret. Cui os obtrudens D.
D. Hier. Hieron. ait: *Nabuchodonoſor non tam Danielem, quam in Daniele adorat Deum, qui myſteria reuelauit.* Agnouit rex in myſterijs à Daniele dictis Deum illi neceſſario aſtitiſſe, & vbi apparuit vel veſtigium Dei, non mirũ eſt, quod ſuperbiſſimi reges ſe ſubſternant, vel captiuo. Ex quo ſapienter
Theod. Theodor. ibi fatur: *Conſidera autem quãtum ſit arrogantem illum inſaniæ morbo correptum, qui etiam ſe Deum eſſe exiſtimauerat, qui omnes homines in ſuam ditionem redegerat, eo adductum eſſe, vt captiuũ adoret Iudæum, in mãcipiorum ordinem redactum, ſibique perſuadeat per ipſum, ipſius Deum adorare.* Magnum ſane hoc, ſed quod ſępe facit vel vmbra Dei apparens in ſeruis ſuis. Quis princeps ſeruili homini humilis non adſit, ſi in illo virtutem diuinam relucere videat? Ipſe barbariſſimus Nabuchodonoſor tres pueros Hebræos in fornacem flammantem coniecit, vt ibi redigerentur in cinerem. At vbi illos inibi audit lætos, & liberos, & inter flammas deambulãtes aſſociatos filio Dei; thronum dimittit, fornaci appropinquat, in oſ-
Dan. 3. tioque illius poſito clamat Dan. 3. *Sidrach, Miſſach, & Abdenago ſerui Dei excelſi, egredimini, & venite.* Vnde tam manſuetus, & humilis rex feraliſſimus, & ſuperbiſſimus deprecatur damnatos ſuos? Sane in eorum ſalute non potuit non videre manum diui-
Theod. nam, cui ſe ſubmittit. Theodor. ſerm. 10. de Prouid. *Vt enim rex tres pueros, qui edictum regium non impleuerant, horrendum illum ignem contemnere, & ſuper prunas ardentes quaſi ſuper roſas incedere, ac tali flamma circumdatos Deum laudibus celebrare vidit, miraculo quidem obſtupeſcit, percuſſus autem miraculi authorem extimeſcit. Omnibus vero imperat, vt horum Deum adoreni. Sic non per angelos ſummus ille Deus caſtigauit, vt ſaperet, ſed per eos, qui ab ipſo captiui duĉti fuerant.* Expende ab illis, *Non per angelos, &c.* Et contpone angelum in flamma rubi apparentem, & loExod. 3. quentem cum Moyſe, Exod. 3. & tres captiuos, & pauperes pueros in fornacis flammis apparentes Dei filio aſſociatos, vt Babyloniũ tyrannum proſtrarent. Illic vt Moyſes caperetur, datur angelus loquens de medio flãmæ, hic vt ſuperbiſſimus rex deijceretur, tres captiui pueruli ponuntur inflammis: Cur nõ magis regi obijcitur Angelus? Cur non Angelus, ſed captiui, & pauperes pueri? Erant hi mirabiles in virtute diuina, qua flammas ſuperabant, & vbi tãta Dei virtus apparuit, vel puerulus pauper, & captiuus ſufficit, vt ſuperbiſſimos quoſque reges proſternat, & trahat. Nec miror, quod virtus Dei in captiuo ſic rapiat potentes tyrannos, quando & totã regiam ferociã imbelluis valet domare. Iuſſu Darij conijcitur Daniel in lacum leonum, vbi inter famelicas belluas nocte integra iacuit, vt ipſe fatetur Dan. 6. *Non nocuerunt mihi.* Et vnde accidit, quod famelici leones prędæ adblandiantur? Ait Theodor. ſerm. 8. de Prouid. *Hos quoque pietatis radius terruit, ac diuinæ imaginis lineamentis, ſeu frænis quibuſdam rabida illorum ora conſtrinxit.* Sic Dei imago in ſuis ſeruis elucens valet, & regias, & feraliſſimas feras ſubſternere.

Dan. 6.

Theod.

§. XIII.

Lauta conuiuia regibus fatalia.

CVr rex occurens homini pleno inimĩcorum ſpolijs, pleno cibarijs copioſiſſimis, & delicatiſſimis, quæ hoſtes de Sodomis ſumpſerant, dixerat enim ſupra: *Tulerunt omnem ſubſtantiam Sodomorum, & vniuerſa, quæ ad cibum pertinent.* Quę omnimodo in Abrahami venerant poteſtatem. Cur ergo tot pretioſis cibarijs homini pleno Melchiſedechus occurrit proferens panem, & vinum? De religioſa Iudith audio, quod progrediens ad Aſſyriorum ducem Holofernẽ ca. 10. *Impoſuit Abræ ſuæ aſcopã* Iudith 10.

vini:: & panes, & caseum, vt sibi bonæ Israelitæ frugi edere apud delicioſum principem liceret. An eo etiam respexit frugaliſſimus Rex Melchisedech? Equidem qui rex iuſtus occurrebat priuato homini cibis Sodomiticis pleno, meritò suæ cauens frugalitati, sibi panem, & vinum reponebat, sciens lauta conuiuia, & splendida fatalia esse regibus. Sic Dominus minitans Babyloni vastitatem, quam intulit Cyrus Baltha sarem, & Principes in conuiuio interficiēs

Ierem. 51 Dan. 6. ait per Ierem. cap. 51. *Erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor, & sybilus, eo quod non sit habitator:: In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, vt sopiantur, & dormiant somnum suum sempiternum, & non consurgant, dicit Dominus.* Ecce tibi, quid Babylonio potentiſsimo regum minetur Dominus ad eius vastitatem, nimirum. *In calore eorum ponam potus eorum*: non ait, ponam validiſsimos exercitus iuſta muros eorum; non ait, immittam feraliſsimos leones: hoc vnum minatur, quod mensam illis ponat, lautiſsimaque fercula ibi miniſtret, quibus potationum ferueat opus, & ipsi incalesiant in potu, & inebrientur, & dormiant somnum sempiternum, de quo non resurgant. Sic Principes epulones, & ebrios semper expectat sempiternus somnus, de quo resurgere minime possint. Inſtantes Romanorum hostes depingens Ege

Egesipp. sipp. lib. 4. cap. 31. ait: *Interea Vitellius Imperator epulabatur, ne amitteret moriturus prædium, & redundantioribus mensæ sibi vltimæ dapibus refertiebatur. Obruebat se vini poculis frequentioribus, vt sensum amitteret futuri periculi; rapitur è conuiuio, insultatur morituro, inferuntur iniuriæ, quas ebrius non sentiebat. In media perimitur vrbe; vina simul, & sanguinem fundens, & eructans crapulam, qui si diu vixisset, luxuriæ sumptibus, & pretio mensarum Romani Imperij opes obliguriſſet. Denique octo mensibus, & quinque diebus imperitauit.* Non potuerunt non cito conficere imperium mensæ epulonis principis. Quando enim lautas regum epulonum mensas non sequantur lethalia spi-

Isai. 21. cula pennatiſsima? Isaias cap. 21. *Pone mensam, contemplare in specula: comedentes, & bibentes surgite principes, arripite clypeum.* Cur non magis arripiant gladium? Qui mensis lautis incumbunt principes, non alios ferient; sed ipsi in se extremam sustinebunt ruinam. Vt de Atila cantatiſsimo Rege Gothorum di-

Iord. Ep. cat ex Prisco Iordanus Episcop. Rabbenæ, in lib. de historia Geti. *Puellam Ildico nomine decoram valde, sibi in matrimonium post innumerabiles vxores associauit; eiusque in nuptijs magna hilaritate resolutus, vino somnoque grauatus resupinus iacebat, redundansque sanguis, qui ei solito de naribus effluebat, dum consuetis meatibus impeditur, itinere feruli faucibus illapsus eum extinxit. Ita glorioso per bella regi remulentia pudendum exitum dedit.* Sic sunt lauta conuiuia fatalia regibus.

§. XIIII.

Calix Eucharistiæ necessarius, vt emollita humana duritie nos arctius Deo coniungat.

STo à communi, & certa Patrum sententia, qui in pane, & vino Melchisedechi odorantur Christianum sacrificium Eucharistiæ. Dicit namque: *At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, &c.* Non equidem rex, & sacerdos victoritanto, tot cibarijs pleno proferret panem, & vinum ad prophanum conuiuium, sed ad rem sacrificij, quo apertiſsimè adumbrabatur Christianorum mensa Eucharistica. In hac enim datur Christus edendus sub specie panis, & sub specie vini. Sed cur necessum fuit dari Christum sub specie vini? Dediſſet se nobis Deus esculentum, cur & poculentum? Nonne in esu panis totus substantialiter dabatur; cur necessum fuit addere potum? In nutritione corporali datur cibus, comedendus, de cuius substantia per additionem nouarum partium accretio animalis fit; sed & præter cibum, adhuc necessarius est potus, inter alia ob hoc præcipue, vt partes præexistentes in animali duræ potu rigentur, & emolliantur, vt sic facilius superuenientes ex cibo partes recipiant, sibique arctius vniāt. Exemplum rem manifestat in constructione parietis ex sectis lapidibus. Tunc si calx immittatur lapidibus aridis, & siccis, quasi in se ipsam voluta non se illis intime vnit. Quid tunc? Rigantur aqua lapides, qua humectā tur, & molleſcunt, & sic arctius calcem retinent, & sese vniunt. Hoc exēplo vsus est sapiētiſsimus quidā medicus in relectione pro obtinenda Cathedra vespertina, explica-

plicabat necessitatem potus in animali, vt nimirum partes eius duræ molleſcerent rigatæ, & sic tenacius reciperent, & facilius partes aduenientes ex cibo. Ex quo etiam patet necessitas potus Eucharistici in sanguine diuino etiam post sacræ carnis cibũ: vt sunt enim cordibus nostris duritiei quedam, quæ diuinis fauoribus obstant aliquo modo, ne perfectè Deo vniamur, sic proprius effectus diuinissimi potus eò tendit, vt duritiei illæ tollantur, & arctius vniamur diuinis. Hinc Exod. 12. dum iubemur edere carnes agni, iubemur abstinere à sanguine. *Et sument de sanguine eius, & ponẽt ſuper vtrumq; poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* Agnus assus comedendus erat, at sanguis effundendus, vt vngerentur postes domus. Verum Ioan. 6. dicit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* In veteris agni conuiuio, iubebamur edere carnes, sed non iubebamur sanguinem potare, sed illum effundere. In conuiuio Christi iubemur, & carnes manducare, & sanguinem potare. Et cur in veteribus non permittebatur potus sanguinis, in nouo autem testamento simul cũ cibo carnis mandatur potus diuinissimi sanguinis? Rationem indicant illa verba, *in me manet, & ego in illo*, quibus perfectissima vnio manducantis cum cibo explicatur. Per veteta enim sacrificia nõ dabatur perfectio vnionis, & ideo non requirebatur potus in manducante animalium carnes. Per Eucharisticum autem conuiuium, vt perfecta vnio hominis cum Deo prætendi tur, sic requiritur potus in manducante, vt riget, & emolliat durities animi, quo facilius ad perfectam vnionem transeat. Ait luculentissimè D. Cyprian. serm. de Cœna Domini, fatus: *Bibimus autem de ſanguine Chriſti eo iubente, vitæ æternæ cum ipſo participes, animalis vitæ peccata, quaſi ſanguinem impurum horrentes, & fatentes nos per peccati gustum damnatos, niſi nos Chriſti clementia ad ſocietatem vitæ æternæ ſanguine ſuo reduxiſſet. Nobis itaq; ipſe Chriſtus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit, vt non tantum exterius hoc ſanguine liniremur, ſed interius aſperſione omnipotenti animâ muniremur, & penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quidquid eſſet intus ibi durum effugaret.* Quid sapientius? Expende illud, *ibi durum effugaret*: quippe vt potus in animali rigat duras corporis partes, vt emolliat ad perfectiorem vnionem præstandam: sic propriſsimus effectus huius diuiniſsimi potus est duritiei animorum nostrorum mollire, vt Christi corpori perfectius vniamur. Exod. 32. *Moyſes arripiens vitulum, quem fecerant, combuſit, & comminuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael.* Cur potum ex eo dedit? Ait Nazianzen. orat. de Pasch. *In aquam in duritiei illius probrum ſparſum eſt.* Equidem dedit potum, vt exprobraret populi duritiem, quæ non nisi potatibus emolliri posset. Sic nobis sit potus sanguis Eucharisticus, vt duritiem nostram tollat.

§. XV.

Eucharistiæ epulum nos filios Dei facit.

NEc prætereũdum est, quod tanti epuli conuiua Melchisedech sine patre, & sine matre, & sine genealogia introducatur, dum ait: *At vero Melchiſedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, &c.* Quo spectans D. Paul. ad Hebræos cap. 7. ait: *Hic enim Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi: : : ſine patre, & ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque vitæ finem habens, aſſimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.* Itaque dum Melchisedech introducitur sine patre, & sine matre filio Dei assimilatus, simul introducitur Sacerdos Dei offerens panem, & vinum. Et cur proferens panem, & vinum sanctificatum sic sine patre introducitur terreno, quasi esset filius Dei, nisi vt ostẽdatur, qualiter per Eucharistiæ epulum cooptamur inter filios Dei? Sane ex quo, diuinis epulis Eucharistiæ vesceris, genealogiam abiuras terrenã, & te asseris filiũ Dei. Gen. 18. tres viri apparuerunt Abrahæ, ipse vnum adorauit, qui Dei filius erat; iuxta communem patrum sensum; cui mensam apponit, buccellam panis porrigit, & ipse in domo Abrahæ comedit panem. Ait enim: *Cumque comediſſent, dixerunt ad eum.* Sed cur tantus Dominus sic se deiecit, vt apud Abrahæ hospitium panem comederet? Pulchrè ait Tertullian. lib. de Trinitat. *Quod erat futurus meditabatur in Sacramento Abrahæ factus hoſpes apud Abrahæ filios futurus.* Futurus Deus inter Abrahæ filios, vnus ex illis meritò prius Abrahæ mensæ accumbit; de mensa enim illius facilè veniet numerandus inter filios. Sic in Sacramento Christi, meditamur, quod

Exod. 12

Ioann. 6.

D. Cypr.

Exod. 32.

Nazianz.

Ad Heb. 7.

Tertull.

simus futuri, necessum est enim quod de participatione digna mensæ diuinæ numeremur inter Dei filios. Aiebat Nathan ad Dauid 2. Reg. 12. *Pauper nihil habebat omnino præter ouem vnam paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cũ filijs eius, simul de pane illius comedens, & de calice bibens; & in sinu illius dormiens: eratq; illi sicut filia.* Ecce tibi vnde putat ouem haberi ab homine illo quasi filiam, nimirum, quia de pane illius comedebat, & de calice bibebat, quasi nesciat quis, non transire in filium eius, cuius panem edit, & calicem bibit. Proh fœlices quiculas Christi! Iam vos æstimem nõ hominis, non creaturę alicuius filias, sed summi Dei; quando illius pane vescimini, & calicem bibitis. Quo spectans Paschas. lib. de corpor. & sang. Christi cap. 1. ait: *Ad hoc ergo Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, vt per Deum Verbum caro factum, caro proficeret in Deum. Quæ nimirum caro Verbi sit esca in hoc mysterio cibusque fidelium, dum vero creditur esse caro pro mundi vita, vt & nos per eam transformemur in Christo.* Itaque ad hoc nutrimur cœlesti cibo, vt transformati in Christum, iam non habeamur serui, sed filij.

2. Reg. 12.

Paschas.

§. XVI.

Non mediocribus, non infimis hæreat, sed sublimibus, qui mensæ diuinæ particeps fit.

DEum Melchisedech profert panem, & vinum notanter dicitur sacerdos *altissimi*; quippe ait: *At vero Melchisedech rex Salem proferẽs panem, & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.* Quando enim agni, & vituli Deo litabantur etiam à sanctis, vnde habuit hic, quod panem, & vinum offerret? Rationem insinuant illa verba: *Erat enim sacerdos Dei altissimi*; non colebat Deũ vtcũque, sed altissima eius sola respiciens, quo meruit tanti vmbram præsentire mysterij. Non enim qui infima hæc, sed qui altissima sapit, digne sub tanti epuli Euchari stici requiescit vmbra. Ait Stephanus Aduensis Episcop. lib. de Sacram. altaris cap. 17. *Melchisedech in sublimi cor suum posuit, & ideo meruit præuoscere, & in sacrificij figura panem, & vinum offerre.* Non infimis, nõ mediocribus, sed sublimibus, sed altissimis Dei bonis cor suum tradiderat, & famulatum Melchisedech, quo meruit in pane, & vino adumbrare sacramẽta Dominici sanguinis, & corporis. Sic qui de hac mensa saturari cupiat, ad alta respiciat, caduca hæc, & infima cõculcet. Isaias cap. 33. *Qui ambulat in iustitijs; & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum. Iste in excelsis habitauit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, &c.* Iustinus in Typhone, Cyril. & Procop. hic panem hunc meditatur esse Eucharisticum cibum, qui datus est fidelibus. Sed maximè expendendum est, qualis sit, cui hic panis detur; nimirum qui excluſa omni infimarum rerum fæce in excelsis habitat, sublimiaque teneat. Tunc enim cum ab spurcitia terrena abluetus alta petas, sublimia spectes, aptus es, vt tibi fructuosè panis substãtialis detur. Perdit Eucharistiæ fructum, qui in eo summendo non sublimia, sed terrena spectet. Gen. 2. cauet Deus: *De ligno scientiæ boni, & mali, ne comedatis. In quocumque enim die comederitis, morte moriemini.* Et sic factum est, vna cũ cibo edito mortales apparuerunt. At Ioan. 6. sic loquitur Dominus: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Manducamus tamen, & non statim immortales apparemus. Et quando in esu pomi vetiti statim iuxta Dei sententiam vita hæc nostra circinata fuit, & morti apparuit exposita; cur in esu salutiferi panis non etiam statim vita hæc præsens dilatata fuit in æternum? Cur immortalitatis promissio differtur in Eucharistia; mortis autem sententia in esu vetito statim exhibita peribetur? Pulchrè hanc rem definit Algerius lib. de sacram. cap. 6. *Vitam æternam distulit, vt maiori etiam merito, maioríque fructu hunc cibum reciperemus; quia pro certo nisi ita esset, ad fidẽ Christi omnes conuolarent tãtummodo propter præsentis vitæ æternitatem; & futuræ gloriæ Christi maius amitterent lucrum.* Cauit profecto Dominus, ne de præsentis vitæ infimis aliquid in perceptione cœlestis cibi spectaremus, ne maiora illius bona amitteremus. Si enim ex mensa diuina homines caperent æternitatem vitæ terrenæ; omnes propter terrenam hanc æternitatem ad viuificam euolarent mensam, & futuræ gloriæ maius lucrum amitterent, quod datur illis, qui alta, & sublimia petẽtes ad Eucharistiam accedunt. Aiebat enim Isaias cap. 65. *Hæc dicit Dominus Deus; Ecce serui mei comedent, & vos esurietis, &c.* Vbi D. Cyril. Alexand. ait: *Deliciabuntur vere supernis benedictionibus saginantes corda, & acceden-*

Steph. Aduens.

Iustin. Cyrill. Procop.

Genes. 2.

Ioann. 6.

Alger.

Isai. 65.

Cyr. Alex.

cedentes ad viuificam mensam seruatoris Christi, panem vitæ edentes, & diuinum potum bibentes, vnde fiant superæ voluptatis participes. Ecce tibi vt nihil infimum in Eucharistia spectari conceditur, sed omne supremum. Benedictio enim illic superna, & voluptas superna.

§. XVII.

De Maria venit, quod nos in Eucharistia verè ditat.

TAntus sacerdos Dei Melchisedech sine patris, matrisve mentione introducitur. Solum enim dicit: *At vero Melchisedech rex Salem proferens panem, & vinũ, &c.* Quod non desinit ponderare Paulus ad Hebr. 7. fatus: *Hic enim Melchisedech rex Salem sacerdos Dei summi :: sine patre, & sine matre, & sine genealogia, &c.* Et quidem verus sacerdos Iesus, qui per Melchisedech repręsentabatur, non fuit sine patre, & matre, nec sine genealogia. Habes enim eius terrenam genealogiam cum Maria matre Matth. 1. & æternam genealogiam ex patre, Ioan. 1. Quando ergo Iesus habuit in terris matrem Mariam cum genealogia; cur necessum fuit introduci Melchisedechum, sine patre, & matre offerentem panem, & vinum? Iesus habẽs in cœlis patrem, in terris matrem obtulit panem, & vinum in quà nocte tradebatur; cur Melchisedech sine patre, & matre introducitur proferens vinum, & panem? Iesus in viuifico Eucharistiæ pane carnem suam veram, & sanguinem dabat, qui vt erat verus sanguis, & caro vera, caro vehiebat à vera matre Maria, vt homines saciaret, ditaret. Melchisedech non Christi substantiam, sed vmbrã, sed figurã in suo pane dabat, in quo, vt nihil erat, quod veniret ex matre, sic sine illa introducitur sacerdos tantus. Ad hæc Damascen. lib. 4. de Fide cap. 14. ait: *Abrahã ex alienarum strage redeũtem ille summi Dei sacerdos Melchisedech pane, ac vino excepit: Mensa illa mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum, & sacerdos ille veri pontificis Christi figuram, & imaginem præferebat.* Eccè tibi Melchisedechi, & sacerdotium, & panis figura erat, & imago sacerdotij Christiani, & diuinissimi Eucharistici panis; & in figura exprimenda, quid faceret mater? Vbi ad veritatem ventum est, & mensa nobis proponitur cœlestis panis, vt ibi non figurate, sed verè filius hominis comedendus datur, iam ibi necessario intelligenda est mater, de cuius vtero nobis venit epulum salutare. Figura est, vmbra est, vbi non requiritur mater: vbi enim præintelligenda est diuina mater, ibi non vmbris, non figuris, sed vera Christi carne saginamur. Damascen. vbi supra: *Quia mos hominibus est panem manducare, & vinum bibere, coniunxit Dominus his ipsis suam diuinitatem; & fecit hac suum corpus, & sanguinem. Corpus enim secundum veritatem coniunctum est diuinitati, quod ex sancta virgine corpus est: :: Non est figura panis, & vini corporis, & sanguinis Christi, quod absit, sed est ipsum corpus deificatum.* Sic ille iuxta versionem Clichtouei: quibus ponderanda sunt illa, *quod ex sancta virgine corpus est*: non enim sine memoria matris explicat epulum, in quo non vmbrà, non figurà, sed verà Christi substantià homines saginamur. Quò credi derim spectasse cantatissima illa verba Iesu dicta matri petenti vini augendi miraculum in nuptijs Chanaam. Quippe ait Ioann. 2. *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Quibus videtur pro tunc quasi repudiare matrem, & se ab illa ostendere extraneum expectans horam aliquam aliam, ad quam magis pertineat illa interuentio matris. Et quando Iesus de facto exhibiturus tunc erat in præstãdo vino; quod petebat mater; cur sic ab illa se facit extraneũ? Dicebat D. August. tract. 8. in Ioann. *Certi Sacramenti gratiâ videtur matrem de qua sponsus processit non agnoscere, & dicere illi. Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.* Et scire cupis, quod Sacramentum ibi respiciebatur? Sanè respiciebatur Sacramentum panis, & vini hora mortis exhibendi omnibus; cuius figura, & vmbra proponenda erat ex conuersione aquæ in vinum in nuptijs facta. Meritò ergo vbi in figura exhibenda expectabatur diuinissimus calix hora cœnæ vltimæ præstandus; matris intercessio suspenditur in illam horam, in qua de eius substãtia verè, & realiter veniebat epulum, quod nobis parabatur. Vbi autem sola exhibenda erat figura, nullà ibi necessitas, quod intercedat mater. Quò refero illud D. Maximi serm. 1. de Epiphan. dicentis: *Quod enim ait matri. Nondum venit hora mea, illam nimirum gloriosissimam passionis suæ horam, atque illud redemptionis nostræ vinum, quod vitæ omnium proficeret promittebat.* Figura erat, & vmbra futuri vinum; quod tunc daturus erat; ne miremur, quod in illa figura exhibenda, quasi ignoret matrem, illam agnoscendam remittens ad horam, qua præstandum vinũ veri sanguinis diuini est, quo va-

Ad Heb. 7.

Damasc.

Damasc.

Clicht.

Ioann. 2.

D. Aug.

D. Max.

leant omnes homines in vitã saginari. Vbi enim Mariæ matris interuentio necessaria est, ibi homines implet vera, & realis Christi substantia, non vmbratilis. Hinc Isaac benedicens Iacobum filium suum Genes. 27. ait: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Dum dicit abundantiam, non præcipue ad corruptibile respicit frumẽtum, de quo sancti viri solam amabant sufficientiam. Respiciebat ergo ad frumentum Eucharisticæ mensæ. Sed quando ad hanc Christianam mensam respicit; cur ait illud, *de pinguedine terræ*? Quæ terra adeò pinguis est, quæ possit præstare tantæ mensæ? Ait Paschas. lib. de corpor. & sang. Domin. cap. 21. *In pinguedine vero terræ ait, quia hæc caro Christi de virgine orta creditur, vbi proculdubio Christianorum præstatur abundantia plenissima panis, & vini, in quibus sine dubio vita fruitur Angelorum.* Itaque vt pararetur nobis plenissima abundantia diuinissimi epuli, vt pinguis terra virgo Maria interceſsit. Ex quo dicebat Damascen. lib. de corpore Christi apud Turrianum tract. 1. de Euchar. cap. 19. *Tanquam in vtero virginis, in mensa mystica posita est materia panis, & vinum aqua mixtum. His enim mater nutriebatur, & materiã corporis infanti præbebat.* Nequid sit in mensa, in qua vere Christi corpus exhibetur, quod matrem non referat.

Gen. 27. Paſch. Damaſce.

§. XVIII.

Eucharistia signum pacis inter Deum, & homines.

QVi mysterium panis, vinivè adumbrat, rex pacis dicitur: *At vero Melchisedech rex Salem proferens panem, &c.* Rex Salem, est idem ac Rex pacis, D. Cyrillo Alexand. lib. 5. in Genes. Et meritò vel vmbra Eucharistiæ sine memoria pacis exhiberi non quiuit, quando ipsa perfectæ pacis inter Deum, & homines perfectissimum est signum. Psalm. 77. *Mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo, &c.* Non nubes, quia nullæ erant in cœlo, quando mannà cadebat, sed Angeli illud emittebãt, & ideo vocatur panis Angelorũ. Cur ergo quod mandauit Angelis, dicitur mandasse nubibus? Et cur ibi maluit nubium vocabulo vti, quam Angelorũ? Erat in nubibus arcus fœderis, pacisve inter Deum, & homines, sic enim dicit Genes. 9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram, &c.* Itaque mittẽs cœlestem panem, nubes in illo mittendo meminit, vt innueret in eo esse signum pacis, & fœderis inter homines, & Deum. Hùc adest Guitmundus Archiepiscop. Auersuensis lib. 2. de veritate Eucharist. fatus: *Christus denique inter homines, & Deum mediator, dum nobis semper velut arcus in nubibus, ex diuina consistens, & humana substantia fulget, cumque Pater pro nobis interpellantem semper aspicit, inter Deum, & homines signum est fœderis sempiterni. Iuxta id: Ponam arcum meum in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Huius quoque diuini fœderis, huius tam saluberrimæ pacis, sacrosancta altaris oblatio â nobis creditur signum.* Mihi crede, in eo quod Sol iustitiæ Christus candidissimis frumenti speciebus obnubilatus appareat; iam ibi signum est, iam arcus visitur, qui Deum hominibus fœderatum, & pacificatum faciat. Quò respiciens Isaias cap. 55. ait: *Audite, audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestrã, & venite ad me, audite, & viuet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum.* D. Cyrill. Alexand. legit: *Et feriam vobiscum fœdus æternum.* Ad prandium vocat in primis dicens: *Comedite bonum*, qui enim diuinissimæ mensæ adsunt, vt ibi pelagum summæ bonitatis hauriant, iam ibi signum habent æterni fœderis, æternę reconciliationis, & pacis.

Gen. 9. Guitm. Iſai. 55. Cyr. Alex.

§. XIX.

Ab Eucharistia omnes benedictiones veniunt.

BEnedicturus Abrahamo Melchisedech protulit panem, & vinum: sic namque dicit: *Proferens panem, & vinũ, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, & ait; Benedictus Abram, &c.* Et quid panis, & vinũ ad hanc benedictionem? Equidem de vini, panisque Sacramento viuifico vniuersæ in homines benedictiones deriuantur. Ait D. Cyrill. Alexand. lib. 5. in Genes. iuxta lectionem Turriani tract. 2. de Euchar. cap. 15. *Benedicimur per Christum Regem pacis; benedicimur, inquam, accipientes velut donum quoddam cœleste, & viaticum terræ sempiterna, ac cœlestis, ipsa mysteria.* Fœlix, qui ad diuinissimæ mensæ accedit mysteria, cœleste-

Idem.

lesteque illud accipit viaticum; eo ipso benedictionem diuinam accipit, quæ non potest non prosilire ex diuinissimo digne sumpto pabulo. Et quæ benedictio ab hac mensa non dilabatur? Clamabat Isaias cap.
Isai. 56. 56. *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum*: circa quæ verba D. Cyrill. Alexandr. ait:
Cyr. Ale. *Si gentium, vt ferarum meminit, dictum est à Deo: Venite, comedite, quo omnem sacrosanctorum charismatum affluentiam illis datam significat, & mensam esse appositam, quæ viuificat.* Nationes gentium vocat feras, & bestias agri, quæ dum digne ad mensam accedant, ibique viuificum epulum comedant, omni diuinorum charismatum affluentia implebuntur. Nulla est benedictionum cælestium gratia, quæ in diuino non contineatur epulo. De Isaac benedicente filio
Gen. 27. ait Genes. 27. *Benedicens illi ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pingue dine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Duo notanda sunt in his benedictionis verbis, alterum, quod Iacobi odor comparetur odori agri pleni, qui ager ponitur benedictionis principium, & fundamentum. Sed qui ager est iste, qui fundamentum benedictionis est?
Pasch. Pulchrè ait Paschas. lib. de Sacram. corp. & sang. Domin. cap. 21. *In agro corporis Christi thesaurus absconditus vernat floribus, & redolet suauitatem odoris. De quo sane agro panis vitæ, id est, carnis, & potus sanguinis credentibus quotidie exuberat, & à fidelibus messuitur. In quo vtique Iacob verus benedicitur, & Dominus fratrum suorum constituitur; quia nimirum sine isto, nulla rerum alia profecit benedictio.* Ecce tibi vt Christus ager est, de quo metimus quotidie segetem diuinissimi panis, qui meritò benedictionis præponitur structuræ, quia sine illo nulla alia benedictio inuenitur proficua. Ab illo enim cunctæ bonæ benedictiones proficiunt. Alterum notandum venit in illa benedictione, quod nimirum sit in pane, & vino, cum dicit: *Det tibi Deus abundantiam frumenti, & vini.* Cur non alia præstantiora petit? Sciebat sanctissimus vir, nil aliud pertinens ad benedictionem fore, vt inueniretur, extra communionem diuinissimi pa-
Idem. nis, & vini. Paschas. vbi supra: *Quotquot in Christo baptizantur, panem Angelorum comedunt. In quo mysterio benedixit Isaac eundem Iacob filium suum, quasi nulla esset alia benedictio, quàm frumenti, & vini, scilicet in pane carnis Christi, & in potu sanguinis eius.* Et quæ benedictio esse potest, quæ non sit in mensa panis diuini?

Genes. 14. Et dedit ei decimas de omnibus. Dixit autem Rex Sodomorum Abram: Da mihi animas cætera tolle tibi. Qui respondit ei. Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli, & terræ, quod a filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, (ne dicas ego ditaui Abram) exceptis his, quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum Aner, Escol, &c.

§. XX.

Regij fauores haud leuiter nocere solent magnis Sacerdotibus.

VEri, & altissimi Dei Sacerdoti Melchi sedecho decimas offert Abrahamus de omnibus, quæ bello caperat. Dicit enim: *Dedit ei decimas de omnibus.* Erant in præda multa propria hostium; erat & alia quam plurima, quæ illi rapuerant à rege Sodomorum, quæ illi Abrahamus libentissimè cedit post datas decimas de omnibus, vt mauult Caietanus, & Salianus noster, & plures communiter. Sed cur Abraham de bonis Regis Sodomorum voluit ipse dare decimas sacerdoti? Cur non magis omnia ipse cessit integra Regi, vt sic rex sua manu sacerdoti daret suæ partis decimas, & sic magis honoraret sacerdotem? Cur sic præuenit regem, impediens quodammodo ne sacerdos Dei acciperet à rege honorem? Meritò prudens vir cauit fauores regios in sacerdotem, sciens, quam plus illi obesse, quam prodesse tantis sacerdotibus soleat. Dicebat D. Ambros. orat. in obitum Va- *D. Amb.*
lentiniani: *Felicius Episcopos persequantur imperatores, quam diligant. Quanto mihi beatius Maximus minabatur? In illius odio lauis erat, in horum amore supplicu feralis hæreditas.* Hoc, inquam, D. Ambrosius dicebat, & quidem ipse in temporalibus expertus; at in spiritualibus qui Episcopus inter Imperatorum fauores non experiatur damna? Omnibus est Aula damnosa; Episcopis autem,

tem, magnisque Sacerdotibus hæreditas est supplicij feralis. Paulus 1. Timoth. 1. monebat Timotheum; *Milita militiam bonam.* 1. Tim. 1. Et quæ potest esse militia bona Episcopo, Sacerdoti? Nimirum ea sola, quæ ab Imperatoribus longè est; quæ prorsus distat ab Aula. Quo respiciens Petrus Blesensis epist. 14. Pet. Bles. *Vbi dicit militiam bonam, patenter excludit militiam curialem, tanquam male sibi conscian, inhonestam, perditam, damnatam.* Quippe in curia, vbi regũ fauor applaudit; vbi vnus Imperatoris nutus spectatur, ad quem cæcè curritur, volatur; mirum erit, si Episcopis, si Sacerdotibus aliquid accidat non damnatum. De his aiebat Petrus Damian. lib. 2. epist. 3. Pe. Dam. *Cum itaque venerabilis Pater, de modernis Episcopis mihi perplura displiceant, illud intolerabilius arbitror, quia non nulli dum honores Ecclesiasticos, ethnàis vaporibus æstuantius appetunt, in clientelam potentium tanquã seruos se dedititios obscœnè substernunt. Et dum non erubescunt templo Dei mutare Palatium, de religione canonica in ordinem transeunt laicorum. Virtutum arma deponunt, procinctam, spiritualis militiæ deserunt, &c.* Sic Palatinis vaporibus Episcopi inficiũtur, vt prorsus bonam militiam virtutum obliuiscantur, dum regis fauor arrideat. Vt meritò sæcularium Principum sedes putentur pestilentes sacerdotibus, Episcopis. Quas denotabat Psalm. 1. Psalm. 1. *In cathedra pestilentiæ non sedi.* Vbi D. Hilar. ait: *Illa ergo erit pestilens, cuius contagium Pilatus manus abluendo declinat. Multos enim etiam in metu Dei cõstitutos sæcularium tamen honorum ambitio corrumpit, & volunt Ecclesiæ legibus subduti, fori legibus iudicare.* Equidem sedes illa regia, cuius contagium vel Pilatus sensit, quàm pestilẽs erit Christi ministris, si appropinquent.

§. XXI.

Præsentissimi Dei testimoniũ est, quod bona aliena semel accepta restituas.

NOn simpliciter, sed cum magna Dei obtestatione Abrahamus affirmat, se daturũ Sodomorum regi quidquid illius inter spolia ab hostibus capta posset inuenire. Sic enim dicit: *Leuo manum meã ad Dominũ Deum excelsum possessorem cœli, & terræ, quod a filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Sed in re, quã statim opere exhibiturus erat, cur necessum fuit tã obnixè Deũ obtestari, eiusque absolutissimæ potestatis in cœlo, & in terra memoriam facere? Res erat de reddendis bonis Pentapolitæ regi, quæ de hoste eius capta semel suis adiunxerat Abrahamus. At vt quis quæ inter sua posuerat iam bona vero Domino restituat, magna, & præsentissima ibi Dei intercedens potentia est necessaria. Ad hæc Prouerb. 30. Prou. 30. *Verba congregantis filij vomentis. Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait, &c.* Itaque idẽ est vir cum quo est Deus, & qui Deo secum commorante confortatur, & filius congregantis, & vomentis. Sed quid cum tanta assistentia, & confortatione Dei habet commune, quod quis, & congreget, & vomat? Sane hoc magnum est in spiritualibus, & prorsus inuisum, nisi Deo præsente, & valide confortante. Quod autem homo congreget bona multa, id passim cernitur; at quod post semel congregata bona, quod ibi alienum est, iterũ vomat, hoc non nisi de Deo assistente, & confortante venit. Accipite pulchram historiam, quam Iordanis Episcopus Rabbenatis tradit lib. de rebus Geticis ibi, dum Marcionopolim ciuitatem meminit, ait: Iord. Ep. *Hanc vrbem Trajanus Imperator reædificauit, vt fertur; eò quod dum Marciæ sororis suæ puella, dum lauat in flumine illo, quod nimiæ limpiditatis, saporisq; in media vrbe oritur, Potami cognomento, ex indeque vellet aquam haurire, casu vas aureũ, quod ferebatur in profundũ, cecidit metalli põdere grauatum, & longè post emersit, quod certe non erat vsitatum, aut vacuum sorberi, aut certè semel voratum vndis respuẽtibus renatare. His Trajanus sub admiratione compertis, fonti Numinis quiddam inesse credidit.* Quid pulchrius? Vbi fluuius semel voratum aurum reuomit, à Principe gentili aliquod putatur habere numen. Vt meritò putet Christianus aurum semel acceptum nõ posse restitui nisi ab eo, quem Deus maxime confortare dicitur. Deum in se habeat confortantem necessum est, quisquis non nimis hæret auro accepto, sed illud restituit. Nunquàm non est opus Dei, quod bona semel percepta ab vno, ad suos redeant. Ait Iob ca. 20. Iob 20. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Siue vltro, siue per vim diuitiæ semel percepte restituendæ sint, id debet agere Deus. Non enim opus hominis est aurum non retinere, sed opus Dei. Nec miror, quandò ex auri tenacitate censeretur quis, an homo, an

Deus

Deus sit. Vir quidam accessit ad Iesum petens ab illo vt inter fratres hæreditatem diuideret. Cui Iesus Luc. 12. *Homo, quis me constituit iudicem inter vos?* Noscebant quidem Dominus proprium nomen hominis illius; cur ergo dimittes proprium eius nomen, recurrit ad nomē naturæ? Ait D. Aug. serm. 196. de Temp. *Homo, ait, homo. Qui enim pro magno habes istam hæreditatem, quid es nisi homo? Volebat illum facere aliquid plusquam est homo. Quid plus volebat facere, cui volebat auaritiam tollere? Inter Deos numerare, qui auaritiam non habent.* Dum hominem ab auri tenacitate abducebat, inter Deos numerare optat. Qui auro inhiabat, qui totus erat in hæreditatis diuisione, sic homo erat, vt nihil in se ostenderet supra hominem. Iesus autem vt eum ad superiorem traheret sortem, qua Deo impleretur, facit, ne ad hæreditatem tollat oculos, de Deo enim venit, quod quis auri tenacitatem deponat.

Luc. 12.

D. Aug.

CAPVT QVINTVM.

Abrahamidum seruitus, & liberatio prædicitur.

POST Hæc anxia deliberatione versanti, quid sibi capiendum consilij; si Assyrij hostes prælium instaurarent; adest Deus Abrahamo, hostium metum adimit homini auxilijs confirmato diuinis, & ad ingentia bona profecturo. Insuper prolem expectari iubet, quæ à suis visceribus orta, & claritate, & multitudine, stellarum copijs suppar existat. Frigescentibus membris prævaluit in Abrahamo fidei ardor, qui de promissione securus iuxtà imperium Dei quinque lectissima animalia præparat, quorum immolatione conceptas intimè spes exterius confirmet. Fuerunt hæc trium annorū vacca, capreaque, & aries ætatis similis; ex auibus autem turtur, & columba: & in partes tria animalia diuisa aues in ara comitabantur indiuisæ. Vigilabat senex, ne hostiæ raperentur à superuenientibus volucribus, donec circa solis occasum, inter caliginosos horrores somno corripitur, & inter dormiendum percipit fore, vt in peregrinatione, & seruitute quadringentis annos posteri eius consumant. Nec miror, quod res somniorum appareant calamitates, quæ tandem gloriosum exitum pariturunt. Tribus namque generationibus confectis apud Ægyptios, qui ad quartam spectent, alitibus velociores contendent ad terram Chananæorum sibi promissam. Interea occubuerat Sol, & ecce tibi post tenebrosam caliginem quasi cliuanus fumans apparuit, & ardens lampas, quæ hostiarum diuisiones perlustrans facem præferebat, dum fœdus inter Deum, & Abrahamum de perdendis Cinæis, Cenezæis, & alijs octo nationibus sancitur.

PARS VNICA

Moralis.

CRedenti Abrahamo adhuc animalium hostia eripitur, vt sic illi, suisque firmetur diuina promissio; quam multū firmat fides, de operibus adiunctis.

Gen. 15. His itaque transactis factus est sermo Domini ad Abram perviſionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Dixitque Abram, Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadā, absque liberis, & filius procuratoris domus meę iste Damascus Eliezer. Additque Abram: Mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit.

§. I.

Præstantis animi est inter prospera non obliuiſci timoris modestiam.

POst multa prospera iubet Deus Abrahamo, ne metuat: inquit enim text. *His itaque transactis factus est sermo Domini ad Abram perviſionem dicens: Noli timere, &c.* Timebat ergo Abrahamus post superatos quatuor Assyrios reges, post ditatos socios spolijs, post occursum regis Sodomorum, & regis Salem, à quibus magnificè

fuit acceptus. Et quanta viri istius virtus, qui inter tot Regum fauores, tot sacerdotũ benedictiones, tot victorias, nescit timoris prosilire modestiam? Præclarè aiebat Cassiod. *Cassiod. lib. 4. var. 4. Nouum est sub amore Principis custodire modestiam; quia gaudium semper animos inquietat.* Quod quis se noscat Principi acceptum, & non insolescat, sed magis timentis specie frenetur, nouum est, inusitatum est mortalibus. Supra communes virtutum leges se attollat, necessum est, qui inter prospera, inter fauores regios sciat timorem præseferre, & seruare modestiam. Audio triumphantis pompam magnæ Aulæ foribus accedentem, & in limine à ianitoribus detineri Psalm. 23. *Attolite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* Mirabar, quod ianitores tãtum triumphatorem faciant in limine detineri. Imò plus mirabar, quod qui hostes fuderat, & fregerat, nunc ianitorum tædia, & fastidia expectet, nec contundat fores, sed magis vereatur, vel damnum minari, vel sublime, & imperiose loqui. Cur bone inter triumphatos hostes ianitorem vereris? Est Dominus, non est seruus; nõ est homo, sed Dominus est, & Dominus virtutũ omnium. Talis enim necessum est, quod sit, qui inter prospera non insolescat, sed triumphator sciat, metuentis modestiam retinere. Ait D. Iustinus Martyr in Trypho nem: *Respondet Spiritus Sanctus ex persona patris, aut propria, Dominus exercituum ipse est hic rex gloriæ. Nam quod neq; de Salomone Rege illustrissimo ianitor vllus templi ausus fuisset dicere. Quis est iste Rex gloriæ? Vnusquisque fatebitur.* Euidentissimum est non Salomonem, nec alium hominem esse, sed Dominum virtutum, qui inter triumphos nouit ianitoris vocem vereri. Qui spolijs, & muneribus plenus modeste sustinet ianitorẽ, nec in fores impingit, sed magis veretur, ipse non homo, sed Dominus est, vel Domino Deo plenus. Quis enim nõ virtutum plenus inter gaudia, & triumphos seruat modestiam timoris? Componite in primis duas fœminas alteram ethnicam, alteram fidelem, & sanctam; hæc est Esther, illa Vasthi, ambæ Assueri regis coniuges, ambæ electæ è millibus, ambæ euectę ad coronã, ambæ muneribus, fauoribusque potitæ regis. Sed quales inter hæc prospera? Vasthi cap. 1. vocata, *Renuit, & ad Regis imperium, quod per Eunuchos mandauerat, ire cõtempsit.* Esther 10. Sic insolescebat fauoribus, vt intrepide cõtemneret regis imperium. At Esther cap. 15. allocutura regem contra commune decretum tota contremuit. Dicit enim: *Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & grauis, ac nitentibus oculis tristem celabat animum, & nimio timore contractum.* Esto esset lex contra ingredientes ad regem, cur regina timeret ingredi ad eum regem, cui in delicijs erat, cuius fauoribus supra omnes alias fœminas gaudebat? Vasthi non timet regem in contemptu particularis imperij, & Esther timet, & tremit? Nonne Esther amplioribus fauoribus fruebatur? Cur ergo magis timet? Quia sanctior erat, quia à Deo electa in salutem populi, & quo Deo est plenior, eo scit inter prospera timere, & inter maximos regis fauores minime deponere modestiam timentis. Rursus duos alios cõponite viros ex eodem libro, Amanum, & Mardochæum. Mardocheus audito decreto de interficiendis Iudæis plenus timore, & luctu erat ad ianuam Palatij; tunc de regis imperio iubetur indui regalibus vestibus, & equum regium ascendere, & triumphali pompa per ciuitatem vehi in præmium vitæ per illum acceptæ. Quid plura? Ait cap. 6. Esther 6. Esther is: *Tulit itaque Amã stolam, & equum, indutumque Mardochæum in platea ciuitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore cõdignus est, quẽcumque rex voluerit honorare.* Reuersusque est *Mardochæus ad ianuam palatij.* Medio tanto fauore, quo Mardochæus honorabatur propter vitam datam regi, adhuc Mardochæus hæret in ianua palatij, nec audet sedare conspectui regio, sed vt notat noster Sanctius in pristino timore perseuerat. Lõgè aliter Amanus, qui cum inuitatus fuisset à Regina, & mensa prandisset regia, dicitur cap. 5. *Egressus est itaque Aman illo die lætus, & alacer.* Et cur? explicat Charthusian. ibi: *Egressus Aman lætus ex tanta sua prosperitate, vt æstimauit, in die bonorum non existens memor malorum, neque prouidus periculorum sibi prouenire potẽtium. Propter quod non impleuit, quod scriptum est. Sapiens in omnibus metuit.* Carthus. Ecce tibi Mardochæus in tanta prosperitate adhuc metuit; Amanus autem nihil cauet, nihil metuit. Et cur regius fauor, & prosperitas Mardochæo non eripit timorem, quem prorsus Amano eripit? Ait Carthus. *Sapiens in omnibus metuit.* Idem. Qui sapientia, & virtute pleni sunt, ij inter summos mundialium fauores nunquam deponunt metus; qui stulti, & vitiosi sunt, cum primum prosperis afflantur, nihil sciunt timere. Vt meritò ex Assueri literis id ponat Iosephus lib. 11. cap. 6. *Multi elati magnitudine honoris, & beneficiorum, quæ ex nimia* Iosephus

mia conferentium bonitate percipiunt, non solũ ergainferiores exercent superbiam, verumetiã contra ipsos authores beneficy non verentur insolescere:: & corrupti inopinata fœlicitate, abutuntur ea contra illos, per quos eam adepti sunt, nec Deum quidem timentes. Ecce tibi vt fœlicitas malis, & discolis eripiat metum, ne vel ipsum timeant Deum.

§. II.

Splendidæ familiæ satores non inter auaras negotiatorum rationes, & literaturas alendi.

NOn sine gemitu Abrahamus præsentit familiæ suæ splendorem ad familiæ procuratorem deuolui, ait enim Deo, *Domine Deus qui dabis mihi? Ego vadam absque liberis; & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. &c.* Duo his verbis cum gemitu repræsentat; & quod ipse sine naturalibus filijs decedat; & quod Eliezer filius procuratoris domus suæ, vel vt malunt alij apud Pereiram, procurator ipse futurus sit hæres. Et quidem nõ miror, quod duo hæc æque mordeant virum ingenuum, penes quem splendidissimæ familiæ fundã dæ cura erat ex Deo. Fundare enim familiam splendidam sine liberis naturalibus, dolori erat parenti; in adoptiuo illo procuratore domus, prorsus ineptum. Sunt enim non adeò apti ad familiam splendidam stabiliendam, qui interquæstuosas negotiatorum rationes, & literaturas alti fuerint. De Præfecti Ægypti Flacco locutus Philo aduersus illum; sic ait. Itaque breui negotiorum Ægypti euasit peritissimus, varia sint, licet, multiplitiaque, ita vt vix pernoscantur ab ijs, qui totam ætatem eis impenderunt. Superuacua iam erat turba scribarũ, cum parua æque, ac magna exacte ipse teneret, tanto melius, vt ad ostentationem diligentiæ vltro doceret eos, à quibus didicerat. *Verum ista, quæ ad accipiendas reddendasque rationes pertinent, vel ad dispensationem redituum, tametsi necessaria, nullum specimẽ ostendũt animi digni, qui præsit alijs: sed quæ magnificam, regiamque declarant indolem, elucebant manifestius. Gerebat se pro dignitate, graniores causas iudicabat cum optimatibus, superbos deprimebat, &c.* Sic in nobili præfecto ad imperandum nato laudat ea, quæ regiã indolem ostendũt; abigit autem ab eo illa, quæ ad accipiendas, reddendasque rationes, vel ad dispensationem redituum pertinent, talium namque negotiationum homines specimen non præbent animi imperaturi cæteris. Hinc Dauid Psalm. 70. se regno aptum ostendit aiens: *Quia non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini.* Alij legunt *Quia non cognoui negotiationem*, quasi inde aptus inuentus sit, vt regiam familiam eligeret, quia nullã operam dedit auaris negotiatorũ schedulis, neque accipiẽdis, reddẽdisque rationibus quæstuose studuit; quę qui tractat, se in hoc non ita ostendit splendidum, nec magnificu. D. Synesius lib. de regno auaras negotiationes increpans, ait: *Priuatos homines, quæstuariam illam nationem dico, mihi videor animaduertere præ cæteris ignobiles, atque improbos, planeque illiberales esse, in eaque sola republica, quæ intestinis dessidijs laborat, non penitus infamem locum obtinere. Qui quidem primi sui contemnendi authores fuerunt, quoniam circa id, quod præcipuum est, in contraria naturæ consilia deflexerunt: hæc enim corpus animæ subiecit, externa ad corporalis vsum reuocauit, posteriori vero secũdas partes dedit; at illi animæ, & corpus ei, quod tertium est, subiungũt. Se igitur ipsos aspernantes, principemq; animæ partem in seruitutem redigentes, quid est, quod illi magnum, honestumve moliri, aut deliberare queant?* Sic præclarissimus Philosophus, & Politicus de hominibus auaris, & fœdis negotiatoribus sentit; à quibus nihil magnum, nihil splendidum processurum sperat: & ideo putat eos in republica à muneribus splendidis arcendos. Nec sui dissimilis est lib. 1. de Prouident. vbi ineptum principem, & gubernatorem sub nomine Typhonis effingens de illo, ait: *Ille autem cum dispensatoribus obnixe hisce de rebus altercatur, quotnam Medimnus tritici grana, aut congius cyathos contineret, superuacuam quandam, atq; importunam animi solertiam præferens.* Ride auaram solertiã hominis in mensuris, & numeris occupatam, hæc enim rarò non erit in rebus magnis, & splendidis hebes.

Genes. 15. Statim sermo Domini factus est ad eum dicens: Non erit hic hæres tuus; sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxitque eum foras, & ait illi: Suspice cœlum, & numera stellas, si potes: Et dixit ei: Sic erit semen tuum.

Psalm. 70.

D. Synes.

Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

§. III.

In Dei manibus veram securitatem, & tranquillitatem habemus.

NOn sto à sententia Caietani, qui putat hæc omnia Abrahamo imaginarie in extasi accidisse, vt domi sedens Deum videret, & audiret, & quasi ab illo foras educeretur, putaret. Verius enim credo, quod non imaginarie, sed realiter hæc sancto viro vigilanti acciderint. Realiter illi externe Deus apparuit, & locutus est, & verè illum manibus contrectans foras extra tabernaculum eduxit. Quod sonant illa verba: *Eduxitq; eum foras, & ait illi, &c.* Supra cap. 13. tantum locutus Dominus cum Abrahamo, nec eduxit eum à loco, nec manibus egit, solum dixit: *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ.* Modò extensis prius manibus hominem de tabernaculo eduxit, & prolem stelliferam promisit. Cur, quod in simili promissione seminis ante non fecit, modo facit manibus suis Abrahamum educens, vt audiat firmitatem promissi? In prima promissione manebat Abrahamus adhuc dubius, an dilatandum esset semen eius per naturalem propagationem, an per adoptionem, & sic adhuc luctabatur cum affectu habedi naturalem filium, & varijs iactabatur cogitationum fluctibus, vt ostendunt illa verba: *Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absq; liberis, & filius procuratoris domus meæ iste, &c.* Ab his ergo fluctibus cogitationum, vt Abrahamum liberaret Dominus in hac secunda promissione, illi manum extendit suã, qua hominem ad videndas stellas eduxit; in diuina enim manu extensa nihil iã non firmũ apparebat, & securum. Matth. 14. *Descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum timuit, & cum cœpisset mergi clamauit dicens: Domine, saluum me fac. Et continuo Iesus extendens manum apprehendit eum, &c.* Dubio Petro inter fluctus extendit manum Iesus. Et cur manum extendit, qui vel nutu hominem ad se traxisset? Extendit manum, vt in manu diuina experiretur Petrus etiam agens in fluctibus, tranquillum. Pulchrè enim canit Sedulius lib. 3. Paschal.

Matt. 14

Cui portus fuit illa manus, pelagiq; viator *Sedul.*
Libera per vitreos monuit vestigia campos.

Equidem vbi accessit manus diuina, fluctuum omne in certum abiuit, & tota apparuit securitas, & tranquillitas, ne Petrus amplius maneret dubius. Et quid securitatis, & tranquillitatis non sit in manu diuina? Dixerat Latroni Dominus Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso;* & iam iam moriturus clamat ad Patrem: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Circa quæ sapienter addubitat Nyssenus orat. 1. de Resurrect. quomodo Iesu adimpleri posit facta latroni promissio? Latroni promiserat secum illo die in paradiso futurum; ipse autem illo die tradit corpus sepulchro, manibus autem Patris tradit spiritum. Si ergo secundum corpus est Iesus in sepulchro, secundum spiritum in manibus Patris, quomodo pro tunc erit cum latrone in paradiso? Equidem sufficit dixisse in Patris manibus esse, vt ibi intelligatur tota tranquillitas, & securitas, & fœlicitas impleri paradisi. Ait D. Nyssen. in Caten. Græca D. Lucæ: *Si quæris, quomodo in paradiso se Patris manibus commendarit, tibi sublimius Isaias respondebit, de cœlesti Ierusalem, quam nihil aliud nisi paradisum esse credimus, ex Dei persona: Descripsi muros, inquiẽs, tuos in manibus meis. Quare si Ierusalem, hoc est, paradisus in manibus Patris descripta est, constat eum, qui in paradiso sit, in Patris manibus, in quibus descriptionem habet diuina ciuitas, commorari.* Nec vnquam diuina manus suis non prætendit totam paradisi tranquillitatem, & refugiũ, & muros, sub quibus quæcumq; eius promissio stabilis est, & confirmata. *Nyssen.* *Idem.*

§. IIII.

Præstãtissimum quid est, quod generis nobilitati claritas accedat virtutum.

NOn iubet Deus Abrahamo, vt simul stellas suspiciat, & numeret; sed prius iubet, quod suspiciat cœlum; deinde, quod stellas numeret. Ait enim: *Suspice cœlum, & numera stellas, &c.* Et cur non magis iubet, vt solas stellas suspiciat, & numeret? Nonne in stellis solis signum ponebat clarissimi, & sublimissimi seminis futuri? Quid ad hoc cõducebat, quod cœlũ cõspiceretur

ceretur prius? Eſt cœlum ſtellarum origo, & ſolum patrium, & vt ad ſtellarum commendationem illud facit plurimum, quod non ſolum ipſę luceant, ſed & quod habeāt lucidiſsimam è cęlis originem, dicturus de ſtellarum lumine, originem ante laudauit. Sic in filijs Abrahæ commendabatur id præcipuum, quod cū claritate originis haberent etiam actiones vitæ lucidiſsimas. In quibus illud erat notandum, quod generis claritas virtutum meritis addebatur.

Luc. 1. Hinc Lucas 1. dicturus de Ioanne ait: *Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, &c.* Circa quæ D. Paulinus epiſt. 10. *Laudaturus vitam, genus ante laudauit, vt venerabilior exiſteret.* Meritò ante virtutes, generis claritatem oſtendit, vt pateant duæ in Ioanne claritates. Quod eſt præſtantiſsimum, & ſupra ipſam naturam. Vt de quodam ſenario dicat Caſsiod. lib. 4. var. 4. *Caſsiod.* *Inter ſtupenda meritorum, originis quoque ſimili claritate reſplendet, vt hareas, qua parte ſit ditior, cum copioſius vtraque poſſideat. Habent ergo ſingillatim diſtributa præconium, iuncta miraculum.* Laudantur homines ex habitâ nobilitate, etiam ex proprijs virtutibus laudantur; at quando in vno, & generis nobilitas, & virtutum merita copulantur, eius claritas vt noua, & inuſitata, ſic meritò nō creditur naturæ opus, ſed miraculum. Sic

1. Cor. 1. de conſuetis dicebat Paul. 1. ad Corinth. 1. *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* Quæ verba tractans

D. Bern. D. Bern. epiſt. 13. ad Sophiā virginem ait: *Virtus paucorum eſt. Paucorum, inquam, paucorum, præſertim nobiliū. Denique non multos nobiles, ſed ignobilia mūdi elegit Deus. Proinde benedicta tu in nobilibus; quæ pro gloria certantibus cæteris, de contemptu gloriæ gloriouſius ſublimaris, & ſublimius gloriaris. Inſignior plane, atque illuſtrior, quod de paucis facta es, quàm quod orta de magnis. Denique mulierem fortem, quis inueniet? Multo magis fortem, & nobilem?* Hoc rarum, hoc præſtātius, hoc miraculoſum, quod virtus, & nobilitas in eodem ſint ſimul; quando autem hæc duo vni accidunt, non mirer, ſi cum lucidiſsimis aſtris valet certare.

§. V.

Deus in ſuis non patitur eſſe carnalis nobilitatis præſumptionem.

TAndem in hunc locum diſtulit Dominus populum ſuum aſtris comparare cœleſtibus, dum ait modo: *Numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum.* In prima autem promiſsione data cap. 13. non ſtellis, ſed pulueri comparauerat populū. Dixit namque, *Faciam ſemen tuum, ſicut pulverem terræ.* Et cur in primis populum pulueri comparat, quem etiam aſtris comparare deſtinat? Imò cur futurus ſtellarum æmulus, in claritate, & ſublimitate, prius exæquatur terræ pulueri? Oriūdis Abrahamidibus præmittebat Dominus id, quo carnalis nobilitatis perderent præſumptionem, ſemper enim in ſuis ſatagit Dominus, ne præſumant de generis ſplendore. *Matth. 1.* Matth. 1. recenſens ſplendidiſsimam Iudæorum genealogiam de Iuda prima regum radice ait: *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar*; & quidem Thamar alienigena erat, & ethnica fœmina; inſuper inceſtuosē furata fuit ſoceri concubitum. Cur ergo tam vilia, & abſurda in ſplendidiſsima genealogia ponuntur? Cauebat iam tunc Dominus in ſuis maioribus præſumptionem de ſplēdore generis. Ait enim Gēnadius in cat. Græca: *Totam hanc hiſtoriam de Iuda Moyſes inſeruit inter ea, quæ de Ioſeph narrabantur; quod primus illi ſcopus erat genealogiam Domini referre ſecundum corpus: Nec abs re Propheta hoc in loco ſua Iudæos nobilitate ſuperbientes arguit ex dimidia parte Chananæos.* Totum Iudaicæ nobilitatis ſupercilium meritò hac genealogia conſpectā cadebat. Similiter 3. Reg. 14. locutus textus de filio Salomonis Roboamo, qui hæreditauit Dauidis Regiam, ait: *Nomen autem matris eius Naama Ammonitis.* Nil magis execrādum Iudæis erat, quam Ammonitarum genus; & tamen ecce illorū Regia linea de Ammonitis venit. Quo ſpectans Theodor. quæſt. 38. ibi ait: *Sufficit Theod.* *antē hoc ad euertendā Iudæorū abominationē, qui ſe iactāt de nobilitate generis, & eos, qui ex gētibus crediderunt Saluatori, nominat alienigenas. Inuenitur etiam genus eorum, genus regiū ex alienigenis.* Sic ſemper in ſuis poſuit Deus id, quo de generis nobilitate tolleretur iactātia, & tumor. Hinc etiam cū regalis generis matrē eligeret, quā miris, & diuinis impleuit bonis, eā tamē fecit ſpōſam fabri hominis. Et cur tātā reginā fabro addixit ſpōſam? Ait D. Aug. lib. de Cathechizā *D. Aug.* dis rudib. *Natus Ieſus de matre, quæ quāuis à viro intacta cōceperit, ſemperq; intacta permāſerit, virgo cōcipiēs, virgo pariēs, virgo moriēs, tamē fabro deſpōſata erat, omnē typhū carnalis nobilitatis extinxit.* Quid haberet nobilitatis

Præsumptio cum fabro? Qui faber est, nullum iam aditum nō occludit tumori, de generis splendore. Ideo Iesus dum matrem suam fabro maluit sociari, à sua familia penitus carnalis nobilitatis iactantiam exclusit. Vtinam hoc viderent multi; qui inter fabrilia meditamenta, & exercitia adeò de nobilitate tument, vt cæteros quosque despiciant. Credant isti Augustino, & putent, quod ars fabrilis omnem nobilitatis carnalis excludit tumorem, quem vt filius Dei excluderet, fabro tradidit matrem suā.

§. VI.

Virtutū lumina vilissimos quosque extollunt.

ANtea pulueri cōpararat Dominus populum cap. 13. inquiens: *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ*; modo illum astris æquiparat, dum dicit; *Numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.* Et quid puluere vilius? Quid astris sublimius? Tamen qui instar puluueris vilescit, de virtutum merito potest radiare inter sydera. Tantum abest, vt virtutum merita excludant vilem; quin potius illum maximè extollunt, faciuntque inter sublimia consistere. Iob cap. 1. dicitur: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob,* & statim de eodem subdit: *Eratque vir ille magnus inter Orientales.* Primo statuitur Iob Hus ita, siue Idumæus ex genere, & prosapia prophanissimi reprobi Esau, vt fert receptior Patrum sententia apud Pinedam nostrum. Sed qui sic vilescebat genere, dicitur nihilominus *magnus inter Orientales*, hoc est, iuxta Dydimi anagogem in cat. Greca, inter eos, qui plenissimis iustitiæ Solis radijs fulgescunt. Ecce tibi vt vilissimus genere virtutum meritis inter fulgentissimos valuit colocari. Quo spectans D. Hier. de vera Circuncisione ait: *Vbi es in sola carne circumcisa Iudæa? Confer cum Iobo pedem, & cōtende gloria, attolle te maiorum superba virtutibus; latusque tuum benedictis nobilium Patriarcharum circumcinge nominibus: vt in te iustificationum vetus illa virtus, & auorum splēdor appareat. Iob aduersum te procedit in medium, sanguinis authores non erubescens, neque per Esau inconcessam benedictionis sortem trāsfusione mentitus. Ac proinde ei spes est, quod in his vincat te omnibus, & procedit, plus sibi de virtute vendicans propria, quo minus ex gloria promittit aliena.* Ecce tibi, & nobilissima natio, & vilissima; Iudæa quidem nobilissima erat benedicto Abrahamidum semine propagata, sublimis atauis candidissimis, Idumæa vilis natio ab Esau genus ducens: nihilominus Iob natione Idumæus, genere vilis admissus est ad culmina virtutum, quarū meritis sic radiare incipit, vt Abrahamides Iudæos obscuret. Et quo nihil lucis accipit à maioribus, eo ex proprijs appareat splendidior. Valent equidē ex puluere orti radiare inter candidissima sydera; ne miremur, quod Iesus neminem vilem despiciat. Genes. 38. Narrat Moyses, vt Iudas Patriarcha filios suos primogenitos vidit mortuos absque liberis; vt ipse postea meretricis fœminæ appetiit concubitum; vt sub meretricis habitu Thamar Chananitis furata est Iudæ semen, ex quo peperit duos filios Phares, & Zaran, *Vocauit nomen eius Phares*, à quo tota Iudæorum nobilitas in regia linea. Et cur maluit Deus quod ab spurio, & notho concubitu progrederetur Iudæorum nobilitas, nisi vt ostenderet, quam debent virtutum meritis vilissimi quique admitti inter sublimes? Ait Gennadius in cat. Græca: *Moyses satis habuit de Iuda talia retulisse, cuius genus gloria cæteris præfulsit, vt cum cognouerimus Dominum Iesum Christum nasci ex ea gente voluisse, qui ex illegitimo concubitu maiores agnoscere t, non videatur absurdum, si gentes exteras, barbarasque nō minus admiserit, quàm qui in sui generis nobilitate confidunt.* Nunquam enim non testatum voluit esse Deus, vt ex vili ortu possent homines virtutum meritis extolli ad sublimia. Tam enim in carnalibus, quā in spiritualibus vilissimi quique obtinuerūt numerari inter sydera candidissima.

Iob 1.

D. Hier.

Genes. 38

Gennad.

§. VII.

De puluueris beneficio homines exurgunt vsque ad sydera.

NVmeratur in præsenti Abrahamidum semen inter sydera; dum ait: *Numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.* Nec miror, prius enim numeratum fuerat inter puluueres terræ cap. 13. *Faciā semen tuū sicut puluerem terræ.* Puluueris enim beneficio nō mirandum est, quod homines vsque ad astra consurgant. Luc. 8. proposuerat Dominus parabolam de semine iacto in terram, in spinas, & in petrosa; & volens ostēdere, de quo semine loqueretur, ait. *Semen est verbum Dei.* Sed scire cupis, quid habeat commune Verbū Dei humanis cordibus insitum, cum semine datum terræ? Sanè semen terræ datum, de ipsius terræ, puluerisque bene-

beneficio illud augmentum accipit, quo se pe in arborem cœlestia petingentem exur gat. Sic Verbum Dei humanis clausum pe ctoribus, si adiunctum habeat vilitatis pul uerem, quem homines proculis habeant, fallar nisi de hoc puluerisbeneficio nos fa ciat crescere in sublimia. Rem explicabat
Isid. Pel. D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 402. *Cum semẽ in terram incidit, vbi fuerit mollitum, meatibusque refertum, humum sibi propinquam complexum, inde sibi accõmodati trahit: tenuissimæ autem terræ particulæ in ipsos incidentes meatus molem ipsius efficiunt ampliorem, vt inferne fibras agat, etiam radices, superne vero emergat in lucem, atque emicet, inculmos se attollens, &c.* Hoc facit semen de adiũcto pul uere, quod radicata arbor procedat in lu cem, altrinsecusque emice diuesfructibus. Sic prorsus homo Verbum Dei in corde suo excipiens, si vilitatis suæ puluerem ad iungat, illumque attente prospiciat, ingen tes inde metit profectus, quibus inter lucidissima quæque possit consistere. Habet equidem puluis humanæ vilitatis virtutẽ, qua diuina in nobis faciat vehementer pro
1. *Cor.* 1. ficere. Hinc Paulus 1. ad Corinth. 1. *Vide te fratres vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potẽtes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, &c.* Stulta, & infirma mundi elegit Deus, quibus semen verbi sui tradidit; de quo munere pro tunc abiecit nobilium, sapientumque turbam. Sed cur posthabitis nobilibus, sapientibusque magis tunc elegit viles, & infirmos, quibus verbi semina traderet? Necessum erat, vt crescceret Dei Verbum, & fierent atissimæ arbores, quæ cœlestia tangerent pist impletam terram ramis; & ideo recurri ad eos, quibus propinquior erat, & magis familiaris puluis vilitatis humanę, nii enim de huius pulueris cõsiderati beneficio non exurge rent in magnos profectus diuinæ plantæ.
D. Hier. Ait D. Hieron. in epist. consolatoria ad Pa machium: *Videte fratres vocationem vestram, quia non multi sapientes, nõ multi nobiles. Hoc nascentis Ecclesiæ rudimenta poscebant, vt granum sinapis paulatim in arborem crescceret, vt sensim Euangelij fermentum, totam Ecclesiæ massam altius eleuaret.* Nobles, sapientes ve remotiorem à se habent puluerem suæ vilitatis, quin potius vt altissimæ rupes terrã in se negant; quando ergo Dei Verbum, vt semen ponendum erat, quod profectus faceret, meritò non datur ijs, qui puluerẽ ab oculis ablegant, sed illis puperculis, quibus vt puluis, vilitasque est magis familiaris, sic habẽt vnde verbi fructus altior exur gat, & vsque ad cœlum extollat ramos. Et quis nesciat profectus de conspecta puue ris humani vilitate? Luc. 8. *Ecce mulier in ci* *Luc.* 8.
uitate peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, &c. Vide mulieris facinus, vt intrat domum Pharisæi, vt Domini vestigia lambit, vt lachrymis eius pedes lauat, vt vnguento vngit, vt capillis tergit, & interea mulier nominatur, nullo particulari insignitur vocabulo. Aliter Matth. 28. de eadẽ *Matt.* 28
fatur: *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabatthi, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* Hic iam non mulier dicitur, sed Maria appellatur, clarissimoque Dei matris nomine insignitur, quasi inter ipsa cœli lumina radiet. Et cur, quæ antea sub communi nomine mulieris obscurabatur, modo Mariæ clarissimo insignitur vocabulo? Rem explicant illa. *Venit videre sepulchrum*: vt enim humanæ infirmitatis puluerem in sepulchro meditabatur, sic inde inter clarissima cœli lumina cę pit micare. D. Chrysol. serm. 77. *Venit mu* *D. Chrys.*
lier, sed redit Maria; venit, quæ intulit mortẽ, redit quæ genuit vitam. Venit Maria, & alia Maria. Quare videre sepulchrum, & non Christum quærere, &c. Antea in vnum Christum intenta forsitan suæ vilitatis, humanæque infirmitatis erat oblita, ad illamque minime intendebat. Modo non in vnam Iesu diuinitatem intẽdit, sed & sepulchrum quærit, & infirmitatis puluerem præoculis habet, quo ita excreuit, vt iam non mulier, sed prorsus appareat transformata in Mariam, quæ mundũ illuminet luce sua. Proh quot profectus, quot lumina nascuntur de adiuncto vilitatis, infirmitatisque puluere! Ierem. 3. *Vide vias tuas in conualle,* *Ierem.* 3.
scito, quid feris. Septuag. legunt: *Vide vias* *Septuag.*
tuas in sepulchro multitudinis, & nosce, quid feceris. Vt facta noscamus nostra, iubemur vias nostras ad sepulchrum videre. At cognitio res est luminis, sepulchrum autem est res tenebrarũ; quomodo ergo de sepulchro viso ad cognitionem facinorũ veniemus? Ne dubites Christiane, si tibi ob oculos sit sepulchralis puluis, sic illuminaberis, vt omnia tua acutissimè possis cernere. Est equidem sepulchralis puluis instar stelliferi cœli ad illuminandum. Hinc Matth. 6. mo *Matth.* 6.
nebat: *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminãt enim facies suas*, Chrysostom. ibi: *Corrumpunt facies suas*, illas nimirum vsque ad puluerẽ mortis deducunt. Et ad quid in facie puluerẽ mortis ostendere cupiũt? *Vt videãtur ab hominibus.* Crede mihi, de mortis puluere illud exurgit lumen, quod omniũ

acuat visus. Quem non faciat videre obiectus oculis mortis puluis?

Gen. 15. Dixitque ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam. At ille ait; Domine Deus vnde scire possum, quod possessurus sum eam? Et respondens Dominus: Summe, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam. Qui tollēs vniuersa hæc diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit, aues autem non diuisit.

§. VIII.

Christi passio ob oculos posita hominibus maximè confirmat promissiones diuinas.

CErtus Abraham de filiorum multiplicatione adhuc scisciatur circa promissionem terræ Chananæorum, an firma futura sit in æternum filijs suis, vel potius illis aliquando adimenda propter scelera: De quo petit dari sibi signum aiens: *Vnde scire possum, quod possessurus sum eam?* hoc est, quod sic sum possessurus eam, vt permaneat in liberis? Huius permanentiæ signum petenti datur, quod animalia litet: *Summe tibi vaccam triennem, &c.* Circa quæ Ruper. ibi: *Non ergo tanquam incredulus infirmata fide dubitauit, sed tanquam pius pater futuris filijs prouidit: ne forte peccantibus illis pœniteret Deum huius suæ promissionis, & idcirco in promissione aliquod sibi dari optauit firmamentum fixæ stabilisque veritatis, & quasi interpositi iuramenti. Nec moratus Dominus Deus, quod optabat animus fidelis spente obtulit. Continuo namque respondens, Summe, inquit, mihi vaccam triennem, &c.* Vt diuina promissio posit etiam firmari in filijs, ne eorum peccatis aboleretur, quinque animalium mandatur coram proponi carnificina. Sed quid animalium mactatio, & laniena cū firmitudine promissionis diuinę? Quale erat hoc spectaculū animalium diuisorum, vt illo ob oculos posito in Dei promissis confirmarentur Abrahamides? Quæ uis animalium mactatio data à Deo pro sacris populo Israelitæ significabat Christi Domini passionem, quam sane qui ob oculos habuerit, moriar, si cadat à promissis diuinis. Psalm. 71. dicebat: *Deus iudicium tuū regida, & iustitiam tuam filio regis. Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio:: Et permanebit cū Sole, & ante Lunam in generatione, & generationem:: Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis: donec auferatur Luna. Dominabitur à mari vsque ad mare, & a flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Ethiopes, &c.* Sic scribuntur bona obuentura regi, quæ cum illo permaneant, quandui durauerit Sol, & Luna. Sed quis tandiu poterit durare in bonis à Deo promissis? Putabant Iudæi illa omnia suo Salomini euenisse; at Iustinus Martyr ex tam prolixa duratione aperte conuincit, non in Salomone, sed in eo qui Christum crucifixum ob oculos habuerit, illa durare potuisse, quando sola Christi passio est quæ promissionū diuinarū durationem potest stabilire. Ait enim aduersus Tryphonem: *Scio Salomonē Regem fuisse illustrem, nihil tamen eorum, quæ in Psalmo dicūtur, obuenit illi. Imò audeo dicere, quod de eo scribitur propter mulieres operatum sacris Idolorum apud Sidonios: quod facere non sustinerent, qui ex gentibus per Iesum crucifixum ad cognitionem Dei venerunt, sed mallent omnes cruciatus mortem vsque perpeti, quam sacrificare idolo, aut gustare de victima.* Potuerunt mulieres Salomonem à diuinis promissis deturbare, ne regnum eius maneret integrū; non autem sic deturbarentur, qui ob oculos habent crucifixum, de cuius spectaculo venit, quod sic firmentur, & stabiliantur sui, vt nullis tormentis, nullis cruciatibus possint dimoueri à promissis. Crede mihi, non est firmitas, nisi vbi Christi passio ob oculos versatur. Exod. 17. iuxta Dei promissum Amalech expugnabatur! & quomodo expugnabatur? Ait textus: *Cum leuaret Moyses manus vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalech.* Tota victorię perseuerantia, & firmitas in eo erat, quod signum crucifixi in manibus extensis perseueraret; si enim hoc salutiferum signum tanti sper tolleretur, minime iam victoria poterat stare. Vt dicat D. Iustinus Mar. cap. 21. Documentorū iuxta Patris Cerdæ versionem in Aduersar. cap. 153. *Cum populus bellaret aduersus Amalech, & si lius*

Rupert.

Psal. 71.

Iustin. M.

Exod. 1.

Iustin. M.

P. Cerd.

lius Naue inter primos pugnaret, ipſe Moyſes Deum precabatur, expanſis vtrinque manibus, eas autem Vr, & Aaron tota die ſuſtentabat, ne illo defatigato relaxarentur. Nam ſi quicquam de figura Crucem imitante remittebatur, populus ſuperabatur: ſin ſtatu illo perſiſtebat, tã diu Amalech vincebatur, & qui prævalebat, per Crucem prævalebat. Ecce tibi nulla firmitas in bono dabatur, niſi dum ſignũ crucifixi ob oculos ſtabat; vbi hoc tollebatur, iam non reſtabat niſi caſus. Aiebat Pſalm.

Pſal. 37. 37. *Curuatus ſum vſque in finem.* Et vſque in quem finem curuabatur? Pulchrè D. Amb.

D. Amb. ibi: *Curuatus vſque in finem, hoc eſt vſque ad Chriſtum, qui finis legis eſt, qui ſe paſſus eſt verberari, paſſus eſt corpus ſuum mortuum vulnerari. Denique non tabes mortis de vulnere eius, ſed fons vitæ ſcaturiuit æternæ.* Equidem humi reptabat vſque dum oculos ad Ieſum paſſum leuauit, inde ex eius vulneribus nõ caſurę vitę halitum recipiebat. Hinc Iſaias

Iſai. 12. cap. 12. *Ecce Deus ſaluator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus me Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Dixerat ſibi iam non timere, ſed fiducialiter agere ex quo fortitudinem ex Ieſu acceperat. Sed ex quo tantam fortitudinẽ accepit, qua nec caſum metuat? ait, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Ambroſ. explicat; de vulneribus Saluatoris; quot vulnera tot bonorum fontes in Saluatore, ad quas qui acceſſerit, nullum inde

D. Zeno. defectum timebit. Ex quo D. Zenò lib. 2. ſerm. 38. ait: *Iudæis irrorata eſt manna eſurientibus, nos autem eſurire non poſſumus, ſempiternam qui cœleſtis panis nobiſcum portamus annonam. Illis ſitientibus petra fluxit in poculũ; ad Chriſti fontem qui biberit, in æternum ſitire non poteſt.* Eſt equidem fons in Chriſti vulneribus, à quo qui abhorret, defectus mille ſentiunt; vt Iudæi ſenſerunt etiam poſt manna, etiam poſt petræ fontem. Felices Chriſtiani, qui vt Ieſum vulneratum reſpiciunt; ſic eius vulnerum fontibus confirmantur, vt dum ibi figuntur, defectum ſentire non poſsint.

§. IX.

In Chriſti paſsione propoſita habent homines, quo efficaciter ad fidem alliciant.

DOmino promittenti terram Chananæorum, ait Abrahamus. *Vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſum eam?* quibus non dubitat ipſe de promiſsis, ſed quærit ſignum, quo trahat poſteros ſuos ad ſibi de hoc præſtandam fidem. Sic enim dicit Caietan. ibi: *Non increduli, aut tentantis Deum petitio hæc, ſed cõſulens ſemini ſuo ſupplicat pro ſigno neceſſario, ad hoc vt ſemen ſuum cognoſcat, & conſidat, quod hæreditabit terram Chanaam. Timebat Abram, quod ſemen ſuum non crederet ſibi dicenti, quod Deus apparuit, &c. & propterea petit firmitatis ſignum, &c.* Itaque cum Abrahamus ipſe certo crederet futura promiſſa diuina, timebat fore, vt poſteri ſui non crederent, & ideo petit ſignũ efficax, quo illis perſuaderet fidem. Cui petitioni annuens Deus ait: *Summe mihi vaccam triẽuem, & capream trimam, & arietem, &c.* Expende modo, quid petat Abrahamus, & quid detur illi. Abrahamus petit ſignum efficax, quo ſuis poſteris diuinæ promiſsionis perſuadeat fidem; Deus pro tali ſigno trium animalium hoſtiam mandat cõſtitui. Et quid animalium mactatio conduceret ad perſuadendam fidem? In animaliũ iugulatione præfigurabatur antiquitus paſſio Chriſti, cuius ſanguine diuino firmata ſunt omnia fœdera à Deo exhibita hominibus. Meritò ergo repræſentatur modo in animalibus occiſis paſsio Chriſti pro efficaci ſigno poſito ad perſuadẽdã fidẽ promiſsionis diuinæ; de paſsione enim Domini ſibi propoſita habẽt homines, quo efficaciſsime alios trahant ad fidem. Hinc dicebat Ioannes Baptiſta Luc. 3. *Ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Erant ibi & Iordanis aquæ, quæ in baptiſmate regenerationem filiorum Dei figurabant, cur Ioannes ad illas non recurrit, vt teſtaretur poſſe Deum de illis ſuſcitare filios Abrahæ? Cur maluit id de lapidibus, quam de aquis teſtari? Et quando de aquis ſuſcitandi erant filij Dei, quid habebant præcipuum lapides, vt de illis magis ſuſcitarentur filij Abrahæ? Lapides Chriſti mortem ſenſerunt; & moriente Domino ſibi propoſito excifsi ſunt Matth. 27. de ſenſu autem paſsionis hoc habebant, vt efficacius homines ad fidem traherent, in qua conſiſtit eſſe filios Abrahæ. Nemini enim dubium ſit, quin de paſsione Chriſti Domini præconcepta efficaciam habeamus; qua fideles plurimos efficiamus. Ex quo ait Orig. in cat. Græca D. Lucæ: *Siquis voluerit, etiam vt qui Euangelium annũtiant; hi tunc etiam à Præcurſore lapides*

Luc. 3.

Caietan.

Origen.

intellecti fuerint, ex quibus pronuntiatur Abrahæ filios suscitandos; hi vtique per spontaneam Saluatoris passionem, Domini sui affectu rupti, atque conciſsi, & quodammodo impregnati miraculo, plurimos religioni parturierunt, ac pepererunt, qui clara voce ab errore homines reuocantes, & ad agnitionem veritatis manu ducentes, &c. Quid verius? Fallar, si qui passionē Christi Domini sibi proponunt, eiusque vim præsentiunt, de illa non summant efficaciam, qua parturiant examina fideliū; qui in fide Deo habenda Abrahami sint æmuli. Sit Christi passione ob oculos proposita, & innumerabiles diuinis promissis credent, qui alioquin erūt increduli. Paul.

1. Cor. 11 1. ad Corinth. 11. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Amo, quod Christus manserit in Eucharistia, vt pascerat suos fideles, & miror, quod ibi mortem suā repræsentari maluerit. Cur nō magis gloriosam resurrectionem? Cur non magis admirabilem ascensionem? Cur ijs prætermissis necessum fuit, vt magis maneret ad mortem, & passionem exhibendam?

D. Meth. Ait D. Methodius in Symphosio decem virginum relatus à Turriano de Euchar. tract. 1. cap. 11. *Non enim potest aliter Ecclesia concipere credentes, & regenerare per lauacrum, nisi & Christus propter eos se exinaniens, vt capi possit, secundum commemorationem passionis iterum moriatur de cœlo descendens, adhærensque vxori suæ præbeat virtutem quandā lateris sui. &c.* Esto tibi, vt fuit necessariū, quod in Eucharistia commemoratio passionis reiteretur, vt de virtute vulneris Christi Ecclesia possit parturire, & facere credentes. Incredulo Thomæ apparet redi

Ioann. 20. uiuus Iesus Ioann. 20. & ait illi: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Sic Dominus passionis suæ stimmata Thomæ repræsentat; cur non magis resurrectionis gloriam? Cur dubitanti de resurrectione, vul-

Chrysol. nera crucis ostendit? Ait Chrysol. serm. 84. *Vt effundant toto orbe, iterum te aperiente, hæc vulnera fidem.* Equidem de vulneribus Christi parturiendi erant, qui venirent ad fidē. Et quis videns Christum in cruce ad fidem non veniat? Quis non credat Deo magna pollicenti, si videat in crucis tormentis filium eius? Meritò sancta Ecclesia dum Dominicam Passionis efformat, in qua crucis incipiunt celebrari, & aperiri mysteria, il-

Ioann. 8. lud canit in Euangelio ex Ioann. 8. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Mirum enim est, quod inter passionis mysteria aliquis non credat; de tanto enim sanguinis dispendio, quomodo non nascatur efficacia, quæ homines trahat ad credendum? Vide Christiane Christum vulneratum in carne, & crede tibi manere fortitudinem ad superandos hostes, viaticum ad peregrinandum in terris, coronam in cœlorum regnis.

§. X.

Mansuetudo diuinitati amica.

NOtissima sunt animalia Deo accepta pro aris; dicit namque in præsenti: *Summe mihi vaccam triēnem, capram trimam, & arietem annorum trium, turturum quoque, & columbam.* Hæc inter alia Deo propter mansuetudinem placent, est enim mansuetudo amica diuinitati. Ait Philo lib. de victimis: Volucrium cum innumeræ sint species, præteritis cęteris omnibus, duas tantum selegit Moyses. *Etenim columba inter natura mansuetas, & gregatim volitātes est mitissima; turtur vero inter solitarias cicuratu facillima. Terrestrium quoque innumeris omissis, tria præcipue secreuit genera boum, ouium, caprarum, vt mitiora, & mansuetiora.* Sic semper ex māsuetudine notantur, quæ Deo sint familiaria, & amica. Quid mirū? Per mansuetudinem Deo similes fimus. Gen. 2. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Imaginem Dei in imperio tenemus, similitudinem in mansuetudine. Ait Chrysostom. in cat. Græca. *Prout imaginem dixit ad imperium respiciens, ita & similitudinem, vt pro virili Deo assimilemur, per humanitatem, & mansuetudinem secundum virtutis rationem.* Itaque tum assimilamur Deo, cum humani, & mansueti circa proximos simus. Est enim hæc virtus Dei propriſsima. Incredulo Thomæ de resurrectione Dominica, ait Dominus Ioann. 2. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit, Dominus meus, & Deus meus.* Vndè Dominus Deus nunc claret Thomæ, cui ab Apostolis prædicatus non claruerat? Pulchrè Sedulius lib. 5. Paschal. cap. 23. *Trepidanti discipulo palmisq; rursus, & latere demonstratis, tactu vulnerum patitur se probari, magis hinc agnitus quod ipse sit Christus, quia dubitantis animam placida fouit lenitate susceptam.* Expende illa, *magis hinc agnitus, &c.* Inde enim agnoscitur Dei filius clarissi-

Philo

Gen. 2.

Chrysost.

Ioann. 2.

Sedul.

me, si

me, ſi lenis, & manſuetus ſit erga ipſos repugnantes ſibi. Ex nullo magis inhabitantem Spiritum diuinum in corde hominis agnoſces, quam ſi hominem videas lenem, & manſuetum etiam erga eos, qui ſibi reſiſtunt.

§. XI.

Manſuetudini, & humanitati adiuncta eſt veracitas.

EX manſuetis, & mitibus animalibus iuxta Philonem electa ſunt ea, quæ modo Deus petit aiens: *Summe mihi vaccam triennem, capram trimam, & arietem, &c.* Sed quid habent proprium manſueta hæc animalia, potius quam alia ad confirmandam diuinam promiſsionem? Etenim tota hæc res erat de certificandis diuinis promiſsis, vt credatur Deus in veritate daturus ea, quæ promiſit filijs Abrahæ. Ad hanc ergo certificationem præſtandam cur magis eliguntur manſueta, & mitia, quam alia animalia? Crediderim manſuetudini annexam eſſe veracitatem, & ideo Deus ſe oſtendit amicum manſuetorum, & mitiũ; vt cum ipſe inde mitis, & manſuetus appareat, ſimul & verax in promiſsis abſque vllo dubio credatur. Ionas cap. 3. dicit: *Cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit; Adhuc quadraginta dies ſunt, & Niniue ſubuertetur. Et crediderũt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis a maiore vſque ad minorem.* Et ſi quæras, cur talia faciant? Reſpondet eorum rex: *Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur a furore iræ ſuæ, & non peribimus?* Compone modo hoc cum illis; in primis dicuntur credidiſſe Deum, in Propheta loquentem, & annuntiantem, quod Niniue erat ſubuertenda; nunc per pœnitentiæ opera ſperant fore, vt non pereant, ſed quod Deus manſueſcat. Et qui credunt verum eſſe, qui nuntiat mala, vnde præſumũt poſſe illa nõ infetri? Ex eo præciſè quod veracem Deum credunt, putant etiam eſſe manſuetum, & lenem, qui offenſus miteſcat. Semper enim manſuetudo, & veracitas ſimul eſſe conſueuerunt. Ex quo ait D. Zeno lib. 2. ſerm. 38. *Vt eſt Niniuitis nuntiatus interitus, credũt, & timent. Et quantum ſciunt Dominum non eſſe mendacem; tanto propenſius eius de pietate præſumunt.* Quem minimè mendacem norunt, ſed veracem, meritò fore mitem, mã-

Ion. 3.

D. Zen.

ſuetumque præſagiunt, à quo poſsint miſericordiam ſperare. Crede mihi ſociæ ſunt hæ duæ virtutes, & ſeſe mutuo comitantur. Vt dicat Pſalm. 85. *Tu Domine Deus miſerator, & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax.* Et Pſalm. 44. *Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam in tẽde, proſpere, procede, & regna.* Rarò in Pſalmis, & veracitas, & miſericordia non coniugantur. Item Pſal. 84. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi.* Vbi Hugo Card. ait: *Miſericordia in dimittendo peccata, veritas in adimplendo promiſſa. Hi duo comites quaſi præcedunt Dominum, ſecundum quod in Pſalmo 88. dicitur: Miſericordia, & veritas præcẽdũt faciem tuam.* Semper ſolidam miſericordiã, perfectamque mãſuetudinem veracitas comitatur. Ex quo Euthymius in Pſalm. 84. veracitatem in Ieſu agnoſcit ex parte aſſumptæ humanitatis aiens: *Veritas autem humana Chriſti natura, quia non eſt inuentus dolus in ore eius.* Non potuit non veracitas demonſtrari, vbi Deus aſſumpſit humanitatẽ. Hinc Gen. 18. cum Abraham oculos eleuaſſet; *Apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum, quos cum vidiſſet, occurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adorauit in terram. Et dixit: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, &c.* Et ſi tres vidit, vnum adorauit, qui creditur fuiſſe Dei filius in humanæ carnis forma apparens. Aduerſus quam apparitionem inſurgunt hæretici negantes, quod tres illos angeli venerint in humana carne, quia ſi eſſet caro humana deberet ab alio homine naſci. Tert. lib. 4. in Marc. ſic hæreticos plectit: *Cæterum alijs hæreticis definientibus carnem illam in Angelis ex carne naſci debuiſſe, ſi verè fuiſſet humana, certa ratione reſpondemus, qua & humana vere fuerit, & innata. Humana vero propter Dei veritatẽ a mendacio extranei, &c.* Itaque apparens Deus Abrahamo promiſſurus illi Iſaac filium, & iam inſtantem conceptum Saræ, apparuit illi carnis humanæ ſpecie; & nunc primo exprimitur apparuiſſe ſub humana forma. Et cur modo præcipue formam ſumpſit humanam? Ait Tertul. *Humana vero propter Dei veritatem a mendacio extranei,* veniebat oſtenſurus ſuam veracitatem, & ideo aſſumpſit humanæ carnis formam; de humanitate enim & manſuetudine maximè veracitas demonſtratur.

Pſal. 85.

Pſal. 44.

Pſal. 84.

Hug. Car.

Euthym.

Gen. 18.

Tertull.

Tertull.

§. XII.

Res meritorum non ex diuturnitate temporis, sed ex corde metienda est.

ET animalia, & aues assumuntur in sacrificium, vt in auibus perfecti, in animalibus imperfecti notentur; sed animalium tempus insinuatur, non auium. Dicit enim: *Sume mihi vaccam trienne m, capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam.* Et cur cum in animalibus tempus notetur, in auibus non notatur? Ideo sanè tempus in auibus minimè notatur, vt sciamus, quod merita, quibus perfecti super omnes valent euolare, non à tempore, sed à corde suum pretium, & æstimationem trahũt. Ait Gen. 5. *Et facti sunt omnes dies Mathusalæ nongenti sexaginta nouem anni.* At Luc. 3. de Iesu Domino: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*; & vix expleuit triginta & quatuor annos. Et quando Mathusalæ dedit nongentos annos, cur sibi tã paucos sumpsit, nisi vt ostenderet, meritorum culmina non indaganda ex annis, sed ex corde puro, & feruente voluntate? Ait Algerus lib. 2. de sacram. cap. 7. *Ne minutio temporalis laboris aliquod æterni præmij videretur dispendium, sui ipsius vitam, qui supra omnes est, triginta duorum, & semis annorum numero consummauit: vt quia Deus non curat ex quanto tempore, sed ex quanto corde sibi seruiatur, perfectionem meriti non tempori adscriberet, sed virtuti. Ecce enim in tantillo tempore obedientiam patri perfectè seruauit, quod nullus ab origine mundi facere potuit.* Potest fieri, vt vel vnus actus vnius hominis perfecti aliorum meritorum sæcula vincat. Id quod manifestè patet, si Enochum compares cum sanctissima Virgine Maria: vixit Enoch inter homines sanctissimè trecentis annis, & sexaginta quinque Genes. 5. & inde translatus in locum soli Deo notum conseruatur in vita meritoria vsque in mũdi finem, vt tunc vitam claudat coronam accipiens martyrij. At Mariæ annos ad summum extendunt aliqui ad septuaginta. Si ergo annos Enochi compares cum annis Mariæ; forsan in Enocho plura sæcula numeres, quàm in Maria dies. Et quis dicat Mariæ merita tandem vincenda à meritis diuturnissimæ vitæ illius? Possunt sanè esse longa tempora vitæ meritoriæ, quæ vincantur à paucis actibus perfecti vnius. Matth. 11. diceb at Dominus: *Non surrexit inter natõs mulierum maior Ioanne Baptista.* Et sanè ante Ioannem longissimæ ætates fuerant Patriarcharum, quos omnes superauit Ioannes annis triginta duobus cũ dimidio. Ait Algerus supra: *Quomodo Ioanne nemò maior surrexisset, cum Abraham, Isaac, & Iacob, & cæteros plures in obsequijs diuinis diutius laborasse cõstet? Sed cuidens est pro certo, quia etsi plures eo laborauerunt diutius, nemo seruentius, & purius, qui tempore iuuentutis suæ in tẽtus est in tẽtatione fidelis, & fortis, & c.* Ioannis puritas, & feruor fecit merita, quæ longorum sæculorum merita vincerent. Quo respiciens Sap. cap. 4. ait: *Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata:: Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Circa quæ D. Bern. epist. 253. in nostram sententiam fatur: *Bene multa, quia vniuersa complectitur. Quomodo enim non expleuit omnia tempora, qui transit ad æternitatem? Quanta sanè tempora non longæuitate, sed longanimitate, hoc est, non annorum seriè, vel dierum numero, sed mentis deuotione, & inextinguibili semper proficiendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meritis non immerito vindicauit.* Quæ obsequij tempora vellet feruens desiderium, omnia quasi completa apud Deum cernuntur. Vt dicat Hugo Card. ibi: *Compleuit tempora multa, hoc est, tãtum meruit illo breui tempore, quo vixit; quantum alius multis temporibus viuens.* Et quis hoc? Ait ipse *Consummatus charitate.* Et quidem qui in perfectissima charitate est, meritis breuis tẽporis aliorũ sæcula vincit. Ex quo sapiẽter assetit Rupertus, quod refectio ministrata à Maria Iesu superabat meritò omnes eleemosinas, quæ per omnia sæcula tribuũtur pauperibus Christi: dicit namque Cãt. 4. *Odor vnguẽtorum tuorum super omnia aromata.* Vbi sic ait Dominus apud Rupert. lib. 3. in Cant. *Charitatem tuam plusquam maternam respicienti mihi, cuncta pro optimis vnguentis, cuncta pro suauissimis fuere eleemosinis, ita vt nulla eleemosinarum aromata, quacumque mihi in meis expenduntur membris, vnguentis illis valeant aliquatenus comparari.* Multorum sæculorum eleemosinæ non possunt in merito comparari cum eleemosina, quam præstabat Maria, charitate feruidissima cibando filium. Et fieri potest, quod multorum sæculorum virtutes, non superent actum vnum, aut alium Mariæ, vel Apostoli, vel alterius iusti, quod probat parabola adducta à Christo Domino Matth. 20. de operarijs vineæ; quorum primo-

Genes. 5. Alger. Genes. 5. Matt. 11. Alger. Sap. 4. D. Bern. Hug. Car. Cant. 4. Rupert.

mi tota die laborantes nō vicerunt nouissimos, qui vix vna hora laborarunt. De quo noster Maldonatus ibi.

§. XIII.

A perfectis viris non omnia præceptis extorquenda, sed multa credenda, committendaque illis.

QVis nesciat in lege Moysi multa obseruanda caueri circa hostiarum mundiciem? Vt agnus sit sine macula; ne animal sit mutilum, ne fœtidū, aut scabiosum, sed omni ex parte perfectū. At Abrahamo solum dicitur; *Summe mihi vaccam triennem, capram trimam, &c.* De illorum mūdicie, de integritate, de perfectione, nec verbum fit. Et cur non magis in Abrahamo cauetur; ne sit hostia immunda, fœtida, scabiosa; quod cauetur in populo Israelitico? Sapienter Patres ita ibi respondet; minimè necessariam fuisse in perfectissimo viro Abrahamo talem cautionem; perfectis enim viris non omnia notanda præcepto, sed multa committenda, & credenda eorum perfecto arbitrio; vt qui nil indecorum committent. Antiqui Patriarchæ maximè cauebant, ne filij sui acciperent vxores alienigenas; habes enim Gen. 24. vt Abraham ait seruo suo: *Pone manum tuam super femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cœli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananeorum, &c.* Sed & Moyses, & Ioseph alienigenas vxores permittūtur accipere; nec verbum illis circa hoc dicitur, imo de illo murmurantes corripiuntur. Cur ergo, quod in alijs cauetur, in Moyse, & Ioseph sine cautione permittitur? Cauebant antiqui patres ne filij sui aliquam ex alienigenarum coniugio cō traherent macula, & ideo monent illos de ijs non accipiendis. Moyses autem, & Ioseph vt erant perfectissimi viri, nihil illis metuitur à coniugio; sed eorum permittitur arbitrio, quod debent facere, quasi qui nihil indecorum facient. Ait D. Iustinus Martyr quæst. 90. *Patriarchæ veriti ne a religione exciderent sui filij non permiserunt eis ex gentibus vxores ducere. At Ioseph, & Moyses expertes erant huius metus. Nihil ergo contra scopum patrum fecisse videntur, vel Moyses, vel Ioseph ducendo vxores gentiles. Nam tantū abfuit, vt ipsi ab vxoribus suis abstraherentur a religione, vt etiam suas vxores ad religionem suam transtulerint.* Ecce tibi, vt quod in alijs cautum erat, minimè in perfectis viris caueatur, cum enim de illis esset legislator certus, quod nil turpe, nihil indecorum admitterēt; maluit illorum arbitrio credere nuptias, quàm illos præmonere de illis.

Gen. 24.

D. Iustin.

Cen. 15. Descenderuntque vō lucres super cadauera, & abigebat eas Abram. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum. Dictumque est ad eum: Scito prænoscens quod peregrinum futurum est semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent eum quadringentis annis. Verumtámen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur eum magna substantia.

§. XIIII.

Mundo mortuos falsis rumoribus fœdant mundiales.

VIx sacris altaribus animalia occisa fuere imposita, & ecce volucres aduolant, vt ea lacerent. Sic ait: *Descenderuntque volucres super cadauera.* Quis enim Deo sacer, mundo mortuus non falsis mundialiū rumoribus intenditur fœdari? Ne dicas mihi; quod ij protendebantur Israelitæ ab Ægypto fugientes, Deumque spectantes, & Ægyptiorum in cursibus afflicti. Nullus est, mihi crede; qui mundo moriatur, Deoque sacretur, qui malis auibus non sit in prædam, vt eius velint falsis rumoribus fœdare famam. Sapienter aiebat D. Cyprian. epist. 52. in defensionem Cornelij: *Quod autem quædam de illo inhonesta, & maligna iactantur, nolo mireris: cum scias hoc esse opus semper diaboli, vi seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis glorioſum nomen infament.* In hoc aereæ potestates occupātur, vt nomen seruorum Dei infament multis affictis rumoribus, qui possint per omniū

D. Cypr.

ora

ora volitare. Quò respiciens Prouerb. 14. ait: *Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via.* In rē nostram vltima verba legit Chaldæus: *Qui calumniator est in via sua, spernit eum.* Vbi quis incipit sese Deo dare, & mundo abnegare: Deus bone, quantis afflictis calumnijs vicatim spernitur, laceratur! Lepidè quidem de hoc præmonebat nobilissimam Furiam D. Hierom. epist. quæ est ad illam de viduitate seruanda: *Caue nutrices, & rumigerulas, & istius modi venenata animalia, quæ de corio tuo saturare ventrem suū cupiūt. Vbi pudicitiæ sanctitas, ibi frugalitas est. Vbi frugalitas ibi damna seruulorum. Hi rumores turpissimos serunt. Exit fama de mendacio, quæ cum ad matronas peruenerit, & earum linguis fuerit ventilata, prouincias penetrat. Videas plerasque rabido ore sæuire, & dentibus pumicatis carpere Christianos. Hic aliqua, cui circa humeros hyacinthina lana est, Rancidulum quiddam balba de naue locuta, Perstrepit, ac tenero supplantat ore palato. Omnis consonat chorus, & latrant vniuersa subsellia.* Saltu non nulla prætermisi, de ijs aliquid tollere duxi nefas: quibus euidentissimum est, vt infectatores virtutum famigatores acuuntur, & calumniatores, vt quod Dei est, in derisum, & contemptum vertant. Accedit eodem Iob cap. 12. aiens: *Deridetur iusti simplicitas.* Ex Græco in cat. *Iustus, & irreprehensibilis sanctus est in derisum.* Vbi Olympiod. ait: *Qui corporis sunt illecebris deliniti, eorum, qui insti tiæ, & spiritui nauant operam, stultam arbitrā tur esse conditionem.* Sic semper mundiales stultitiæ damnant eos, qui calcato mundo se Deo offerunt. Zachar. 3. dicitur. *Ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotum magnum stātem coram Angelo Domini: & Satam stabat a dextris eius, vt aduersaretur ei.* Expende vt Satam à dextris Sacerdotis eius, non à siniſtris, quia iustorum aduersarij non cessant eorum dextra opera mordere. Ait D. Cyril. Alexand. ibi: *Stabat, inquit, a dextris eius, quodammodo dextera dextruēs. Non enim siniſtras res nostras, sed dexteras, & laudabiles oppugnat.* Sic semper curritur ad sancta, vt ea infestentur.

Prou. 14.

P. Hier.

Iob. 12.

Olymp.

Zachar. 3

Cyr. Alc.

§. XV.

A malo venit, quod non nisi mala in proximo notes.

NVllus est, qui de ijs venientibus volucribus ad cadauera non male sentiat, cō mumiter putantur esse Ægyptiorum Diræ in Israelitas; D. Gregorio sunt pessimæ cogitationes, & quod malum non præsumatur de ijs, quæ ad cadauera volant? Ait enim textus: *Descenderunt volucres super cadauera.* Et sine dubio nunquam non à malo venit, quod solum insistas proximi operibus mortuis. Danieli cap. 12. dicebat Angelus: *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt affligeres te in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos. Princeps autem Persarum restitit mihi viginti & vno diebus.* Resistebat Princeps Persarum, ne Israelitę à captiuitate liberarētur; resistebat, inquam, Israelitarum peccata, & transgressiones commemorās, propter quas amplius debebant puniri apud Persas. Sed quis erat iste Princeps Persarum sic resistens, & sic obiiciens peccata Israelis? Ab officio patet fuisse malus aliquis genius regnans in Persis, nō enim nisi malus miserorum captiuorum sic errores attenderet. Ait Rupert. lib. 9. de Victor. verb. Dei cap. 8. *Scire etiam debemus, malos Angelos ex aduerso venire, & contradicere illis, ac resistere, & cum sint iniusti, nostræ contra nos declamare causas iniustitiæ.* Expende ab illis: *Et cum sint iniusti, &c.* Quod enim iniustitias hominum declamant, ponderent, accusent; inde venit, quod ipsi sint iniusti. De spiritu sanè iniquissimo venit, quod solæ humanæ iniustitiæ proclamentur, publicentur. Iob cap. 2. ait Dominus ad Satam: *Nunquid considerasti seruum meum Iob: vir simplex, & rectus?* Ex nequam spiritu quærit Deus, si cōsiderauerit, si viderit Iobum; cum certum sit omnia, quæ in mundo creata sunt, diabolo, & angelis manifestè patere. Quid quæris Domine ex diabolo de Iob? Non ne scis omnes homines esse diabolo manifestos? Si ergo hoc certum est, quod diabolus omnes videat homines, cur ab illo quæris, an Iobum viderit? Non quærit Deus, an diabolus Iobum viderit vtcumque, sed an viderit Iobum seruum Dei virum sanctum, simplicem, & rectum? Hoc enim certum erat, quod non viderit diabolus, cuius est solos errores libenter videre. Vt enim Deus omnia bona videt; sic diabolus ad ea sola attendit, quæ eius nequitiæ possint esse fomenta. Ait Paulus Orosius Apologia de lib. arbitrio, fatus: *Aduertisti, inquit Deus, in puerum meum Iob, quia non est quisquam similis illi super terram? Nouit specialiter vnumquemque Dominus, nouit & diabolus. Ille potestate naturæ; iste labore nequitiæ.* Expende illud: *Iste labore nequitiæ*, non enim

Dan. 12.

Ruperti

Iob 2.

Paul. Or.

enim honesti laboris est in diabolo, quod homines adeat, eorum mores scrutetur; sed id nequissimi laboris est, solum enim id facit intentus ad nequitiam, si quid videat nequam, quod proclamet, quod accuset, quod condemnet. Proh diabolicos labores! Laborant plurimi proximorum mores noscere, sed quo labore? Sanè labore nequitiæ, vt nequitias omnium propalent, & in derisum vertant. Quam alius Dei spiritus est, quorum oculi sic sunt ad bona propensi; vt inde iam probetur aliqua res bona esse, si aspiciatur à Deo. Gen. 1. *Creauitque Deus Cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus, quod esset bonum.* Genes. 1. Tertull. Vbi sapienter Tertul. lib. 2. in Marc. ait: *Disponens bonitatem operum dignatione cōsilius.* Hoc vno probabantur opera bona, quod Deus illa videret, quando diuini spiritus est ad sola bona attendere specialiter vt fiant. Vide infra lib. 7. cap. 2. §. 30.

§. XVI.

Vbi diuisio, ibi præda est potestatibus hostilibus.

DIuisa animalia, vt posita sunt in aris, statim ad illa euolant rapaces alites, sic enim dicit: *Descenderuntque volucres super cadauera*; nec miror, quod vbi diuisio, ibi prædam inueniant furiæ rapaces. Quo D. Aug. respexit D. August. lib. 16. de ciuit. Dei cap. 14. inquiens: *Aues descendentes super corpora, quæ diuisa erant, non boni aliquid, sed spiritus iudicant deris huius, pastum quendam suum de carnalium hominum diuisione quærentes.* Nec deficit pastus hostibus malignis, quando inter homines aliqua apparet diuisio. Meritò enim de Israelitis dicebat Oseas Oseas 10. cap. 10. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Sed vt Græca: *Diuiserunt corda sua, nunc disperibunt*: quasi tunc certior ruina emineat, cum præcedit diuisio. Ex quo mo Cyr. Ale. net D. Cyril. Alexand. ibi: *Oportet igitur nos non in amplitudine rerum secundarum offendentes ad aliquid Deo displicēs abripi: quin potius ad ea promptissime præstanda incumbere, quæ ex virtute gloriam conciliant, non diuisos in affectiones mundanas. Verum est enim illud Christi. Nemo potest duobus dominis seruire. Quod si diuidimur, etiam iuxta votem Psalmistæ: partes vulpium erimus.* Semper de diuisione, nascitur, quod Voracibus, ferisque hostibus exponamur. Fallar enim si quæ mala, si quæ ruinæ, si quæ perditiones prætereant eos, qui in se diuisi diuisiones, & discordias amant. Vt efficacissima videatur illa Dauidis ad Deum oratio Psal. 67. *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* In discordiarum, bellorumque consilio, nunquam non fuit perditio, & dissipatio, adeò vt ille solum videatur imminenti perditioni occurisse, qui discordias, diuisionesque substulit, pacem, & vnanimitatem amauit. Quo Paul. Or. alludens Paulus Oros. lib. 2. cap. 17. fatur: *Sapientissimi omnium Attenienses etiam suis malis satis docti: cōcordia minimas res crescere, discordia maximas labi: cūctaque, vel bona, vel etiam mala, quæ foris gerantur, internis esse radicata, & emissa principijs; domi absterse odia, & foris bella præferunt, reliquerunt-que posteris suis de ruina sui exemplum, de reparatione consilium.* Ecce tibi in vna ciuitate, & exemplum ruinæ, quam fugias; & consilium reparationis, quam inquiras. In diuisionibus, in discordijs, in odijs frequentia sunt exempla calamitatis, extremæque ruinæ. In pace, in vnanimitate, in concordia consilia sunt, per quæ in damnorum omnium reparationem peruenimus.

§. XVII.

De iustorum consortio peccator seruatur in vitam.

QVam aliter à vulgatâ ponunt Septuaginta Abrahami officium circa animalia sacrificij: ait enim Vulgata: *Descenderuntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram.* Septuaginta autem legūt: Septuag. *Et consedit illis Abram.* Hic dicitur consedisse Abraham animalibus in ara positis; ibi dicitur abegisse rapaces alites superuenientes. Et fortè idem erat considere Abrahamum animalibus occisis, & hostiles volucres abigere, de consortio enim tanti iusti, nō dubito quin hostiæ maneāt integræ, & ab hostibus liberæ. Vtinā vniuersi carnales homines, dū peccati mortem incurrunt, habeant sibi consedentes iustos, seruarentur equidem ad vitam. 4. Reg. 13. 1. Re. 13 dicitur: *Quidā autē sepelientes hominē, viderūt Latrunculos, & proiecerūt cadauer in sepulchro Elisæi. Quod cū tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo, & stetit super pedes suos.* Quid plura? Ibi exprimitur, quid valeat iusti attactus ad vitificandos in peccati mortuos, quos habet propinquos. Ex quo mone Bachiarius epist. ad Ianuarium de recipiendis lapsis: *Et tu ergo, si mortuum dicis; vel iuxtā*

Eliſæi illam oſſa conſtitue. Nolo, vt eum longe ſegreges a Chriſti membris, quia ipſe conſortio meliorum erubeſcet, & reſurget ad vitam. Nõ ne emendationis paratum putas eſſe tormentum, ſi peccator adciſcitur in conſortium beatorum, quia illorum præmia ſua ſentit eſſe tormenta? Si quis laudatur, erubeſcit; ſiquis vituperatur, agnoſcit. Inter hæc flagella verborum conſtitutus, ſatisfactioni, emendationique approximat. Sic iuſte homines iuncti peccatoribus illos ca lefaciũt in vitam, & faciunt vel exemplorum ſtimulis, vel virtutum communione, vt malos abigant mores, & induant bonos. Quis Saule peior iam inuidia correptus? Huic tamen cum appropiat prophetarum chorus, ſtatim illi inuidiæ ingerunt obliuionem, & prophetiæ implent dono. Sic

1. Re. 19. 1. Reg. 19. *Miſit Saul lictores, vt caperent Dauid, qui cum vidiſſent cuneum prophetarũ vaticinantium, & Samuelem ſtãtem ſuper eos, factus eſt etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cæperunt etiam ipſi.* Nec ſolum lictores prophetant, ſed & de ipſo Saule ait: *Et factus eſt etiam ſuper eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, &c.* Ecce tibi, & lictores, & Saul venerant manus Dauidi inferre, & cum accedunt prope Dauid penitus obliuiſcuntur odij ſui, & inſiſtunt canticis diuinis. Vnde ſic ſpiritus malus deſeruit homines impios, & impleuit eos Spiritus diuinus? Eos ſecum accepit chorus prophetarum, qui laudabat Deum tota die, de quorum conſortio venit, vt furor abigeretur, & Spiritus diuinus illos corriperet.

Procop. Hinc ait Procop. in Gloſſa: *Hinc autem manifeſtum eſt, quod qui ſanctis adhæret, & conuerſatur, ſanctus efficitur, & ſi antea malus fuerit.* Nulla eſt malitia, quæ non cedat iuſtorum conſortio: hoc Deus concedat, vt nobis peccatoribus accedant iuſti, nobiſque conuerſentur; & cito malitia omnis fugiet, venientque virtutes viuidiſsimè. Matth.

Matth. 2. 2. dicebat Angelus Ioſeph; *Accipe puerũ, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Cur in Ægyptum? Conuenerãt eò poteſtates aeris huius, alites dæmoniacæ, omnium vitiorum feces; quæ vt abigantur inde, accedit ſanctus puer, & Maria, & Ioſeph; de tantæ enim ſanctitatis præſentia, & virtutes venient, & vniuerſa illa mala abibunt.

Origen. Ait Orig. hom. 3. de diuerſis: *Quare in Ægyptum? Propter multitudinem, quæ ibi eſt idolorum, abominationumque multarum. Fuge in Ægyptum, vt fugiant de Ægypto, qui ibi ſunt dæmones, vt appropiet ibidem Angeli ſancti, qui Deum conſequuntur, qui ſanctis iunguntur, vt pro vitijs, & erroribus multis, multa caſtitas, multaque ſanctitas abundet, multaque virginitas.* Quod malum non abigat, tantæ ſanctitatis præſentia, & quam non trahat virtutem?

§. XVIII.

Filiorum calamitas, & mors nunquam non duriſsima parentibus.

SÆpe alias Abrahamo Dominus apparuerat, nullumque illi horrorem incuſſerat, vt notat in præſenti Salianus, hunc autem apparens, & horrorem maximum, & tremorem incutit. Dicit enim: *Cumque Sol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum. Dictumque eſt ad eum: Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum eſt ſemen tuum, &c.* Cur modo apparens Dominus horrorem adeò tenebroſum immittit viro, quod minimè in alijs apparitionibus fecerat? Reuelabatur modo Abrahamo filiorũ calamitas, duraque apud Ægyptios captiuitas, quæ non poſſunt parenti optimo non eſſe horroris, & diſcriminis. Et quis pater ſine horrore audiat filios conficiendos ærumnis? Iob perditionem facultatum immotus excipiens, ad famam interfectorum filiorũ veſtimenta diſcidit: ſic cap. 1. *Ecce alius intrauit, & dixit, Filijs tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti repente ventus vehemens irruit a regione deſerti, & concuſſit quatuor angelos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt; & euaſi ego ſolus, vt nuntiarem tibi. Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, &c.* Nõ in ſubſtantia perdita, ſed in mortuis filijs immutatur Iob; quod prænoſcens Satanas frequentem illi mentionem liberorum facit, vt vehementius patrẽ exulceraret. De quo Olympiod. in cat. Græca fatur: *Germanæ prolis præcipue meminit, vt iuſti naturam exulceraret. Neque enim dixit ſupra omnes, qui intus erãt, cecidit, ſed magis proprie memoriã ei naturæ aſſerẽs, ac luculentas ei plagas infigẽs dixit, Cecidit ſuper filios tuos::: vt ad ſtuporẽ mentis, & deſperationẽ iuſti animum ſolicitaret.* Expẽde illa, *ad ſtuporẽ mẽtis, &c.* Fama enim calamitatũ filiorum, eũ ſolet ſtuporẽ parentibus inijcere; vt vix maneat aliud, quod ſenſu percipiãt. Imò tãto inde horrore afficiũtur, vt propria mors iam non illis horrẽda videatur, ſed prorſus appetibilis. Rebellis in Babylonios Sedecias captus eſt 4. Reg. 25. & ductus ad Nabuchodonoſorem. *Qui locutus eſt cum eo iudicium. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius*

Olymp.

4. Re. 25.

effodit,

effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem. Ecce tibi Babylonius rex vehementer iratus in Sedeciam, eius filios in oculis patris iubet occidi, patrem autem non occidit, sed reseruat viuum. Et quare occisis filijs nocentiorem patrem non occidit? Meritò Abbul. quæst. 7. in præsenti, putat ad maiorem pœnam eius reseruari viuum Sedeciam post visam filiorum ruinã. Mors enim nõ pœna, sed leuamẽ est parẽti, qui vidit interimi filios. In Ierosolymitana enim obsidione similiter iusserat Simon Matthiæ filios iugulari coram patre; sed insuper patrem iugulari post filios. Ventum est ad carnificinam, & dum perimuntur filij, ait pater ad carnificem, apud Egesipp. lib. 5. de Excid. Ierosol. cap. 22. *Festina, carnifex dum cruentum sanguine filiorum gladium geris, percute patrem, vt nullus refrigeret. Hoc solum morituro medicamentum est: hoc solum nõ sentitur ictus mucronis, dolor vulneris.* Ecce tibi gladius alioquin horribilis morituro, vt suauis aspectu fiat, nimirum si veniat filiorum sanguine litus; conspectu enim filiorum sanguine, sic paterriget, vt iam nõ dolorem, sed medicinam in morte possit sentire. Illud enim maximè horrẽdum parẽtibus, si videant in calamitate filios. Vnde Iob cap. 17. positus in medio horribilium calamitatum dicebat. *Oculi filiorum eius deficient.* Vbi Septuaginc. *Oculi super filios tabuerunt.* Expressius in rem nostram Complutẽsis: *Oculi mei super filios tabuerunt.* Ad quæ Polychronius in cat. Græca ait: *Perpetuum luctum, quo prosecutus est filios, tragice describit. Ac vide quemadmodum non dicat propter fortunarum amissionem oculos suos extabuisse, sed propter repentinum natorũ interitum. Hi enim eum grauiter exulcerarunt.* Nec tot pœnarum vlcera valuerũt in patre obliuionem facere de filiorum vlcere. Quod inter alia erat patri præcipuũ. 2. Mac. 7 Machab. lib. 2. cap. 7. de eorum matre: *Nouissimè autem post filios mater consumpta est.* Multis grauissimisque tormentis narratis, de matre solum ait, quod consumpta est. Cur non magis eius exprimit dolores? Ait Ambr. Amb. lib. de bono mortis cap. 11. *Quis hãc beatam neget, quæ inter corpora filiorum nullũ sensit mortis incursum?* Mors desæuiens in filios primo, cum ad matrem peruenit, iam dolorem illi non attulit, quæ erat iam ad dolores insensibilis. Huc trahe dicta supra tom. 1. in Veter. Testam. lib. 1. cap. 3. §. 5. & tom. 2. in Euang. lib. 10. cap. 3. §. 20. & alibi.

***

§. XIX.

Parenti optimo filiorum spirituales ruinæ summi doloris sunt.

AD occasum solis tenebrosum quid, & horribile accidit Abrahamo, cum dicat text. *Cum occumberet Sol, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum, &c.* Ecce tibi tenebrosum quid, & horroris plenum inuasit Abrahamum; sed iam proficiente nocte, & durante visione nihil de horrore dicitur, tantũ tenebrosum perseuerat. Dicit enim statim: *Cum Sol occubuisset, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus, &c.* Hic caligo tenebrosa dicitur facta, nõ horribilis; illic quid tenebrosum; & horribile ostenditur fuisse. Et cur non in secundo, sed in primo horror fuit? Duæ Abrahamidum repræsentabãtur calamitates; in primis representatur Iosephi venditio per fratres, quæ occasio fuit descensus in Ægyptum; secundo, representabatur persecutio Pharaonis, qua premebat Israelitas. In secunda ergo repræsentatione erat Israelitarum pœna sine illorum culpa; in prima autem erat maximum Israelitarum crimen in fratrem Iosephum: ideo non secunda, sed prima fuit Abrahamo horribilis, quia optimo patenti, & præceptori nihil tam horribile, quam ruina spiritualis filij, siue discipuli. Ait Rupert. ibi: *Bis in hac visione Solis occubitus, & tenebrarum mentio facta est. Primo enim hic dicitur; cumque Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum. Secundò cum infra dicitur: Cum ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, &c. Hæc tenebrarum iteratio geminam seminis Abrahæ aduersitatem significat. Primam videlicet, qua fratrem suum Ioseph vendiderunt, quæ causa fuit peregrinationis, & seruitutis eorum. Secundam, qua post mortem Ioseph a Pharaone tribulati, & afflicti sunt. Et prior quidem aduersitas res fuit iniquitatis, propter quod dictum est, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.* Expende ab illis: *Et prior quidem aduersitas res fuit iniquitatis, &c.* Vbi parenti optimo, & præceptori, & viro iusto repræsentabatur filiorum iniquitas, qua in lethalia præ-

lia præcipitabantur crimina; ibi & tenebræ, & horror premebant illum. Res est luctuosa calamitas quæuis corporalis filiorum; at calamitas spiritualis, qua non corpus, sed anima perditur, & à Deo excluditur per crimina, eà plena est horroris parenti optimo, & discriminis. Ter Dominus cùm hoste congressus fuit in deserto, & ter illum deuicit. Quid tunc? Ait D. Luc. cap. 4. *Et cõsummata omni tẽtatione diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.* Itaque non prorsus abcesserit hostis, sed sese collegit ad tempus, quo acrior rediret. Et quo tempore acrior venit in Iesum hostis malignus? Ait Paul. Oros. in Apol. liber. arbitr. *Iesum ter diabolus tentauit, terque superatus reliquit, & non reliquit in perpetuum, sed ad tempus, acrior vsque ad mortem crucis Apostolo præuaricante rediturus.* Expende illud, *Apostolo præuaricante*, quasi inde vehementer acueretur tota acerbitas crucis, nimirũ, quod de Apostoli præuaricatione nata fuisset. Id enim summi doloris habuit Iesus in tragœdia passionis sue, nimirum perditionem spiritualem discipuli. Vt Iudæ crimen apparebat amantissimo magistro, acrior illi erat pugna, quam totum duelum temporale crucis. Et qui Luc. 22. dixerat: *Desiderio desideraui hoc pascha mãducare vobiscum*, vbi ad paschæ tempus ventum est, Matth. 26. *Cœpit pauere, & tædere, & mœstus esse, & ait: Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Quando illi mors erat inoptatis, quid in limine mortis pauet? Cur tanta tristitia afficitur? Ait D. Amb. lib. 10. in Luc. *Tristis erat, non pro sua (tantum) passione, sed pro nostra dispersione. Tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturus.* Et Paschas. lib. 12. in Matth. *Tristabatur pro Iudæis, quos specialiter elegerat in populum, & nutrierat, quã dulciter, quoniam cernebat eos omnes in eius concurrere mortem.* Itaque nõ tormenta suæ passionis, sed suorum, quos elegerat, quos nutrierat peccata illi erant causæ tristitiæ tantæ. Et quidem iustos animos non sic angent pœnæ corporis, vt vulnera mentis.

Luc. 4. Paul. Or. Matt. 26 Luc. 22. D. Amb. Paschas.

§. XX.

Aduersis assumuntur prospera ex Deo.

CAptiuitatem, duramque seruitutẽ Israelitarum prædicit Dominus, sed & prosperitatem; dum ait: *Affligent eos quadringentis annis, & postea egredientur cum magna substantia.* Non enim permittimur semper affligi, imò afflictiones solent esse pignus instantis prosperitatis. Sapienter Herodes suos milites semel fusos, & cesos docet inde victoriam sperare: Ait enim apud Egesip. lib. 1. Excid. Ierosol. cap. 32. *In terris nihil tam mutabile, quam vel secunda res, vel aduersæ. Exiguis enim momentis status rerum humanarum nouantur. Nec prosperitas diuturna, nec ærumna est pertinax. Ergo, & nobis sperare licet, quod vincantur a nobis, qui nos vicerant. Nihil est, quod timeamus tanquam grauia passuri, qui pertulimus grauissima. Propitius iam potest esse, qui vindicauit, & mitior, quam si non vindicasset. Quid seruatur post terræmotum, vel pestilentiam nisi misericordia?* Sapienter homo prudens de ærumnis sperat fore, vt iam misericordia applaudat. Vt enim nunquam Deus in præsenti ærumnas æternat, qui in ærumna est, iam debet sperare ex Deo prosperitatem instantem. Adeò enim clare ærumnis assuitur ex Deo prosperitas, vt non liceat ærumnoso de illa dubitari. Sic 4. Reg. 6. dum Israeli tæ fame tabescerent, ait Elisæus: *Cras modius similæ vno statere erit, & duo modii hordei statere vno in porta Samariæ. Respondens vnus de ducibus, super cuius manus rex incumbebat homini Dei, ait; si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, nunquid poteris esse quod loqueris? Qui ait, videbis oculis tuis, & inde non comedes.* Sic duriter miseri hominis punitur desperatio, vt pereat inter abundantiam. Et quantus error fuit hominis, qui in summa famis penuria constitutus non putaret possibilem adeò properam abundantiam? Sanè magna in eo perfidia fuit, quando ex Deo propetasse abundantiam ærumnosis non debebat dubitare. Ait D. August. ser. 211. de Tempore citatus in Glossa: *O perfidia hominis! Non credit promissam vbertatem, qui horrendam senserat egestatem.* Nisi perfidus esset, dum sese videbat in summa egestate, iam inde crederet Deo promittenti vbertatem. Faciunt enim maximè fidem venientis prosperitatis calamitas, & ærumna, quibus afflictamur. Vt meritò dicat Iob cap. 17. *Post tenebras spero lucem.* Vbi Septuag. *Lumen prope a facie tenebrarum.* Vt enim sol noctis tenebras, sic prosperitas, ex Deo sequitur ærũnas, aquarum conspectu speret homo properantem illam. Quo Ecclesiast. cap. 2. respiciens monet: *Sustine sustentationes Dei: coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua.* Ex Græco: *Conglutinare Deo, & sustine.* In sustinendis namque ærum-

Egesipp. 4. Reg. 6. D. Aug. Iob 17. Septuag. Eccles. 2.

ærumnis, vitaque præsentis calamitatibus hoc nobis curandum est, vt conglutinemur Deo, si velimus nostram prosperari vitam. Sed quo glutine? Ait Philo lib. de migrat. Abrah. *Dominum Deum tuum timebis, & eum solum coles, & adglutinaberis ad eũ. Quoglutine? Nimirum pietate, ac fiducia.* Equidem fiducia in aduersis de prosperãdo statu gluten est, quo Deo coniungimur.

Philo.

Gen. 15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc. Necdũ enim completæ sunt iniquitates Amorræorum, vsque ad præsens tempus. Cum ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. In illo die pepigit Dominus fœdus contra Abram dicens; Semini tuo dabo terram hanc, a fluuio Ægypti vsque ad fluuium magnum, &c.

§. XXI.

Vnus Iesus horrores mortis aufert.

DIcitur Abrahamo, quod in senectute bona defunctis iturus sit ad patres suos, quippe ait: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona*; & dum hæc dicebantur, præmiserat textus: *Horror tenebrosus, & magnus inuasit eum.* Et quãdo illi promittitur mors pacifica in senectute bona, qua ad patres proficiscatur, cur horret Abrahamus? Horret equidem, qui in morte iturus erat ad patres, non ad Christum pro tunc. Si enim moribundo non pater proponeretur, sed Christus statim amplexandus, non horror in morte esset, sed maximè appetibilis suauitas. Actor. 7. Stephanus rapitur ad mortem, & imperterritus ait: *Ecce video cœlos apertos, & Iesum stãtem à dextris virtutis Dei.* Cur bone modo magis visionibus attendis? Cur non aspicis mortem impendentem, hostes frementes, lapides paratos? Videt Iesum expectãtem, ad quem vt perueniat, nihil in morte horroris sentit, sed omnia illi videntur appetendæ suauitatis. Ait D. Aug. hom. 95. de diuersis: *Ad Christum flagrantissimo amore suspensus carnem quantoties relinquere desiderabat, & ad ipsum cupiebat auolare, nec mortem iam timebat, quia Christum, quem pro se occisum sciebat, viuentem videbat, ac per hoc festinabat, etiam ipse mori pro illo, vt viueret cum illo.* Mortem videt, vbi Christum videt; & dum illius pedibus aduoluatur, dum eius possit assistere lateri, festinat mori, nullasque mortis expauet difficultates. Matth. 2. Orientales illi Magi Ierosolymã ingredientes clamabant: *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriẽte, & venimus cum muneribus adorare eum.* Viuente Herode audent alium regem nuntiare, & de illo quærere. Vnde tanta hæc externis hominibus, & peregrinis audacia? Cur non magis verentur præsentem regem? Cur non magis expauent tyrannum? Cur non cauent pericula, quæ certo certius acclamationem noui regis comitantur? Veniebant ad Iesum dominatotẽ stellarum, quem dum amplexentur, & pericula, & mortem nihili faciunt. Pulchrè Imperfect. ait: *Nunquid nesciebant, quia in Ierusalem regnabat Herodes? Nunquid non intelligebant iustitiam legis, quia quicumque Rege viuente alterum regem pronunciat, & adorat, quasi minister tyranni punitur sanguine? Sed dum considerabant regem futurum, non timebant regem præsentem. Nunquid non habebant præoculis suis periculum mortis, qui talem rẽ illicitam vsurpabant? Sed non curabant de morte. Si autem curæssent de morte, nunquam ad hoc ausi fuissent. Adhuc nõ viderant Christum, & iam parati erant mori pro eo.* Crediderim, quod Magi antequam Ierosolymam peruenerint, in teneris hospitijs interrogauerint de rege Ierosolymorũ, quis esset? Quĩ vocaretur? An habuerit recens natum filium? Et postquam sciuerint Herodem regnare, illumque esse alienigenam, nullumque recens natum filium habere, quæ omnia erat vulgo notissima; nihilominus audẽt clamare Ierosolymis pro rege naturali Iudæorum recenter nato illis diebus. Cum enim iam diuino spiritu afflati præ oculis haberent ortum Iesu, ad illumque amarent peruenire, non timent mortem, nec pericula timet. Et cur timeat mori, qui festinat ad Christum?

Actor. 7.

D. Aug.

Matth. 2.

Imperf.

§. XXII.

Quælibet iustorum mors quasi in gloria videtur, comparata cum morte illorum, qui in conflictu pro Christo moriuntur.

CRediderim quasi humiliter sensisse Dominum de Abrahami morte, quando dixit: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace.* Quid enim magnum contigit viro, qui ostenditur semper inter parentum vlnas? Qui naturæ cedit, non de natura triũphat? De sancto Focino Episcopo Lugdunensi martyre ait Euseb. Gall. serm. de San. Blãdina. *Euse. Ga.* *Senilis infirmitas per iniurias furentium ita celerem sortitur exitum, vt eum intelligeres ad tempus illud soli martyrio reseruatum. Felix, cui in ipso vitæ limine contigit finem suum nõ tam naturæ debere, quam gloriæ.* Cessit non naturæ, sed gloriæ, qui non inter cognatorum manus, sed carnificum, pro Deo vitam clausit. A patre discessit aliquã do Torquati Romani filius, & adhibito exercitu de hostibus triumphat, quem tamen pater iratus occidit. An ideo mors illi in gloria, quia triumphatis hostibus indignationem patris carnalis incurrit? Imò semper illa mors manfit inuidiosa gloriosissimis, vt quæ cõtingeret filio discedẽti à patre, vt hostes perimeret, & ageret de illis triũphos. Ait enim Titus Imperator apud Egesip. lib. 3. de Excid. Ier. cap. 24. *Egesipp.* *Vtinã Manly Torquati filium vel in solo mihi liceat imitari periculo, quem securi pater iussit feriri, quod contra imperium patris exercitum in hostem produxerat. Stabat hostibus cæsis adolescẽs amictus adoreis triumphalibus, sub carnifice mortis securus, quoniam beatissimum putabat in victoria mori. Quid enim illustrius, quam vitam triumpho claudere?* Conueniant hûc, qui nunquam sciunt linquere parentum vlnas; nunquam adolescentis huius tantã fecisset mors Imperatori maximo inuidiã, si à parente non discederet, & deiectis hostibus, in ipsa morte appareret adoreis triũphalibus vestitus. Contemnebat sanè prudens Imperator mortem inter vlnas parentum præ illa, quam gignebant triumphi, & comitabantur illã. Nec miror, quòd prudentibus vilescant mortes, quæ non clauduntur triumpho. Quo tempore Herodes pueros Bethleemiticos à matrum arripiebat vlnis, & eos occidebat, vt Christum puerum occideret, dicit Matth. cap. 2. *Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorat filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* *Matth. 2.* Cum Liæ filij occidebantur, erant enim innocentes sancti de parte Liæ, non Rachelis; Rachel suos filios plorat vehementissimè, nulla consolatione admissa, & tota ratio plorandi est, *quia nõ sunt.* Sed vnde modo Rachel inuenit, filios suos non esse? Videbat, filios Liæ à matrum arripi manibus, & pro Christo infante occidi, propriaque morte fallere tyrannum, vt Christus puerulus viueret. Et tunc meritò suos plorat, quasi non sint, vt qui non in arena pro Christo, sed in sinu matrum pro debito naturæ occumbant. Mors autem hæc quæcumque sit, quasi nihili reputatur respectu illius, quæ accidit triumphantibus pro Christo. Pulcrè Orig. hom. 3. de diuer. *Origen.* *Plorauit ergo Rachel filios suos quasi nihil passos in aduentu, vel pro aduentu Domini, & quasi nõ essent existimauit, ad illos, qui pro Domino mortui sunt, & martyrij tulerunt coronam.* Crede mihi, quasi in gloria est, imò quasi nihili reputatura sancti mors, quæ non est in arena pro Christo. Superat multos dormientes iustos mors martyris, qui adoreis triumphalibus vestitus, vel carnalis patris sententia pro Christo occumbit. De Machabæorum matre dicitur 2. Machab. 7. *Nouissimè autẽ post filios, & mater consumpta est.* *2. Mac. 7.* Non dicitur de hac, quod de Abrahamo in præsenti dicitur, quòd *ibit ad patres suos*, vel quòd apposita est ad populum suum, vel ad genus suum, quæ laus dicitur de alijs patriarchis; imò de illa dicitur, quod erat durissimum antiquis, nimirum post filios cõsumi, & ire ad filios. Cur hoc de tanta muliere dicitur? An vt derogetur gloriæ eius? Absit, sed vt appareat omnibus illis fælicitate sublimior, vt quæ addita sit triumphantibus in morte pro Deo filijs. Meritò Iosephus Gorionides cap. 15. fatus: *Et vitago mulier fortis stans super filiorum cadaueribus, palmas suas in cœlum expandit, & dixit: O Deus excelse, Deus sæculi, abeam, quæso, cum filijs meis ego ancilla tua in locum, quem parasti eis. Et cum hæc dixisset, reddidit animam suam, & cecidit ipsa super filios suos, & cum ipsis abijt, sicque fœlicissimis filijs fœlicissima tandem mater adiuncta est.* *Ios. Gor.* Non ad patres ire, sed ad filios amat gloriosa mater, vt qui triũphali morte gloriantur, & qui se eleuant super omnes fœlicitates mundiales. Vt meritò dicat Tertul. de Martyribus: *Cætera æquæ animæ impedimenta vsque ad limen carceris deduxerint vos, quousque, & patres vestri. Exinde se-* *Tertull.*

grega-

gregati eſtis à mundo. Mundialia omnia, & parentes, & cognati ſint in pretio homini, alium pro Chriſto non ſubit pericula. At cumlimẽ carceris pro Chriſto tangit, cum morte, & tormẽtis pugnaturus; ex inde nihil cum mundo, nec cum carnalibus parentibus habet commune, iam totus eſt cœleſtis, & diuinus. Hinc Ieſus Luc. 24. dixit diſcipulis, *Non ne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Faciebat quidem ad gloriam Chriſti, quod tali morte crucis decederet. Circà quæ D. Athan. orat. de Incarnat. Verbi, ait: *Si neceſſum erat eius corpus pro omnibus in mortem dedi, cur non vt homo communi lege naturæ mortem oppetit, ſed eouſque deuènit, vt crucifigeretur? Honorificè quippè magis conueniebat illud ab illo deponi, quàm per contumeliam iſtius modi mortem ſuſtinere.* Sed apage, quod tantus Dominus cõmuni naturæ lege decederet, honorificè cadens in cognatorum manus. Hæc mors propria eſt infirmitatis, & non virtutis, vt ibi Athanaſ. ait: *Meritò nec ipſe corpus ſuũ operâ depoſuit, nec inſidias Iudæorũ declinauit; illudque ipſum non imbecillitatem Verbi, ſed potius cum Saluatorem, & vitam eſſe declarauit, quoniam, & mortem, vſque dum vellet, ſuſtinuit, eamque aliunde illatam celeriùs conſummauit. Vt enim abſurdũ erat, Verbum, quod vita erat, mortem corpori ſua opera inferre, ita quoque indecens erat, illam aliunde illatam fugere, & non potius perſequi.* Quòd naturæ Dei filius cederet, corpori ſuo mori naturaliter permitteret, quid erat humile, & abiectum tanto Domino, & prorſus ad infirmitatem ſpectãs; at cum morte illata ab alijs confligere, illam contemnere, & calcare pedibus, id triumphale fuit, & glorioſum Dei verbo.

Luc. 24.

D. Atha.

Idem.

§. XXIII.

Perfectioris gratiæ eſt, quòd parentes velint filios in cœlum præmittere.

HÆc erat imperfecti ſtatus fœlicitas, ſi parentes non præmitterent æternitati filios, ad quos ipſi irent. Hinc pro Abrahami fœlicitate ait Dominus: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, defunctus in ſenectute, &c.* Nullum inuenies filium in ſeculo futuro, cum hinc decedas; ſed omnibus ſuperſtitibus relictis; non filij, ſed patres, & auite excipiẽt. Proh, cur tam ſtatus imperfecti fœlicitatem parentum! Fallar, niſi illis perfectius foret; quod filios æternitati præmitterent. In morte Cæſarij ait Nazianzen. de parentibus eius orat. 10. *Illi ad tam ſenectutem peruenerũt, virtute, atque annis inter ſe pares, vterq; primas inter mortales habiturus, niſi mutuò ipſi ſe ſe principatu prohiberent. Atque omnes fœlicitatis numeros expleuerunt, excepta hac poſtrema, vt quiſpiam exiſtimare queat, ſine probatione, ſiue diſpenſatione; hoc eſt, meo quidem iudicio, vt præmiſſo eo filio, cui propter ætatis lubricũ magis timendum erat, ita iam ipſi ſecuro animo vitam claudant, & cum vniuerſa domo adſuperna tranſferãtur.* Etſi quiſpiam exiſtimare queat, Cæſarij mortem non pertinuiſſe ad parentum fœlicitatem; at iudicio Nazianzeni pertinuit maximè; præmiſſo enim filio in cœlum, ſine vlla anxietate ipſi vitam clauderent, & cum omni domo ſua in gloriã euolarent. Quo quid fœlicius patribus? Machab. 2. cap. 7. dicitur de fœlici illa ſeptem martyrum matre: *Nouiſſimè autem poſt filios, & mater conſumpta eſt.* Non equidem ipſa iuit ad ſolos patres ſuos, vt Abrahamus; ſed in hoc fœlicior, quod & ad filios iuit præmittens illos æternitati. Pro quo D. Chryſoſt. hom. de Machab. ait: *Perorbitates ſuas non fracta eſt mater, ſed fortior facta eſt. Non enim iam reliquerat ſibi pro quibus angeretur, vel quibus timeret, ne forte infirmitate fraudarentur coronis, ſed omnes ſicut in vnũ reponens promptuarium, ad ſupernos præmittens triumphos, & ad inconcuſſa perennis gloriæ regna, gaudebat.* Itaque filiorũ relictorum metu libera nobilis fœmina gaudebat, illos præmittens regnis, ad quæ iam ipſa euolabat, vt ageret ibi filiorum glorioſorum agmine ſtipata. Hoc enim maximè parentes ornãtur, quòd nimirum excipiãtur in æternitate à fœlicibus filijs. Iob cap. 42. poſt exantlatos labores data ſunt ei duplicata omnia bona; at de filijs dicit: *Et fuerunt ei ſeptem filij, & tres filiæ.* Non redditi ſunt qui fuerant abſumpti, ſed alij pro illis dati. Et cur non magis illi ipſi reſtituti? Ait D. Baſil. in cat. Græca: *Qui vero antegreſſi fuerant liberi, ei, à quo ſati erant, præſtolabantur; tunc illi coram affuturi, cum iudex humanæ vitæ cœtum omnem colligeret.* Pertinuit ad Iobi fœlitatem, quod abiturus de hoc mũdo, ad filios in æternitatem præmiſſos iret, qui parentem optimum, & excipierent, & comitarentur in vita fœlici.

Nazianz.

Machab. 2.

D. Chryſ.

Iob 42.

D. Baſil.

§. XXIIII.

Iesus glorioſior apparet ex ijs, qui pro illo ſanguinem fundunt. Quibus maximè applaudit.

Matth. 1. NOtum eſt Ieſum filium Dei eſſe Abrahami filium, quippe ait Matth. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, ſilij Abraham.* Et nihilominus cum Abraham de mundo migrat, non mittitur ad Ieſum filium, ſed ad patres carnales ſuos, dicit enim: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace defunctus, &c.* De cantatiſsima Machabæorũ matre ait D. Chryſoſt. orat. de Machab. *Ita carnem ſuam choro filiorum coaptans, ad deſiderabilem Ieſum pullos ſuos, vt aquila, ſubſequens, euolauit.* Hæc ad Ieſum dicitur iſſe ſubſequens filios; Abraham non ad Ieſum, ſed ad ſuos patres. Et cur ſimiliter Abrahamus non dicitur iſſe ad Ieſum ſequens filios ſuos, quando, & ipſe eſt credentium pater? Ibat Abrahamus moriens in pace; fœmina autem illa ibat profundens pro Deo ſanguinem; Ieſus autem in ijs magis glorificatur, magiſque illis applaudit, qui ſanguine ſuſo illum curant honorare. Hinc Luc. 23. Luc. 23. cum ducebatur Ieſus ad mortem: *Sequebatur illum multa turba populi, & mulieres; quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad illas Ieſus dixit, Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me; ſed ſuper vos ipſas flete, &c.* Et cur Domine deſpicis pias lachrymas mulierum? Sanè illæ lachrymis ſuis tuam dolebant calamitatem; tuam mortem proſequebantur. Cur eas ſic repellis? Simonem Cireneum admittis, qui crucem tuam ferat, cur mulieres dimittis, qui lachrymis ſuis, quo poſſunt modo, tuã mortem leuant? Non miror, is enim erat Dominus cuius mors non inter fœmineas lachrymas, ſed ſanguinem fuſſum, vulneraque validiſsimorum clarior apparebat. Mortuus fuit aliquando bellicoſiſsimus Rex Attila, de cuius funere loquutus Iordanus Epiſcopus Rabbenatis in Hiſtoria Getica Iord. Ep. ait: *Tunc vt illius gentis mos eſt, crinium parte truncata milites facies canis turpauerunt vulneribus, vt præliator eximius non fœmineis lachrymis, & lamentationibus, ſed ſanguine lugeretur virili.* Non glorificatur præliator eximius in lachrymis, & lamentis fœminarum; ſed in ſanguine, & vulneribus pro ſe acceptis. Et vt Ieſus præliator omnium maximus eſt, ſic honori ſuo dutit non fœmineas infirmitates, ſed fortiſsimorum vulnera, qui pro illo in certamine vitam amiſerũt. Huc attendat, qui amat eſſe in delitijs Ieſu, & illum glorificet ſanguinẽ profundendo; imò de vulneribus acceptis in virtutum conflictu glorioſius tractet diuini iudicij tribunal, aſcendere. Apocal. 5. erat in throno Apoc. 3. Dei liber ſcriptus intus, & foris; & nemo erat, qui libro apperiendo appropinquare auderet. Quid tunc? Ait Ioannes: *Ego flebã multum, quoniam nemo dignus inuentus eſt aperire librum, nec videre eum. Et vnus de ſenioribus dixit mihi, ne fleueris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum:: Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium;: agnum tanquam occiſum:: Et venit & accepit de dextera ſedentis in throno librũ, &c.* Non agnus ſolum, ſed agnus tanquam occiſus inuentus eſt, qui audeat accedere ad librum. Et qui liber erat iſte, qui non à flẽtibus, non ab agnis, ſed ab agnis occiſis facile aperitur? Vt liber in throno Dei erat, putatur eſſe liber iudicij diuini, qui coram antiquo dierum in fine ſæculorũ aperiendus eſt. Ad quem vt intrepide accedas, nõ ſufficit, quod agnus ſis, nec quod fleas, ſed de vulneribus pro Deo acceptis faciliorem aditum inuenies. Ait Paul. Oroſ. in Apo- Paul. Oroſ. log. de libero arb. *Parum eſt, quia ſine macula, parum quia agnus, niſi & occiſus, niſi puritatem vitæ paſſionis teſtimonio coronaſſet. Quis ergo iſte liber eſt? Vt credo, iudicij.* Vt imperterritus iudiciũ ſubeas, in quo præſidet antiquus dierum, & ad illum impauide feſtines, parum eſt, quod vitam immaculatam colas; immaculatæ enim ſunt etiam columnæ cœli, quæ coram eo commouẽtur. Addendum eſt vitæ puritati paſſionis teſtimoniũ, & de vulneribus pro Deo acceptis ſecurus, & imperterritus iudicanti aſtabis, qui maximè applaudit eis, qui pro ſe ſanguinem fuderunt. Nullo enim gratius ſuã mortem de peccatoribus vindicat Dominus, quam dum pro illo eorum ſanguis effunditur. Vt illi quadret etiam, quod Paul. Oroſ. lib. 2. cap. 7. ait de Tomyri Regina, Idem. nimirum: *Tomyris exercitu ac filio amiſſo, vel matris, vel reginæ dolorem ſanguine hoſtium diluere potius, quam ſuis lachrymis parat.* Sic Ieſus mortem ſuam honorare ſanguine peccatorum pro Deo effuſo, potius quam eorum lamentis gaudet. Vt meritò exclamet Nazianzen. orat. 11. agens de Sororis Gorgoniæ mortificatione: *O ingentem poſt baptiſmum caſtitatem, & ſponſam Chriſti animam in puro corporis thalamo! O Chriſti exanimationem, & ſerui formam, & paſſiones, ipſius* Nazian.

ipsius mortificatione honoratas! Sic ibi.

§. XXV.

Ea senectus veniat homini, quæ prorsus sit aliena à vitiorum malis.

PRomittitur Abrahæ senectus, sed senectus bona, dum dicit: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Quid est in senectute bona? Nimirum in senectute, quæ nullum faciat dispendiũ bonitatis, sed magis illã augeat, ab omnique se tueatur malorum procella. Dauid 2. Reg. 19. in Regiam suam deducebat senem Bercellai; cui bonus respondit: *Quot sunt dies vitæ meæ, vt ascendam cum rege in Ierusalem? Octogenarius sum hodie: Numquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, vel amarũ? Aut delectare potest seruum tuum cibus, & potus? Vel audire vltra possum vocem cantorum, atque cantatricem? Quare seruus tuus sit oneri Domino meo regi? Non indigeo hac vicissitudine, sed obsecro, vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea.* Vide senem prudentẽ, vt se se à cõuiuijs, à compotationibus, à luxibus, ab omni malorum procella tuetur. De illo ait Petrus Dam. lib. de Perfect. Monach. cap. 23. *Hinc perpenditur, quam quietus, quam benemoratus sit iste senex. Quomodo regalis mensæ dapes despicit inuitatus? Quomodo delectaretur otiosa, vel risibus apta verba depromere, qui & alienas melodiarum voces castis auribus dedignatur audire? Et qui illic etiam delectari noluerat, vbi aliquando crisparentur vasa psalmorum; quomodo quiescere potuisset, vbi ludicra, & saltationes perstrepunt histrionum?* Sanè bonus iste erat in senectute bona, qui sic fugiebat vniuersas malorum occasiones. Hinc Eleazarus ille cantatissimus senex 2. Machab. cap. 6. dũ cogitur carnes porcinas cõtrà legem edere, vel mori ait: *Fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo.* Senectute dignum se facit, fortiter resistendo; sed quæres magis aliena à senectute, quam fortitudo, quando senectus est ipsa infirmitas? Cui ergo ad fortitudinem se confer vt se ostendat senem? Sic ipse apud D. Amb. lib. 2. de Iacob cap. 10. *Non sum ita senex, vt nõ inueneſcat animi fortitudo. Senectus portus esse debet, non naufragium vitæ superioris. Non te negabo lex patria, &c.* Expende quam pulchrè dictum sit illud, *senectus portus esse debet, &c.* Vt enim portus procellis aditum occludit; nec ventorum furias admittit, sic senectus talis debet formari, vt portus sit, ab omni malorum procella securus; in qua non naufragium inueniat ante acta vita, sed tranquillitatem, sed securitatem ab omni periculo.

2. Re. 19.

Pe. Dam.

2. Mac. 6

D. Amb.

§. XXVI.

Tunc prælium secure indicitur, quando Deus contra hostium peccata creditur vindex.

NOn statim, sed quarta generatione dabitur Amorrhæorum terra expugnanda Israelitis, dicit enim: *Generatione autem quarta reuertentur huc. Necdum enim completa sunt peccata Amorrhæorum, vsque ad præsens tempus.* Et meritò vetantur Israelitæ irrumpere in Amorrhæos vsque dum peccatis suis illi solicitent diuinam vindictam; tunc enim maximè prælium securè hostibus indicitur, quando creditur iam Deus venire illorum scelerũ vindex. Hinc Herodes persuadet exercitui, vt in Arabes intrepide irruat, quia illi occidentes regis legatos credebantur tali scelere solicitare diuinam vindictam. Ait enim apud Egesip. lib. 1. de Excid. Ierosol. cap. 32. Legatos quos misimus contra ius fasque iugulãdos putauerũt. Præuaricati sunt legẽ omnium hominum, etiam ipsorum barbarorũ; quoniam apud ipsos quoque qui nesciunt humanitatem, inuiolabiles legati habentur; dum vindicta cœlestis reformidatur, & tanti sceleris vltor Deus timetur. *Huc ergo admiserunt aduersarij nostri, quod neque humanæ, nec diuinæ leges in vltum relinquunt. Egrediamur ergo, non pro finibus, aut spolijs, sed pro diuina iniuria præliaturi. Festinemus ad prælium, dum vltorem habemus Deum cæsorum vindicem. Illi pro nobis melius præliantur. Et circumfusi angelorum legionibus in acie prætendunt. Talibus hortatus milites in hostem ruit, omnem occasionem bellandi requirens.* Non dubitat prudẽs imperator de victoria, quãdo sibi persuadet Deum vindicem futurum iniquitatis, & sumpturum pœnas de hostium peccatis. Huc accedant præclari Imperatores, & noscant tunc esse tempestiuũ tempus conserendi manus cum hoste, cum illi simul possunt Deum prætendere vltorem iniquitatum. Exod. 17. *Cum leuaret Moyses manus, vincebat Israel.* Tunc erat tẽpus

Egesippus

Exod. 17.

pus vincendi Amalechitas, tũc opportunè irruebat Israel in hostes, cùm manus leuabat Moyses. Sed vnde manuum eleuatio dabat vincendi opportunitatem? Vincendi erant Amalechitæ, quando malitiæ author diabolus erat in illis castigandus, aduersus quem Dominus pugnabat, & sic pugnanti Domino propria eius arma, nempe crucis, in manuum eleuatione parabatur. Nũquam enim opportunior hora pugnandi, & vincendi potest inueniri, quàm cum Deus cum armis suis stat aduersus hostibus associatum diabolum. Quò spectans Tertull. Tertul. lib. 3. in Mar. aiebat: *Illic, vbi nomẽ Domini dimicabat, dimicaturi quoque contra diabolum, crucis quoque erat habitus necessarius, per quam victoriam Iesus esset relaturus.* Expande illa; *dimicaturi quoque contra diabolum*; tunc enim opportunitas est sumendi arma contra hostes, quando Deus quoque adest cum suis armis dimicaturus contra diabolum in illis per peccata obfirmatum. Nisi enim Deus simul concurrat contriturus diabolicam malitiam in hostibus confirmatam, necest tempus opportunũ, 2. Reg. 5. quo triũphes de aduersarijs. Hinc 2. Reg. 5. dicit Dominus Dauidi aduersus hostes iam iam egredienti: *Cum audieris sonitũ gradientis in cacumine pirorum, tunc inibis prælium, quia tũc egredietur Dominus ante faciem tuã.* Expende signum opportunitatis præliandi, nimirum, *cum audieris sonitum gradientis in cacumine pirorum*. Sed quid habebat cõmune gressus in pirorum cacumine cũ opportunitate pugnandi aduersus hostes? Ait Cartusianus, quod hostes sub pirorum arboribus posuerant idola sua, quæ adorabant, & in quibus confidebãt. Angelus autem Domini venturus erat super pirorum cacumen, vt destrueret idola hostium, tũc ergo tota est opportunitas irruendi in hostes, cum creditur Angelus Domini venisse perditurus idola eorum. Sic ille rem finit: *Cum audieritis sonitum gradientis in cacumine pirorum, videlicet angeli sancti, ibi se mouentis, ac exhibentis ad adiuuandum vos, atque ad deprimendum potestatem dæmonum, & idolorum, per quæ dæmones operabantur nonnulla. Tunc inibis prælium, &c.* Nulla melior opportunitas præliandi, quam vbi sentitur, aut creditur Deus venturus, vt idola hostium perdat, eorumque castigaturus scelera. Quo alludens Debbora Iudicũ 4. dicebat ad Barac: *Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas. En ipse ductor est tuus.* Vnde prænouit, illam diem esse designatam Israelitarum victoriæ, & hostium internecioni? Ait in fine

Iudic. 4.

capitis: *Humiliauit ergo Deus in die illo Iabin regem Chananæorum coram filijs Israel.* In Hebræo legitur: *Humiliauit ergo Eloim*, id est, *iudex*, &c. Vbi Caiet. ait: *Summo iudici adscribitur humiliatio Iabin regis, vtpote iusto iudicio effecta.* Præuidebat Debbora Deum iustum iudicem ita procedere, vt hostium iniquitates vlciscereturr; & inde ostendit opportunitatem esse Israelitis, qua manus cum hostibus conferrent, certi quod triumphare de illis deberent.

Lec. Heb. Caiet.

§. XXVII.

Quæ afflictio, & arumna felicem exitum trahit, non pro pœna venit, sed pro præmio virtutis.

NOx erat, & Abrahamo apparet furnus fumãs, & clarus ignis; dicit enim, *Cum ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.* Ante Solis occasum, appropinquante crepusculo, inceperat prima visio supra, & tunc, *sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.* Tunc, inquam, cum tenebris venit horror, qui affligeret Abrahamum; nunc veniunt, & tenebræ, & furnus, & flãma ignis, & nihil horroris dicitur venisse. Et cur modo in furni fumantis visione, & ardentis ignis, nihil venit horroris? Exprimebatur equidem in furno fumãte seruitus in Ægypto, at in lampade ignis liberatio splendida ostendebatur; vbi autẽ venit afflictio cum fœlici, & splendido fine, virtutis præmium est, non est horroris, aut pœnæ. Ait Rupert. ibi: *Secunda aduersitas res afflictionis extitit, vnde & sine interpositione horroris, facta est caligo tenebrosa, & clibanus fumans apparuit. Clibanus namque fumans imago fuit fornacis Ægyptiæ, qua seruituri erant in luto, & latere. Lampas vero ignis signum diuinæ claritatis, qua erant per multa miracula illustrandi.* Nec mirandum quod furnus fumans, & lampas ignis non inferãt horrorem, nec pœnam consideranti; seruitus enim cum tam fœlici exitu, non pro horrenda pœna, sed pro virtutum præmio habebatur. Tobiæ post cęcitatem illuminato dicit Angelus cap. 12. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas*

Rupert.

Tob. 12.

eos,

eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te: Et nunc misit me Deus, vt curarem te &c. Eo quod iustus erat, & sanctus Tobias, dicitur necessario data illi afflictio, & tentatio. Quis hoc credat iusto, & sancto necessario deberi afflictiones? Iustitiæ, & sanctitati præmium necessario debetur; afflictio autem non præmium, sed pœna est. Quomodo ergo debetur necessario afflictio sanctitati, & non magis præmium? Nõ ait; quod necessario euenit tentatio sola; sed tentatio, & liberatio; dicit enim: *necesse fuit, vt tentatio probaret te. Et nunc misit me Deus, vt curem te.* Quando autem afflictio venit cum adeò splendido fine, meritò pro præmio virtutis datur. Quò spectans D. Cyprian. lib. de mortalitate ait: *Raphael Angelus Tobiæ orantiſemper, & semper operãti testis fuit dicens: Quando orabas tu, & Sara, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectum claritatis Dei. Et cum sepelires tu mortuos simpliciter; & quia non es cunctatus exurgere, & relinquere prandium tuum, sed abusti, & condidisti mortuum, missus sum tentare te, & iterum me misit Deus, curare te.* Expende ab illis: *Et quia non est cunctatus, &c.* pro tãtæ enim virtutis merito datus est Angelus, qui tentet, & liberet; qui affligat, & saluet. Afflictio enim cũ exitu glorioso, & salutari bene pro merito virtutis datur. Tres Hebræi pueri obnegatum cultum Babylonis regis imagine conijciuntur in ardẽtem fornacem, de illis enim dicit Daniel cap. 3. *Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati.* Proh Deus immortalis hãc pœnam paras tuis seruis! Cur permittis fideles tuos sic torreri? Immissi sunt in fornacem, sed ex qua egrediantur illæsi, fornax autem cum tan glorioso exitu, non pœna, sed Dei dignatio suos honorans erat. Ait D. Zeno serm. 7. de tribus pueris: *Illo præcipitãtur in fontes, & ibidem propter quem præcipitantur, inueniunt. Denique excipiuntur non flamma, sed rore; Dei dignitate, non pœna.* Nõ equidem pœna est in fornace, qua in gloriam, & incolumitatẽ desinit; sed Dei suos dignantis præmium. Non aliter post laudatum Iobum permittit eum manibus hostis horrendi cap. 1. *Eccce vniuersa quæ habet in manu tua sunt.* Et cap. 2. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serua.* Cum inter tormenta vitam seruari mandat; iam de fœlici exitu cogitare videtur iuxta Olympiodori sententiam in cat. Græca. Ne Iobi tẽtatio putetur pœna eius, sed gratia, sed præmium. Vt dicat Paul. Oros. lib. de Apolog. liber. arb. *Expetente inimico famulum suum Deus spoliat per tentationem, non nudat: aufert substantiam, & dat gratiam. Expetita prædoni præda permittitur, & rursus præda suæ custos adhibetur.* Ecce tibi vt Deus in auferenda ipsa substantia, feriendoque iusto dicitur dare gratiam; afflictio enim, quæ tã fœlici exitu finienda erat; non venit à Deo pro pœna, sed pro gratia, & pro præmio.

D. Cypr.

Dan. 3.

D. Zen.

Iob. 1.

Paul. Or.

CAPVT SEXTVM.

Nuptiæ cum Agar.

NON Parua Saram solicitudo perculit, ne quæ sterilis, & proiectæ ætatis iam erat, Abrahamidum familiæ obesset, quorũ numerum instar stellarum multiplicãdum ex Deo præscierat. Denique puellam, quã sibi in Ægypto acquisiuerat, Agar nomine; viro id minimè cogitanti in matrimonium adhuc ipsa viuens associat. Nec detrectat vir sanctus secundam accipere vxorem, primæ morem gerens, se se communi illius temporis accõmodans dispensationi. Tumuit nouæ nuptæ venter sancti hominis semine, nec seruile ingenium in ea fortuna sine tumore manere potuit. Quo incitata Sara maritum primùm monet, dein tumentes ancillæ animos sic frangit, vt ipsa mallet fugitiua errare, quam domi sedens duritiam perpeti Dominæ. Non id est passus Deus, sed fugitiuæ Angelum suum mittit, qui ancillam reducat in domum, iubeatque submitti Dominæ, de cuius beneficio acceperat, quod mater esse posset tantæ prolis, quæ ingentia regna hominibus impleat.

PARS VNICA *Moralis.*

EX Quo Lamech sibi duas vxores adsciuit, sic percrebuit hic mos in mũdo ante, & post dilubium, vt ablata dissonantia rei per frequentem vsum, suauius Deus id etiam suis asseclis permiserit. De cuius permissione certus Abram non dubitat suadenti Saræ assentiri circa Agaris nuptias.

Gen. 16.

*Gen.*16. Igitur Sarai vxor Abram, non genuerat liberos; sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar, dixit marito suo: Ecce concluſit me Dominus, ne parerem, ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios. Cumque ille acquieſceret deprecanti; tulit Agar Ægyptiam ancillam ſuam poſt annos decem, quam habitare cœperat in Chanaam; & dedit viro ſuo vxorem. Qui ingreſſus eſt ad eam.

§. I.

Dei ſerui eam ſolent habere poteſtatem diuinam, & authoritatem in iubẽdo, vt vel inſenſibilia, ſibi faciant ſeruire.

SAra marito ſuo nouam adhibet vxorẽ, & in noua accipienda vxore acquieſcit Saræ maritus. Sic habes: *Dixit marito ſuo: Ecce cõcluſit me Dominus, ne parerem, ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios. Cumque ille acquieſceret deprecanti, &c.* Quæ notans D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 31. dicit, quod Sara id fecit, *non cedens viro concupiſcenti, ſed iubens obedienti.* Et vnde Sara tam potens in iubendo eſt, vt ſibi maritum in re viro caſto adeò difficili obedientem effeiat? Pater Pereyra in præſentinum. 3. ex Ioſepho ait. *Saram Dei monitu ſuaſiſſe illud coniugium Abrahæ, & ad id diuina authoritate impuliſſe eum.* Nec miror, tanta enim poteſtas, & authoritas diuina ſolet eluſere in verbis ſeruorum Dei, vt non ſit qui eorum imperijs reſiſtat, nec ipſa creatura inſenſibilis. Pro quoties de iuſtis dictum eſt, quod prius dicebatur de Ieſu Lucæ 4. *In poteſtate erat ſermo ipſius.* Ex quo ait D. Baſilius Sel. orat. 29. *Huius vocis hæreditatem obtinuit Apoſtolorum cœtus, hanc in manibus habentes, non inflata tuba cœlum hominibus reddiderunt; terras integras peruaſit ea vox, inſulas occupauit vocatio, ſine vi captæ ſunt ciuitates, Reges adorarunt, Imperatores ceruices ſubiecerunt.* Et quis reſiſtat tantæ voci? Quis non ſubiaceat tantæ authoritatis imperio? Sic enim ſponſa Cant. 4. iubet: *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Imperiũ ſuum ad ventos vſque protendit; de Ieſu dicit Matth. 8. *Imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines mirati ſunt dicentes, Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei.* Et meritò videntes eius imperium ſuper ventos eſſe, aliquid ſupra hominem, & diuinum ſuſpicantur in Ieſu! Qualiter ergo quod diuinum eſt, ſibi arrogat ſponſa, & ventis imperat? Ait D. Nyſſen. hom. 10. in Cant. *Aſpice regina poteſtatem, vt imperatoria quædam poteſtas, & authoritas, in ijs, quæ ab ipſa proferuntur, eluceat. Non enim precibus, id quod vult, efficit, ſed ſecũdum veram illam promittentis vocem, qua dicit fidelem diſpenſatorem factum eſſe Dominum omnium ſuæ facultatum Domini ſui. Hac accepta poteſtate, regit quadam ratione, prout ſibi placitum eſt, duos ventos gubernat.* Sic ille ex tranſlatione poſita in cat. Græca D. Luc. ad cap. 7. Quippe venit quandoque à Deo in ſuos fideles ſeruos ea authoritas, qua imperatoria quadam ratione, vniuerſas creaturas ſibi faciant obſequentes. Et quis reſiſtat verbis iuſtorum in Dei fide procedentibus? De tribus pueris Hebræis ait Daniel cap. 3. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, &c.* Mirandum enim erat, quod inter flãmarum linguas perſtrepentes, carnea lingua audiretur. Et quomodo audiebatur humana lingua, cui tot ardentes linguæ ſeſe obiecerant? Ait D. Zeno ſerm. 3. de Daniele: *Tanta eſt fidei virtus, tantaque poteſtas, vt cultoribus ſuis, etiam ipſa elementa contra ſuam naturam famulari compellant.* Habet lingua iuſtorum in fide operantium vnde vel ab inſenſibilibus extorqueat obedientiam. Aiebat Dominus Matth. 4. *Venite poſt me, faciã vos fieri piſcatores hominum. Ac illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Vt ille dixit, ſtatim illi obedierunt ſine vlla reſiſtentia. At Luc. 9. *Ait ad alterum, ſequere me. Ille autem dixit: Domine permitte mihi primum ire, & ſepelire patrem meum.* Hic inducias ſibi dari petit, illi ſtatim obediere. Et cur Dominus vocem nõ fecit huic iuueni adeo efficacem, vt illum faceret ſibi prorſus ſtatim obedientem, ſicut Apoſtolis fecit? Apoſtolis eam fecit vocem, quam illi hæreditarent, vt poſſint cum imperio trahere ſine reſiſtentia multas gentes ad obedientiam. Ait D. Baſil. Sel. orat. 10. *Hamo verbi Chriſti tracti Apoſtoli ſequebantur loquentem Dominum,*

D. Aug. *P. Pereyr.* *Luc. 4.* *Baſil. Sel.* *Cant. 4.* *Matth. 8.* *D. Nyſſ.* *Dan. 3.* *D. Zeno.* *Matth. 4.* *Luc. 9.* *Baſil. Sel.*

mittunt, & piscatura modum intus ipsi secum deuorabant. Piscari condiscebant, quod que facturi erant, primum opere experiebantur. Experiebantur equidem in se vim, potestatemque diuini verbi, quo ipsi sine resistentia trahebantur in Dei sequelam; & quo ipsi trahent cæteros ad obedientiam. Non enim est potentia, quæ resistat iustorum hominum in Dei fide imperatrici loquelæ.

§. II.

Vbi ærumnæ æquanimiter tolerantur, ibi clarissimè apparet esse Deus.

VIx Sara coniugium ancillæ Abrahamo cõsuluit; & ipse obtemperauit, ait enim textus: *Dixit marito suo, Ecce conclusit me Dominus, ne parerem, ingredere ad ancillam meam:: Cumque ille acquieseret deprecanti, &c.* Acquieuit, inquam, Abrahamus Saræ, vt ait D. August. lib. 22. contra Faustum
August. cap. 32. *Credens hoc Saram ex Dei nutu voluisse.* Sed vnde cognouit Abrahamus Saram in præsenti Dei nutu agi? Crediderim id notũ fuisse Abrahamo ex æquanimitate Saræ in tolerãda ærumna sterilitatis, quam æquinimitatem illa verba ostendunt, nimirum: *Ecce conclusit me Dominus, ne parerem, &c.* Non acerba in Deum, non queribunda de sterilitate, sed æquanimis de eius manu acceptat ærumnam tantam. Cur ergo non credatur Deo agi, & Deo afflari? Duo Pharaonis famuli simul cum Ioseph erant in carcere vinculati; qui cum ob insomnia sibi ignota tristissimi essent, ait ad illos Ioseph Gen. 40.
Genes. 40. *Numquid nõ Dei est interpretatio? Referte mihi, quid videritis.* Dei propriam putat interpretationem somniorum; & quia Dei propriã putat, ideo sibi credi petit. Quàm aliter Ba-
Dan. 2. bylonij sapientes Dan. 2. petenti regi interpretationem somnij aiunt: *Sermo, quem tu quæris, rex, grauius est, nec reperitur quisquam, qui indicet illum in cõspectu regis, exceptis dys.* Quia rem asserunt Deo esse propriam, ab illa se excusant explicanda. Ij abstinent ab explicatione insomnij, ideo quia eam proprie solis dijs cõuenire aiunt. Ille, quia Deo propriam censet interpretationem, ideo ipse in illam audet. Et cum sapientum hominum sit non se intromittere rebus ad Deum pertinentibus, cur Ioseph rem solius Dei esse prædicat, & simul ideo illam vult explicare? An quia se Deo parem existimat? Absit, sed quia se videns in ærumnis carceris æquanimem, putat sibi Deum præsentissime affuturum, cuius afflatu plenus ad omnia audet. Theodor. serm. 8. de Prouident. fatur: *Cum interpretationem Dei esse dicit, aliquid in hac audet, vt qui se diuinum quoddam adytum paranerat.* Equidem ex æquanimi ærumnarum tolerãtia sic se fecerat diuinum quoddam adytum Deo, vt quid quid Dei esset, nõ dubitauerit aggredi. Fœlix, qui se in ærumnis tolerandis ostendit æquanimem, haud dubiũ quin Deum, Deique dona suis manibus tractet. Missis tribus pueris Hebræis in fornacem ardentem, accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis, & ait
Dan. 3. Dan. 3. *Ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.* Dum in fornacem mittuntur, Deum sibi socium inueniunt. Quid mirum? Ærumnas propter Deum qui tolerat, non potest non ostendere secum Deum. Vt dicat D. Zeno serm. 7. D. Zeno de Daniele: *Illi præcipitãtur insontes, ibidemque propter quem præcipitantur, inueniunt.* Nõ deficit Deus illis, qui ærumnas æquanimiter tolerant propter Deum. Vix datur dilatio, vbi ærumna est æquanimiter propter Deum lata, ibi & ostenditur Deus. Et cur non ibi ostendatur Deus, quando hæc ærũnarum tolerantia, illi pro suauissimo holocausto est? Iob dum conflictaretur ærumnis cap. 1. sic loquebatur. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, sta factum est, sit nomen Domini benedictum.* Filijs viuentibus, quotidie pro illis sacrificia offerebat, sic enim ait: *Consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos,* nunc audit eos repentino casu interemptos, & non cogitat de sacrificio offerendo pro illis, contentus dicere: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Cur modo non magis consurgit, vt offerat pro defunctis sacrificia, qui offerebat pro sanis? Cur abstinet â sacrificio offerendo, eo præcipue tempore, quo vniuersi illud offerre solent? Non abstinet â sacrificio, sed illud offert Deo gratius, nimirum verba illa æquanimitatis, & tolerantiæ, quæ sunt pro suauissimo holocausto. cui Deus adsit. Ait D. Chrysost. in cat. Græca: *Verba illa ad agendas gratias composita, illamque spiritualem hostiam Deo obtulit. Victima enim verba illa erãt, Dominus dedit, Dominus abstulit, ac reliqua.* In verbis tantæ æquanimitatis, & tolerãtiæ victimæ Deo offerebãtur, adeò gratæ, vt Deũ ad se traherent.

Iob 1.

D. Chrys.

℣. *Cen* 16. At illa concepisse se videns despexit dominam suam:

Dixitque Sarai ad Abram: Inique agis contra me; ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quę videns, quod conceperat, despectui me habet: iudicet Dominus inter me, & te. Cui respondit Abram: Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, vtere ea, vt libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.

§. III.

Ingenuus est, qui in qualibet fortuna se se scit continere intra suæ naturæ, suique status fines.

EVt seruile ingenium; vix fortunam gustat fœlicem, & ad altiora volans sui obliuiscitur. Sic Agar ancilla: *Concepisse se videns dexpexit dominam suam.* Circa quam D. Chrysost. hom. 38. in Gen. ait: *Ille enim ferme seruorum mos est, vt cum parum aliquid prosperitatis eis aspirauerit, nequeant intra suos se limites continere, sed statim sui ordinis obliuiscantur.* Hic est, seruorum mos; hoc validissimum, & seruile ingenium. Qui ingenuus est, se intra suos fines immobiliter contineat. Supra Gen. 15. dictum est Abrahamo: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Et quidem quando Abrahamo duo erant filij futuri, alter ex ancilla, nimirum Ismael, alter ex libera nimirum Isaac, certum est hanc promissionem de stellifero semine non ad filium ancillæ, sed ad filium liberæ pertinere. Et quę ingenuorum Abrahamidum virtus exprimebatur in stellis? Ait Philo lib. de Abraham: *Quale vides cœlum, & quæ in cœlo sunt, talis virtus tua esse debet; plane cœlestis, nihil sordidum terra habens, semper umbra carens, ornate disposita, immoto manens ordine, semper sui similis.* Expenpe illud cœlestium virtutum proprium, nimirum, *immoto manẽs ordine*; nulla enim stella est, quę in solem, aut lunam exurgat, sed quæuis manet semper immota in ordine, & statu suo, semper sui similis. Nec miror, quod in die corã sole fulgentissimo stellę in ordine suo sint; at in nocte, quando ipsæ non parum splendoris gustant, adhuc sui similes intra suum ordinem inueniuntur. Vt homo cœlestis, & ingenuus sic discat non extolli supra limites suos. Maria Virgo cum audit se extolli ad maternitatem diuinam, & videt se ab Angelo salutari, quid ait? Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ad hoc salutatur, vt mater Dei fiat, & illa tota est in recognoscendis limitibus naturæ suæ. Quid ordinem naturæ meministi, cum eleuaris in matrem creatoris? Cœlestis fœmina in tanta excellentia, adhuc nõ deserit ordinem naturæ suæ, sed quantum est ex se, eius se munit intra fines. Pulchrè ait D. Damascen. orat. 1. de Assumpt. *Euam haudquaquam imitatur Maria, verum incautam eius simplicitatem emendat, naturæque patrocinio se muniit, sic respondens: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Ea loquaris, quæ fieri non possunt, Tua oratio eas naturæ leges, quas summus opifex sanxit, infringit. Secunda Eua dici, non sustineo.* Sic cœlestis fœmina Euæ faustus fugit, quibus supra suos limites se extollebat, vt dea fieret; Maria autem, & se adoratã ab Angelo videns certos limites suæ naturæ proponit, quorũ in tanta gratia minimè obliuiscitur. Sicque manet secura. Nunquam enim nõ perditur, qui extra proprios limites amat prosilire. Ozias rex regni potestate insolens muneri Sacerdotali se immiscuit: dicit autem 2. Paral. 26. *Iratus Ozias, & tenẽs in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte eius, &c.* Quam rem ponderans D. Chrysost. hom. 5. de verbis Isaiæ fatur: *Ingressus vt Sacerdotium usurparet, etiam regnũ perdidit. Ingrẽssus est, vt fieret venerabilior, & factus est execrabilior. Nam quouis homine priuato post hæc erat execrabilior: adeòres est mala non manere intra fines à Deo præscriptos, siue honoris, siue cognitionis res fuerit.* Huc spectent vniuersi, & nolint extra fines suos euolare.

D. Chrys. — Genes. 15 — Philo. — Luc. 1. — D. Dam. — 2. Par. 26 — D. Chrys.

§. IIII.

Ille familiæ bonus, cui ordo in primis charus est.

ERat Agar chara Abrahamo, vt quã expertus fuerat sibi fœcundam; & nilominus eam duru Saræ seruitio subijcit, dum ait: *Ecce ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet.* Bonus pater familias, & si vtiliorem prosapiæ Agarem nouerat, quia tamen ancilla erat, & se-

& secundaria vxor, illam Saræ dominæ, & primariæ subiectam esse in omnibus iubet. Non sic tenuit virum propagandi seminis amor, vt ordo familiæ, quo infimi, & secundi subiecti essent primis. Crede mihi vnus ille familiæ stabilicdæ bonus est, qui cæteros animi affectus, & amores ordini postponit; nec patitur ob aliqua lucra, quòd inferior superiori insultet, sed omnes finit esse ordine suo. Pulchrè dicebat Nazianzen. orat. 26. *Ordine quidem florente, ac dominãte mundus est. Vniuersum hoc, ac pulchritudo certa, & stabilis. Contra autem perturbatio, & confusio in aere tonitrua, in terra motus, in mari naufragia, in vrbibus, domibusque bella, & dissidia, in corporibus morbos, in animis peccata procreauit.* Quid pulchrius? Ex perturbato ordine elementorum, quod infima misceantur summis; & summa misceantur infimis, fiunt in aere tonitrua, & fulgura, & in terra motus nociui; ex perturbato ordine œconomię, seu policiæ, quod serui imperent, & Domini cogantur seruire, quod minores in pretio sint, & maiores æstimentur vili, bella, & dissidia nascuntur in domibus, & vrbibus; ex perturbato ordine corporis, & humorum, intemperies morborum efficitur. Clare ergo inde constat, vt ordine vno dominante, ita vt nulli affectui cedat; viget mundus, vegetatur corpus, florent familiæ. Psalm. 18. de Apostolica familia locutus ait: *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Aquila legit: *Exiuit ordo eorum.* Non posset equidem sine ordine stabiliri tanta familia. Nec in omnem terram volaret Christiana œconomia nisi seruato ordine ministrorum. Quò respiciens Paul. ad Ephesios cap. 4. ait: *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores, & Doctores ad consummationẽ sanctorum.* Ecce tibi dicitur ascendisse Iesus vt omnia impleret, nimirum, vt ad omnes mitteret, & doctrinam, & dona sua. Et quo medio vsus est? Hoc in primis fecit, videlicet constituere ministros per ordines suos, vt alij essent Apostoli, alij Prophetæ, alij Euãgelistæ, alij Doctores, & pastores, alij oues. Ait enim D. Ansel. *Omnia regna mundi adimpleuit cultu suo. Et vt omnia adimpleret, dedit ipse nobis ad eruditionem quatuor regentium ordines, scilicet, quosdã quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, &c.* Compositus ergo, & seruatus ordo ministrorum repleuit vniuersum orbem religione. Et quid non impleat ordo? Fallar, si vacuitas detur, vbi præponitur omnibus alijs affectibus ordo. Psal. 103. *Saturabũtur ligna campi, & cedri Libani, quas plãtauit illic passeres nidificabũt: Herodij domus dux est eorũ, mõtes excelsi ceruis, petra refugiũt herinaceis. Fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occasum suũ. Posuisti tenebras, & facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Exiuit homo, &c.* Ecce tibi vt homo, & bestiæ, & passeres, & ligna, & ceruus, & herinaceus suum pabulũ habẽt, quo saturentur, suum refugium, quo protegantur. Sed qualiter vniuersis ijs, & pabulum, & refugium paratur certum? Eo solum, quod quisque sit in ordine suo, in terminis suis, quod cerui sint in montibus, herinacei in petris, animalia in terra, pisces in aqua. Ait Nazianz. orat. 26. *Ordo cunctis animantibus ortum, & alimentum, sedesque vnicuique aptas, & congruentes indixit, & quasi lata lege præscripsit. Ac nec Delphinum quisquam arua sulcãtem vidit, nec bouem per aquas lubricum iter carpentem: quemadmodum, nec Solem noctu decrescentem, vel augescentem, nec rursus lunam mortalibus interdiu prælucentem. Montes excelsi ceruis; petra refugium herinaceis. Fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occasum suum, &c.* Sic in magna mundi domo seruatus ordo sufficit vniuersis; alimentumque, & refugium singulis præbet. Pisces enim abundant in aquis; si ad æra volent, pereunt. E contra perpetes alites, in altissimis nidum securum tenent; perduntur, si se aquis submergunt. Crede mihi illa familia inexpugnabilis erit, quæ primas ordini deferat. Ait Cant. 6. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Vbi Theodoret. ait: *Nec decora modo, sed terrorem te aspicientibus inyciens: Ordinem enim tuum spectantes admirantur. Nam in te nihil inordinatum, nihil incertum, nihil confusum, sed omnia ordinata, & certa sunt. Rerum ordinem diligenter retines. Quippe quæ sponsum scis rebus omnibus anteponendum, & secundum sponsum eos potissimos obseruandos, qui ad eum proximè accedunt.* Terribilis est, & admiranda omnibus illa familia, in qua ordo præcedit, vt sponsus primas habeat, deinde cæteri, singuli in ordine suo, ne seruus filijs, seu coniugi anteponatur, nec indoctus, insipiens ve sapientibus. Ordo enim est, qui firmat, & componit vniuersa. Ait sapientia Dei Prouerb. 8. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret: Quãdo præparabat cœlos aderam; quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Quando circumdabat mare*

Nazian. Psal. 18. Aquil. ad Eph. Ansem. Psa. 103. Nazian. Cant. 6. Theodoret. Pron. 8.

mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Dei ergo sapientia omnibus eius operibus præfuit, vt cuncta stabilirentur, componerentur. Sed vnde ad hoc dicendum sumpsit initiũ? Ait: *Ab æterno ordinata sunt*; quasi & Dei sapientia, & ordo simul hæc omnia efficerent. Hinc Nazianzen. orat. 26. *Ordo omnium rerum pater est, & præsidium, & solus Verbi rerum omnium conditoris, & architecti sermone commode vti queat, si quidẽ vocem acceperit: Cum mundus à Deo crearetur, ego illi adstabam, omnia componens, atque conglutinans. Cum adornaret thronum suum supra ventos, ac supernas nubes roboraret, cum fundamenta terræ iaceret, & velut firmos, ac tutos super cœlestes fontes statueret, &c.* Ordo solus sermone sapientiæ diuinæ commode vtitur, vt ait Nazianzenus; & quod à sapientia diuina dicitur pro explicanda ingẽti sua virtute, hoc ab ordine potest quodammodo dici, vt extollat virtutem suam, qua creditur omnia firma, & stabilia condidisse. Vnde Cant. 6. mirabundi Angeli de triumphatrice pompa fidelium dicunt: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata?* Vbi Theod. ait: *Admirabuntur autem ipsius non modo lucem, sed etiam ordinem.* Non equidem mirabilis est œconomia, siue politia ex luce, splendoreque solo, sed & ex ordine, cui seruando primas cedat. Sed scire cupis cuius aciei ordinem mirentur in Spõsa? Pulchrè ad rem D. Nyssen. hom. 15. in Cant. *Hæ sunt illæ structæ copiæ, quippe vbi potestates semper dominantur; perpetuo dominatus rerum potiũtur: solide fundati sunt throni; imperia nullam in seruitutem redigũtur; volatus Seraphin non quiescit, & statio non progreditur; Cherubin sustinere sublimem illum thronum non cessant, ministratores opus facere, & sermonem audire non desinunt. Hæ igitur potestates à Deo cum ordinatæ sint:: idcirco etiam anima, quæ ad illarum imitationem ordine decenter facit omnia, talem sui admirationem excitat, qualẽ ordinatæ illæ copiæ merentur.* Itaque ille est validissimus ordo gentium, in quibus, qui imperant, non seruiunt; qui euolant, non quiescunt; qui stant, non progrediuntur; qui seruiunt ministerio, nõ inde excedũt. Ab hoc ordine cœlestis œconomia admirabilis est; & erit admirabilis quisquis illius æmulus fiat.

Nazian. Cant. 6. Theodor. D. Nysse.

§. V.

Durities gubernatoris non ad salutem, sed ad fugam est subditis.

VT Sara affligere cœpit ancillam, eamque seuerius tractare, illa fugam capit, sic enim dicit: *Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.* Quando ex duritie, & seueritate gubernatoris, & desperationes, & fugæ subditorum non fuerunt notæ? Bis audio in Christi manu flagellum assumptum, nimirum Matth. 21. & Ioann. 2. Et quid tantus Dominus fecit cum flagello? Ait Ioann. ibi: *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de tẽplo.* Nullũ traxit, nullum retinuit in templo flagellum, sed omnes eiecit, & fecit inde fugere. Haud dubium, quin iste sit seueritatis frequentior fructus, quod se in fugam dedant subditi. Primis sæculis Dei flagellum pene ob oculos passim erat, flammeus gladius à paradiso arcebat; Caini castigatio minabatur cæteris; dilubium res fuit seueritatis plena. Quid inde? Pulchrè rem ponderat Chrysol. serm. 147. *Creatura feriebatur seruitute dura, obsederat pauor omnia, timor soluerat vniuersa, in cœlo diuinus splendor postrauerat Angelos, in terra tonitrua, & fulmina corda mortalium quassabant. Sic nimius pauor amorem dominantis excluſit, Angelos fugauit ad terras, homines traxit ad idola, mundum vanis erroribus occupauit: fecit omnes creatorem fugere, colere creaturas.* Vbi seruitus dura, vbi frequens flagellum, vbi res tota seueritas; fugitur Deus, & eius cultus prorsus exulat à mundo, & vbiq; terrarũ aræ dæmonibus sacratæ cernuntur. Suspectum fit gubernatori optimo solius seueritatis consilium ad perdendum, quam ad sanandũ aptius. Quò respiciens Dominus Zachar. 11. ait: *Sume tibi vasa pastoris stulti.* Pastorem stultum vocat, qui nimiã duritiem amat, vt quæ solum ad fugandum, & perdendum valeat. Ait D. Cyrill. Alexandr. ibi: *Qui sunt periti muneris pastoralis, exiles portant virgas, vt si quando sunt oues feriendæ, ne frangant, quod percusserint: contra imperiti clauis, baculisque magnis hoc agunt. Quæ propheta nunc appellat vasa pastoris stulti.* Meritò stultum pastorem appellat eum, qui nimiam duritiem prætendit, & seueritatem; quando hæc non valent ad regendas oues, sed ad fugandas, & præcipitandas. Qui prudẽtes gubernatores sunt semper emolliunt rigorẽ, & suauiant, ne damnum inferant, sed ad sa-

Matt. 21 Ioann. 2 Chrysol. Zach. 11 Cyr. Ale.

ad ſalutem trahant. Prudentiſsimus ille ſe cundus mundi Dominus Noe, vt euaſit dilubium Gen. 8. *Ædificauit altare Domino, &c.* Vt ait ibi Rup. *Præteritorũ beneficiorũ memoriam conſitentes, vt dignum erat.* Itaque tota res tunc erat prædicatio, & confeſsio beneficiorum; cur non, & memoriam fecit ſuppliciorum? Numer. 16. vbi abſorti igne ſunt rebelles, ex turibulis eorum laminæ factæ iubentur tabernaculo apponi in ſupplicij memoriam. Sic ibi: *Tulit ergo Eleazar thuribula ænea, in quibus obtulerant hi, quos incendium deuorauit, & produxit ea in laminas, affigens altari, vt haberent poſtea filij Iſrael, quibus monerentur, &c.* Cur & Noe ſimiliter nõ erexit aliquod memoriale ſupplicij illati orbi? Cur maluit eſſe totus in recordatione beneficiorũ, eaque ſola propoſuit populo? Bonus gubernator videbat ſupplicij horrendi imaginem ex ſe ob oculos obuerſantem ſubditorum; quare ipſe ad beneficia ponderanda confugit, vt illis emollito rigore, magis Deo redderet addictos populos. Ait Claudius Marius lib. 2. in Gen.

Adhuc verſatur imago
Ante oculos, tantæ ſemper memoranda ruinæ!
Inter aquas quid pertulerint, quid munere ſacro
Non etiam tulerint, fremeret cum verbere ſæuo
Pontus, & illiſas contemneret arca procellas.
Cumq; ſuis Noe, quam prõpta, & lata reuoluit
Se circumſummi fuerit largitio Patris;
Cogit & attonitos mirari, ac voluere ſecum.

Ecce tibi inter diras imagines ruinas; inter ipſos pene verberum fremitus Noe totus eſt in exponendis diuinis largitionibus, in ponderanda Dei tutela circa ſe ſuoſque, & dum ſic beneficijs exhibitis à Deo mollit rigorem, *cogit, & attonitos mirari, &c.* Nulla res ſic cogit ſubditos erga Dominum, vt emolliti beneficijs rigores. Vt enim rigoris durities fugat, ſic ſuauitas beneficiorum homines cogit, vt adhæreãt Domino, fiãtque ſaluti proximiores. Duos nouit Iordanis viros ſanctiſsimos Eliam, & Ioannem Baptiſtam: ille ignem minabatur, hic oſtendebat Dei agnum. Et quid fecerunt in Iordane? Inuocato Elia. 4. Reg. 2. eius pallio Eliſæus *percuſsit aquas, & diuiſa ſunt huc, atque illuc*; videres, dum pallium Eliæ percutit, vt hinc inde fugiunt aquæ: quãm aliter fiebat in Ioanne, ait enim Matth. 2. *Exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo confitentes peccata ſua.* Quod notãs D. Amb. in cap. 1. Luc. ait: *In deſerto Elias, in deſerto Ioannes. Ille Iordanem diuiſit, hic ad lauacrũ ſalutare conuertit.* Percuſſio eliana in flumine ſciſuras fecit, & fugientes oſtẽdit aquas; Ioannis autem ſuauitas de oſtenſo agno diuino, reddidit aquas ſalutares; vt ſcias, quã vtilior ſit duritie ſuauitas.

Geneſ. 8.
Num. 16
Cl. Mar.
4. Reg. 2.
Matth. 2.
D. Amb.

Cen. 16. Cumque inuenisset eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in ſolitudine, quæ eſt in via Sur in deſerto, dixit ad illã, Agar ancilla Sarai vnde venis, & quo vadis? Quæ reſpondit â facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliari ſub manu illius.

§. VI.

Illud extremæ miſeriæ, & ignominiæ eſt, quod quis à virtutis cultu, & ſtatu in vitia relabatur.

DVo quærebat Angelus, ad vnum tantum reſpondet ancilla: quærebat enim Angelus, vnde Agar veniret, & quo iret? Agar autem reſpondit ſe à dominæ conſpectu fugiens venire, quo autem iret, minimè dicit. Quippe ait: *A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.* Et cur non dicit, quo fugiat, quo ſe recipiat? Fugiebat ad Ægypti patriam ſemel relictam, ad idolorum cultricem, ad vitiorum ſentinam; & nõ verita cõfiteri fugam à domina, tamen veretur fateri reditum ad priſtina vitiorum cõſortia. Verecundius enim, & ignominioſius eſt, vt quæ in domo virtutis vixerat, ſeſe Ægyptijs Idolis, & ſceleribus ſubijciat. Ait Lyppom. in cat. *Conſidera, quod Agar non reſpondit ad omnia, nam quo iret, non reſerat. Forte confiteri erubuit, à domo ſancti viri, probat æque dominæ rurſus ad Ægyptios idololatras redire.* Et quidem malum erat, quod fugeret; ſed quod à domo virtutis, à confortio ſanctorum, à cœleſti vita in vitia relaberetur, & ad vitiorum ſentinam confugeret, id extremæ erat miſeriæ, & ignominiæ. Iſaias cap. 8. dicit: *Auferetur fortitudo Damaſci, & Spolia Samariæ, &c.* Cõmune eſt expoſitoribus ſacris per Spolia Samariæ intelligere Idololatriã, quã Dominus in ſuo aduẽtu cõtriuit. Sed cur idololatriã vocat Samariã? Cur nõ magis Babylonẽ, aut Romã? Nõne

Lyppom.
Iſai. 8.

Babylone, & Romæ magis idololatria floruit, quam in Samaria? Cur ergo prætermissis illis vni Samariæ idololatriam attribuit? Fuerat Samaria prius educata in veri Dei cultu, verisque virtutibus innutrita, at à Ieroboamo inducta in idololatriam reciderat. Quod illi maioris erat miseriæ, & ignominiæ. Tertul. Ait enim Tertul. lib. 3. in Mar. *Idololatriam enim Samaria nomine notauit, vt ignominiosa ob idololatriam, qua defecerat tunc a Deo, sub rege Ieroboam.* Equidem maioris miseriæ, & ignominiæ res erat, quod quæ in domo Dei veri fuerat innutrita, ea dilaberetur in idolorum cultum. Eu miseri homines, qui post Deum gustatum, post virtutem cultam, iterum immergimini vitijs pristinis, non enim dubium est, quin in eo statu sitis, quo præ cæteris ignominiosi, & lamentabiles Deo sitis. Luc. 19. Luc. 19. *Et vt appropinquauit Iesus, videns ciuitatem Ierusalem, fleuit super illam.* Simul videbat mentis oculis, & populosissimas, & perdidissimas gentium ciuitates Memphim, Tyrum, Niniue, Babylonem, Romam. Super nullam harum fleuit, & super vnam Ierusalem lachrymas fundit. Et cur magis Ierosolymâ deflet, quam alias gentium vrbes? Res erat maioris miseriæ, & ignominiæ, quod Ierusalẽ ciuitas Dei, virtutibus innutrita, in vitiorum, & perditionum barathra incideret. Origen. Ex quo ait Orig. hom. 38. in Leuit. *Nemo gẽtilis fletur, sed ille, qui fuit de Ierusalem: quod post peccata circundent eam inimici, & lapidem super lapidem non relinquant; maximè si post multam continentiam, post annos castitatis victus quis fuerit blandimentis carnis.* Quod immergantur vitijs illi, qui nullam virtutẽ nouerunt, non adeò luctuosum est; nemo gentilis defletur, quia nemo gentilis fuerat in virtute, à qua descideret. At qui fuit de Ierusalem, qui fuit ciuis sanctorum, & domesticus Dei; quod hic sic fortitudinem virtutum exuat, vt nullam in se relinquat; & post annos multos castitatis sese dedat carnis blanditijs, hoc ignominiosum, & miserabile multum apud Deum inuenitur,

§. VII.

Ingenuum est præponere seruitutem vtilem libertati perituræ.

MOnet Angelus Agarem, vt ad Dominam redeat, dum ait: *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Quale hoc angeli consilium? Non ne libertas potior est homini, quam seruitus? Ibat Agar seruitutis iugo excusso in libertatem natiuam. Cur Angelus illi persuadet, vt redeat ad seruitutem? Cur non magis sinit illam esse liberam? Inuenit eam sedentem iuxta fontem media in solitudine, omni humano auxilio destitutam, extremæ ruinæ propinquam, inde meritò illi persuadet, vt redeat in seruitutem, ingenuum est enim quod seruitutem præferas libertati perituræ. Ioseph prorex Ægypti iam notus fratribus suis, ait illis Gen. 45. *Ite in terram Chanaam, & tollite inde patrem vestrũ, & cognationem, & venite ad me, & c.* Gen. 45. Sic monet, vt vniuersa cognatio veniat in Ægyptum. At in Ægypto seruituri erant Pharaoni, qui in Chanaam nemini seruiebant. Cur ergo nõ magis amat ipse redire in terram libertatis, quam vt cum suis sit in terra seruitutis? Conficiebantur penuria Chananæi; in Ægypto autem habebat Ioseph alimenta, quibus aleret suos; hinc magis ingenuum duxit, quod seruirent in Ægypto, quàm quod liberi apud Chananæos fame perirent. Ad hæc Egesipp. lib. 5. de Excid. Egesipp. Ierosol. cap. 15. *Quando apud Hebræos vilis seruitus sit libertati inutili non prælata? Iacobi, se Patriarcha in Ægyptũ duxit Hebræos, ne perirent fame. Ibi Ioseph curru sublimis, & equis subiacere se in potestatem maluit, vt aleret suos, quàm ad originis propriæ libertatem redire.* Hoc sapiẽtum, ingenuorumque virorum fuit constantissimum consilium, quod libertas peritura postponẽda sit vtili seruituti. Nec vnquam ingenuos, nobilesque putem illos, qui malunt se suosque miseram pauperie consummi, quam potentioli alicui seruire. Rex erat Ioachim, de quo ait 4. Reg. 24. *Venit Nabuchodonosor rex Babylonis ad ciuitatem Ierusalem cum seruis suis, vt oppugnaret eam. Egressusque est Ioachin rex Iuda ad regem Babylonis, ipse & mater eius, & serui eius, & principes eius, & eunuchi eius, & suscepit eum rex Babylonis, & c.* 4. Reg. Itaque rex vt potentissimi tyranni exercitum à Ierosolymis arceret, maluit exire, & cum omni familia sua, & cognatione sua se tradere seruitati. Et quod magis miror, hoc fecit ex consilio Ieremiæ Prophetæ, vt asserunt Iosephus, & Lyranus, & probabile putat Abulensis. Non ne magis regium erat hosti resistere? Non ne magis nobile perire in prælio, quam seruire? Cur ergo rex nobilis de consilio Ieremiæ elegit seruitutem? Ait Egesip. lib. 5. de Excid. cap. 22. *Se cum sua* Egesipp. *prosapia egressus vrbem, Babylonijs obsidentibus in seruitium dedit, ne euersam patriam, ne*

populum

populum Dei captiuum videret. In prælio euertenda erat funditus ciuitas, interficiendi, & captiuandi ciues vniuersi, ideo rex nobilis libertati nociuæ seruitutem suam, & suorum merito prætulit. Dum Ægyptus Populo Romano seruiret, incidit in inopinatam famem, à qua liberata est studio
Plin. Traiani Imperatoris; vnde ait Plinius in eius Panegyr. *Discat igitur Ægyptus, eredatque experimento non alimenta se nobis, sed tributa præstare, sciat se non esse Populo Romano necessaria, & tamen seruiat. Actum erat de fœcundissima gente, si libera fuisset.* Nulli indecora est seruitus, quæ opulentiorem, & securiorem statum libero subministrat.

§. VIII.

Magnis mentibus opportunum est frænum seruitutis.

Abrahami semine planam Agarem iubet Angelus sub domina redire, aiēs: *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare in manu eius.* Et meritò fœminæ deconceptu tumenti seruitutem Angelus decernit; quo enim maiores animos homines gerunt; eò magis fræni regione egent, ne præcipitentur. Ait D. Nazianzen. orat. 26.
D. Naz. *Fortes, ac generosi quemadmodum si ratione gubernentur, magnum ad virtutem pondus habēt, ita si a scientia, & ratione deserantur, non minus momenti ad vitium habituri sunt. Sic nimirum equum acris esse ac generosa natura necessum est, qui quidem siue in bellis, atque acie, siue in ludrico cursu, ac certamine victor sit discessurus; ac idem tamen nunquam vllum vnquam egregium sui vsum præbuerit, nisi frano eruditus, & accuratiori exercitatione domitus, ac cicuratus fuerit.* Generosi, & magni spiritus, magnaque ingenia, & in homine requiruntur, & in equo, vt nunquam nisi victorias, & triumphos meditentur; sed ij vt egregium sui vsum præbeant; fræni regimine, & disciplina gubernari debent. Caueant sibi magna, & feruentia ingenia, nisi regiminis fræno teneantur subiacere. Hinc Isaac maiori filio suo Esau benedicens aiebat Gen. 27.
Genes. 27 *Vines in gladio, & fratri tuo seruies.* Nota rem benedictionis, nimirū *fratri tuo seruies.* Esse ne potest benedictio, quod seruiat? Vnde seruitus potest ad benedictionē pertinere? Dixerat prius: *Vines gladio*, quibus illū virū magnanimum fore, ingentesque spiritus gerentem ostendit. Qui autem talis est, ad victorias, & triumphos corda anhelantia gerit, præclarissime secū actum putet, si potiori subiaceat, cuius regimine possit coerceri. Quo spectans D.
D. Amb. Amb lib. 2. de Iacob cap. 3. ait: *Recte ergo eum subdidit, vt regentis imperio suum meliorāret affectum. Ideo ait: super gladium tuum vives, & seruies fratri tuo.* Meritò cum bellico spiritu adiungit, quod fratri seruiat, vt conceptus victorijs tumor, & altus spiritus imperio regentis coercitus melioraretur. Nū quam enim magnæ mentes non periclitantur sine regiminis fræno. Vnde dicebat Dominus Oseæ cap. 10. *Ego transiui super pul-*
Oseæ 10. *chritudinem colli eius, & ascendam super Ephraim.* Quod pulchrum, & magnum in Ephraim erat, Deus promittit subijciendum, non enim à bono magne mentes permittendæ sunt sine Domini fræno. Ait ibi
D. Hier. D. Hier. *Dominus eleuatam ceruicem, & sibi sublimia promittentē, vel iugo premet, vel ipse transiens calcauit pedibus suis, & ascendet super eum, vt sciat se habere Dominum.* Expende hoc; *vt sciat se habere Dominum*, quippe hoc datur à Deo mentibus alta sapientibus, magnalraque spirantibus, vt sint sub Domino, vt fræno regiminis gubernentur, ne pereant. Et quam periculose agunt magna
Oseæ 4. corda sine fræno? Ait Oseas cap. 4. *Ligauit*
Symach. *eum spiritus in alis suis.* Symachus legit: *Si quis liget ventum in alis venti.* Quorum sensum exprimit Chaldæus in rem nostram:
Chald. *Opera magnatū illorū haud recta sunt; quemadmodum constrictus non potest retinere ventus in ala.* Equidem magna ambientium errores, non magis retineri possunt, quam furentes venti non retinentur ab alis passerum, quin potius eas impellunt, & commouent magis. Quid tunc? Oseas cap. 10. *Et o*
Oseæ 10. *eis quasi exaltās iugum super maxillas eorum.*
D. Hier. Symachus apud D. Hieron. *Parauerunt quod imponerem iugum super maxillas eorum.*
Ruffin. Vbi Ruffinus explicat: *Oraeorum compositi.* Sed quid iugum, aut frænum cum compositione oris? Id obscurum videtur nostro Delrio, at mihi clarissimum est; magnæ enim mentes, vt equi acres, & generosi à fræno regiminis habēt, quod non exorbitent, sed semper incedant compositæ.

§. IX.

Patientia humilis aduersarios quoque, & vniuersa odia lenit, & mollefacit.

ADuersus duritiam domine hoc vno medicamine confortatur Agar ab Angelo; nimirum: *Humiliare sub manu illius.* Non par pari respondeas, sed irascentem, sed iniuriantem humili sustine patientia, quo aduersaria omnia mollescent. Cap. 26. Gen. vbi Isaac crescebat in Geraris, inuidiam nationum passus est, ait enim textus: *Ob hoc inuidentis ei Palæstini omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abram, illo tempore obstruxerunt, implentes humo.* Quid iniurium magis Isaaco? Ipse autem nec mutijt, sed alios puteos sibi fodit, *Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac.* Quod similiter Isaac placide pertulit. Tandem accedunt Principes terræ, & aiunt: *Vidimus tecum esse Dominum, & idcirco nos diximus: Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus.* Ecce tibi qui inuidebant, qui aduersabantur, qui iniurij Isaaco erant, modo blande, & amice ad illum veniunt pascisce tes fœdera. Et quomodo illos sic traxit Isaac? An hostili exercitu illos inuadendo? Absit, sed illorum iniurias patienter sustinendo, illos sic mollefecit. Ait Egesippus lib. 5. Excid. Ierosol. cap. 16. *Quid de filio Abrahæ Isaac loquar? Is quoque patrio fretus munimine aduersus finitimi potentis insolentiam, non armata produxit acies; & certe habebat vernaculorum validam manum, quæ reges quinque bello superauerat, spolijs exuerat, captiuum Loth Abrahæ patruo restituerat. Nõ gladium vagina exuit, sed solam aduersus inuidentes patientiam induit, simplicitatem retulit. Venerunt rogantes, qui exterminandum denuntiarant, poposcebant amicitiam, qui finitimum conferabãt.* Proh valentiam animi in iniurijs patientis! Non ingens exercitus, non falcati currus, non fulmina bellica sic quatiunt hostes, vt eos concutit animus, qui sciat eorũ iniurias humili patiẽtia sustinere. Matth. 5. ait: *Esto cõsentiens cũ aduersario tuo cito dũm es in via cũ eo; ne forte tradat te aduersarius iudici, &c.* Et quomodo quis aduersario cõsentiet, vt euadat pœnã? Res patet in Chananæa, quæ passa Iesum aduersarium ab illoque se canem appellari audiẽs Matth. 15. respondebat: Etiam Domine, nam & catelli, &c. Vbi D. Amb. lib. 6. in Luc. ait: *Negauerat Dominus panem filiorum dandum canibus. At illa consensit, & consentiendo diripuit dicens: Vtique Domine, nam & catelli, & c.* Sic consentiendo humiliter iniurijs sibi illatis hostem fregit. Huc ttaho magnum illud Ioseph, quem fratres in testino odio persecuti fuerant, adeò vt illum Ismaelitis venderent. Tandem ipse eleuatus in regnum, illos odiosos fratres nanciscitur, sibi procũbentes, & adorantes genua. Quid tunc? Ait Gen. 4. *Eleuauitque vocem cum fletu, quam audierunt Ægypty, omnisque domus Pharaonis. Et dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph.* Qui acceperat iniuriam, qui odia expertus fuerat, in potestate erat, habẽs coram se iniuriatores subiectos, & nihilominus eleuata voce flet. Cur modo fles? Cur cum in vindictam vales procedere, magis amas flere, & in teneritudinem lachrymarum ire, potius quam in duritiem vindicantis ferri? Pulchrè D. Hieron. epist. ad Demetriadem de Virginit. ait: *Odium fratrum charitatis lachrymis abluebat.* Sapiens homo recurrit ad arma, quæ funditus odia in se excitata abstergerent, ne reuiuiscerent, & ideo confugit ad teneritudinem exhibendam. Vindicta ferrea ferire hostes potest, at odia extirpare non potest; teneritudo claritatis, humilis patiẽtia hostibus, & iniurioſis hominibus exhibita, sic hostes afficit, vt nullum odiũ perseueret, sed totum, quantum est, eradicetur.

Gen. 26. Egesipp. Matth. 5. Matt. 15 D. Amb. Gen. 4. D. Hier.

Gen. 16. Et rursus: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine. Et deinceps: Ecce, ait, cõcepisti, & paries filium, vocabisque nomen eius Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam. Hic erit ferus homo; manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione fratrum suorum figet tabernacula.

§. X.

A Dei spiritu venit, quod socialis hominibus sis.

DE Ismaele multiplicãdo promissio nullo modo fit Abrahamo, sed Agari; dicit enim textus: *Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine. Et deinceps: Ecce, ait, concepisti, & paries filium, vocabisque nomen Ismael, &c.* Et cur non Abrahamum meminit in hac multiplicatione seminis, sed solam Agarem? Rationem indigitant illa verba sequentia: *Hic erit ferus homo, manus eius con-*

Gen. 4.

tra om-

Lec. Heb. tra omnes, &c. Hebraice legunt alij: *Hic erit ſilueſter homo*, ſiue alij: *Hic erit Onager*,
Pereyr. quibus notatur Iſmael, vt ait Pereyra, quod fuerit alienus ab omni humana conuerſatione; homo plane ſolitarius, & ſilueſtris, ab alijs hominibus remotus. Dicturus ergo Angelus de Iſmaele adeò ſolitario, & hominibus exoſo; Agaris meminit, nō Abrahami in cuius benedicto ſemine continebatur Chriſtus hominibus familiaris, & gratioſus. Quid magis alienum à Dei ſpiritu, quam quod hominibus ſis prorſus exoſus? Quid magis Deo affine, quam quod familiaris, & ſociabilis ſis ſuo homini? Mat-
Matth. 3. th. 3. *Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli, & vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.* Spiritus Dei in præſenti ſub ſpecie columbæ in Chriſtum venit: o-
Cant. 5. lim dicebat ille Cant. 5. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Cur modo non ſub turturis ſpecie, ſed columbę forma accedit ſpiritus Domini? Eſt nimis ſolitaria turtur, & fugitiua à conuictu hominum; columba autē hominibus familiaris, & ſociabilis inuenitur, ideo ſumitur, vt deſignet Dei ſpiritum venientem ſuper Chriſtum Dominum. Ait
Origen. Orig. hom. 2. in Cant. *Quia ſaluator noſter in vallibus ad homines vſque peruenit, & hominem eſt dignatus aſſumere, & venit ad terras, multique tunc circa Iordanem peccatores erant: idcireo non turtur, ſed columba venit, & inter nos propter hominum multitudinem auis manſuetior, conuerſatur.* A Dei, Chriſtique ſpiritu demonſtrando excluditur auis ſolitaria turtur, quæ oderit homines; aſſumitur autem columba hominibus familiaris, & gratioſa. In qua eleganter exprimitur; vt ſpiritus Dei gaudeat humana conuerſatione, vt lætetur agens inter fratres ſuos homines. Adeo, vt vbi homo non ſit, nihil è viſibilibus poſsit inuenire, quōd ra-
Geneſ. 1. piat diuinos oculos. Gen. 1. ait: *Terra autē erat inanis, & vacua.* Et cur terra, quæ à diuina manu recens orta erat, dicitur inanis, & vacua? Si enim ideo diceretur talis ob defectum ornatus, & fructuum, etiam cœli tunc erant ſine aſtris, & aqua ſine piſcibus, & nilominus non dicuntur cœli inanes, nec aqua vacua: cur ergo id magis de terra dicebatur? Imò iuxta aliam verſionem dici tur: *Terra autem erat inuiſibilis, & incompoſita*: Sed cur prę cæteris terra inuiſibilis? Ait
D. Amb. D. Amb. ibi: *Sic accipiamus inuiſibilem terram, quod nondum verbo Dei, & protectione viſitabatur, quā hominem non habebat, propter quem Dominus reſpiceret in terram, ſicut ſcriptum eſt: Dominus reſpexit ſuper filios hominū.* Et vacua, & inanis, & inuiſibilis terra eſt Deo, quę non habet hominem, ad quem reſpiciat Dominus. Quæcumque enim alia ſint, & ornatus, & fructus, & ſplendores mundiales Deo nihili æſtimantur, qui è mundialibus vno gaudet homine, in delixijſque eſt, dum inuenitur inter filios hominum.

§. XI.

Chriſtianæ virtuti multum officit fœmineæ leuitas.

AGari de Abrahamo concipienti filium multa fit ex Deo promiſsio de ampliando eius ſemine, cum dixit: *Multiplicans multiplicabo ſemen tuum; & non numerabitur præ multitudine. Ecce, ait, concepiſti, & paries, &c.* Non talia promittuntur Saræ concipienti de eodem Abrahamo. Et quidem in Saræ filio Iſaac, multiplicandum erat ſemen eius, & benedicendum; quod Abrahamo promittitur, ſed Saræ non fit promiſsionis talis verbum vllum. Et cur prætetito Abrahamo, vni Agari fit promiſsio de ampliando eius ſemine per Iſmaelem; verum de ampliādo ſemine Saræ per Iſaac, non Saræ, ſed Abrahamo fit promiſsio? In ſemine, & generatione Abrahami ex Agar homines orituri erant ſceleratiſsimi, fœminеis, muliebribuſq; vitijs innutriti; & meritò in illis, quidquid virile erat prætermittitur, vnàque eorū mater ad promiſsionem adciſcitur. At in ſemine Abrahami ex Sara, oriturus erat Chriſtus Dominus magiſter omnis puritatis, & virtutis, ideo in eo fœminea pars prętеritur, ſolus vocatur vir ad promiſsionem, nunquam enim non officit fœminea leuitas Chriſtianis virtutibus. Luc. 2. dicit: *Poſtquam impletiſunt dies purgationis eius, ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.* Itaque omne maſculinū petitur ex lege, vt ſanctum Domino habeatur. Et cuius partus erit omne maſculinū? Quis maſculus ſic prodire poterit ex viſceribus matris, in quo nihil reſplendeat fœminæ leuitatis? Crediderim vnum in præſentilege Chriſtum ſpectari, qui ſolus adeo perfectè maſculus eſt, vt prorſus excludat fœmineas leuitates, vt ſibi maximè cōtrarias, & repugnantes. Ait D. Nyſſenus alatus à D. Tom. in cat. *Solus autem hic partus maſcu-*

Luc. 2.

D. Nyſſ.

masculinus spiritualiter esse conspicitur, qui nihil de fœmineitate culpæ portauit, vnde re verâ sanctus vocatus est: vnde & Gabriel quasi hoc decretum ad ipsum solum pertinere memorans dicebat: Quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei. Vt sanctus, & esse, & vocari debebat Iesus Dominus, sic cauit aliquid fœmineum in sua generatione explicari. Is enim erat sator virtutum Christianarũ, qui prorsus ostendendus erat remotus à fœmineis leuitatibus, vt sibi contrarijs. Exod. 12. de agno immolando cauebat lex: *Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus.* Et cur adeò cauet, vt sit masculus? Respiciebatur iam ibi Christus, cui exosa leuitas fœminea. Ait Nazianzen. orat. 2. Paschæ: *Masculus rursus, vtpote, qui pro Adamo potissimum offeratur, primumque in peccatum lapsum firmitate, ac robore superet, nihilque omnino muliebre, nihil molle, & effeminatum circumferat.* Sic semper diuinissimus agnus sibi cauet à fœminea leuitate, vt quę maximè officiat virtutibus Christianis. Mar. 6. de Herodiade saltante, ait: *Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi.* Circa quæ verba ait D. Fulgen. *Ecce iam procurante diabolo ludens cœpit delectari puella, ad hoc solum, vt posset occidere Prophetam. Nescio quid habet muliebre semper nomen cum sanctis.* Nunquam sane non detrimentosa est sanctis muliebris leuitas. Et cur non sanctis detrimentosa sit, quæ perẽptoria est ipsi sanctitatis primicerio? Mar. 6. item 6. consulebat filia, quid peteret ex rege, cui mater ait, *caput Ioannis Baptistæ.* Cur caput nominatim petit? Cur non magis vitam eius petiuit, vt occideretur? Chrysol. serm. 174. *Si caput viri est iuxta Apostolum, Christus iam tunc nouello ore antiquissimus serpens Christi Domini tendebat ad mortem. Iam tunc auidus draco in serui capite, Domini gustabat sitiens passionem.* Sic lethalis creditur fœmina respectu seruorum Dei, vt meritò caueri debeat ab eo, qui velit viuere sub vmbra Saluatoris.

Exod. 12.

Nazianz.

Marc. 6.

Marc. 6.

Chrysol.

§. XII.

Afflictio nostra ad se inclinat Deum misericordem.

IAm illud dictum Agari, nobis accidit iucundissimum, nimirum: *Vocabis nomen eius Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam.* Equidem magna est vis afflictionis nostræ, vt trahat Deũ misericordẽ. Post inuentum scyphum in sacco Beniamin, & prehensum puerum, quis dicat dolores, gemitusque fratrũ eius? Ait textus: *Illi scissis vestibus, oneratisque rursus asinis reuersi sunt in oppidum.* Se Iosepho sistunt, clamant, lachrymantur in eius cõspectu. Quid tunc Ioseph? Cap. 45. *Non se poterat vltra continere Ioseph, &c.* Visis lachrymis, afflictionibusque fratrum non se continuit, quin statim se indulgentissimum ostenderet. Quò spectans ait D. Amb. epist. 43. *Ioseph vt fratrem iuniorem teneret, simulabat iracũdiam fratribus, & compositam â se furti fraudem indignatus est; tamen cum aduolueretur ad genua eius vnus ex fratribus Iudas, flerent alij, fraterno victus, & compassus affectu diutius tenere non potuit simulationem seueritatis.* Videns Ioseph lachrymas, & afflictionem fratrum, diutius monstrare non potuit seueritatis rigorem; & durabit Dominus in rigore videns lachrymas, & afflictiones nostras? Absit hoc à Deo misericorde; qui proculdubio volabit ad indulgentiam, cũ viderit suorum afflictionem. Hinc dicebat illa Cant. 5. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt myrrham.* Dum surgit, vt Deum excipiat, vt Deo fruatur, manus distillant myrrham, nisi enim de myrrhæ operibus exhibitis, hoc est, de afflictione, & mortificatione non tam facile ad Dei præsentiam exurgeret. Vt dicat D. Nissen. hom. 12. in Cãt. *Accepi vim resurrectionis ex eo, quod membra terrena mortua reddiderim, eamque mẽbrorum mortificationem sponte mea instituerim, non ab alio myrrha mihi in manus data.* Prius manus extendit ad myrrhã, prius macerauit carnem suam, prius amarè fleuit, seque afflixit, & inde vim resurrectionis accepit, qua Deum exciperet. Nunquam enim per afflictiones ad Deum non imus: quasi vicini, & propinqui sint, imò & cõnexi, & afflictio, & fauor diuinus. Audiebam Gen. 6. *Et ingressus est Noe, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluby.* Et mirabar homines sic se claudere tetro arcæ sepulchro; sic velle priuari Solis lumine, & credi frãgili ligno. Quanta hæc mors? Quãta afflictio? Eodem, quo belluæ carcere tenebantur; nigris tenebris iacebant sepulti; omni solis vsura priuati erant, feriebantur extrinsecùs frementibus vndis. Sed interea Deus illis aderat dementissimus, qui non se continet, quin assistat afflictis. Accipite Claudium Marium lib. 2. in Gen. pulchre fantem:

D. Amb.

Cant. 5.

D. Niss.

Genes. 6.

Cl. Mar.

Ille animas longæ perituras carcere noctis

Asse-

Affectu lucis spolians, virtute replevit.
Et qui nunc tempore paruo
Posse perire homines docuit, mergẽtibus vndis,
Ostendit flammis, atque vndis posse renasci.

Carcere arcæ claudebat Dominus homines, sed carcere afflictos replebat virtute; nec permittebatur sola illius carceris afflictio, sed & virtus diuina adstabat afflictis, quæ illos vel medijs periculis seruaret securos, vel medijs flammis, vndisve viuos.

Luc. 22. Luc. 22. *Satanas expetiit vos, vt cribraret sicut triticum; ego autem rogaui, ne deficiat fides tua.* Ecce tibi, & Satanę expetitio, & Christi patitio simul, illa pro afflictione, hæc

Tertull. pro protectione. Vt dicat Tertul. lib. de Fuga in persecut. *Postulauit Satanas, vt discerneret vos sicut frumentum, verum ego rogaui pro te. Quo ostenditur, vtrumque apud Deum esse, & concussionem fidei, & protectionem.* Et vt ex Deo concussio, & afflictio permittitur, simul venit, & protectio, & defensio.

D. Paul. Quod notabat D. Paulinus epist. 2. ad Victricium inquiens: *Agitato in furias Tribuno, districtus es in verbera, & vastis fustibus fractus; nec tamen victus es, quia crucis ligno innitebaris; geminataque mox corpori pœna, acuto testarum fragmine laniata immanibus plagis membra subtractus es, tunc molliùs fulciente Christo, cuius tibi gremium lectulus erat, & dextra puluinar.* Sic Iesus adest suis afflictis.

§. XIII.

Deus attentissimus est, & expeditissimus, vt vel primo accedentium peccatorum motui accurrat.

NOn oscitãter ancillæ filio inditũ nomen est, quod expeditam Dei auditionem significet, ait enim: *Vocabis nomẽ eius Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuã.* Ismaelis nomen Deũ audientẽ

D. Hier. significat; sic enim D. Hieron. de quæstionibus Hebraicis dicit: *Ismael enim exauditio Dei interpretatur.* Et meritò in homine peccatore, & ancillæ filio, quasi titulus inscribitur *Dei exauditio*, vt constet, quam promptus, quam expeditus sit Deus in audiendis accedentium clamoribus, vel pri-

Luc. 16. mis. Luc. 16. Prodigus filius iam inceperat primos gressus facere ad patrem suum, *& cum adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens,* &c. Ibi D. Ambr. *Occurrit tibi, qui audit te intra mentis secreta tractantem. Et cum adhuc longe sis, videt, & accurrit.* Ecce tibi vt miser peccator adhuc à longe stans, in primo animi gressu, in primo cordis gemitu, iam auditur à cœlesti parente, qui illum exceptu-

Euthym. rus accurrit. Quo spectans Euthym. ait: *O visum compatientis acutissimum! Simul vt quis resipiscere in animo cogitauit, hunc etiam simul ipse vidit; paratus semper ad eorum, qui conuertuntur, susceptionem, & ab exordio statim pœnitentiæ illos recipiens.* Non multis clamoribus, non multis pulsationibus Deus indiget, vt accurrat; sed adeo paratus est, adeo expeditus ad conuersos suscipiẽdos, vt vel longe adhuc de gentiũ suspiria percipiat, & promoueat in salutem. Quo respiciens Isaias cap. 42. ait de Saluatore nostro: *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Cum primum cor humanum amore virtutis correptum fumare cœperit, iam Deus aderit, qui excitet, & accipiat ignem. Tertul. lib. 3. in Marcion. ait: *Qui linum ardens, id est, momentaneũ ardorem gentium non extinxit.* Sanè gentiles multi vt Christi martyribus irriderent, & eorum sanguine saciarentur, currebant ad martyrum carnificinas; vbi vel visa martyris constantia, vel miraculo viso, repentino affecti fidei calore clamabant, Christiani sumus, quo statim rapiebantur ad mortem, & coronam accipiebant martyrij. Quã tum hoc? Ad repentinum, & momentaneũ affectum fidei conceptum iam veniebat corona, & palma martyrij? Equidem is est Deus, qui momentaneum ardorem gentiũ non extinxit; imo sic momentaneo illi affectui accurrebat, vt illos promoueret ad salutem. Felix, qui sic ad Deum accedit, qui cum Deo negotiari amat, fallar, si vel à longe stans, vel momentaneo affectu, vel obiter accedens, non rapiatur ad salutem. Saul egressus à paterna domo. 1. Reg. 8. multum

1. Reg. 8. terræ transiuit, asinas patris sui quærens, & minimè inueniebat illas, hæc illi erat tota animi cura, vt asinas inueniret. Dum desperat de illis inueniendis, & reditum ad patrem meditatur, venit illi in mentem, obiter inuisere Dei Prophetam, illicque sua committere. Accedit ad vrbem, adest Samuel, qui viso iuueni dicit: *Omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de asinis, quas nudius tertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inuentæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israel?* Tota Saulis cura erat asinas inuenire, de Dei Prophetæ videndo nulla fuit illi cura, sed obiter in eam cogitationem incidit. Et quid inde? Vel obiter astans Prophetæ

Dei, ab

Dei, ab illo accipit regni iam iam adveritatis signum. Pulchrè Nazianzen. orat. 20. inquit: *Saul patris asinas quærens regnum inuenit, plus in ea re, quam obiter agebat, quam in ea, quæ præcipue curæ illi erat, lucrifecit.* Et cur plus lucri fecit in re, quam obiter agebat? In ea re negotiabatur cum Deo, cui licet obiter accedas, magnum inde lucrum recipies. Is est, qui vel ad se obiter accedentes excipiat, & illos promoueat in vitam. Nazianz.

Gen. 16. Vocauit autem nomen Domini, qui loquebatur ad ea: Tu Deus, qui vidisti me. Dixit enim, profecto hìc vidi posteriora videntis me. Propterea appellauit puteum illum, Puteum viuentis, & videntis me. Ipse est inter Cades, & Barad. Peperitque Agar Abrahæ filium, qui vocauit nomen eius Ismael. Octoginta & sex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Ismaelem.

§. XIIII.

Maritus sanctus vxorem Deo acquiret.

ÆGyptia ancilla dimisso Apisuo, dicit Deo vero: *Tu Deus, qui vidisti me*: vbi Chaldæus: *Etiam ego cœpi videre postquam reuelauit se mihi*, quasi dicat, vt ait Pereyra, Non solum Saræ virtuti innutritæ, sed etiã mihi Ægyptiæ vanis simulacris deditæ se Deus verus ostendit. Et vnde Ægyptia ancilla sic Deo accessit nisi ex Abrahami coniugio? Ait D. Chrysost. in præsenti: *Vidisti propter Patriarchæ honorem, quanta sint ancillæ facta? Quidquid illi impensum est ad honorem Patriarchæ pertinet.* Equidem de mariti meritis, imo, & de mariti iusti mercede venit, quod vxor sit acceptabilis Deo, illiusque fruoribus accedat. Sigibertus Rex Franciæ accepit sibi puellam Brunichildem nomine in vxorem, de qua locutus Venantius Fortunatus sic pulchrè fatur. D. Chrys. Ven. Fort.

Reginam meritis Brunichildem Christus amore
Tunc sibi coniunxit, hanc tibi quando dedit.
Altera vota colis melius, quia munere Christi
Pectora iuncta prius, plus modo lege placẽt.
Rex pie Regina tanto de munere gaude,
Acquisita bis est, quæ tibi nupta semel.

Quid pulchrius? Vbi Deus Regi pio sponsam prouidit, & sibi eandem simul recepit; non potuit accedere sponsa pio regi, quin, & Deo accederet. Felix mulier, quæ venit in domum sancti mariti, eisdem enim gressibus in Dei fauorabilem amicitiã venit. Rachel, vt cum viro suo proficisceretur, Gen. 31. *Furata est idola patris sui*, putans se posse in mariti domo Idolis seruire; at non multum progressa Idolis abiectis, & sepultis, vni Deo vero coniungitur. Magnum hoc bonum Racheli euenit, sed ex cõsortio sanctissimi mariti. Ait Rup. lib. 7. in Gen. cap. 42. *Rachel, quod idola furata est, claret, quod non perfectæ fidei tunc erat. Sed ante quam obiret, opportune a Iacob dictum est: Abycite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini. Dederunt ergo ei. Ast ille infodit eos sub therebintum. Nec multo post scriptum est. Mortua est autem Rachel, &c. Non ergo paruo bonoso viro fidelem sortita, vel sequuta est, cuius fide salnata est.* Ad magnam fœlicitatem fœminæ pertinet, quod sortiatur sanctum maritum, de cuius consortio habebit, quod ipsa renũtiet Idolis carnis, & mũdi, & adhæreat Christo, moriaturque in Christo. Post fictam Euam de costa Adami dictum est Gen. 2. *Erunt duo in carne vna*: quasi educta mulier è costa, iam non osseam virtutem quærat, sed ad carnis voluptates aspiret. Quod minimè accidisse vxori Aprigratulatur D. Paulinus epist. 29. quin potius ex quo adiuncta fuit tanto viro, non ad carnem, sed ad spiritus fortitudinem respexisse. Ait enim: *Illic, & coniux non ad mollitudinem viro, sed ad continentiam, & fortitudinem, reduxin ossa viri sui, quam in tuam vnitatem redactam, & redditam, spiritualibus, tibi, tanto firmioribus nexibus, quanto castioribus Charitas Christi copulat, in cuius corpus transistis a vestro.* Sanè coniux redux in ossa viri, non in carnem, in virtutem, non in mollitiem, à sancti mariti corpore transit ad corpus Christi, & vt est vnum corpus cum marito, sic est vnum corpus cũ Christo. Hoc habet fœmina, quæ sancto adiungitur maritò, vt etiam Deo adiungatur nexu simili. Hinc Gen. 18. vbi dicit: *Sara risit post ostium tabernaculi*: ait Orig. apud Lyp poman. *Discant mulieres sequi viros suos. Neq; enim sine causa scriptum est, quod Sara stabat post Abraham, post ostium tabernaculi, sed vt ostenderetur, quia vir si præcedit ad Dominum, sequi mulier debet.* Sic ibi. D. Paul. Gen. 2. Gen. 18.

(***)

§. XV.

Magna Dei fortitudo, quæ facit fœminã in virtute perseuerare.

VT ipsa experitur Deum Agar, sic illi nomen attribuit dicens: *Tu Deus, qui vidisti me*, Ex Hebræo: *Tu El videns me*. Nomẽ diuinum El â fortitudine desumitur; nec otiosè fortissimum Deum agnoscit, quando se ab illo confortatam sentit, vt in domum dominæ redeat, illicque perseueret. Quanta hæc fortitudo Dei, qui perseuerantiam in bono ponit in muliere? Caietan. Ait Caietan. in præsenti: *El nomen Dei a fortitudine sumptum est. Deum sub ratione fortis venerata est Agar, eo quod, & ipsa roborauerat, ad redeundum, & manendum domi cũ Sarai, & Abram.* Quod fœmina cum sanctis perseueret in humilitate, & obedientia, id a sola prouenit fortitudine Dei. Deus fortis sit, qui fœminam faciat redire ad virtutem, & in ea cum sanctis permanere. Paulus ad Galat. 3. dicebat: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Adest nobis Christus, vt vestimentum, hæret nobis vt tunica; sed quomodo hæret vt tunica? Melinit. Pulchrè in rem nostram Optatus Melinitanus lib. 5. ait: *O tunica semper vna, & immutabilis, quæ decenter vestiat, & omnes ætates, & formas, nec infantibus rugatur; neque in iuuenibus tẽditur, nec in fœminis mutatur.* Expende valentiam tunicæ, quæ Christus est nostris ad hærescens animis, nimirum: *Neque in fœminis mutatur.* Quę vestis vnquam potuit in fœmina durare? Qui ornatus sic placuit fœminæ, qui ab illa non mutetur, vt currat ad alium? Sanè inconstantissima est fœminea voluntas circa vestes, & corporis ornatus. At tunicæ, quæ Christus est, ea est valentia, & fortitudo, vt vel in fœmina possit non mutari, sed ibi norit persistere, & perseuerare. Adeo validus est affectus Christi, vt etiam in fœminis duret Luc. 23. vsque ad finem. Luc. 23. *Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius.* Mirabar, quod fœminæ perseuerauerant in Christi sequela vsque ad sepulchrum, quando Apostoli fugerunt ab Orto. Sed ait D. Amb. Ambr. lib. 10. in Luc. *Et si deest constantia, non deest diligentia. Sexus mutat, deuotio calet.* Proh sanctæ deuotionis calor, qui immissus animis mulierum, notantes confirmat; fallar, nisi hic calor sit columna ignis, quæ tantam formitudinem præstat fœminis: Pulchrè dixit D. Athanas. epist. ad Draconti- D. Athan. um: *An quæso non ingens signum est, puellam inducere, vt virgo maneat? Et adolescentiorem adhuc, vt sit continens?* Sanè hæc ingẽtia Dei signa, & miracula sunt. Nequit enim fœminea leuitas diu in bono perseuerare, nisi vndiq; vt diploide Christo cingatur. Isaias Isai. 3. cap. 3. aiebat: *Elenatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo:* Quæ vix notabat in filiabus Sion, & statim earum ostendit ruinam: Sed vnde a tanta fœlicitate, in tãtum casum deuenerunt? Ait D. Cyprianus de hab. Virg. *Exaltatæ deciderunt; comptæ* Cyprian. *turpitudinẽ fœditatemque meruerũt; sericũ, & purpurã indutæ Christũ induere nõ possunt.* Ecce tibi ex quo Christus illas vt indumentũ cingere non potest; propter earũ culpabilẽ cultũ, nec ipsæ persistere in bono possunt.

§. XVI.

Ille aspicit sibi salutaria, & diuina, qui prius à Deo aspicitur.

TVnc dicit Agar se vidisse, cum se notat a Deo visam; quippe ait: *Vidi posteriora videntis me*: Siue vt alij legunt: *Vidi post videntem me.* Non antea ipsa vidit, quam visa fuit; necessum est enim vt prius aspiciamur a Deo, vt deinde possimus nos videre viam salutis. De prodigo illo filio ait D. Luc. cap. 16. *Cum adhuc longè esset,* Luc. 16. *vidit illum pater suus.* Nõ dicitur ille vidisse patrem, sed magis ipse a patre fuit visus, vt sic posset, & videre, & currere in vi ãsalutis. Ait D. Chrysol. serm. 3. *Pater vidit illum, vt ille patrem posset attendere: patris visus illustrauit filij uementis aspectum, vt tota fugaretur obscuritas, quæ circumfusa fuerat de reatu: Nisi ergo cœlestis pater radiasset redeũtis filij in vultu: & totam confusionis caliginẽ respectus sui lumine sustulisset; nunquam diuini vultus vidisset iste filius claritatem.* Tota fęlicitas huius prodigi in eo sita fuit, quod prius ipse a patre videretur: vt primũ patris lumina super illũ sunt posita, statim peccatorũ tenebræ abiere, & ipse ad bonã frugẽ se cõtulit. Similiter Mat. 9. *Cũ trãsiret inde Iesus,* Matth. 9. *vidit hominẽ sedẽtẽ in telonio Matthæũ nomine. Et ait ille sequere me.* Expẽde illud prius, ni mirũ: *Vidit hominem*; prius enim vidit Deus hominẽ, vt inde homo facile iret in rectam viam. Ait D. Chrysolog. serm. 30. *Vidit ho-* D. Chrys. *minem. Vidit plus oculis diuinis, quam humanis. Vidit hominem, vt peccata hominis non vide-*

videret. Vidit opus suum, vt despiceret opera peccatoris. Vidit illum Deus, vt ille videret Deum. Vidit illum Christus, vt ille peccati latebras amplius nō videret. Sanè vt ille Deū, & viam ad Deum videret, debuit prius ipse aspici à Deo. De eo, quod prius a Deo visus fuit, diuinorumque luminum illustratus radijs apparuit, effugit peccatorum tenebras, & ad viam salutis se recepit. Hinc vbi ostenditur, qualiter Israel Ægyptias caligines reliquerit, & iter ad terram promissionis arripuerit, ait Exod. 3. *Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, &c.* Hoc principium est humanæ salutis, quod prius respiciamur à Deo, inde enim progredimur in vitam. Pulchrè ad hæc Paschasius lib. 5. in Matth. *Quidquid Deus ad se in laudem sui operis reuocat, prius ex sua indulgentia probat, vt videat, & quidquid viderit, approbat, in laudem perfecti operis vt reducat. Hinc est, quod ait: Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto. Alioquin eos nisi prius ille videret, licet eius essent, ipsi ad eum non rediret. Sic omnes, quos ad suam gratiam vocat; quocumque in loco receſſerint, prior videt oculo pietatis, deinde vocat suæ dignationis officio, vt eum sequi studeāt.* Semper nos præoccupant Dei oculi, vt tanto lumine præoccupati in viam salutis progrediamur. Quocumque receſſerimus, perueniunt oculi diuini, & vt nos videt Deus, ad currendam salutis viam excitamur. Ait enim D. Basil. Sel. orat. 26. *Vidit Israelitarum gregem morbis deuictum, vidit ouile abisse in dæmonum diuersorium, vidit gregem a dæmonibus haud secus, quam a lupis dilaniatum, & quæ respexit, non despexit. Inde abstraxit manu arefactum, &c.* Hoc fiat nobis, quod respiciamur prius a Deo, & non despiciemur, sed à malis, a tenebris in lucem, & in vitam eruemur.

Exod. 3.

Paschas.

Basil. Sel.

§. XVII.

Ab aqua Christianorum vita.

AVspicatissimo nomine Agar puteum designat, apud quem cum Angelo fuit locuta; dicit enim: *Appellauit puteū illum, puteum viuentis, & videntis me.* Chaldeus dicit: *Appellauit puteum illum, puteum super quem apparuit Angelus vitæ.* Iam inde exprimebatur Christianorū fœlicitas, quę ab aquis trahit vitalissimam vitā. Quò respiciens Paul. 1. ad Corinth. cap. 10. dicit de pristinis Israelitis. *Omnes mare transierūt, & omnes in Moyse baptizati sunt.* Sic trāsitum Israelitarum per mare vocat baptisma; sed quid habuit transitus ille commune cum baptismate? In baptismate aquis immergimur, in illo transitu nulla fuit immersio Israelitarum, quin potius sicco pede transierunt. In quo ergo conueniunt transitus ille, & nostrum baptisma? Per transitum illum liberabantur Israelitæ a morte; & ibant in vitam, in quo præclare ostendebatur virtus baptismatis; cuius aquæ fidelibus halant vitam. Vt dicat D. Basil. Sel. orat. 3. *Baptisma vocat Paulus viā per mare. Erat enim mortis, quæ in aquis appeteretur, effugium.* Vbi mors effugiebatur, clarissimè inuenitur baptismi Christiani similitudo, semper enim Christiani per aquā mortem fugimus peccatorū, & currimus ad vitā. Matth. 28. dicebat Iesus suis discipulis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Cur in fidei ingressu baptismatis fontem apposuit? Cur voluit suos ab aqua initiari? Ait D. Irinæus lib. 3. cap. 19. *Sicut arida terra, si non percipiat humorē, non fructificat: sic & nos lignum aridum existentes primum, nunquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluuia. Corpora enim nostra per lauacrum illud, quod est ad incorruptionem, vnitatem receperunt. Animæ autem per spiritum; vnde, & vtraque necessaria, cum vtraque proficiat in vitam Dei.* Vt quidem arida ligna, non nisi de aquæ humore reuiuiscunt; sic nos aridi minime animamur in vitam nisi de aquæ beneficio. Et quę plāta homine peccatore aridiora? Haud dubium, quod peccator omnium fructicū sit aridissimus, vnde necessarium habuit plantari iuxta fontes aquarum, vt acciperet spem vitæ. Vane enim speraret vitam Christianus nisi de beneficio aquæ. De Gedeonis postulātis agens cap. 6. Iudicum ait: *Fecitque Deus nocte illa, vt postulauerat: & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra; &c.* Quid siccitas in vellere, & quis ros in terra significabat? In siccitate perditio, in rore vita significabatur, quæ a diuino spiritu animamur. Ait D. Irinæus lib. 3. cap. 19. *Hanc inueneris gratiam præuidens Gedeon ille Israelita, quem elegit Deus, vt saluaret populum Israel de potestate alienigenarum, demutauit petitionem super vellus, in quod tantum primum ros fuerat, quod erat typus populi, ariditatem futuram prophetans, hoc est, non iam habituros eos Spiritum Sanctum sicut Isaias ait: Et nubibus mandabo, ne pluant super eam. In omni autem terra fieri rorem, qui est Spiritus Dei. Quæ prop-*

1. Cor. 10.

Basil. Sel.

Matt. 28

D. Irin.

Iudic. 6.

D. Irin.

propter necessarius nobis est ros Dei; vt non cõburamur, neque infructuosi efficiamur. Sic nobis fugienda est ariditas, & siccitas, in qua perditio est, & reprobatio; quærendus autem maximè est ros, qui a Deo venit; iuxta quem plantati non cumberemur vt ligna arida, sed magis fructus vitæ præstabi-
D. Zen. mus. Quo accedit D. Zeno lib. 3. serm. 26. *Vetus homo noster fœliciter condemnatus est, vt absolueretur; sacri gurgitis vnda sepultus, vt sepulchri nido viuificatus resurrectionis iura gustaret.* Quid pulchrius? Vetus homo aridissimus præ senio sacri gurgitis vnda sepelitur. Et cur sepelitur in vnda? Ait ipse: *Vt sepulchri nido viuificatus resurrectionis iura gustaret.* De aquarum sepulchro, quid citius traheret homo, quam spem vitæ, quam resurrectionis signum?

§. XVIII.

De veræ pœnitentiæ vena oritur nuda peccatorum confessio.

NOn vacat mysterio illud, quod additur in nomine putei, nimirum puteus *viuentis, & videntis.* Quod sit puteus viuentis, non miror, quãdo omnes de aquæ baptismatis beneficio viuimus. Sed quid est puteus videntis? Pertinet equidem ad puteum, seu fontem saluatoris, quod qui de illo perfecte gustauerit, nihil in se celet Deo offensiuum, sed faciat, vt omnes suos errores, qui angelus Dei est, sacerdos vi-
D. Hier. deat. Hinc D. Hieron. de Vera circumcis. reddens rationem, cur in baptismate nudi aquis immergimur, inquit: *Omni in procinctu baptismatis indumento nudati, sola sanctorum oculis confessione vestimur, nec adspectẽ naturam nostram foliorum veste velamus; quia in euangelio arbor folijs exuberans, cum in ea fructus non fuisset repertus, exaruit.* Ecce tibi post baptismum, quid nobis maneat ad salutem, si peccauerimus, nimirum sola confessio peccatorum nuda; sub hac confessione oculis sanctorum sistimur. Quidquid ad operculum facit, prorsus excludendum est; nec recurrendum ad folia, vt peccatores primi; arbor enim plena foliis, & opaca illis, & vacua fructu nunquam nõ à Deo maledicitur. Apage, ne peccator ad foliorũ operculum recurrat, sed in nuditate confessionis persistat, vt sic in se ostendat fontem pœnitentiæ, & viuidum, & salientis in vitam: Nota est Thamaris historia ex Gen. 38. vt furata est soceri concubitum se simulans meretricem. Quid tunc? Ait text. *Ecce autem post tres menses nuntiauerũt Iudæ dicentes, Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere, &c.* Mirabar adeo simplicem fœminam, quæ nõ sciret occultare tumentem vterum tribus mensibus. De Baptistæ matre ait D. Lucas cap. 1. *Occultabat se mensibus quinque.* Spatio quinque mensium, sic dissimulauit vterum, vt non deprehensa fuisset concepisse. Cur & Thamar similiter non occultat vterum, sed magis satagit, vt eum tumentem omnes videant? Cur Elizabeth innocens se occultat, & Thamar rea nõ veretur in lucem prodire? Iam repræsentabatur in Thamare Ecclesiæ Christianæ politia, quæ tota est in non obtegendis delictis, sed in aperiendis illis; vt Dei angelus, nimirum sacerdos ea videat. Quo alludens
D. Zeno lib. 2. serm. 9. ait: *Mirum profectò videte mysterium, quæ celauerat faciem: non celat ventrem; defertur fornicationis rea sine labore accusatoris.* Proh mysterium Ecclesiæ Christianæ! Sunt equidem Christiani tales; qui, dum rapiuntur ad facinus, nolint videri; erubescant in ipso feruore delicti, & tunc abscondi velint; at post perpetratum facinus, sine labore accusatoris, ipsi se prodant, suamque vulneratam conscientiam faciant conspici a iudice Deo. Ioann. 2. ter quærit Dominus ex Petro, si ametur ab illo; terque Petrus confitetur se amare Deum, inquiens tandem: *Domine tu scis, quia amo te.* Quantum hoc in Petro? Ait D. Amb. in
Ambr. Luc. 24. *Quia tertio negauerat, tertio cõfitetur. Sed negauit in nocte, confitetur in die.* Ecce hominis Christiani mysterium; rapitur ad negationem Petrus, sed rapitur sub noctis tenebris, obscura caligine opertus; at post peractam negationem, non amplius tenebras, sed diem clarissimum petit, quo possit in nuda confessione videri. *Confitetur in die.* Erubescit peccare, at satisfactionem præbere, non erubescit. Nollet videri, cum peccat; at in peccati confessione amat videri. Hinc Gen. 9. cauebat Genes. 9.
Deus: *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* Et cur carnem cum sanguine nõ comedam? Ait D. August. lib.
August. 12. contra Faustũ: *Quod eiecto sanguine iubẽtur mãducare, ne vita pristina quasi suffocata in cõscientia tenebrata, sed habeat tanquã effusionẽ per cõfessionẽ.* Sic infidelibus debet semper esse cõfessio. Iussi Israelitæ Idola dimittere

1. Reg. 7. 1. Reg. 7. Conuenerunt in Masphat. *Hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino.* Cum peccatorum confessione aquam coram Deo effundunt: Et ad quid illa aquæ infusio? Ait Chaldæus: *Ita effuderunt corda sua coram Domino, ac si aquam funderent: nihil eos simulasse, sed prorsus omnes suas cupiditates patefeciſſe.* Vt in effusione aquæ nil remanet in vase, sic in confessione nil in corde remanere debet occultum.

Chald.

CAPVT SEPTIMVM.

Circumcisio mandatur Abrahæ.

RESPIRAVERAT Aliquantulum Abrahamus accepto filio ex Agar, cui iuxta Angeli præscriptum, Ismaelis nomen imposuit. Et dum senex pater, & pene deficiens salibus æternatur crescentis filij, largiorem experitur manum diuinã. Adest iam sexto Deus Abrahamo, nonagesimo nono anno ætatis suæ, ingentemque potestatis valentiam ostentans, virum ad terrã vsque deiectum multis promissionibus cumulat. Quarum certiorem vt faciat fidem, duo fieri in Abrahamo iubet, alterum circa nomen, alterum circa corpus ipsius. Nomen addita litera sic compingit, vt non Abrã, sed Abrahã dicatur, vt a quo plures orituri sint filij, qui regijs stemmatibus rutili vniuersam Chananitidem possideant. Corpus autem mutilatione præputij sigillat; quippe iubet, vt singulos domi suę masculos circumcidat, in circumcisionis vulnere Dei fœdus cum Abrahamidum genere confirmans, adeo vt si quis paruulus eo caruerit signo, ineuitabili debeatur ruinę. Insuper addit Dominus Abrahamo dicere: incipe iam felicioribus adhærere, & conseruare fidem in prosperis; in aduersis satis probasti. Vxoris nomini eripe literã, & quæ dicebatur Sarai, dicatur Sara, ex qua nascetur adhuc tibi filius, qui regum examina parturiat. Dignus es pluribus imperare: & Ismael tibi regiam faciet stirpẽ, & qui ex Sara veniet, non parum faciet ad bonorum augmentũ, quę a me in tuum genus proficiscentur. Nec diu desiderabis promissa, proximo anno habebis Saræ fructum. Hæc Dominus: a cuius conspectu conuersus Abrahamus ad suos, & se, & Ismaelem, & domesticos omnes ferro circũcisionis sigillat.

PARS VNICA Moralis.

VBi tot sanguineos riuos ferrum circũcisionis ab Abrahami domesticis elicuit; non falletur, qui inde speret stabiliendam hominum moralem vitam.

Cen. 17. Postquam vero nonaginta & nouem annorum esse cęperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eũ, Ego Dominus omnipotens; ambula corã me, & esto perfectus. Ponamque fœdus meũ in ter me, & te, & multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abram pronus in faciẽ. Dixitque ei Deus: Ego sum, & pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Nec vltra vocabitur nomẽ tuum Abram, sed Abraham, &c.

§. I.

Nulla potest esse perfectio, nisi vbi est Christus.

NOuè, & invsitatè Deus loquitur ad Abrahamũ in præsenti, dicẽs: *Ego Dominus omnipotẽs, ambula corã me, & esto perfectus.* Nunquã antea perfectionis meminerat, cur modo petit, Abrahamum esse perfectũ? Accedebat promissurus, imo daturus filium, a quo nasceretur Christus; & vbi aspicit Christũ, iã perfectionem requirit, quæ nõ est nisi vbi Christus inuenitur. Ad hæc Rupert. in præsenti: *Ambula corã me, & esto perfectus. Quare hoc hactenus nõ dixit, cũ multoties apparuerit, & locutus illi fuerit? Quare? Nisi quia hoc ad mysteriũ pertinuit. Sicut enim natiuitas Isaac typus fuit incarnationis Christi, per quã sanctorũ populus expectã perfectionem obtinuit; sic tunc demum debuit hoc dici, Ambula coram me, & esto perfectus, quando eiusdem Isaac generatio parabatur.* Ad Christi vmbram iam necessarium fuit perfectionis meminisse, quæ solum inuenitur, vbi Christus. Dũ Isaac natiuitas non paratur, nec mentio perfectionis fit vlla: à nascen-

Rupert.

nascente Isaac, in quo iam obumbrabatur Christus, statim perfectio requiritur. Semper enim perfectio refertur accepta Christo Domino. Numer. 31. post victoriam de Madianitis, ad quam perfectius peragẽ dã selecti fuerint milleni ex præstantiori bus populi, sic cauebat Dominus: *Separabis partem Domino ab ijs, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis, tam ex hominibus quam ex bobus, & asinis, & ouibus, & dabis eam Eleazaro Sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt. Ex media quoque parte filiorum Israel accipies quinquagesimum caput hominum, & boum, & asinorum, & omnium cunctorumque animantium; & dabis ea Leuitis.* Expende, vt quæ ab electis, & præstantissimis bellatoribus sumebantur, ea Eleazaro Sacerdoti dabantur; cætera, quæ ex populo veniebant, non Eleazaro, sed Leuitis offerebantur. Et cur non omnia Eleazaro, aut omnia Leuitis offerri mandat? In Eleazaro Christus exprimebatur, cui meritò offertur, quidquid de lectissimis, & perfectissimis venit. Ait D. Cyril. Alex. lib. 4. de Ador. fatus: *Cum igitur in seipso Eleazar figuram gerat illius, qui vnus est, ac solus vere summus Pontifex, id est, Christi, ipsi præcipue, ac vere, & quodammodo proxime, ac proprie consecrata sunt electorum virorum dona. Illa porrò altera primatorum hominum multitudo offert quidem bona in Christi gloriam, non tamen nisi per sanctos viros:: Ergo Christo dicta sunt præstantiorum hominum dona;* Ecce tibi vt vni Christo Domino dicantur, & referuntur accepta dona, quæ à præstantissimis, & perfectissimis veniunt. Nec miror, quando Spiritus Sanctus; qui omnia perficit, non nisi in Christo Iesu habeatur ab homine. Luc. 3. ait: *Factum est autem cũ baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante apertum est cœlum; & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in illum.* Cur in Iesum venit Spiritus Sanctus, quando, & ipse Iesus erat omnium gratiarum plenitudo? Ait D. Irinæus lib. 3. cap. 19. *Hunc enim promisit per Prophetas effundere se in nouissimis temporibus super seruos, & ancillas, vt prophetent, vnde, & in filiũ Dei filium hominis factum descendit, cum ipso assuescẽs habitare in genere humano, & requiescere in hominibus, operans in ipsis, & renouans eos a vetustate in nouitatem Christi.* Sic Spiritus Sanctus renouaturus, & adducturus homines ad perfectionem, prius venit ad Iesum, vt cum Iesu assuesceret esse cum hominibus; nullam enim Spiritus diuinus perfectionem inducit, nisi per Christum. Cant. 6. Cant. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt Sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata.* De lucidissimis omnibus sibi asserit pulchritudinem, sed adhuc in processu est, adhuc pugnat. At Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Supra dicebatur pulchra vt luna, electa vt sol, sed nõ videbatur innixa dilecto suo; modo iam dicitur expresse innixa super dilectum. Et cur modo super dilectum innixa dicitur, & non antea? Modo in alto gradu erat perfectionis omnibus gratijs abundans, & ideo non potuit, non videri singulariter innixa Christo. Ait D. Amb. lib. de Isaac cap. 8. *Nunc dicũt, Quæ est hæc, quæ ascendit candida innitens super dilectum suum? Superius dixerunt, Quænam est hæc prospiciens tanquam diluculum, speciosa sicut luna, electa sicut sol? Hic plus, quod diceretur, innexum est, eo quod Verbo Dei innixa ascenderat: Perfectiores enim supra Christum recumbunt.* Vbi in gradu perfectionis erat, iam oportebat, vt specialius ob amplioris gratiæ necessitatem inniteretur Christo, de quo omnis perfectio ad nos peruenit.

Num. 31.

D. Cyrill.

Luc. 3.

D. Irin.

Cant. 6.

Cant. 8.

Ambr.

§. II.

Validissimæ virtutis, potestatis ve signum est, quod bonis, perfectisque vtaris ministris.

Sæpe alias apparuerat Abrahamo Deus, & nunquam se dixerat omnipotentem, sicut dicit in præsenti aiens: *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* Et cur, quod antea non fecit, modo se dicit omnipotentem? Meritô se omnipotentem vocat, cum iubet famulum esse iustum, & perfectum; maximè enim virtutis, & potestatis signum est, quod vtaris famulis, ministrisque perfectis. Hinc Luc. 4. *In Synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna dicens, sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio te, qui sis Sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus dicens, Obmutesce.* Cur obmutescere iubet Dominus Spiritũ illum, qui eius prædicabat aduentũ? Nonne obsequiũ præstabat Euangelio euulgãdo? Nõne seruiebat Christo annuntians illum Dei sanctũ? Cur ergo illius obsequiũ abigit Dominus? Ait Tertul. lib. 4. in Mar. *Illius erat, præconiũ immũdi spiritus respuere, cui sancti*

Luc. 4.

Tertull.

abundabant. Sanè de ingenti copia, & abundantia sanctorum; qua Deus valebat, venit quod non vellet vti immundis ministris, sed perfectissimis. Quod enim quis malos, & immundos amet famulos, nō potest venire, nisi de penuria, & indigentia. Qui potens esset, & validus ad ministros faciendos, non nisi præstantes amat. Petēti Iobum Satanæ ait Dominus cap. 2. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serua.* An vtebatur Dominus ministro diabolo, vt vitam Iobi seruaret? Absit hoc à potentissimo Deo, vt ad tantam ministrorum necessitatem redigeretur, qua aduersario hominis nequissimo vteretur ad hominem tuendum. Vt dicat Olympiodorus in cat. Græca: *Nec vero id Deus mandauit diabolo, vt in Iobi animi salute excubaret. Nam qui tandem hostem a benemerendi studio sua ponte, ac natura ab horrentem tuenda anima perfeciisset?* Non equidem adeo pusillus est Deus, adeo impotens, vt tam nequam vtatur ministerio. Is enim malis semper vtitur ministris, cui boni neque unt esse. Diabolo suadenti præcipitium respondit Dominus Matth. 4. *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Quibus videtur se Dominum, & Deum ostendere diaboli. An nō se ibi diaboli ostendit Dominum? Absit, vt tantus Dominus id gloriaretur de se dici, quod esset Dominus diaboli. Ait ibi Rupert. lib. 3. de Glor. *Numquid Deus, aut Dei filius, diaboli Deus, aut Dominus vocari dignatur? Absit hoc: Magna namque est gratia Dominum Deum creatorem omnium velle cuiuspiam vocari Deum. Hinc Apostolus cum de fide patrū multa fuisse præclare locutus, interea subdit: Propter ea non confunditur Deus vocari eorum Deus. Si nec diaboli confunditur vocari Deus, aut Dominus, qua gratia resonat in hoc dicto?* Sanè confusio est Domini, vocari Dominū serui mali, & deplorati. Ideoque licet verè sit creator diaboli, tamen eius Dominus cauet vocari, vt nos doceat fugere à seruis malis.

Iob. 2.

Olymp.

Matth. 4.

Rupert.

§. III.

Nomina, quæ à Deo veniunt, non vacua sunt, sed iuncta peractis operibus. Vt & Dei voces.

PRius asserit Abrahomum futurum patrē multarum gentium; & deinde ablato primo nomine iubet, vt Abraham vocetur, cū dicit: *Erisque pater multarum gentium. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham, &c.* Quod prius faciendum promiserat, quod pater sit futurus multarum gentium, id in nomine significauit, vt notat Caietanus; & meritò, nomina enim quæ à Deo sunt, semper sunt coniuncta cum rerum effectibus. Hinc Simoni dicit Dominus Matth. 16. *Et ego dico tibi, Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiā meam.* Expende illud: *Et ego dico tibi*, non pater tuus, non mater, non alius quis, sed ego Dominus dico, quod es Petrus. Et cur necessum fuit prænotare, quod ipse Dominus est, qui vocat Petrum? Ne putetur Petri nomen res vacua, sed solida, & vera cōiuncta cum effectu, habent enim hoc proprium nomina, quæ à Deo veniunt. Ait D. Hieron. ibi: *Quid est, quod ait, Ego dico tibi; non sermone cassо, & nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse; fecisse est.* Nō cassa nomina fingit Dominus, sed vt nomen ab ore Dei procedit, & simul iunctū cum effectu venit. Et hoc proprissimum est Dei, quod nesciat quid in suis voce nominare sine effectu. Post bonorum iacturam factam in domo Iob, conuenit diabolum Dominus cap. 2. aiens: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus?* In cat. Græca legitur: *Homo sine malitia, verus, sine querela, &c.* Nil prius in præsenti nominat, quam quod Iob sit sine malitia: & cur non magis alias præcipuas viri virtutes prius memorat? Hoc tunc magis resplendebat in effectu, quod Iob inter tot iacturas bonorum nō offenderet, & ideo illud in primis nominauit Deus, qui semper gaudet vocibus, quæ effectibus iunctæ veniunt. Ait ibi Didymus: *Dum ad illius laudationē aggreditur Dominus, non a vero, & irreprehensibili tanquam a capite laudem amplius accersit: id quod antea fecit: verum ex ipso facto nomen est mutuatus. Sine malitia enim, inquit, nempe ere ipsa vocabuli causa quæsita.* Ecce tibi vt Deus ex factis, verisque, & realibus effectibus nomina quærit, quibus suis ornare queat. Nec ore sun diminissimo cassos, & inanes sones voluit, sed semper ab illo, & voces, & effectus simul veniūt. Ait Exod. 20. *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, &c.* Et mirum erat, quod voces possint videri; voces enim ad auditum, non ad oculos pertinent; sed hoc habent voces Dei, quæ vt non cassæ sunt, sed iunctæ veniunt effectibus, ex parte hac possunt, & oculis excipi. Vt dicat Philo

Iob. 2.

Didym.

Exod. 20.

Phil.

lib.

lib. de Decalogo: *Vniuersus populus videbat vocem apertissime. Humana enim vox auditu, diuina visu percipitur. Quare? Quia quæcũque Deus dicit, non verba sunt, sed opera.* Nõ cadunt ab ore Dei inania verba, sed iuncta cum operibus veniunt. Vnde Cant. 2. *En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea.* Dixerat ipsa de se, *quia amore langueo*; & Dominus lãguenti dixit; *surge, propera*; quando lãguidus non valet surgere, quomodo, & surget, & properabit? Iam explicabat dicens: *Dilectus meus loquitur*: vbi enim à Deo veniebat vox surgendi, & properandi, haud dubium, quin cum effectu sit coniuncta. Nissen. hom. 5. in Cant. *O vis iussus, & impery, est re vera vox virtutis! Ipse dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt. Ecce nunc quoque dixit iacenti: Surge, & veni: & statim ad opus deducitur verbum.* Nunquam sine opere venit efficax Dei verbum, vt meritò dicat D. Basil. Sel. orat. 19. *Pollicentem videam, & optata consequar.* Sic ille æstimabat Dei verba, quasi, & opera iam simul teneret.

Cant. 2.

Nissen.

Basil. Sel.

§. IIII.

In quo Dei nomen debite affulget, quidquid virtutis in illo nomine est, expecta quodammodo ab illo.

ABrahamum facit homine vocari Deus addens ex nomine diuino literam nomini viri, cum ait: *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham.* In quo nomine addita est littera He de nomine diuino sumpta, vt concors est expositorum opinio cum D. Hier. Ioanne Fero, & Lyppom. Sed cur de nomine suo fecit Deus Abrahami nomen? Habes apud Pereyram nostrum pulchram rationem sumptam ex Ioanne Fero. Literam namque de suo nomine communicare Deus voluit cum nomine Abraham, vt ostenderet omnia sua; & se ipsum illi simul communicare. Nec dubites, in quo enim Dei nomen debite fulget, in illo est participatio omniũ, quæ illo nomine continentur, quæ ab illo tu etiam participare spera. Ait Dominus Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petrã, &c.* Vocabatur quidem antea Simon, modo ei Christus imponit nomen Petri. Et quanta hæc gloria Simoni, quod vocetur Petrus? Erat petra vnum è Christi nominibus, de quo ait Paul. 1. ad Corint. 10. *Bibebant autem de spirituali, consequente eos petra, Petra autem erat Christus.* Quando autẽ Christus sub nomine, & vmbra petræ largo flumine omnes satiabat: ideo Simoni inditur nomen petræ, vt ostenderentur in illo similia bonorum fluenta, quibus satiari possent vniuersi. Ex quo ait Orig. hom. 1. in Matth. *Omnes enim qui imitatores sunt Christi, similiter Petra cognominantur quemadmodum Christus, & de omnibus talibus bibunt spiritualem potũ homines spirituales.* Et quidem quando Christus Dominus sub nomine, & vmbra petræ dulcissimos effundit riuos, de quibus Israelitæ vniuersi cũ satietate bibant; similiter qui per firmitatem vitæ in illo Christi nomine communicant; sic & attributa Christi participant, vt fluẽtis plenissimis exundent, de quibus cæteri bibant. Difficile enim requirentur Dei virtutes, & diuitiæ in eo, in quo aliquod Dei nomẽ dilucide rutilat. Exod. 28. notantur vestes summi sacerdotis, vt habere deberet tunicam talarem, & floribus, & malogranatis depictam. Rursus rationale circa pectus ex pretiosis lapidibus. Tandem ait: *Facies, & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere celatoris, sanctum Domino.* Itaque in lamina aurea posita in capite summi Sacerdotis scultum erat sanctum Domino, nimirum, nomen Dei. Quid inde? Sanè præfigit in capite Sacerdotis nomen Dei, vt ostendat in illo, & esse diuinas virtutes. Ait Anastas. Nicenus quæst. 38. ex Chrysostomo: *In figura itaq; Sacerdotis virtutes effingit, & exprimit; superne quidem in capite nomen Dei, in pectore autem rationi, & inferne flores, & fructus, virtutum recta facta.* Hic est præclarus ordo; si superne nomen Dei affulgeat; statim inferne illi conuenientes virtutes affulgebunt, & præclara facta. Quasi nequeant deficere virtutes propriæ nominis Dei, in eo, qui debite in se habet, & seruat nomen diuinum. Hinc Exod. 7. dicit Dominus Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*: hoc est, nomine Dei insigniui te coram Pharaone. Et cur necessum fuit, quod Moyses coram Pharaone insigniretur nomine diuino? Erant à Moyse ostendendæ virtutes diuinæ, & magnalia Dei, siue in sustinendo Pharaone, siue in plectenda Ægypto; & ideo merito prius nomine Dei insignitur, vt in quo non defectarent diuinæ virtutes. Ad hæc S. Macharius hom. 9. fatur: *Moyses probatus à Deo, & per multam patientiam fidelis inuentus; quam multas prius tribulatio-*

Matt. 16

1. Cor. 10.

Origin.

Exod. 28

Anast. Nicen.

Exod. 7.

S. Macha.

nes pertulit, & postea factus est redemptor, dux, & rex Israel, imo Deus Pharaonis a Deo cognominatus. Per hũc enim percussit Ægyptum, & immensa, atque admiranda demõstrauit ministerio illius in Pharaone. Ecce tibi, vt cognominatus fuit Moyses Deus Pharaonis; multa, & mirabilia Dei opera corã illo demonstrauit; nec in illo defuit punitio, qua plecteret peccatorem; nec defuit indulgentia, qua susciperet precantem. Ex quo D. Cyril. Ierosol. in præfat. monebat fideles, vt qui à fideli Deo nomen traherent: *Neq; vero rem exiguam te habere putes: homo enim cũ esses miserãdus, Dei cognomẽ ascipis. Audi Paulum dicentem: Fidelis Deus: Audi aliam scripturam: Deus fidelis, & iustus. Hæc præuidens psaltes dixit in Dei persona, quandoquidẽ homines Dei cognomen essent acceptari: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes.* Et quantũ hoc, quod a Dei nomine insigniamur homines, nisi & de illo diuino nomine accipiamus, vt illius luceamus operum splendoribus? Credite mihi, hoc magnum est homini, quod si se gerat ita; vt in illo splendeat Dei nomen, simul, & in se ostendat virtutes, & valentias tanti nominis. De Paulo dicebat Dominus Actor. 9. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum, &c.* Et quantum est, quod Paulus sit vas perfecte aptatum ad portandum Iesu nomen? Equidem eo ipso, quod Iesu nomen apte, & ornate portaretur in Paulo; omnia Iesu magnalia videbantur in ipso homine. Quo crediderim respexisse S. Ignatium martyrem epist. 7. ad Tarsenses; vbi ait: *Ad vos neq; ad horam cessistis, illis aures accommodantes. Pauli enim estis ciues, & discipuli, qui ab Ierosolymis vsque ad Illyricum euangelicam expleuit prædicationem, qui stigmata Christi in carne sua circumtulit: cuius cũ memineritis, prorsus cognoscitis, quod Iesus Christus vere natus est ex Maria, factus de muliere, & revera crucifixus.* Exponde ab illis: *Cuius cum memineritis, prorsus cognoscitis, quod Iesus vere natus est ex Maria, &c.* In eo solum, quod Paulũ meminerint, eumque sibi ob oculos ponant, putat cognituros Iesum natũ ex Maria. Sed quid iuuat sola Pauli recordatio, & contemplatio, vt Iesus cognoscatur Mariæ filius? Vt Paulus digne in se referebat nomen Iesu, necessum erat sic etiam in se referre eius magnalia, eiusque virtutes; vt & vel simplici visu cerneretur, simul in illo cerneretur Iesus, & virginis filius, & verarum author virtutum. Sic clarent Christi magnalia in eo, in quo illius nomen digne affulget. Huc respiciebat Nazianzen. orat. 32. vbi Christi, Dei que nomina percurrẽs eorum a nobis petit virtutes inquiens: *Qui Vnius sumus, vnum effecti sumus. Qui Trinitatis, concordes, vnanimes, & honore pares; qui Verbi, a temeritate alieni; qui Spiritus, simul feruentes; qui Veritatis, idem sentientes, & loquentes; qui Sapientiæ, solertes; qui Lucis, vt in die honestè ambulemus; qui Vitæ, omnes iter rectum tenentes; qui Ostij, omnes intus; qui capitis, vnum corpus constructum, & coagmentatum iuxta spiritualem omnem connexionem.* Sic de nominibus diuinis, nobis trahere debemus eorum virtutes.

Cyr. Ieros.

Actor. 9.

Ignat. Mr.

Nazianz.

§. V.

Cordato, & prudenti viro fœdum est, si pro alio nomine stet, quam pro diuino.

NOtatur ætas Abrahami, quod fuerit nonaginta nouem annorum; & simul ex Dei nomine nomen illi compingitur, dum ait: *Nec vltra vocabitur nomen tuũ Abram, sed Abrahã, &c.* Quippe Abrahã nomen ex litera H, nominis diuini effingitur, vt supra vidimus. Sed cur centenario homini datur nomen conflatum ex diuino? Vt ostendatur, quam fœdũ sit homini cordato, & maturo, quod pro alio nomine stet, quam pro diuino. Plenus est mundus factionum, & concertationum quibus se homines a parte tenent magni alicuius nominis viri, cuius insigniti nomine viriliter pro illo desudant. Hæc immaturæ mentis certamina sunt; at qui maturus homo est, & prudens sibi maxime fœdum putet alio nomine insigniri, quam diuino. Quo spectans Nazianzen. orat. 32. ait: *Quo tamen modo sacrum hoc bellum feram? Ita vt iam in duas contrarias partes Oriens, & Occidens secreti, atque diuisi sint. Quousque hæc audiẽtur; Meus, & tuus, antiquus, & nouus, facundior, aut spiritualior? Senectutis me pudet, eum aliorum nomine censeor, qui a Christo salutem accepi.* Erant tunc temporis Episcopi Orientales, & Occidentales inter se diuisi, & factionariorum nominibus insigniebantur hinc inde, vt pugna fuerit quotidie siue prò parte Orientis, aut Occidentis, siue pro parte doctoris huius, aut illius. Pugnæ sane pueriles, & quæ minime canos, & prudentes homines decent, vt merito dicat Theologus, *senectutis me pudet, si aliorum nomine censeor, qui a Christo salutem accepi.*

Nazianz.

Theolog.

Qui

Qui Christi nomine insignior, sub quo mihi salus est, & spes æternæ vitæ; pudendam rem faciam, & indignã homine maturo, si de alterius nomine me insigniam. Et
Nazianz. clarius Nazianzeni Scoliastes ibi: *Erubescerem, inquit, canitiem meam, si cum Christus mihi salutem attulisset, à Christo tamen nomen non ducerem, sed à quodam magistro, vel Petrianus, vel Paulianus appellarer.* Huc respiciãt cordati, & maturi viri, & erubescãt in alio nomine gloriari, quam in diuino. Nota est Corinthiorum discordia, quãdo sub diuersorum magistrorũ nominibus acerrime pugnabant. Quibus ait D. Paul. 1.
Cor. 1. epist. 1. *Hoc autem dico, quod vnusquisq; vestrum dicit; Ego quidem sum Pauli, Ego autem Apollo, Ego vero Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Sanè hoc bellum erat inter illos, in quo pro magistri sui nomine vnusquisque pugnabat, alius pro Petro, alius pro Paulo, & alius pro Christo. Sed quis erat, qui pro vno Christi nomine stabat? Si quis sapiẽs, & cordatus inueniebatur, is vnum Christi
Anselm. nomen intuebatur. Ait enim Ansel. ibi: *Alius quidem dicit, Ego sum Pauli; alius autem, Ego sum Apollo, filius peritissimi doctoris: alius vero, Ego sum Cephæ, id est, Petri: alius autem, qui solus sapit, dicit: Ego sum Christi. Sicque diuisi estis in partes, ac si alij ex vobis essent Pauliani, alij Apollani, alij Petriani, alij Christiani.* Expende illud, *Qui solus sapit, &c.* Quippe contentio de alijs nominibus puerilis est, & insipientium hominũ propria, imò & probrosa sapientibus, qui vt maturioris mentis sunt, sic solũ pro Dei nomine seruando puro, & immaculato discrimina subeunt. Aliorum autem stultitiã vrget Paulus verbis illis: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est?* Indignissimũ enim est, quod a Deo donati salute, & mundati sanguine Christi, pro aliorum nominibus
Nazianz. periclitari studeãt. Vt dicat Nazianzen. orat. 14. *Ad quã indignitatem illud etiã accedit, quod qui a Deo salute donati sumus, hominum causa bellum gerimus, tantumque in nobis cõtendendi studiũ exuberat, vt ipsum quoque aliorum ambitionibus commodemus, & pro alienis thronis proprias inimicitias suscipiamus.* Quid stultius? Stultum est, & fedum debere salutem meam nomini diuino, & in offensam huius periculis me dedere pro hominum nominibus. Vbi ad id diuini nominis gloria non vocat.

Cen. 17. Dixitque iterum Deus ad Abraham, Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuũ post te in generationibus suis. Hoc est pactum meũ, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis: omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, &c.

§. VI.

Vt facile superentur res duræ, non illæ, sed Deus aspiciendus.

IAm semel, & bis loquens Deus introductus erat cum Abrahamo in hoc capite: & qui sermo immediate præcesserat, Dei sermo erat; & nihilominus sermonem interrũpens Dei: ait Moyses; *Dixitque iterum Deus ad Abraham, &c.* Quando Deus immediata omnia dicebat, cur necessum fuit modo illud replicare, *Dixitque iterum Deus?* Cur sine hac replica non sinitur pergere sermo diuinus? Ventum iam erat ad rem durissimam circumcisionis, cui merito Dei memoriam immediate præmittit, vt enim res duræ facile superentur; vnus Deus est spectandus in illis. Tres pueri Hebræi in cõspectu Nabuchodonosor adducti Dan. 3. iussi sunt aut statuam regis *Dan. 3.* adorare, aut flãmantes fornacis ignes perpeti. Quid pueri in tanta duritie? Fornax ardebat, carnifices parabantur; at illi vno ore dicebãt: *Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de caminõ ignis ardentis, & de manibus tuis, ò rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi rex, quod Deos tuos nõ colimus.* Ecce tibi contra regem, & fornacem, & ignem, vnum Deum sibi ob oculos ponunt, & sic omnibus malis superiores fuerunt. Ait D. Zeno serm. 1. de Daniele: *D. Zeno.* *Denique tres pueri in illo sacro certamine præoculis Deum sibi proposuere, non flammas; præmium futurum, non pœnam. Sicque inter tetros vndan-*

vndantis incendij globos triumphantes barbarum regem, minas omnes, ipsum quoque supplicium, docuerunt ignes sanctis hominibus non esse fortiores. Dum non aspiciunt flammas, dū non aspiciunt fornacem ardentem, nec dolores pœnarum, sed Deum facile vniuersa vicerunt. Hinc Machabæor. mater lib. 2. cap. 7. monebat iuniorem filium: *Peto, nate, vt aspicias ad cœlum, & terrā, & ad omnia, quæ in eis sunt; & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Ita fiet, vt nō timeas carnificem istum.* Expende, quale medicamentum parabat filio bona mater, ne timeret carnificem crudelem; nimirum, quod vnicum creaturarum opificem Deū præ oculis haberet. Et quidem, qui ad Deū aspicit, nihili facit omnia carnificum tormenta. Quò spectans Nazianzen. orat. 20. aiebat: *Verum vbi Deus nobis perichitatur, ac proponitur, tunc demum alia omnia pro nihilo putantes, ipsum solum intuemur. Ignis autem, & gladius, & bestiæ, & vnguis carnem lacerantes, voluptati nobis, ac delicijs potius sunt, quam terrori.* Sic Deus præ oculis habitus suauiat durissima omnia, vt nihil in illis maneat terroris. Quò traho illud Pauli ad Roman. 8. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? An tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? sicut scriptum est; Quia propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut ouis occisionis. Sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos.* Huc vno nempe Deo ob oculos posito superari tur facile illa omnia. Vt dicat Theophilus Alexandr. epist. 3. Paschal. *Mens enim Dei timore vallata flammas superat, varios tormētorū spernit dolores, cumq; semel se virtuti tradiderit, quidquid aduersi euenerit, calcat, & despicit. Qualis fuit Paulus scribens: in ijs omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Habes Christiane, vnde molle facias durissima quæque: si oculos ad Deum eleues, ridebis vniuersa tormēta. Stephanus Actor. 7. dum inter rapidissimos esset hostes pene iam laniandus aiebat: *Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei,* &c. Quid ais Stephane? Expectaris ad mortem, armati sunt lapidibus carnifices crudeles, & tu hoc solum spectas, quod aperiūtur cœli, quod Iesus stat à dextris Dei? Cur etiam de morte proxima non facis verba? Ait Augustin. hom. 95. de diuersis: *Ad Christum flagrantissimo amore suspensus, carnem quantoties relinquere desiderabat, & ad ipsum cupiebat anolare, nec mortem iam timebat.* Quid timeret in morte, qui præ oculis Deum habebat, & Christum eius?

2. Mach. 7.

Nazianz.

Rom. 8.

Theophil. Alex.

Actor. 7.

Augustin.

§. VII.

Veræ religionis fœdera eo spectant, vt carni, & sanguini indicetur bellum.

AD ineundum stabile fœdus cum Abrahamo vbi accedit Deus, statim carnis circumcisionē stabiliri fecit; ait enim: *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum*, &c. Solent principes venire ad fœdera ferienda cum aliquo, vt pacem stabiliāt cum eo; vt à sanguinis effusionibus supersedeant. At Deus ad fœdera venit cum Abrahamo, & largissimam sanguinis effusionem à filijs, & domesticis eius petit. Quale hoc fœdus, qui non pacem, sed infert bellum sanguinolentum? Duo inueniuntur in principum fœderibus, nimirum, quod pax sit inter fœderatos, at cum hoste communi bellum; ideo merito Deus dum fœderatur Abrahamo aduersus carnem, & sanguinem se ostendit, vt aduersus communem hostem homini, & Deo. Nunquam verus Deus, nunquam vera religio non reputat hostem carnem, & sanguinem, & illi infert bellum. Ait enim in præsenti Lyppoman. *Religio vera contra carnem, & sanguinem militat semper. Crux semper portanda docetur, libidines carnis amputandæ toto corpore.* Nullum fœdus inter Deū, inter veram religionem, & homines potest intercedere, quin carni, & sanguini inferatur bellum. Semper Deus, semper vera religio aduersus carnales militat concupiscentias, vt infensissimos hostes hominis, & Dei. Hic Apocalyps. 5. vbi victoria erat celebranda in libro aperiendo, qui signatus erat, ait: *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum, & septem signacula eius. Et vidi, & ecce in medio throni quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum: Et venit, & accepit librum*, &c. In re triumphi, & victoriæ appareret agnus tanquam occisus: vt mortis signum in agno ostendat, nullum venire triumphum Dei nisi per bellum, & mortem carni inflictam. Vane enim putat Deo accedere, cum illoque pacis, triumphique æterni fœdus inire, nisi prius mortem carni inferat. Ex quo ait Paulus Oros. lib. de liber. arbitr. *Agnus Dei, filius Dei, vt accipiat librum de manu patris, profert stigmata passionis, non indicans perpetratam nisi in morte, & resurrē*

Lyppom.

Apoc. 5.

Paul. Or.

resurrectione victoriam; & anamartitus meus venire sibi posse perfectionem vitæ immaculatæ, manducanti, bibenti, dormienti que confirmat? Alienum sane a vero est, quod quis perfectionem vitæ attingat, perpetuumque cum Deo habeat fœdus amicitiæ, nullum vnquam bellum carni indicens, sed eius cupedijs se tradens victum. Non hoc Dei filius, veræ religionis author, admittit; quin potius vt primum sibi cœpit homines adiungere, statim aduersus carnem, & sanguinem
Ps. 127. bellum indixit. Hinc Psalm. 127. de vera Ecclesia locutus ait: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Dei legitimam, & veram vxorem viti comparat, quia vitis de multis pressuris profert suos fructus.
D. Zen. Quò spectans D. Zeno serm. 6. de Isaia fatur: *Dominus Ecclesiam suã pro voluntate plãtauit: quã sacerdotalibus officijs excolens, piaq; putatione fœcundans fœlici ligno suspensam, vberrimam docuit afferre vindemiam.* De pia carnalium voluptatũ putatione, & de adhibito crucis ligno docta est Dei Sponsa, vera Ecclesia Christi suos proferre salutis fructus. Nunquam enim veram Ecclesiam reputes, in qua non videas, & putationem, & mortem illatam carnali vitæ. Ioann. 19.
Ioann. 19 *Ibi eum crucifixerunt, & cum eo alios duos hinc inde, medium autem Iesum.* Crucifixus fuit rex noster Iesus, sed & sibi duos alios crucifigendos adiunxit. Et qui erant, qui cum Iesu crucifiguntur, nisi claræ imagines eorũ, qui in veritate adhærescunt Christo, quorum est in se occidere carnem, & mundum? Ait D. Cyrill. Alexandr. lib. 12.
Cyr. Ale. in Ioann. cap. 28. *Duorum igitur crux latronum, vt ab euentu didicimus, duorum populorum coniunctionem cum Christo significabat, qui vna cũ Christo, quodammodo mortui erãt, carnali voluptate spreta, & mundana vita sepulta, vt cum domino suo spiritualiter viuerẽt.* Ecce tibi vt in nullo populo vera floruit religio, in quo non simul carnali voluptati, & mundo bellum indicitur. Vt de se dicat
Ad Gal. 2 Paul. ad Galat. 2. *Christo crucifixus sum cruci; viuo autem iam non ego, sed viuit in me Chri-*
Cyr. Ale. *stus.* Quo circa aiebat supra Cyrill. Alex. *Mundana namq; conuersationis mors, Euangelicæ vitæ origo, ac fundamentum est.* Equidem
Matt. 10. verissime Dominus ait Matth. 10. *Non pacem veni mittere in terram, sed gladium:* non fœdus iniuit cum hominibus, vt in pace viuamus, sed vt bellum geramus aduersus cõmunem hostem, nempe carnem. Huc respiciens Paschas.
Paschas. lib. 6. ait: *Quo gladio, dum sibi sponsam Dominus ducit, venit debellare, sibique prosternere omnes aduersarios suos.* Necessum est inde, vt in vera Ecclesia Dei bellum sit, aduersus omnẽ, quod aduersatur legibus diuinis.

§. VIII.

Lasciuia Christo inimica, & lethalis.

ORiturus Christus è semine Abrahæ vulnus circumcisionis sedi libidinis infligit, vt notant D. Ambros. & Strabus, dicit enim: *Circumcidetur in vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri.* Et meritò inde venturus Iesus in vitam, percutit sedem lasciuæ voluptatis, vt quæ sit ei maxime lethalis. Ioann. 19. post durissima Iesu verbera inflicta, post spineam coronam capiti diuinissimo impositam ait: *Exiuit ergo Iesus portans coronã spineam, & purpureum vestimentum. Et dixit eis Pilatus, Ecce homo. Cũ ergo vidissent eũ Pontifices, & ministri clamabant dicentes, Crucifige.* Expende illud, *clamabant*, non enim otiose vsus est diuinus spiritus hoc verbo, sed alludens ad illum clamorem, de quo Genes. 18: *Clamor Sodomorum ascendit ad me*: quasi & Pontifices Ierosolymitani, & Sodomitæ eundem emitterent in cœlum clamorem, nec alius esset clamor Pontificum in Iesum à clamore lasciuientium Sodomorum. Quippe ait D. Chrysost. orat. in Parasceue apud Grethserum tom. 2. de cruce: *Postquam autem viderunt, quem sæpe viderant, quem nunquam viderant, quem quotiescunque videbant, accendebantur, extulerunt contra ipsum Sodomiticum clamorem, extulerunt, & elati sunt, dicentes; Tolle, crucifige.* Ecce tibi clamor de perdendo Christo, de crucifigendo Iesu, clamor verè Sodomiticus fuit, nimirum à lasciuientiũ ortus spurcitia. Lasciuia, quæ in Sodomis in cœlum clamabat, eadem clamauit in Pontificibus Ierosolymitanis, vt perderetur Iesus, vt eradicaretur è viuis. Hinc Ioann. 2. *Nuptiæ factæ sunt in Chana Galileæ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autẽ & Iesus, & discipuli eius ad nuptias.* Mirabar, quod vocaretur Iesus interesse nuptijs, qui veniebat se manifestare mundo natum ex Virgine. Cur virginitatis sator ad nuptias? Cur prædicandus, manifestandusque Dei filius, & Virginis, amat interesse nuptijs? Interest Iesus nuptijs, vt exundantem comprimat lasciuiam præsentia sua; quo obturentur, comprimanturque ora inimica Domino Christo. Accipite D. Epiphanium hæresi

Ambro.
Ioann. 19
Genes. 18
D. Chrys.
Ioann. 2.
D. Epiph.

51.§.30. Duabus mihi de causis videtur inuitatus Christus ad nuptias. *Primum, vt aquæ similẽ, ac diffluentem furiosorũ hominũ libidinem, nuptiarum castimonia, & honestate cõstringeret: necnon, & eorum obturaret ora, qui aduersum Dominum insurgunt.* Ecce tibi quam sint hæc duo coniuncta, & lasciuia, & insurrectio in Christum; quãdo vt duos hos nefariſsimos affectus Iesus a mũdo excludat, adest nuptijs. Adest, inquam, nuptijs, vt libidinosos comprimat insultus, & rebellium in se ora contundat. Minimè enim voces Christo lethales eijcientur è mundo, dum prius non eijcitur lasciuia.

Matt. 14 Matth. 14. Saltauit Herodias lasciuissimę matris filia, cuius consilio petit Ioannis Baptistæ caput; & quidem in pretium lasciuæ choreæ Ioannis occiditur. *Quod cum audisset Iesus, secesſit inde in nauicula in locum desertum, &c.* Et quidem audita morte Ioãnis fugit Iesus in desertum. Et cur fugit? Quando Iesus non erat Ioannis discipulus, nec socius, nec cũ illo ambulabat, cur audita eius occisione fugit? Agnouit in occisione Ioãnis exuberãtem Herodiadis luxuriem; & meritò fugit, vt qui sciret luxuriem certius armari in Dei filium. Ab hac enim non tam Herodes in Ioannem, quam Arius armabatur in Christum. Vt di

D. Atha. cat D. Athanas. orat. 2. contra Arianos: *Herodiadis fractos, & effeminatos mores, Arius inscribendo repræsentãs, & ipse eius liber, Thaleia, hoc est, conuiualium nomine inscriptus, istius puellæ saltationem æmulatur, choreas ducitans, & blasphemijs in Christum lusitans.* Simul de eadem pharetra sagittas educunt Herodes, & Arius; ille vt perimat Ioãnem, hic vt perdat Christum: semper enim Christo infesta ostẽditur lasciuia. Nec prętereundus est titulus impositus Arij scriptis, nimirum, *Thaleiæ Arij.* Non equidem nomen Thaliæ sumptum à solis Musis, sed cum Homero Iliad. 10. à conuiuiorum cõpotationibus, vt iam in titulo notetur, a quibus veniat liber, qui contra Christum

Idem. scribitur. Id quod ponderans D. Athanas. supra inquit: *Thaleias Arij, hoc est, crapulas titulo nouæ sapientiæ cohonestant, ac bono iure eum titulum vsurpãt: nouam enim hæresim annuntiant. Qua propter non sine admiratione est, nusquam in multis multorum operibus, & sermonibus tum in vetus, tum in nouum testamentum conscriptis, inter titulos librorum, Thaleias, hoc est, crapularum nomen reperiri; imo neque apud Ethicos quidem frugi, & temperantes, sed apud istos dumtaxat, qui istius modi res inter pocula ad risum captandum per plausum, iocum, lasciuiamque decantant.* Titulus crapulas, luxusque, & lasciuiam spirans nulli alij libro inuenitur inscriptus nisi Arij libris, vt scias à lasciuia venire quodcumque telum contorquetur in Christum.

§. IX.

Ad perfectionem paulatim, & per partes accedendum.

COmpone dicta in huius capitis initio cum ijs, quæ modo dicuntur; in principio dixit Deus Abrahæ: *Ambula coram me, & esto perfectus:* modo dicit: *Circũcidetis carnẽ præputij vestri, &c.* A quo perfectionem in primis expetebat; nunc solã petit præcisionẽ particulæ paruæ. Si perfectionem requiris à viro, cur omnimodã superfluorum præcisionem non petis: Cur non magis, & superfluos oculorum aspectus, & superfluas cordis cupiditates, & capitis, & manuum non iubes tolli superfluitates? Cur vnam præputij particulam circũcidi mandas? An perfectio esse potest in cõpositione solã tã minimæ partis? Non equidem perfectio consistit in parte, sed in toto composito, & ornato; at hoc certum est, quod regulariter ad perfectionem non venit, qui omnia simul aggreditur, sed qui paulatim procedit, & per partes. Quo spectans D. Ambros. lib. 2. de Abraham cap. 11. ait: *Quia ad perfectum vocatur, oraculum perfectionis accipit. Circũcidatis, inquit, omne masculinum vestrum, & carnem præputij vestri. Perfecta autem circumcisio spiritualis est.* Quibus ideo probat peti ex Abrahamo circumcisionem in carne, quia ad perfectã circuncisionem nempe spiritualem vocabatur. Sed perfecta circũcisio spiritualis, non in parte, sed in toto consistit: de qua sa-

Ambr.

D. Zeno. pienter D. Zeno serm. de duplici Circumcis. fatur. *Prior circũcisio desecat carnem, secunda animi desecat vitia. Illa ferro, hæc spiritu. Illa portionem, hæc hominem totum. Illa præputium paruæ cutis, hæc præputium totius concupiscentiæ secularis.* Quando ergo circũcisio perfecta in totius hominis circũcisione consistit, cur sanctus Amb. circuncisionem carnalis præputij vocat *Oraculũ perfectionis*, quo Abrahamus ad perfectum vocatur? Meritò vir sanctus oraculũ perfectionis putat illud, quod non omnia simul proponit homini subeũda; sed paulatim partes quasdas virtutũ proponit, quibus superatis, ad id quod perfectius est, facile

cile poteris subenire. Rem pulchris exemplis demonstrat ipse Amb. lib. 1. Abrahæ cap. 4. inquiens: *Pars mandata est secundum legem populo Iudæorum, illi infirmo, illiqui Deum suum non cognouit. Vt si puerulum literis imbuas, à singulis literarum elementis inchoandū est tibi, vt a singulis apicibus ad syllabas, à syllabis eum per ordinem ad nomina, orationemque deducas. Nec potest mare quisquam nauigare intrepidus, nisi qui ante in fluminibus nauigauerit.* Quid sapientius? Crede mihi, oraculum perfectionis est, quod nouitijs particulas proponit virtutum, vt inde facile veniāt ad perfecta, & sublimia. Luc. 16. Luc. 16. pro diuitis epulonis fratrum salute dicebat Dominus: *Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos.* Verum Matth. 17. cum Moyses, & Elia apparuissent cum Iesu, venit vox de cœlo super Iesum dicens: *Hic est filius meus dilectus; ipsum audite.* Nihil de Moyse, nihil de Propheta Elia dicit, sed Apostolis iubebat, vt vnum Iesum audirent. Illis quinque fratribus nihil dicit de Iesu, sed de Prophetis, & Moysi audiendis mandat; Apostolis non Moysem, non Eliam, sed Iesum audiendum dicit. Et cur non, & illis Iesus proponitur, & ijs Moyses, & Elias? Fratres illi carnales erāt, ideoque dabatur illis gustus virtutis paulatim, & per partes, per Moysem, & Prophetas, vt inde possint peruenire ad perfectionem Christi. Apostoli iam viderāt Prophetas, iam Moysem satis audierant, ideo illis perfectio Christi erat proximior. Huc Tertull. spectat alio datus Tertul. lib. 4. in Mar. *Non Moysem, & Prophetas iussit audiri, sed Christum. Meritò: Tunc enim Apostoli satis iā audierant Moysem, & Prophetas, qui secuti erant Christum credentes Moysi, & Prophetis. Apud inferos autem de ijs dictum est, Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos, qui nō credebant, vel qui nec omnino sic credebāt esse post mortem superbiæ, & delitiarum annuntiata supplicia.* Nulli dabantur omnia simul; qui iam Moysem impleuerant, & Prophetas, ij ducuntur ad Christum; qui adhuc rudes, & infirmi erant, ijs Prophetæ, & Moyses dabantur, in quibus erant prima rudimenta, & elementa fidei, & virtutum, vt elemē tis imbuti perfectionem ebiberènt. Ioan. Ioann. 20. 20. Magdalenæ currenti ad Christū rediuiuum ait Dominus: *Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade ad fratres meos, &c.* Prohibetur, ne tangat Iesum gloria fulgentem, & mittitur ad discipulos. D. Amb. Vbi D. Amb. ait: *Quid igitur: Noli me tangere? Noli manum adhibere maioribus: sed vade ad fratres meos.* Et meritò prohibetur ne primam in virtute manum maioribus adhibeat, sed prius ducitur, vt in minoribus exerceatur, & inde ad maiora transeat.

Ambr.

§. X.

Perfecti viri est vel vmbras, vel imagines implere Christianarum virtutum.

ADhuc insto illis verbis positis in capitis initio, nimirū: *Ambula coram me, & esto perfectus*: quibus, & hæc adiungit: *Circuncidetis carnem præputij vestri.* Quā circunciſionem vocat Paulus ad Rom. 4. signum circunciſionis ſpiritualis, quæ eſt in Chriſto, quippe ait: *Signum accepit circūciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei.* Ita circunciſio illa carnalis vmbra erat, & ſignum veræ, & ſpiritualis circunciſionis quam intēdebat Deus inferre mundo per Chriſtum. Cur ergo ab illo viro, a quo Deus perfectionem requirebat, non veram circunciſionem afferendam à Chriſto, ſed ſignum, ſed vmbram, ſed imaginem requirit? Sanè ibi Abrahami perfectio fundabatur, qui tantus eſſet, qui nō ſolum in veritate ſubſtantiæ, ſed in vmbra, ſed & in imagine virtutum cōformaretur Chriſto. De ſe aiebat Sidonius Appollin. lib. 7. epiſt. 14. *Amas, vt comperi, quietos, ego & ignauos. Barbaros vitas, quia mali putentur: ego etiam ſi boni. Lectioni adhibes diligentiam: ego quoque in illa parum mihi patior nocere deſidiam. Comples perſonam religioſi; ego vel imaginem.* Sic ſanctus homo extollebat ſuum ſtudium circa religioſas virtutes, quarum nō ſolum æmulabatur ſubſtātias, ſed etiam imagines. Pertinet equidem hoc ad perfectum virum, quod Chriſtianarum virtutum æmuletur, vel imagines, vel vmbras. Paul. ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis filij ſui.* Vbi acutè addubitat Sedulius: *Fortaſsis ab attentis lectoribus, hoc requiri videbitur, cur non dixerit conformes filij, ſed conformes imaginis filij?* Erat hoc in prōptu dubium, cur non petamur fieri conformes filio Dei, ſed imagini filij Dei? Et crediderim notari ibi excellētiā, & prēſtātis, & electi viri, cuius ſit non ſolas ſubſtātias, ſed vel imagines, vel minutiſsima lineamenta implere Chriſtianarum virtutū. Quo forſan reſpexit D. Ber. ſer. 23. in Cāt. dicens. *Electos ſuos Deus dilexit, & gratificauit in dilecto filio ſuo ante mundi conſtitutionē,*

Sid. Appl.

Ad Rom. 8.

Sedul.

D. Bern.

sic in sancto apparentes sibi, vt viderent virtutem suam, & gloriam suam, quo eius forent consortes hæreditatis, cuius & apparerēt cōformes imaginis. Expende illud, *cōformes imaginis*: ne solum videantur perfecti, & singulariter electi in substantia virtutum conformari, sed & in imagine, sed & in lineamentis. Nec sui absimilis Paul. 1. ad Corint. 15. ait: *Sicut portauimus imaginem terreni; portemus & imaginem cœlestis.* Et quomodo portabimus imaginem cœlestis? Pulchrè Tertull. lib. de Resurrect. carnis, inquit: *Proinde, & cœlestis imaginem gestemus in nobis; non iam Dei, neque in cœlo constituti, sed secundum lineamenta Christi incedentes in sanctitate, in iustitia, in veritate.* Equidem cum petimus, vt portemus imaginem filij Dei, non petimus, vt fiamus iam Dei, & immortales in cœlo constituti; sed petimus, vt sic nos dedamus virtutibus Christianis, vt vel ipsa lineamina æmulemur, vel vmbras. Et adhuc exprimens nomen imaginis ait ipse Tertull. lib. 5. in Marc. *Portemus, inquit, imaginem cœlestis, non ad substantiam vllam referens resurrectionem, sed ad præsentis temporis disciplinam.* Cum iubet portari imaginē, non substantiam alicuius virtutis pertinentis ad gloriam respicit, sed ad præsentis tēporis disciplinam, qua instruimur sic æmulari Christum, vt vel eius imagines adimpleamus, vel vmbras.

1. ad Cor. 15.

Tertull.

§. XI.

Dei spiritus est, quod sic præstes minima, vt in minimis videaris præstare vniuersa.

ECce quam minimam partem Dominus ab Abrahamo petit, nimirum ait: *Circuncidetis carnem præputij vestri.* Vt hoc petat Dominus, apparet Abrahamo, adstat illi. Et quid Domine expectas ab homine, qui tam paruum munus exhibeat? Cur nō maiora postulas contentus carnis particula? Petit particulam, expectans totum ab Abrahamo: qui enim spiritu Dei aguntur, sic præstant minima, vt in minimis videantur & totum præstitisse. Huc spectans D. Athanas. in Cat. Græca D. Luc. ad cap. 2. ait: *Ex quo audiuit Adam, terra es, & in terram ibis, mori eius, & corrumpi corpus cœpit. Et exinde corporis quandam partem, & quidē eius procreatricem mulctare iussi sunt; prædocti totum esse exuendū.* Ecce tibi, vt in exhibenda particula carnis præputij prædocebantur, vt totū deberent exuere. Sic enim vniuersi, qui spiritu Dei mouentur, prædocentur vt in datis minimis sic se gerant, vt videantur, & magna, & vniuersa largiri. Hinc seruus Abrahæ cap. 24. Gen. dicebat: *Puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa respondrit, Bibe, quin & camelis tuis potum dabo, ipsa est, quam præparasti, &c.* Prudens homo volebat noscere, quæ puella moueretur à Deo, dirigeretur que tunc ad fontem ex particulari prouidentia sua: pro cuius signo illud ponit, quod petenti potum ipsa præbeat, quin & se offerat ad potandos etiam camelos. Sed quanta erat hæc potus aquæ exhibitio, vt sumeretur pro signo Dei astantis dirigentisque puellā? Equidem clarissime ostēdebatur Dei mouentis spiritus in puella, quæ sic haustum vnū aquæ offert, vt videatur ei se parata omnem aquam effundere, dum liceat. Id quod in paupercula vidua videndum est, de qua loquens Luc. 21. ait: *Vidit Iesus quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus omnibus misit.* Et quomodo misit plus omnibus, quę duo æra tātū misit? In paruis his præstitis, habebat animū gradē omnia præstandi. Ait Euthymius cap. 42. in Marc. *Et si pauper erat possessionibus, diues tamen animo ostenditur, ideo saluator, qui non donum ponderat, sed voluntatem, plus omnibus misisse dicitur.* Alijs deficit voluntas & animus, non donorum materies, & ideo etiam in magnis donis censentur auari: huic fœminæ fuit magna voluntas, fuit magnus animus omnia præstandi, etiam cum minima, quæ licebat, præstabat. Cur ergo apud Deū non superet alios? De illa ait D. Chrysost. hom. de Miser. *Minimum viduæ diuitum opulentias vicit; & vota diuitum votum viduæ superauit. Diuites enim ex multo modicum, vidua vero ex modico obtulit totum. Vnde Dominus singulorum animos, & facultates ostendit, & viduam in opere perfecto laudauit.* Non facit opus perfectum etiā in magnis, qui mutilà, & limitatà operantur volūtate: ille perfectè operatur, qui in minimis etiam scit magnam habere voluntatem, qua totum præstaret. Matth. 4. de sectatoribus primis Christi Domini ait: *Continuo relictis retibus secuti sunt eum.* Quid magnum, quod relinquant retia pro Deo, vt hoc de illis scribatur? Meritò ex his minimis commendantur, quando sic minima illa præstabant, vt in illis minimis ostenderent magnam volūtatē omnia ingētia præstādi. Ait Orig. hom. 9. in

Gen. 24.

Luc. 21.

Euthym.

D. Chrys.

Matth. 4.

D. Atha.

Origen. 9. in Matth. *Etsi minima, & contemptibilia Petrus cum fratri suo reliquerit, quando relictis retibus secuti sunt eum: sed non minima sunt æstimata apud Deum considerantem quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt, vt etiam si multas habuissent possessiones, omnia sine dubio reliquissent, nec ab eis vllo modo retenti fuissent ab impetu dilectionis huiusmodi. Et puto, quod magis considens Petrus de affectu suo, quam de qualitate rerum relictarum, dixit: Ecce nos reliquimus omnia, &c.* Hoc sit studium illorum, qui Dei monentur spiritu; vt in minimis siue donis, siue operibus ingentem habeant volũtatem, qua se omnibus velint exuere, vt omnia tribuant Christo. Vt enim magnus animus in datis minimis Deo acceptus est; sic & in magnis datis minimus animus reprobatur. Anania enim, & Saphira maiorem bonorum partem obtulerunt Domino, at in magno dato, ita fuit eorum curtus, & angustus animus, vt nolint omnia dare, & ideo in pœnam dantur. Vt dicat D. Hier. D. Hier. epist. de scientia diuinæ legis: *Re minisc amur non de aliena appetita pecunia dãnari, sed de sua timidè erogata damnatos.* Ecce vt angustus animus in magnis etiam damnatur; & in minimis magnus animus probatur.

§. XIII.

Deus cordis humani desiderio afficitur.

CIrcunci sionis signum Abrahãmo datur in ea solum parte, qua est vir, dicit enim: *Circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis, &c.* Quam aliter Cant. 8. Cant. 8. dicit: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuũ.* Compone modo signum, & signum, signũ circunci sionis, & signum Christi; in signo circunci sionis externa caro signabãtur, ibi cordis mẽtio nulla; at signũ Christi nulli primũ, quã cordi inurebatur. Hinc enim agnoscitur diuinitas præsentior in Christi doctrina, quod potius in corde hominis figitur. Hinc Ioann. 3. Ioann. 3. dicebat Iesus Nicodæmo adhuc legi per Angelos dãtæ inhærenti: *Spiritus vbi vult spirat, nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Ex quo D. Ber. D. Bern. ser. 32. in Cant. dicit Christiano: *Tu ergo si vocem eius audis, non iam nescis, vnde veniat, aut quò vadat, scieus quia à Deo exyt, & ad cor vadit.* Equidem qui in spiritus voce, non iam Angelos, vt antiqui, meditamur, sed Deum ipsum, vt non ignoramus, quod Deus à Deo mittitur; sic etiam non possumus ignorare, quod ad cor vadat humanũ. Cum Dei gressus audias, hoc certum scias, illũ proficisci ad cor hominis, in quo gaudet morari. Vt dicat Prudentius in Præfat. Psychomachiæ. Prudent.

Mox ipse Christus, qui sacerdos verus est
Parente inenarrabili, atque vno satus
Libum beatis offerens victoribus
Panem pudici cordis intrat cæsulam
Monstrans honorem Trinitatis hospita.

Plane tunc diuinitatis hospitiũ clare monstratur, cum hominis corda illi parantur. Quare de duobus primis fratribus munera Deo offerentibus, ait Gen. 4. *Respexit* Genes. 4. *Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.* Et cur ad Cain non respexit? Ait Stephanus Episcop. Eduen. lib. de sacram. altaris cap. 13. *Vnde Abel, qui recte obtulit, & recte diuisit, Dominus ad eius munera respexit. Ad Cain autem, & ad munera eius non respexit, quia & si recte obtulit, recte non diuisit; quia sibi cor impœnitens retinuit. Male ille diuidit, qui id, quod Deo magis placet, scilicet cor contritum, & humiliatum, ei non tribuit.* Expende illa, *scilicet cor contritum, &c.* Quippe dum cor non datur Deo, nihil illi datur, quod æstimet: nihil illi datur, quod eius rapiat oculos. Semper enim diuinitas in corda humana tendit. Hinc Luc. 1. Elisabeth loquitur ad Mariam: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Vbi eleganter Guarricus Abbas ser. 1. de Nat. Ioan. *Vox Mariæ dum auribus Elisabeth intonat, ad cor Ioannis penetrat: Vere gratia plena Maria manifestè Deus totius gratiæ in ea erat, &c.* Et meritò Deus ostenditur esse in Maria, quando eius vox ad latentis Ioannis cor vsque peruenit. Diuinitatis enim est humana corda petere. Ioan. 20. quærũt Ioann. 20. angeli ex Magdalena. *Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum.* Et statim quærit ab illa Iesus, qui videbatur hortulanus, *Quid ploras? Quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei; Domine, si tu sustulisti eum, &c.* Hortulanũ vocat Dominum, & angelos Dominos nõ vocat. Cur non angelos, sed hortulanum vocat Dominũ? Ab illo se tangi in corde senserat, & aliquid statim diuinæ dominationis concipit. Galfrid. in Alleg. Tilman. Galfr. *Nil mirum, qui tetigit venam cordis, si ei corda intima respondent.* Ex tactu cordis iam Domini sentiebatur præsentia.

§. XIIII.

Vna Christi passio nequit abscondi, sed versari ob oculos.

IN parte occultissima, & remota ab oculis ponitur signum circuncisionis, dum ait: *Circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis, &c.* Sed Cant. 8. aiebat: *Pone me vt signaculum supra cor tuum, vt signaculum supra brachium tuum.* in patentissimo brachij loco amat Christus, vt signum poni. Sed cur circuncisionis vulnera in abscondita parte ponit, se autem in brachio, in manifesto asserit? Crede mihi, vt Iesus vulneratus est pro peccatis nostris, eius sola vulnera non debent abscondi, sed apertissime omnibus versari ob oculos. De agno typico cauebat Dominus Exod. 12. *Non comedetis ex eo crudũ quid, nec aquà coctum, sed assum tantum igne.* Et cur de solo agno illo cauetur, ne coquatur in aqua, sed igne torreatur? De alijs sacrificijs vbi esca parabatur, aqua coquebantur, quo respexit illud 1. Reg. 2. *Quicumq; immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetẽ, vel in caldariam, vel in ollam, &c.* Nullum ibi verbũ de victimis assis, sed vniuersæ erant coctæ. Quando ergo vniuersæ victimæ coquebãtur, cur Dominus de solo agno agẽs cauit ne aqua coqueretur? Quæ aquà coquebantur carnes, abscondebantur in olla, ibique absconditæ ignis patiebantur ardorem. Vt autem agnis ille expressissimum signum erat Christi passionis, sic cautum est ne instar carnium coctarum abscõderetur, sed instar carnis assæ obuolueretur ob oculus. Non enim debent Christi passiones abscondi, sed versari ante oculos hominum. Quò spectans Euseb. Emissen. hom. in Fer. 2. Paschæ, ait: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igne. Non sunt enim hæ carnes crudæ, quia passus est Christus; neq; in aqua coctæ, quia non occulta, sed palam, & omnibus videntibus est crucifixus. Latent enim carnes, quæ in aqua coquuntur; apparent autem, quæ assantur. Talis igitur passio Christi, quia cunctis videntibus est crucifixus. Redolet caro, cum assatur: redolet passio Christi.* Fugit equidem Christi passio absconditum, quin potius vt carnes assæ se se aspectu produnt, & odore; sic Christi passio, & aspectu, & fama amat ab omnibus percipi, & cognosci. Luc. 9. accessit Magdalena ad Iesum, & effudit vas alabastri super pedes eius, quos lacrymis lauit, & capillis absterfit; illi autem hoc solum dixit Iesus: *Remittuntur tibi peccata tua:* At Matth. 26. accedens ipsa effudit etiam vnguentum super caput Saluatoris, de qua dicit Dominus: *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mũdo, dicetur, quod & hæc fecit, &c.* Et quidem plura prius fecerat in Iesum, & vnxerat, & fleuerat, & osculata fuerat pedes, & tamen, vt bene notat Origen. hom. 35, non ibi dicitur de ea, quod modo dicitur, nimirum, quod facinus eius erit ob oculos omnium in sempiternum. Et cur hoc non in prima vnctione, sed in hac secunda dicitur de Magdalena? Facinus hoc secundum iunctum veniebat cum morte, & sepultura Saluatoris, quæ vt non amat abscondi, sed ob oculos omnium erat ponenda: sic & quæcumque alia, quæ erant connexa. Ait enim Theophylactus in Matth. *Mulier hæc iuxta diuinam dispensationem hoc fecit præsignans mortem illius, & corporis sepulturam: Vnde futurũ, sicut Deus prædixit, quod in gloriam eius vbique prædicetur res, quam fecit mulier.* Ex eo quod mulieris facinus & mortem, & sepulturã Christi continebat, factum est, quòd non abscõderetur, sed ob oculos omnium poneretur; habent enim hoc diuinæ passiones, quod abscondi nequant, sed ament ab omnibus prædicari, & videri. Hinc Luc. 22. *Accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meã cõmemorationem.* Itaq; Dominus abiens in gloriã suam, apud nos mãsit abscõditus sub speciebus panis, & vini. Sed illud inquirendũ est, cur non magis manere voluit modo aliquo visibili, quo gloriã suã, & glorioſam præsentiã apertè manifestaret? Causam rei illa verbã declarãt, nimirũ: *Facite in meã cõmemorationem;* siue vt aliàs: *Hæc quotiescumq; feceritis, mortẽ Domini annũtiabitis.* Vt Christi mors, & passio amabat ob oculos esse, & passim prædicari, necessum fuit abscondi gloriã, quæ visa memoriã passionis raderet. Abscõditur igitur Iesus glorioſus sub specie panis, ne negetur passioni quę ipsa amabat, nimirũ ob oculos omniũ versari. Ad hæc Stephanus Episc. Eduẽs. lib. de Sacram. Alt. c. 9. fatus: *Deus misericors iterata immolatione voluit se nobis exhibere præsentẽ, nõ tamẽ visibilẽ; quatenus eo præsente vere, & summo sacerdote, sine vllo horrore corda fidelium magis conterãtur, & fidei deuotio augeatur. Sic enim recolimus eius passionem, &c.* Raderet memoriam

Cant. 8.

Exod. 12.

4. Reg. 2.

Euſ. Emi.

Matt. 26

Origen.

Theoph.

Luc. 22.

Stephan.

riam

riam passionis, si gloria Christi Domini visibilis cernatur; ideo absconditur gloria sub specie panis; ne passioni negetur, quod videatur.

§. XV.

Firmiora sunt merita, quæ in maceratione carnis propter Deum fundantur.

IN vulnere carni infligendo signũ fœderis Abrahami cum Deo æternatur: dicit namque: *Eritq; pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Abrahamo datur signum circumcisionis, sed illi non datur ad tollendum peccatum, iam enim ante circumcisionem iustificatus erat. Et quando iam erat iustus, & Deo amicus, cur obligatur sub præcepto circumcidendæ carnis? Rationem indicant illa verba, *in fœdus æternũ*: etenim carnis maceratio, qualis in vulnere circumcisionis fit, sic roborat, & fulcit iustitias nostras, vt valeãt æternari. Ad D. Zeno. hæc ait D. Zeno lib. 3. serm. 8. *Cum Abraham integer sit iustificatus, & postea circumcisus, manifestum est circumcisionem Abrahæ nõ fuisse necessariam. Deniq; nil illi contulit, quia Deo antea, non postea quam circumcisus placuit. Sed in hoc robusta merita repromissionis accepit.* Expende illud, *robusta merita*, sine dubio enim per carnis propriæ afflictionẽ, & macerationem virtutum merita firmantur, roborantur. Huc traho fœdus Dei cũ primo homine in paradiso existente, cui dixerat Genes. 2. Genes. 2. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. In quocumq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* Cui compono fœdus præsens cum Abrahamo percussum, nimirum: *Erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Vtrobique præceptum ponitur à Deo in signum fœderis; vtrobique mors denuntiatur illi, qui non obseruauerit præceptum. At præceptum Adami erat circa fructus arboris; præceptum Abrahami circa proprię carnis scisionem. Sed quãdo Adamo datur tam leue præceptum, circa res faciles; cur præceptum Abrahami est adeò rigidum plenum doloris, & difficultatis in proprio corpore? Adami exercitatio, vt circa leuia fuit, & facilia, ita non durauit, sed facile cecidit; inde Deus vt firmiorem amicitiam cum Abrahamo iniret, ad rem afflictionis, & sanguinis peruenit, vt ibi fœdus constitueret, certus, quod de carnis maceratione virtutes firmarentur. Quò spectans D. Bern. serm. 2. de circumcis. Domini, ait: *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. Leuissimum plane mãdatum, & largæ omnino mensuræ. Sed trãsgressus est homo præscriptum sibi modum. Vnde & auertens ab eo faciem suam Deus, vix tandem in diebus Abrahæ amici sui placabilis fieri incipiẽs, rursus modũ instituit, promulgauit legẽ, sed non priori similem vsquequaq;. Ea siquidem ad cautelã fuerat, hæc ad medelã. Ibi prohibitio facta, ne superfluitas subintraret; hic iam indicta abscisio est, vt sacramenti remedio, quæ subintrauerat, tolleretur. Postremo illa quidem in arbore data est lex, ne fructu eius vesceretur, hæc in proprio corpore, vt caro præputij scinderetur.* D. Bern. Vbi instabilitas Adami in virtute curanda, & tollenda erat; non ponuntur præcepta circa facilia; sed introducitur sectio, & afflictio carnis, de afflictione enim, & maceratione carnis maxime roborãtur virtutum merita, ne facile effluant. Expende illa: *Hic iam indicta abscisio est*, quippe medicus sapiens valetudinarios homines curãs, vel leues vnctiones prius adhibet, vel fomenta quædam extrinseca, quæ dolores ad tempus minuunt, aut sopiunt. At vbi videt sæpius mala reuiuiscere, vt radicitus malum exturbat, & firmiorem sanitatem constituat, ad sectionem accedit, iubet & venas scindi, & sanguinem emitti. Crede mihi homo, dum extrinseca solum & suauia, & facilia in salutem spiritualẽ assumis, facile euanet salus tua, vel serpentis sibilo. Indicenda est abscisio carnis; aspera macerationis, & afflictionis medicina, qua in propria carne pũgaris, vt inde confirmeris in salute. Scienter dicebat Apost. ad Rom. 4. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit.* Ad Rom. 4. Expende primum illud fundamentum spei non confundentis, sed manentis; nimirum, *Tribulatio patientiam operatur*, quãdo enim per tribulationes, & macerationes, & afflictiones carnis patientes simus; ne putes quod facile ab spe salutis excidamus, sed perfectè in illa roborabimur, confirmabimur. Quò spectans D. Cyprian. lib. de Patient. ait: *Late patet patientiæ virtus, & vbertas eius, & largitas de vnius quidem nominis fonte proficiscitur: sed exundãtibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur, nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem, nisi inde consummationis summat firmitatem.* D. Cypr. Sanè de substinentia afflictionum, de tolerans-

lerantia tribulationis, & macerationis firmitas venit, & robur nostrarum virtutum actibus. Ioann. 18. post negationem trinã respectus a Christo Petrus: *Fleuit amarè.* Chryſoſt. quo attendens Chryſoſt. hom. 10. de Pœnit. fatur: *Igitur Petrus tunc ſentiens cœpit flere; & non fleuit modo, ſed amarè ſecundum baptiſma per lachrymas ex oculis oſtendẽs.* Primum baptiſma eſt in aqua externa, in qua extrinſecus lauamur; & vt eſt facile baptiſmi remedium, ſic a prima baptiſmi gratia facile dilabimur. Quid tunc? Secundum baptiſma inſtitutum eſt, nimirum pœnitentia, quę non in lotione extrinſecarũ aquarum conſiſtit, ſed in lachrymis ab interno corde, & oculis; vt iam ſit remedium non in arbore, ſed in abſciſsione; non in fonte externo, ſed in oculis proprijs, vt ſic ſalus magis roboretur, & firmior fiat. Hinc matrem petentem vinum in nuptijs Dominus diſtulit in horam paſsionis, aiens; *Nondum venit hora mea.* Sed cur paſsionis horam expectas, vt annuas matri? Vt quid firmius, & durabiliuspoſsit largiri. Ait D. Max. D. Max. hom. 1. in Epiph. *Quod vero ait; Nondum venit hora mea, illam nimirum glorioſiſsimam paſsionis ſuæ horam, atque illud redemptionis noſtræ vinum, quod nobis proficeret, promittebat. Nam quod petebat Maria, erat gratiæ temporalis, quod Chriſtus parabat gaudy ſempiterni.* Et merito quod æternæ durationis erat; credebatur corporis ſui paſsionis tempori. Niſi enim quod in carnis maceratione fundatur, vix poteſt eſſe æternum.

§. XVI.

Tolerantia virtutis infantilis altrix.

OCtiduanus puer iubetur circũcidi; dicit enim: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, &c.* Et cur tam dirum circumciſionis vulnus tenellis adhuc pueruli mandatur? Quos melle, & lacte nutrices excipiunt, cur Deus rigido cultro feriri mandat? Pene antequam lac excipit gladius infantes; aliter enim virtus infantilis, & creſcit in perfectum ſtatum laborum tolerantia. Iordanus Rabenatis Epiſcopus Iord. Ra. in Getica hiſtoria locutus de Scythis ait: *Qui etiam in pignora ſua primo die nata deſæuiunt, Nam maribus ferro genas ſecant, vt antequam lactis nutrimentum percipiant, vulneris cogantur ſubire tolerantiam.* Et fallar, ſi infantili virtuti alendæ lacte potior nõ ſit laborũ tolerantia. Creſcit, mihi credite, fidelium infantia vſque in perfectum virũ, vbi tolerantiã laborum incipiat ali. Paul. ad Rom. 4. dicebat: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem ſpem, ſpes vero non confundit.* Quatuor ponit virtutes reſpondentes quatuor hominis ætatibus, nimirum infantiæ, iuuẽtuti, virilitati, ſenectuti. Sed illud notandum, quod patientia in tribulatione ponitur in primis, pro virtutis infantia, vt quæ infantiles virtutes mirum in modum adoleſcere faciat. Ait D. Chryſol. ſerm. 110. Chryſol. *Ecce quibus ætatibus iuſtus perfectum roboratur in virum; in tribulatione, in patientia, probatione, ſpe. Tribulatio fratres primã iuſti viri concutit, & conturbat infantiam; ſed cum inuenerit iſta patientem, ad maiora adoleſcentem in bonæ indolis tunc erudit.* Facit equidem tribulationum tolerantia, vt infantilis virtus ad maiora ſe poſsit erigere. Quod noſcentes prophani, etiam de tolerantia laborum in paruulis ſuis excitabãt imperaturas virtutes. Vt notauit Sidonius Appol. in Panegyr. Auiti Auguſti, de quo dicit. Sid. App.

Licet idem grandia nati
Culparet fata, & pueri iam regna videret.
Sed ſibi commiſſum tanto ſub pignore cernens
Mundi depoſitum, nequid tibi Roma periret,
Iuuit fortunam ſtudio. Lactentia primum
Dedit mẽbra niuibus, glaciemq; irrepere pũtis
Iuſsit, & attritas paruum videre pruinas.

Hæc dominatori orbis puero parauit pater cunabula; vt dum niualem rigorem cũ lacte guſtat, ad eam virtutum magnitudinem perueniat, qua mũdum ſibi ſubijciat. Sed illud notandum, nimirum: *Iuuit fortunam ſtudio*: quam imperatoriæ virtutis fortunam puero accurrentem vidit, eam arte, & ſtudio iuuit, quatenus lactentia pueri membra comprimi facit ſub rigore niuiũ. Proh artem augendi infantiles virtutes! Hinc puerulus Dauid, ne eius contemneretur pueritia 1. Reg. 17. aiebat. *Paſcebat* 1. Re. 17. *ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis; & perſequebar eos, & percutiebam, & eruebam de ore eorum; & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos. Nam, & leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic in circumciſus quaſi vnus ex his?* Et ſuam pueritiam extollit, & Philiſthæi deprimit pectus virile. A parte pueritiæ ſuæ, illud ponit, quod non ſederit domi ludibundus, ſed quod ſub diuo ageret expoſitus ventis, & nimbis: imo & expoſitus yrſorum leonumque vnguibus,

quas

quas inter, ſemel & ter ſe viderit. A parte Philiſthæi ponit, quod ſit incircũciſus, ex quo neceſſum putat, vt minor ſit leonibus in fortitudine. Sed cum iactat pueritiam ſuam ex tot laborum, certaminumque tolerantia; cur hoſtem ſolum deprimit ex eo, quod non ſit circumciſus? Cur non aliam in eo rationem infirmitatis producit? Equidem ea ſola ad rẽ faciebat. Erat enim quæſtio de pueritia apta ad triumphos: vnde exponens Dauid pueritiam ſuam plenam ſudoribus, plenam laborum tolerantiâ; ſimul proponit Philiſthæi pueritiã nullâ, vel circũciſionis tolerantiâ exercitam; vt inde maneret quam deberet eſſe infirmum robur virile in Philiſthæo; quamque triũphale in puero laborum tolerantia nutrito. Credem hi, laborum tolerantia pueriles virtutes aget in certiſsimos triumphos.

Baſil. Sel. Ad hæc exclamat D. Baſil. Sel. orat. 14. *O res incredibiles! Dauid cum omnibus ſub diuo agit, & Deus in cœlo ſuper regno conſilia agitat. Dauid gregem paſcit ſolicitus; Deus interim thronum apparat.* Sic tolerantia laborũ in puero, iuuabat, à Deo diſpoſitam triumphandi, regnandique fortunam.

Gen. 17. Dixit quoque Deus ad Abrahã: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filiũ, cui benedicturus ſum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit, in corde ſuo dicens: Putas ne cẽtenario naſcetur filius? Et Sara nonagenaria pariet? Dixitque ad Deum; vtinam Iſmael viuat coram te.

§. XVII.

Nihil alienum Deo non ingratum, vt qui ſola æſtimat propria.

VT ſeminis benedicti, nimirum Ieſu thesaurum in Sara conſtituat Dominus, prius petit a marito, ne illam Sarai nominet. Ea enim ſunt Dei verba: *Saraivxorem tuam, non vocabis Sarai, ſed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, eritq; in nationes, & reges orientur ex eo.* Vt benedictionum fons, nempe Ieſus oriatur ex Sara, prius petit, quod Abrahamus illam non vocet Sarai, cum enim ab Abrahamo Sarai non vocetur, iam ex tunc aſſumetur a Deo in matrem benedicti ſeminis, in quo omnes nationes, & reges benedicentur. Sed quid eſt in nomine Sarai, propter quod velit Deus, ne ab Abrahamo vocetur Sarai, vt poſſet aſſumi in matrem benedicti ſeminis? Sarai iuxta communem interpretationem Doctorum, idẽ eſt, ac Princeps mea; Sara autem Princeps eſt, ablato pronomine illo, *mea*. Dum ergo vocatur fœmina ab Abrahamo Sarai, hoc eſt, *Princeps mea*; non aſſumitur a Deo in matrem benedicti ſeminis; cui ingrata ſunt omnia aliena, & in ſolis eis, quę patris ſui ſunt, amat eſſe. Hinc Luc. 22. aiebat Ieſus: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha mãducare vobiſcum.* *Luc. 22.* Inde colligit ſapienter Tertul. lib. 5. in Mar. Paſcha non ad alium, quam ad Patrem Ieſu pertinere. Ait enim: *Profeſſus eſt ſe concupiſcentia concupiſſe Paſcha edere vt ſuum, indignũ enim erat, vt quid alienum concupiſceret Deus.* *Tertull.* Nunquam alienum non indignum eſt Deo, imo inuiſum, & ſuſpectum. Vnde Matth. 26. ait Ieſus: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* *Matt. 26.* Cum horrore, & triſtitia vadit ad mortem; ſed quando innumeri alij martyres eius gratia læti cucurrerunt ad mortem; cur ipſe magis non lætus mortem ſuſcipit, ſed cum triſtitia magna, & tædio? D. Amb. ait lib. 10. in Luc. *Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, & ideo faſtidit quod ipſe non fecit.* *Ambr.* Quod non eſt opus manuum ſuarum, hoc horrori, & faſtidio eſt Deo, qui amat eſſe in ſuis, nõ in alienis. Et quia dicit Sapiens cap. 1. *Deus mortem non fecit;* *Sap. 1.* ad huius dicti guſtum ait Amb. faſtidiui à *Ambr.* Deo mortem, quaſi alienam. Caue Chriſtiane, vt tẽ alienes a Deo, vt te ali Domidedas, vt ſub peccatis nõ nihilo mergaris, ne videaris opus Dei: horrori enim eris, & faſtidio Deo, qui ſemper odit aliena. In ſuis autem maxime cupit detineri. Aiebat Paul. ad Galat 4. *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege.* *Ad Gal. 4.* Ecce tibi candidiſsimus filius Dei, non refugit habitare in viſceribus fœminæ; quod maxime Deo indignũ putarunt plurimi Hæretici. Sed non refugit Deus habitare in ſuo, in eo quod ipſe fecit; vt dicat Proclus hom. de natiuit. Chriſti habita in Concil. Epheſ. tom. 6. *Cõc. Eph.* cap.

cap. 7. *Clemens Deus, & ex muliere nasci non erubuit; quod enim agebatur, vita erat. Nullã inde contrahit labem, quod intra viscera, quæ citra omnem dedecoris notam condiderat, inhabitat.* Esset indignum Deo, si in alienis habitasset; at in ijs, quæ sua sunt, quæ ipse fecit, ornauit, & perfecit, habitare, non indignum, sed gloriosum sibi Deus reputat.

Theodor. Vt dicat Theodotus hom. 3. in Christi natiuit. habita tom. 6. Concil. Ephes. in Appẽd. 5. cap. 2. *Si cũ format Deus membra mulieris non accusatur, neque cum inhabitat, in eis, iniuriam patitur. In sua quippe creatura Deus non indigne inhabitat.* Non equidem indignũ est Deo, quod in suis habitet. Qui, vt suis adsit, nihil vt indignum contemnit.

Exod. 12. Hinc Exod. 12. ducebat Israelem *in columna nubis per diem, in columna ignis per noctem.* At in prætorio Pilati religatus columnæ, carnificum expositus verberibus, sub flagello tremebat. Quid indignius illi, qui in columnis præsidebat; quod columnæ religatus verberetur? Sed tamen, quia sic suis opem ferebat, non verberari erubescit.

Basil. Sel. Ait D. Basil. Sel. orat. 4. *Tale est Numinis ingenium, virtute cum vincat, hominum amore vinci. Nam quorũ fuerit opifex, ijs mederi non erubescit.* Felix ille, qui nihil in se habuerit diabolo mancipatum, aut sæculo; qui omnia intima sua fecerit opus Dei esse, ad illiusque solum Dominium pertinere. Proh quam lætum in se Deum habebit! Proh quam omnia vilia contemnet

Iob 10. Deus, vt ad illum veniat! Iob cap. 10. clamabat: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me.* Vbi Chrysost. in cat. Græca:

Chrysost. *Licet, inquit, peccatis sim obnoxius, opus nihilominus sum manuum tuarum. Vident, vt opificem suum agnoscat Deum? precibusque ab eo contẽdat, vt suo veniam tribuat opificio.* Vbi quid Iuum Deo proponitur, & non alienum; iã habet, ad quod gratanter, & amicabiliter veniat.

§. XVIII.

Inclinata Dei ad terram altitudo, facit, vt se inclinent, & humilient præcelsa quæuis creatura.

Sæpius antea Abrahamus Deum loquentem exceperat, sepius promissiones exceperat diuinas, sed nunquam in faciem dicitur cecidisse, vsque modo. Ait enim: *Cecidit Abraham in faciem suam.* Et cur, quod antea non fecit, facit in hoc capite semel & bis? Instabat iam modo filius promissus, in cuius semine erat Christus Dominus, quem bonus odoratus iam propinquum carnis suæ, tanta Dei inclinatione, non potuit non rapi, vt humiliter caderet in faciem suam. Et quis humili corde non se inclinet vsque ad terram, summam illã maiestatem inclinatam ad terram videns?

Ioan. cap. 19. ait de Iesu crucifixo; *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Tunc Matth. 27. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes: terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Nullaque erat creatura, quæ a loco suo, & a sede sua nõ videretur exilire. Quid mirum? Videntes Deũ capud inclinantem ad mortem, omnia sese quasi in mortem inclinãt.

Ioann. 19 Matt. 27

D. Leo. Ait D. Leo serm. 4. de Pass. *Ad tantam diuinæ maiestatis inclinationem totius mundi cõpago quatitur.* Et quis erectus maneat, & sublimis, cũ maiestatem Dei se inclinantẽ videat? Nato Domino, & reclinato in præsepio, stella deducebat Magos, quæ perueniens ad locũ præsepij Matth. 2. *Stetit supra vbi erat puer.* Quid est supra erat puer? An è regione pueri in cœlo se posuit? Minime, sed conspicata Deum in stabulo agẽtem, cœli altitudinem dereliquit, & sese vsque ad stabuli propinquum deiecit. Ait Theodotus hom. 3. de Christi natiuitate, quæ est in tom. 6. Conc. Ephes. in Append. 5. cap. 3.

Theodot. *Nulla stella quæ in cœlo est, clara facta est super puerum stans, quoniam spatij magnitudo rapiens aspectus intuitum, neque statum, neque motum stellarum manifestum sensibiliter facit. Stetit, inquit, stella supra vbi erat puer. Ergo relinquens altitudinem stella, qua apparebat, humilior facta est, vt statu suo natiuitatem regis ostenderet.* Quæ Deum videbat iacentem in præsepio stella, non amplius suam altitudinem seruauit, sed & ipsa humilior facta descendit, & se vsque ad stabulum inclinauit. Nemo enim est, qui inclinationem, & abiectionem non amet, ex que nouerit Deum ad terras vsque deiectum; inclinatum. Deiectio namque, & inclinatio Dei erectissimos quosque valet prosternere. Quis Paulo erectior? Is Actor. 9. in via lumine circunfusus cœlesti,

Actor. 9 *Cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?:: Ego sum Iesus, quem tu persequeris.* Ad humilitatis, & abiectionis nomen confugit, vt se Paulo ostendat; cur non magis magnitudinis, & potestatis diuinæ nomina exerit? Cur non ait, Ego sum Dominus Deus tuus, vel ego sum rex gloriæ, potens in prælio, Dominus

nus virtutum? Sanè magnitudinis suæ nomina dimittens ad humilitatis cõfugit nomina, vt ostendat hæc potentia esse ad homines deijciendos, prosternendos vsque ad terram. Ait D. Gregor. lib. 33. Moral. cap. 24. *Prosternens igitur te, nequaquam tibi hoc adstruo, quod ante secula Deus sum, sed illud à me audis, quod de me credere dedignaris. Et adhuc in expresione terrenæ habitationis subdit: Iesus Nazarenus, velut si aperte diceretur: Humilitatis meæ infirma sescipe, & tuæ superbiæ squamas amitte.* Vt enim ad terras deijciatur homo; erectosque animos submittat, sufficit si Deum deiectum, & humiliatum videat. Angeli dicebant pastoribus Luc. 2. *Inuenietis infantem pannis inuolutum positum præsepio.* Ecce qualis amet rex cœlestis a pastoribus inueniri. Et cur non magis in solio eleuato, & excelso ostenditur, vt quondam Isaiæ? Ait D. Ber. serm. 1. de Nat. *Iam clamat exemplo, quod postmodũ prædicaturus est verbo. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Obsecro proinde, fratres, ne patiamini sine causa tam pretiosum exẽplum vobis exhibitum esse. Quid enim magis indignum, quid grauius puniendum, quam vt videns Deum cœli paruulum factum, vltra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentiæ est, vt vbi se exinaniuit maiestas, vermiculus intumescat.* Sic ibi, & merito.

D. Greg.

Luc. 2.

D. Bern.

§. XIX.

Gaudium, quod à Christo est, vt cordi inest, sic permanentius, & durabilius.

NOn perfunctorie dicitur Abrahamus lætatus in promissione diuina, sed cum ingenti animi tripudio. Dicit namque: *Abrahamus cecidit in faciem suam, & risit in corde suo, &c.* Non dicitur risisse in Ismaelis natiuitate, cur modo sic ridet in promissione secundi filij? Huc forsam spectabat Dominus Ioann. 8. dicens: *Abraham exultauit, vt videret Diem meum, vidit, & gauisus est.* Et quidem vna cũ Isaaci promissione veniebat promissio Christi de eius etiam semine orituri: quem in suis posteris prænoscens Abrahamus, non miror, quod gaudeat, quod rideat in corde suo. Gaudium enim, & lætitia quæ venit à Christo, & cordi inest, & altissimas ibi agit radices. Sic dicebat Dominus discipulis suis Ioan. cap. 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollit à vobis.* Expende illa: *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis*: Duo enim ex Christo nobis dicuntur ventura, nimirum gaudium corda perfundens, & inde minimè tollendum. Gaudia enim quæ veniunt à creaturis, vt non penetrant cor, nec ibi radicantur, sic facile pelluntur. At quod à Christo gaudium est, & cordis implet intima, & diu durat, quin possit tolli inde. Ad hæc dicebat Ruper. lib. 12. in Ioan. *Et gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum certum, & verum nemo tollet a vobis. Quod si corpus occiderint, sic quoque cor vestrum gaudebit, quia gaudium vestrum non in carne, quæ potest occidi, sed in corde vel anima, quam persecutor occidere non potest, repositum erit. Vestrum igitur gaudium nemo tollet a vobis.* Ea sunt gaudia, quæ à Christo Iesu in nos descendunt, quæ non in carne sunt, vt euaneant instar fœni floris, sed peruadunt intima cordis, in animaque mirifice radicãtur, vt minime inde euelli possint. Et quando Christus non parat nobis gaudium, quod debeat permanere? Matri petenti vinum, quod nuptijs deficiebat Ioan. 1. respondit Dominus: *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Et mirabar, quod matri petenti negare videretur. Et cur Domine sic matrem vel in horam suspendis? Ait D. Max. hom. 1. in Epiphan. *Quod petebat Maria, erat gratiæ temporalis, quod Christus parabat, gaudij sempiterni.* Differebat Iesus petentem temporalia; vt à quo in homines nascantur gaudia æterna; quæ minimè a cordibus humanis possint exturbari. Vnde monebat Pau. ad Philipp. 4. *Gaudete in Domino semper.* Non dubitat petere a nobis adhuc existentibus in hac lachrymarum valle, quod semper gaudeamus. Sed vnde fieri potest, vt gaudia semper, & sine intermissione in promptu sint? Ait ipse cũ iubet: *Gaudete in Domino*; dum enim gaudium à Domino in nos descendat, sic inhæresci t animis, vt æternum possit ibi durare. Huc pulchrè adest D. Chrysost. hom. 18. ad Pop. post numeratas infinitas pene mæroris, & tristitiæ causas ait: *Tot etenim regib⁹ tristitiæ causæ sunt, quot mari undæ. Cũ igitur, nec regũ vitam sine tristitia præstare posset, quid aliud hoc præstare poterit. Humanum quidem nihil, sed solum verbum Pauli; nec enim simpliciter dixit, Gaudete semper, sed addidit continuæ voluptatis causam, cum dixerit Gaudete in Domino semper. In Domino gaudens ex accidenti nullo voluptate hac excidere potest. Deum enim, sicut oportet,*

Ioann. 16.

Rupert.

Ioann. 2.

D. Max.

Ad Phil. 4.

Chrysost.

ret, timens, & in ipso confidens voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontē. Et sicut in mare immensum scintilla decidens facile extinguetur, sic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguntur, ac perdun ur. Quid certius? Quid magis experientia probatum? Vnus Dominus potest gaudium indefectibile præstare.

Gen. 17. Et ait Deus ad Abraham, Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac. Et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. Super Ismael quoque exaudiui te. Ecce benedicā ei, & augebo, & multiplicabo eum valde: Duodecim duces generabit. Et faciam illum crescere in gentem magnam. Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tēpore isto in anno altero, &c.

§. XX.

Beneficentia diuina longe à creaturarum beneficentia distat, vt quæ non exhauritur ab vno.

NOn solum Isaaco affluit diuina benedictio, sed & Ismaelem fratrem implet. Ecce ait: *Vocabis nomen eius Isaac. Et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. Super Ismael quoque exaudiui te. Ecce benedicā ei, &c.* Multas, & magnas benedictiones Isaaco promittit Dominus, sed & alias multas Ismaeli promittit. Quam alter fra-
Gen. 27. tres alij duo Gen. 27. pro vna benedictione accipienda pugnant, quam dum Iacob sumatur ex patre suo, Esau manet sine illa, dicente patre: *Venit germanus tuus fraudulēter, & accepit benedictionem tuam.* Perdidit hic alter benedictionem; ibi nullus perdit benedictionem suam; quin post benedictum Isaac, etiam pergit Deus, vt Ismaelē benedicat. In hoc enim maxime distinguitur Deus a creaturis: harum dona omnino stagnari solent in vno; Dei autem beneficentia nunquam stagnatur in vno. Quo spectans D. Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 66. sapienter inquit: *Quam ob causam diuinæ rei omnia ignis nomine designantur? Deus ignis dicitur, existimo, quod propter abundantias, atque diuitias, quandoquidem vnus ignis mille lampadas accendat, nec minuatur, sed alios horum totidem, imo plures accēdere valeat.* Posset equidem vnum vas stagnare in se aquarum, vel ventorum impetum: at ignis non stagnatur in vno, sed integer, & plenior manens ad alios, & alios accedendos festinat. In quo apertissime exprimitur beneficentia diuina, quæ nunquam sistit in vno. *Isai.* 44. Isaias cap. 44. inquit: *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Quantum hoc? Sic benedictiones suas effundit, vt nō in vno stagnentur, sed omnes impleāt, & fontem minimè vacuum derelinquat. Id quod sanè proprium est diuinæ naturę. *Eus. Gall.* Ait Euseb. Gallicanus serm. de Trinit. Innumeræ multitudines per vniuersam terram vno lauacro diluuntur, & vt dicit Apostolus vno spiritu potantur, in vnum adoptati gremium renascuntur. Et ideo ait Deus: Effundam super omnem carnem de spiritu meo, & non dicit effundam spiritum meum. Tantum de eo, quantus mundus potest capere dispensat. Emittitur, nō amittitur: effunditur, & tenetur, atque in effusionis verbo magnitudo plenitudinis declaratur. *Maximum diuinitatis insigne est, posse simul omnes infundere, & integrū nihilominus permanere.* Ecce tibi clarissimum diuinitatis insigne, quod non exhauriatur ab vno, quod plures impleat, & adhuc integra maneat eius beneficentia, vt & alijs possit benedicere. Paul. ad Colossens. 2. *Ad Col.* 2. *Videte, nequis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam: secundum traditionē hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, &c.* Ecce tibi iubemur fugere mundi elementa, & confugere ad Christū, quia in Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Sed etiam in mundi elementis multa bona habitant ad vitam humanā necessaria. Cur ergo vt ad Christum veniamus, sic prorsus fugienda elementa mundialia? Ipse ait: *& estis in illo repleti.* Non equidem is est Iesus, qui in se vno stagnet omnia bona diuinitatis, sed potius curet, vt illis alij, & alij repleantur. Mundialis

omnis

omnis Philosophia, & astutia eò tendit, vt quis in se elementorum, potentiumque bona sic stagnet, vt nihil permittat ire ad alios. Non sic diuinitas patitur, quæ semper se nititur communicare, neminem excludit, vt ab vno exhauriatur. Rem pulchrè ponderat Theodotus hom. 2 de Nat. habita tom. 6. Concilij Ephes. fatus: *O rei miraculum! Tota diuinitatis plenitudo in vno habitat corporaliter, & nihilo tamen secius, reliqua omnia adimplet; & ita implet, vt vniuersam creaturam excedat. Totus existit in vno, & à nulla interim creatura separatur.* Quid diuinius? Non quod vni se totum Deus dedat, ideo ab alijs separatur, & abscõdit, quasi fastidiat alios; sed ita se vni tradit, vt inde alios impleat, omnes saturet. Conueniant huc principes vniuersi mundiales, & videant, quam ipsi longè sint à diuinis perfectionibus. Illi in vno se permittunt penitus stagnari; & ita se vni intimo tradũt, vt ab illo vno potius eorũ gratia, & beneficentia exhauriatur, non vt inde alios pervadat, sed vt prorsus relinquat cæteros inanes. Ita totus in vnum est, vt alios fugiat velut extraneos. Vide infra lib. 7. cap. 14. §. 2.

Theodot.

§. XXI.

Deus nunquam nõ beneficentissimus in eos, à quibus aliquid accipit.

VIde, quam beneficum se præbeat Deus Abrahamo, cui dicit: *Sara vxor tua pariet tibi filium*:: *Et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. Super Ismael quoque exaudiui te, &c.* Et filium promittit ex Sara, quem mirum in modum augeat; & Ismaelem etiam augendum declarat, in omnibus sese ostendens profusissimum muneratorem Abrahami. Nec miror, quando enim ex eius semine sumpturus erat carnem, adeo vt inter filios Abrahæ vellet numerari, non mirũ est, quod tantis ditet familiam Abrahamidum. Semper enim Deus beneficentissimus ostẽditur in eos, à quibus aliquid accipit. Luc. 2. notans tempus Dominicæ natiuitatis, ait: *Exyt edictũ à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*:: *Ascendit autem & Ioseph a Galilea de ciuitate Nazareth in Iudæã, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem; eo quod esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret. Et peperit filium suum, &c.* Itaque eo nascitur Dei filius tempore, quo posset scribi inter ciues Romanos; neque id sine summo augmẽto imperij Romani; imo ex quo inter illius populi scripturas voluit esse, & Romam æternauit, & innumeris gloriis auxit. Quod notans Paul. Oros. lib. 6. cap. 22. ait: *Dominus Iesus Christus hanc vrbem nutu suo auctam, defensamque in hunc rerum apicem prouexit, cuius potissime voluit esse, cũ venit, dicendus vtique ciuis Romanus, census professione Romani.* Quam ciuitatem sibi adscripsit Iesus, vt ciuis esset illius, & inter ciues scriberetur, eam super omnes mundi ciuitates prouexit, æternauit. A nemine enim Dominus accipit, quẽ mirum in modum non augeat. Hinc Dauid Psalm. 59. clamabat: *Moab olla spei meæ.* Et cur vocat Moab ollam spei suæ? A Moab per Ruth Dauid genus ducebat, ex qua etiam Iesus sumpturus erat carnem; quando ergo Dauid se peccatorem agnoscebat, memorans Iesum ex Moabitis peccatoribus sumpturum carnem, non poterat non sibi iã multa bona sperare. Dantes enim peccatores Moabitæ carnem Dei filio, illum mirificè condiebant, vt peccatoribus benefaceret. Ait enim D. Paulinus epist. 3. *Moab olla spei meæ: quia non solũ ex Iuda, sed ex Moab, hoc est, non solum de sanctorum, sed etiam de peccatorum origine corpus assumpsit Iesus, quã decocta quasi per ollã carnis nostræ cruditate, sanctificauit in æternum nobis cibum carnem suam. Ipsa est, & illa secundum Ieremiam olla vrens peccata, & illo igne consumens, de quo ait: ignem veni mittere in terram.* Peccatoriè spem meritò Moab confirmat, quia ex illis Moabitis peccatoribus carnem filius Dei sumpsit; ex quo factum est, vt Moab quasi olla fieret, quæ carnis nostræ cruditatem tolleret, & Deum faceret cibum, quo peccatores cibaret in vitam, absumens peccata, & calorem diuini spiritus mittẽs: Quid non fiat Deus illis, à quibus accipit aliquid? Crede mihi homo, si quid Deo præstas, ita illum temperas, & maturas, vt mirũ sit, si sese tibi non totum comedendum tribuat. Hinc Isaias cap. 9. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, &c.* Quid plura? Ex quo accepit carnem ex nobis, totus nobis fit; & paruulus, & filius factus est nobis. Vt sapienter dicat Euseb. Galic. hom. 2. de Ascens. *Paruulus, inquã, natus est nobis. Si non nobis natus est, nihil sumpsit ex nobis; nihil de nostro suscepit, nihil nobis præstitit.* Hæc duo sunt in Deo coniunctissima; &

Luc. 2.

Paul. Oros.

Psal. 59.

D. Paul.

Isai. 9.

Euseb.

in

inseparabilia; nimirum accipere, & dare; non deficit alterum, dum alterum non deficiat. Quod si non dat, ex eo est, quod non accipit. Si enim ex nobis accepisset, quasi non posset statim non præbere vel se ipsum. Quò spectans S. Proclus hom. de Nat. Christi. *Nisi me induisset, non me saluasset; verum qui ex Virgine prodijt, ille me commendationi obnoxium assumpsit. Quo fit, vt admiranda quædam commutatio hic interueniret; dato namque spiritu, accepit carnem, idem cum Virgine, & ex Virgine.* Quid pulchrius? Accepit de meo, dedit de suo; nisi me induisset, non me saluasset, non dedisset salutem, nisi meam carnẽ assumpsisset. Qua accepta; admiranda statim visa est commutatio dati, & accepti inter Deum, & homines. Accipiebat Deus ab hominibus carnem, & dabat spiritus abundantiam profusissimam; idem cum Maria Virgine erat, illi ingentes gratias communicans, & ab illa exibat, eius virginea carne vestitus. Is est Deus in eos, a quibus aliquid accipere dicitur. *Procl.*

Cen. 17. Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ab Abraham. Tulit autem Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, &c.

§. XXII.

Non heriliter, sed humane, sed humiliter præcipienda dura, quæ fieri cupias.

POst finitum Dei cum Abrahamo colloquium, non otiose dicitur Deus ad Abrahamo ascendisse. Hæc enim sunt verba: *Cum finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ab Abrahamo.* Nunquam antea Dei ab Abrahamo discessus explicatus fuit per ascensionis modum. Cur in præsenti non discessisse dicitur Deus ab Abrahamo, sed ascendisse? Erat ne aliquid in hoc colloquio, quo Deus deijceretur, & humiliaretur, vt eo finito dici posit, quod ascenderit? Sanè cum in hoc colloquio totus esset Deus in præcipiẽdo durissimo circũcisionis mandato, sic humiliter, & humane segerebat, vt meritò post illud diceretur ascendere. Prudentis enim principis est humiliter, & humane sese gerere, cũ dura, & difficilia, & præcipere amat, & persuadere. Huc spectat Glossa Græca dicẽs: *Ascendit Deus ab Abraham. Ergo, vt ita dicam, descenderat, & humilem se, circunciſionis legem statuens præbuerat.* Proh diuinissimam supremæ maiestatis sapientiam! Non imperatoriam, non herilem, sed humilem se ostendit, cum dura præcipit, vt sic facilius illa reducantur in effectum. Similiter Zachar. 9. *Ecce rex tuus venit tibi iustus, & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinã, & super pullum filium asinæ. Et disperdã quadrigas ex Ephraim; equum de Ierusalem, & disipabitur arcus belli, & loquetur pacem gẽtibus.* Ex Græco legit noster Pontanus: *Et disperdet quadrigas ex Ephraim, & equum de Ierusalem. Et disperdet arcum bellicũ, & multitudinem, & pacem ex gentibus.* Perpende modo, vt veniat rex, & vt durissima quæque aggreditur; aggreditur disperdere quadrigas, equos, arma vniuersa, imo ipsam pacem, vt dicat, *non veni pacem mittere, sed gladium.* Et quando sic omnia humana disperdit, venit adeo humilis, vt sedeat super asinum, & pauper apparet, & mansuetus. Cur humilis, & pauper venit, vt tollat pacem de terra, vt disperdat humanos faustus, vt sectionem voluptatum omnium ferat? Equidem nullus principis habitus efficacior ad durissima quæque persuadenda, quam humilitas, quam humanitas in præcipiendo. Quò spectat Theodotus hom. 1. de Nat. Christi habita tom. 6. Cõcil. Ephes. vbi ait: *Accedit ad seruum non maiestate herili; non Angelorum satellitia præmittens; cuius modi enim apparatus extorrem in fugã vertissent; sed quo fugitiuum capiat blande accedit. Non enim per assumptam hominis naturã illum absterret: sed personæ humilitate ad familiaritatem, & amicitiam vocat.* Expende illa: *Non maiestate herili*, cauit enim Deus herilem maiestatem ostendere in subijciendo mundo, vt carni valedicat, & crucem amplexatur. Sed magis humilitatem ostendit, & humanitatem, quo sic nullum habeat resistentem, nullum ab angusta salutis via fugientem. Quis enim hominem strictissimis sanctitatis præceptis contineret, nisi qui imperialem, herilem ve deponeret speciem, & pene ad formam conserui descenderet? Vbi Deus solo vocis imperio condidit vniuersum, ad hominem condendum accedens Gen. 1. ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Circa quæ sapienter admodum Tertul. lib. 2. in Mar. *Gloss. Gr.* *Zachar. 9.* *Pontan.* *Cõc. Eph.* *Genes. 1.*

Teriull. Mar. ait: *Non imperiali verbo, ſed familiari manu, & verbo blandiente præmiſſo; Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, bonitas dixit, bonitas finxit hominem de limo.* Vt de nihilo traheret cœlum, & terram imperio verbi ſui, Dominus eſt; vbi autem limum trahere voluit, vt diuina ſuſciperet imaginem; ibi depoſuit imperium; & ſe familiarem, & blandum oſtendit. Quid tunc? *Bonitas dixit, bonitas fixit hominem de limo.* Non imperioſa auſteritas, ſed familiaris bonitas poteſt facere limum ſubire rationis ſtrictiſsimas leges. Quis ignoret Dei maieſtatem in danda antiquitus *Exod. 19.* lege in monte? Ait Exod. 19. *Totus mons Sinai fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace, eratque omnis mons terribilis. Et ſonitus buccinæ, &c.* Quanta hæc maieſtas in legiſlatore? Accedit autem Ieſus Matth. 5. vt noui teſtamenti mandata exhibeat, longè illis maiora, vt notat Au- *Nazianz.* guſt. ibi, & longè ſtrictiora, vt Nazianz. orat. 42. notat. Et qualiter accedit? *Videns Ieſus turbas aſcendit in montem. Et cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Et aperiens os ſuum docebat eos dicens: Beati pauperes, &c.* Illic vt dicatur, ne aliena tollantur, tanta maieſtas intonuit; hic vt moneamur abijcere, & propria; tanta humilitas ſonat. Plane vt noua, & maiora erant perſuadenda mãdata; ſic imperialem, mageſtuoſamque ſpeciem dimittere voluit. Ad Hæc *D. Leo.* Leo ſer. in Feſto omnium Sanctorum ait: *Ex ipſa loci qualitate ſignificat ſe eſſe, qui Moyſem quondam ſuo dignatus fuiſſet alloquio; illic quidem terribiliore iuſtitia, hic autẽ ſacratiore clementia, vt impleretur, quod fuerat Ieremiæ promiſſum: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum. Poſt dies illos dabo leges meas in ſenſu ipſorum, & in corde ipſorum ſcribam eas. Qui ergo locutus fuerat Moyſi, locutus eſt Apoſtolis, & in cordibus diſcipulorum velox ſcribentis Verbi manus noui teſtamenti decreta condebat, nulla vt quondam circumfuſa nubium craſitudine, neq; per terribiles ſonos, atq; fulgores, &c.* Antiquitus imperioſæ maieſtatis ſatellitia erant nubes, fulgores, buccinæ, dum minutiſsimæ leges ſcriberentur in codice. Nunc ſecretiorem clementiam præfert Dominus, & maieſtate ſe poſita, familiaritatẽ oſtendens, maiora mãdat, & ſimul ea ſcribit inaudientium cordibus. Adeò cauendus eſt Imperialis, herilisve fauſtus ei, qui ſtricta mandata imprimere amat cordibus hominum.

§. XXIII.

Diuina præcepta vim afferunt, qua mãdãtur executioni.

NOn diu diſtulit Abrahamus præceptum circunciſionis, quin vt ait textus: *Circuncidit carnem præputij eorum ſtatim in ipſo die, ſicut præceperat ei Deus.* Durisſima res erat circũciſio, & tamen ab omnibus domeſticis Abrahami admittitur ſine vlla reſiſtentia. Et qui fieri potuit, vt omnes, & filius, & vernaculi, & ſerui emptij ſe ſubderent tam duræ legi circuncisionis? *Præceperat ei Deus*, & diuina præcepta ſecum habent vim, qua mandentur executioni. Paul. 1. ad Corinth. 7. *Dico autem nõ* 1. Cor. 7. *nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant ſicut ego. Quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quam vri. Iis autem qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, &c.* Quando cum viduis agit, de continentia viduali ſeruanda abſque eo, quod veniant ad ſecundas nuptias, nihil præcipit, nullũ præceptum intimat, putans eſſe rem nimis arduam. At quod arduum putat Apoſtolus in fœminis, ſeruat turtur, qui ſecundas nuptias non nouit. Vnde ergo poteſt ſeruare turtur, quod ſeruaret ægre fœmina, & multum difficulter? Rem in præſens intentum expendit eleganter D. Amb. lib. 5. *Ambr.* Exam. cap. 19. inquiens: *Quis igitur hac leges turturi dedit? Si hominem quæro, non inuenio. Homo enim nullus eſt auſus, quando nec Paulus auſus eſt leges tenendæ viduitatis præſcribere. Nam ipſe ait: Bonum eſt illis; ſi ſic permaneant. Quod ſi ſe non continent, nubant. Optat Paulus in mulieribus, quod in turturibus perſeuerat. Et iuniores hortatur, vt nubant, quia mulieres noſtræ turturum pudicitiam implere vix poſſunt. Ergo turturibus Deus hunc infundit affectum, hanc virtutem continentiæ dedit, qui ſolus poteſt præſcribere, quod omnes ſequantur.* Expende illud propriſsimũ Dei ſtemma, nimirum; *ſolus poteſt præſcribere, quod omnes ſequantur*, non creatura aliqua, non homo, non Angelus, ſed vnus Deus eam vim indit ſuis præceptis; qua executioni mandentur. Geneſ. 1. dixit Deus: *Geneſ. 1.* *Germinet terra herbam virentem, &c.* Et ſtatim inſenſibilis terra vim experta eſt diuini præcepti, & ſeſe veſtiuit floribus, & herbis. Sed quod ante præceptum non valuit facere, quomodo ſtatim illud præſtare potuit poſt præceptũ? Ait D. Damaſ. lib. 4. *Damaſ.* de Fide cap. 14. *Dicit antiquitus Dominus,*

Producat terra herbam virentem : atque ea etiam nunc orto imbre fœtus suos producit, diuini præcepto impulsa, & roborata. Robur infert diuinum præceptum, quo fit statim, quod à Deo præcipitur; ne quis prætendat defectum virium ad executionem præceptorũ diuinorum, quando, & cum præceptis robur, & virtus ad illa solet venire.

CAPVT OCTAVVM.

De hospitio Angelis exhibito.

Textus Historia.

POST AVCIS à circuncisione elapsis diebus, vt beatitudini suæ responderet Abrahamus, & gratiæ, certa diuinarum promissionum fiducia leuatus, ad pietatem intendit, & vt se gratum cœlestibus in se supra modum fluentibus beneficijs ostenderet, post prandium ad ostium tabernaculi sui excubabat, ne quis peregrinus contemneret hospitium paruulæ, & inornatæ casulæ. Vix quieuerat sedens, & eius oculos implent tres iuuenes, forma præstantes, peregrini habitu: aduolat bonus senex, & humi procũbens officiose obsecrat, ne offenderentur tenuitate hospitij, quod non angustum locum præstabat reficiendis viribus, corporibusque lauãdis. Succesſere illi in arboris vmbraculum, inuitauitque senex humanitas, æstus ardentis tempus, vt illic paulisper quiescerent ad prandium. Quod dum à familia curatur, & Sara coquẽdis instat panibus ex farinæ adipe; currit ad armentum senex, occisoque vitulo, & butyro, lacteque perlato conuiuium adornat hospitibus haud insuaue. Vescentibus perhumanus adstat, ritèque insinuatis sermonibus non dubitant iuuenes interrogare ab hospite de vxore eius Sara. Accessit illa ad tabernaculi ostium, cum vnus è tribus rediturum se promitteret anno sequenti, quo tempore iam sit illis filius natus. Cũ risu excepit fœmina dictum, vt quæ norat & mariti senium, & suam multiplicem sterilitatem. Verum vt correpta fuit ab hospitibus, fœminea leuitate risum negat; virili tamen fide cœpit de Deo sperare non partia. At illi soluto conuiuio Sodomæ viam arripiunt, socium itineris habentes Abrahamum, cuius virtutes prædicantes, simul illi arcanum sui aduentus patefaciunt. Vt Sodomitarum peccata cœlum tangerent, Deique vindictam traherent, quam vt acerbissimam inferrent, ipsi è cœlis aduolauerant. Videres iustũ hominem pedibus Domini obuolutum pro miseris supplicantẽ; sed cùm in tanta Sodomitarum multitudine minime inuẽti sunt decem alij iusti, qui Dominum placarent, non miror, quod tota regio tam lacrymabili ruina vapularet.

MORALIA CIRCA textus literam.

DE tam lauto Abrahami conuiuio, vel mihi licet decidentes micas spectare; quibus possint moralem, spiritualemque animorum vitam cœlestibus buccellis saginare.

Genes. cap. 18. Apparuit Dominus in conualle Mambre sedẽti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terrã, & dixit: Domine, si inueni gratiã in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, &c.

§. I.

Deus omniũ feraciſsimus ager in reddendis fructibus.

CVm præcedentis capitis beneficijs ponit, & nouum hoc Abrahamo exibitũ textus inquiens: *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre sedenti ad ostium, &c.* Finierat caput præcedens in eo, quod Abrahamus se & omnes domesticos circunciderat, & statim prosequitur aiens, *Apparuit ei Dominus*, quasi hæc apparitio res fuerit eiusdem temporis, facta intrà septem, aut octo dies à circuncisione, vt mauult Delrius noster. In quo licet notare

Dei

Dei beneficentissimam bonitatem in suos, non enim cessat in illos beneficia diffundere. Isto in anno intra paucos dies Abbrahamo apparet, virum nomine glorioso insignit, multarum gentium, populorum, Principum, regum patrem statuit. Signo circuncisionis, vt suum peculium sigillat. Dilectę coniugis sterilitatem soluit, dato filio, qui cœlestibus benedictionibus mundum impleat. Insuper hospitium suæ tabernaculi intrat, mysterium Sanctissimę Trinitatis adumbrat. Illius mensæ accumbit, socium habet itineris, arcana suæ iustitiæ illi communicat, Lothum propter illū ab incendio liberat. Quid plura? Quis ager optime cultus tot reddidit vno anno cultori suo fructus? Claudius ille Mamertinus in gratiarum actione mirifice extollebat Principem suum, à quo ter fuerat honoratus anno vno. Inquit enim: *Ecquis Deus vno in anno multiplices fructus agro vni dedit? Num quisquam in eodem nouali æstate vna, amplius quam semel messuit? Num cui vno autumno, vnoque vineto vindemia triplex fluxit? Vna certe vnius est hyemis oliuitas. Sed in nostri Principis beneficijs miraculo caret multiplicata fœcunditas. Vt de alijs optimis viris taceam, qui à priore in proximum autumnum fructus annorum multiplices messuerunt, mihi certe tertia vnius anni vbertas est consulatus. Dein cum ager assiduitate fructuum in maciem decoquatur, imperatoris nostri posterior liberalitas vincit priorem, nec sit effeta gignendo, sed per vices fructuum fœcundatur.* Hæc ille vanissimus adulator in suum Principem iactat, à quo tres dignitates acceperat intra vnum annum. Sed longè fœlicior est, qui nō principes sæculi, sed vnum colit Deū. Est equidem Deus ager omniū rerum plenissimus, quem si debitè colas, non tres in anno, sed multas metes bonorū segetes in dies. Nec fit effœtus gignendō, sed per vices fructuū fœcundatur. Sterilescunt tandem beneficentissimæ quæque creaturæ; at beneficentia, quæ à Deo est, nescit non ire in frequē-
Ezec. 47 tissimos fructus. Ait Ezech. cap. 47. *Orietur super torrentem in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium eius ex eo, & non deficiet fructus eius: per singulos menses afferet primitiua, quia aquæ eius de sanctuario egredientur.* Accedat huc ille Mamertinus, & componat vbertatem sui principis, cum vbertate horum lignorum; hæc duodecim fructus in vno anno præbent, illa tres ad summum protulit. Sed vnde lignorum nostrorum fœcunditas maior? Ait Propheta: *Quia aquæ eius de sanctuario egredientur*, quæ in sancto vbertas fundatur, nullis temporum terminis coarctatur, nec gignendo deficit, sed magis indeacuitur, vt frequentiores, & præstantiores fructus pariat. Dicebat Elias pauperculæ viduæ, 3. Reg. 17. *Hydria farinæ non* 3. Reg. 17.
deficiet, nec lecythus olei minuetur, &c. Vbi
D. Basil. Seleuc. orat. 11. *Quantum dies poscebat, tantus hydria suppeditabat, quo diu messem volebat, in hydria metebat.* Proh diuinissima Dei vbertas, non tres in vno anno messes, imò nō duodecim, sed quo diemessem paupercula volebat, in hydria metebat! Non vernum tempus, non æstiuum, non autumnum spectabat, sed singulis diebus habebat ex Deo messem copiosissimā paratam. Hinc adorans Isaac Christum in
filio aiebat Genes. 27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Genes. 27.
Circa quæ Paschas. lib. de Sacrament. corpor. & sanguin. ait: *Profectò in isto agro corporis Christi thesaurus absconditus vernat floribus immarcescibilibus, & redolet suauitate odoris. Quem qui inuenit homo, vadit, & vendit omnia, & emit agrum istum, vbi thesauri omnes sapientiæ, atque scientiæ contemplantur. De quo sane agro, panis vitæ, credentibus quotidie exuberat, & à fidelibus messuitur.* Ecce quot messes ab agro corporis Christi, singulis diebus metuntur. Paschas.

§. II.

Mensa Dominica clarissimē infert luminum meridiem.

TOtum hospitium exhibitum Deo in pane, in vitulo, in lacte, & butyro, summatim referēs textus in principio, ait: *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre sedenti ad ostium tabernaculi sui, in ipso feruore diei.* Septuaginta posuerunt: *In meridie.* Sic in summa proponitur tota hæc appariio. At in illa multa alia fuerunt, & illinc præcipuum fuit conuiuium exhibitum ab Abrahamo tribus viatoribus, dum ait: *Ponam buccellam panis, & cōfortetur cor vestrū.* Quando ergo præcipuum, & singulare illius visionis erat conuiuium paratum ab Abrahamo; cur in summa visionis, & appariionis solū dicitur, quod apparuerit Deus in conualle Mambre, in feruore diei, siue in meridie? Cur nō etiam ibi aliquid explicatur de conuiuio? Sane in his dictis satis explicabatur diuinū cōuiuiū, cuius est homines constituere velut in lucis meridie-

Non enim iustorum vera lux, verus meridies sit à Sole, sed à buccella panis diuinissimi, quò Deo litamus quotidie. Hinc clamabat illa Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Prius quærit dilecti sui pascuam, & deinde quærit meridianum discubitum, sciens perfectum meridiem non fieri nisi à pabulo diuino Rem pulchrè tractat D. Nissen. hom. 2. in Cant. inquiens: *Docemę, inquit, vbi pascas, vt salutari susceptа pastione, æterno implear nutrimento, quod qui non comedit, nō potest ingredi in vitam. Si enim in his me pascas, me omnino facies cubare in meridie, quando in pace dormiēs, requiescam in luce, quæ caret vmbra, Sole lucente super verticem, in qua tu cubare facis quos pauisti.* Expende ab illis: *si in his me pascas, me omnino facies cubare in meridie*; de mensa enim diuina, in qua Deus pascit, & pascitur, iam clarissimus affulget meridies, quo illustremur, & illuminemur, qui tantæ mensæ participes fuimus. Quò spectans Psalm. 33 ait: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Sed multi in accedendo ad Deum obtenebrati sunt, quomodo nos accedemus, vt in lucem abeamus? Ait D. August. ibi concion. 2. *Accedamus ad eum, vt illuminemur, non quomodo ad eum accesserunt Iudæi, vt tenebrarentur. Accesserunt illi ad illum, vt crucifigerent, nos ad eum accedamus, vt corpus & sanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo obtenebrati sunt, nos manducando, crucifixum, & bibendo illuminamur.* Spirat equidem lumen diuina mensa, sub cuius radijs necessum viuere, qui ritè, & sanctè accesserit manducare.

Cant. 1.

D. Nissen.

Psal. 33.

August.

§. III.

Sic beneficentia egentibus exhibenda, vt in dando accipere magis videaris, quam dare.

CIbaturus peregrinos Abrahamus occurrit, & *adorauit in terra, & dixit, Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, &c.* Quis aliter petit, quo maxime eget, quam hic & hospitium, & conuiuium dabat? De matre filiorum Zebedæi ait Matth. 20. quod accesserit ad Iesum, *adorans, & petens aliquid ab eo*, & quidem adoratio, effectus est petentis; & se subdentis maiori potestati. At Abrahamus non petens, sed dans pauperculis viatoribus hospitium, & prandium, adorat eos, & gratiam sibi fieri flagitat. O modum largiendi eleemosinam salutarem! Christiane disce ab Abrahamo, & sic cura pauperibus dare, vt magis recipere videare. Primitiui Christiani omnia vendebant sua, vt de Christi Domini consilio, ea pauperibus darent. Et quomodo dabant? Ait Actor. 4. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorū, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Cur ante pedes? Cur nō magis in manus dabant? Ea humilitate, & demissione animi sua omnia pro pauperibus sustentandis dabant, vt non tam dare, quam accipere ipsi existimabant. D. Chrysost. hom. in dictum Pauli; oportet hæreses esse, ait: *Nō dicit, quod in manus ipsorum ponebant, sed ad pedes; declarando simul fidem, pietatem, ac reuerentiam. Et quod maioris ducebant, quod abeis reciperentur, quam quod darent dona. Hoc est pascere esurientem Christum, si absque arrogantia, & fastu hoc facias; sicque das, quasi tibi ipsi plura, quam danti beneficia dare videaris: quod si secus affectus es, nec sic dederis, vt te putes magis accipere, quam dare, non dedisti alijs.* Expende illud, *Hoc est pascere esurientem Christū, &c.* tunc se quis putet pauisse Christum esurientem, cum sic dedit cibum pauperi, quasi magis ipse recipere putasset. Huc spectans D. Paul. 2. ad Corinth. 8. ait: *Notam autem facimus vobis fratres gratiam Dei, quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ; quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit; & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.* Redacti erant Macedones ad extremā paupertatem propter Christum, sed in illa paupertate, sic præstabāt alijs necessaria, quasi ipsi essent abundantissimi. De qua illorum largitate locutus Paulus ait: *Notam facimus vobis fratres gratiam Dei, quæ datæ est in Ecclesijs Macedoniæ.* Gratia illis data vocatur illa, qua ipsi dabant, & quidem vere, quando dare pauperibus, magis est accipere gratiam. Vt dicat D. Bruno ibi: *Gratiam Dei digno nomine vocat eleemosinas, intelligens maiorem esse gratiam Dei ministrandi pauperibus, quam sint genera linguarum, &c.* Ne quis sic erret, vt putet se gratiam facere, cum eleemosinam præstat; certum est enim quod in eo opere magis ipsi accipit gratiam. Et sic debet præstare, quasi accipiat magis. Ad Roman. 12. monebat idem Paulus: *Qui miseretur in hilaritate.* Et cur in danda eleemosina præcipue petitur hilaritas? Vt in hilaritate dandi, non tam ostendatur quis dare, quam accipere. Quis enim bonū non accipit hilariter? D. Chry-

Matt. 20.

Actor. 4.

D. Chrys.

2. ad Cor. 8.

D. Bruno.

Ad Rom. 12.

sost.

Chryſoſto. ſoſt. hom. 21. ad Rom. *Quoniam nihil aliud videtur hominibus turpius, quam ab alijs accipere, niſi excellenti hilaritate ſuſpitionem illam ſubſtuleris, oſtenderiſque quod magis accipias, quam des, magis deijcies accipientem, quam refocillabis. Propterea dicit, qui miſeretur in hilaritate. Quis enim regnum accipiens mæſtus eſt?* Itaque hilaritas vultus in dando, oſtendat id, quod in veritate accidit; hoc eſt, quod tunc non tam das, quam accipis. Videris manum extendere, vt des pecuniolã pauperi; & revera, dum in eo extẽditur manus, regnũ accipitur. Quis ergo in accipiẽdo regno præſtanti non viget hilaritate? Hinc ipſe Ieſus ſic nobis ſua dabat, vt videretur noſtra recipere. Pſal. 67. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.* Quæ verba explicans Paulus ad Epheſ. 4. ait: *Propter quod dicit: Aſcendens in altum, captiuã duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Paulus aſſerit, quod Ieſus aſcendẽs dona dederit, pſaltes quod acceperit. Vter fallitur? Neuter, oſtenditur enim illis (vt alium ſenſum omittamus) ſic Ieſus dediſſe ſua, vt videretur non tam dare, quam accipere. Sic Luc. 22. aiebat: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Et quale erat in Chriſto hoc deſiderium ſumendi cibum nobiſcum? An vt ipſe aliquid ſibi acciperet? Imò vt ſe Ie magis manducandũ nobis daret; ſed ita nobis parabat cibum ſui corporis, vt vellet videri ſe magis cibum ſumere. Quod explicatius ponens Leontius Ætholius apud Turrian. tract. 2. de Euchar. cap. 3. ait: *Hoc Paſcha vobis tradere deſidero, nouas ſcilicet res, quatenus facturus ſum vos ſpirituales.* Quod tradere deſiderabat nobis, dicit deſiderare ſumere, in eo enim Domini Ieſu beneficentia extollitur, quod ſic dabat, vt videretur ſumere.

Pſal. 67. Ad Eph. 4. Luc. 22. Leont.

§. IIII.

Vbi Deus præſentitur, diſparet præſtãtiſsima quæque creatura, imò & moleſta eſt.

AD tres cucurrit Abraham, & ad vnum loquitur aiens: *Domine, ſi inueni gratiã in oculis tuis, &c.* Cur ad vnum ſolum loqueris? Cur non magis trium ſuffragia captas? Ait D. Auguſt. quæſt. in Gen. *In Angelis Dominum ſentiens, Domino potius quam Angelis loqui elegit.* Et quid Angeli, vbi ſentiebatur Dominus? Sanè nulla creatura eſt, & ſi præſtantiſsima videatur, quæ aliquo æſtimari poſsit, vbi ſentitur Dominus. Cant. 5. deſiderabat ſponſa, imo quærebat anxia inuenire dilectum ſuum: *Quæſiui, & non inueni illum; vocaui, & non reſpondit mihi. Inuenerũt me cuſtodes, qui circumeũt ciuitatem, percuſſerunt me, ac vulnerauerunt me; tulerunt palliũ meum mihi, &c.* Quærẽs ſponſum apud famulos eius, nimirum cuſtodes Angelos, poſſet requieſcere pauliſper; at hæc ad Angelos vſque perueniens, nullam ibi requiem inuenit, nullum verbum facit illis, ſed quaſi dira patiens abiuit. Et cur non Angelis aſsidet? Cur non magis ſermonem miſcet cum illis? Præſentierat, vel ſponſi manum, & ideo moleſta eſt illi, & tædioſa quæuis alia creatura. Ait Theod. ibi: *O pulcherrimã virginis progreſsionem. Ecce enim ad Angelos vſque progreſſa eſt.* Inuenerunt enim eam verbum inquirentem, & verbis deterruerunt, ac vulnerauerunt. Dixerunt enim id nulla ratione fieri poſſe, vt incomprehenſi viſio ita facile reperiatur. *Velum, inquit, abſtulerunt ab oculis meis, vt clarius ſponſum intuerer, quĩ nec ab Angelis quidem omnibus poteſt comprehendi. Quam ob rem incertior diſcedens omnino, cuſtodes, id eſt, Angelos auerſatur, quod neque ab illis quidem ingens ſponſi deſiderium queat imminui.* Expende ab illis, *Angelos auerſatur*, quando tota ferebatur in Deum, quem in ſe præſentierat, non ſolum præſtantiſsimas quaſque creaturas non æſtimat, ſed & apud illas manens, non paruam accipit moleſtiam. Vbi illi velum ablatum fuit; quo clarius ſponſum perciperet, ſtatim vel ipſos Angelos auerſatur, eorumque conſortium nihili æſtimat, dum vadat ad Deum. De Magdalena locutus Ioan. 20. vt in ſepulchro ſtabat plorans; ait: *Et vidit duos Angelos in albis, ſedentes vnum ad caput, & vnũ ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis, quia tulerũt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eũ. Hæc cum dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum.* Sic Angelos viſos præterit, & illis terga dat. Cur mulier Angelos præteris? Cur ab Angelis auertis oculos, & conuerteris retrorſum? Ait Theophilact. *Videtur igitur, dum illa colloqueretur cum Angelis, Ieſus ſtetiſſe poſt eã: & illos territos, quia aſpectauerãt Dominũ, & habitu, & forma, & aſpectu ſtatim dixiſſe, quod viderint Dominum: eumque hoc audiniſſent, mulierem conuerſam eſſe retrorſum.* Itaque dũ in aſpectu Angelorũ preſenſit preſentiã Domini, ſtatim ab Angelis auertit oculos, nec illis verbũ facit ſon-

Auguſt. Cant. 5. Theod. Ioann. 20. Theoph.

uersa tota in Dominum. Miraris sic quasi despectos à fœmina duos Angelos, dū quærit Dominum? Sed accipe Galfridum apud Tilmannū in Alleg. de illa fantem: *Non moueturad angelos duos mulier sola. Credo nec ad septem, si septem fuissent. O desiderium flagrãs, & violentia impatientis amoris. Transiuit vigeles, quãdo inuenit anima, quem requirit. Trãsiuit eos, cum eorum nec visione, nec allocutione contenta retrorsum conuersa est, & Dominum vidit.* Vilescit creatura omnis apud animū, qui præsentit Dominum. Quò spectabat illud Matth. 24. *Statim autem post tribulationem dierũ illorum, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadẽt de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur, & tunc parebit signum filij hominis, &c.* Vnde sic perduntur omnia cœli lumina in apparitione filij hominis? Non equidem perduntur: sed sic manent, quasi non sint; dū hominum oculi ad Iesum intenti, nihili cetera æstimabunt. Ait Paschas. lib. 11. in Matth. *Nequaquam stellæ de cœlo cadere eredũtur: Sed in comparatione veræ lucis, omnia cœli luminaria sic futura prophetantur, ac si tenebrosa: Et cum gloria claritatis Iesu effulserit, nemo se aliquid esse putauit: eo quod tũc nemo aliud cogitare poterit, nec respicere, quam eum, qui tunc solus glorioſus apparebit.* Sic gloria Iesu suos afficit, vt nil ab illis desinat aliud æstimari, cogitari.

Tilmàm.

Matt. 24

Paschas.

§. V.

Diuinitatis præsentia nil prius, quam reuerentiã extorquet.

CVrrens Abrahamus ad peregrinos, *adorauit in terra, & dixit: Domine, si inueni gratiam, &c.* Et vnde nobilis vir sic afficitur ad conspectum peregrinorum, vt humi procumbat, & adoret, Dominumque vocet? Quis pauper ad tantum reuerentiæ extremum traxit potentem Dominum, & ditissimum hominem? Erat equidem in ijs tribus Dominus, cuius præsentia etiam ab ignorantibus reuerentiã extorquet. Ioan. 20. *Magdalena vidit duos angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum erat corpus Iesu. Dicũt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio, vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat. quia Iesus esset. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei, Domine, si tu sustulisti eũ, &c.* Expende; vt Angelos videns fœmina non vocat eos Dominos, & hortulanum videns statim vocat eũ Dominum aiens, *Domine, si tu sustulisti eũ.* Et cur quæ nullum reuerentiæ nomen angelis exhibet, sic afficitur ad hortulanum; vt statim illum reverita vocet Dominum? Erat in hortulano Dominus, qui minimè suos patitur errare in reuerentiæ modo; sed vel ab ignorãtibus reuerentiam extorquet. Quo spectans Orig. in præsenti dicebat de Magdalena. *O quam scienter nescit, & quam docte errat.* Qui videbatur error, in eo quod vocaretur hortulanus Dominus, doctrina erat, & sapientia, quæ diuinæ præsentiæ reuerentiã exhibebat, & honorem. In re enim diuinæ reuerentiæ, non errant Dei serui, etiam dum ignorant. Adeo, vt vel inde possis agnoscere, si illis adsit Dominus. Cum in sepulchro vidit Magdalena illos duos Angelos Ioan. 20. ab eis de lachrymarum causa interrogata respondit. *Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset conuersa est retrorsum, &c.* Et cur relictis angelis Maria conuertitur retrorsum? Vidit angelos repente in magnam reuerentiam conuersos, & suspicata inde præsentiam Domini, conuertitur ipsa, vt ipsum videre posset. Ait Euthymius ibi: *Quia subito apparente Christo post eum, angeli viso Domino suo, statim surrexerunt cum tremore, more seruorum in eum intuentes. Conuersa est ergo, vt videret, &c.* In angelica reuerentia, qua assurrexerunt, qua demisse se inclinarunt, clarissime radiauit præsentia Domini. Et quidem in eo clare videbis, si Dominus presens sit, si adsit alicui, nimirũ si ipse cũ reuerentia intima, & tremore adstat, diuinum reueritus nomen. Qui enim in templis irreuerenter agunt, hi nec sciunt Dominum; nec vident illum, nec agnoscunt; cum in suis fere nil prius quam reuerentiam diuina præsentia extorqueat. Matth. 28. dictum fuerat ab Angelis, mulieribus introeuntibus sepulchrum Domini: *Nolite timere vos;* & statim subdit Euangelista de illis: *Exeuntes cito de monumento cum timore, & gaudio magno, &c.* Iubebat Angelus, ne timerent, illæ nihilominus cum timore egrediuntur. Cur non magis dimittunt timorem? Ait Chrysol. ser. 80. *Et vbi est, nolite timere? Quia timor non ablatus est, sed mutatus: timor abscesserat de reactu, sed de seruitio manebat: malus timor culpæ, bonus reuerentiæ timor.* Non patitur Deus à suis seruis abscedere timorem seruitij, timorem videlicet, qui pertinet ad reuerentiam.

Ioan. 20.

Euthym.

Matt. 28.

Chrysol.

§. VI.

§. VI.

Eucharistiæ panis efficacissimus est ad animos expiscandos.

VT traheret Abrahamus in tabernaculum suum peregrinos, ait illis: *Ponam buccellam panis, & confortetur cor vestrum.* Quam aliter intuitabat ille pater familias Matth. 12. *Ecce prandium meum parani, tauri mei, & altilia occisa, & omnia parata, venite ad nuptias.* Hic proponit venturis & saginatos vitulos, & altilia occisa; ille solam buccellam panis. Et cur Abrahamus nihil de vitulo, nihil de alijs dicit, sed solius panis memoriam facit; cum è contra pater familiàs panem non meminerit, sed altilia, sed tauros? Odorabatur iam Abrahamus efficaciam Eucharistici panis, qui validissimus omnium est ad animos hominum expiscandos. Hinc Dominus Matth. 4. vocans Apostolos ait: *Venite post me faciã vos fieri piscatores hominum.* Cur piscatores? Meditabatur iam Dominus sui corporis panem, quo Verbi diuini hamus obuolutus inescatum mundum ad Euangelium trahe- ret. Aiebat D. Chrysolog. serm. 28. *Venite, inquit, & faciam vos fieri piscatores hominum; vt vitalis esca iactu, vt hamo cœlestis Verbi de mortis gurgite animas ad lucem tollerent sempiternam.* Quid pulchrius? Vbi hamus diuini Verbi paratur, qui capiat homines, illi apponitur Eucharistiæ diuinæ esca vitalis, & de huius cibi efficacia, ingens hominum multitudo in vitam trahitur. Quò respiciēs Oseas c. 11. ait: *Ego quasi nutritius Ephraim portabã eos in brachijs meis, & nescierunt, quod curarem eos. In funiculis Adam trahã eos, in vinculis charitatis.* Communiter expositores putant, quod hoc posterius, *in vinculis charitatis*, est interpretatio præcedentis, *in funiculis Adam.* Et qui erat Adami funiculus, vnde tot vincula nascebantur ad homines trahendos? Russinus ibi Adami funiculos, siue hæreditatem paradisum intelligit, plenum spontaneis epulis, quæ à ligno vitæ, & à cæteris arboribus proueniebant. In quibus, vt notat Delrius in Adagialibus facile intelligas corpus, & sanguinem Dominicum rectè vocati funiculos Adam; vt vnde existunt spontaneæ, & largissimæ epulæ, quibus cœlestis Adamus mundum inescat; & arctissimis vinculis ad se trahit vniuersos. Sic Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immoluit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, &c.* Ecce tibi prius mensam posuit, & dein misit ancillas, quæ vocarent ad arcem. Quid mensa cum vocatione ad arcem? Hugo Card. *Proposuit mensam suam in Sacramento altaris.* Et meritò verbo diuino per ancillas, per Apostolos annuntiando mensam Eucharisticam addidit, vt escã hamo, qua vniuersum mundum ad Ecclesiæ arcem traheret, ibique alligaret. Et quis tãta esca obuoluto hamo resistere poterit ex his, qui immersi sunt in vastissimo mundi mari? Ait Iob cap. 4. *An extrahere poteris Leuiatham hamo, & fune ligabis linguam eius?* Græci pro Leuiatham ponunt *Draconem*; & insuperabilis difficultas videbatur, quod immersi aquis pisces, nimirũ indomiti homines venirent ad Christi hamum. Quid tunc? Posita fuit in hamo esca carnis Christi, & omnes, feralissimos quosque potuit capere. Ait Olympiod. in Cat. Græca. *Nũ igitur, ò Iobe, effeceris ipse, quod Vnigenitus postea effecit? Is enim carnẽ suã, quasi quandam escã obiecta, cluuis suis quasi hamis piscem cæptauit.* Non equidem Iob, non alius quisque, sed vnigenitus Patris inuenit escam, qua obuoluere hamum, vt tenebrosos, & efferos homines caperet. Erant illi præ manibus claui ferrei, quibus hami fabricabãtur, sed quid faceret solus hamus? Adiecit & escam suæ carnis, qua obuoluti hami, vniuersos inescant, & capiunt. Namque Genes. 27. ait Isaac filio: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus.* Expende, vt primum offerat abundantiam frumenti, & vini, deinde populorum, gentiumque subiectionem. Vbi enim panis adest diuinus, iam est, quo vniuersi capiuntur. Vt dicat D. Augustin. lib. 16. de Ciuit. cap. 37. *Eius est benedictio de rore cœli, hoc est, de verborum pluuia diuinorum, & de vbertate terræ, hoc est, de congregatione populorum, cuius est multitudo frumenti, & vini, hoc est, multitudo, quam colligit frumentum, & vinum in Sacramento corporis, & sanguinis eius.* Expende illud, *quam colligit frumentũ, & vinum, &c.* Efficacissimus enim est panis cœlestis ad colligẽdos vniuersos. Psal. 118. *A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt.* Augustin. lib. 12. contra Faust. *Videmus honorem Christi erogatione frumenti sui sibi omnia subingantis.* Sic ibi.

Matt. 12

D. Chrys.

Matth. 4.

Osea 11.

Prou. 9.

Hug. Car.

Iob 41.

Olymp.

Gen. 27.

Augustin.

Psal. 118.

Augustin.

Genes. 18. Qui dixerunt, Fac, vt locutus es. Festinauit Abraham

in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes. Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui festinauit, & coxit illum. Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis. Ipse vero stabat iuxta eos sub arbore.

§. VII.

In bonorum operum communionem trahendi chariores.

NOn Agari, sed Saræ mandat Abrahamus opus hospitalitatis, dicit namque textus: *Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei, Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes, &c.* Id munus magis pertinebat ad ancillas, quã ad dominam: magis ad Agar, quam ad Saram. Cur igitur Abrahamus relicta ancilla coniugi dilectissimæ id mandat: Res illa vt virtutis erat, & hospitalitatis, sic bonus chariorẽ sibi vxorem in opus traxit. Ait D. Chrysostom. ibi: *Quoniam sciebat boni operis magnitudinem, volebat vitæ suæ sociam esse retribuendarum mercedum participem.* Quam à pueritia sociam habuerat, noluit, quod maneret sine fructu virtutis, sed vt sociam vitæ habuit, sic bonorũ operum voluit esse participem. Vtinam omnes hanc ebiberimus affectionem erga socios, & amicos, vt quidquid virtutis arripuerimus, illud faciamus eis esse commune. Ioann. 20. Magdalena vt vidit Christi Domini sepulchrum apertum: *Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Iesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento.* Verum post pauca, post Angelos visos, cum Angelis suarum lachrymarũ causas aperire cœpit, ait: *Tulerunt Dominum meum, & nescio, vbi posuerunt eum.* Locuta cum Angelis dicit, *Dominum meum*; locuta cum Apostolis solum dicit: *Tulerunt Dominum*, & non addidit *meum*. Et cur, quæ apud Angelos dicebat, tulerunt Dominum meũ, apud Apostolos solum dicebat; tulerunt Dominum? Apostolis, vt vitæ suæ socijs, maluit communem proponere Dominũ, non sibi proprium, vt sic illos etiam traheret ad cõmunes quærendi Dominum labores. Ait Galfridus in Allegorijs Tilmamni ad eum locum. *Saluè ad Apostolos dixerat: Tulerunt Dominum, cum quibus optabat habere cõmunem non modo eius dominationem, sed laborem quærendi, & de ipsa inueniẽdi eius difficultate mœrorem. Nunc vero regressis illis à monumento, quid illi restat, quæ sola remansit, nisi vt dicat, Tulerunt Dominum meum?* Dum sola ipsa est, vni sibi & Deum, & res virtutis appropriat; at dum socios viæ, & vitæ habebat Apostolos, nihil virtutis aggreditur, quod nõ amet esse commune omnibus. Commune proponit illis damnum, communem dominum, vt trahat illos in quærendi Deum, & lugendi damnum labores. Sic in rem virtutis amat trahere vitæ suæ socios. Hoc enim præstantis virtutis est, quod illius omnes tuos participes esse velis. Luc. 1. vbi nascitur Ioannes, parentes implentur spiritu prophetico, ait enim: *Et Zacharias pater eius repletus Spiritu sancto prophetauit dicens, &c.* Quò spectans Guarricus Abbas serm. 1. de Ioann. natiu. ait: *Qui enim propheta, & plusquam propheta futurus erat; imò antea prophetare, quam profari; prius Deum, quam seipsum sentire cœperat, parentes quoque suos prophetas faciebat: & in eos, qui in se transfuderant carnis substantiam, spiritus sui, & gratiæ superabundantiam refundebat.* Non equidem patiebatur bonus in re virtutis solus esse, sed in similes virtutis partus charissimos sibi parentes trahebat.

§. VIII.

A magna virtute venit, quod virtutes abscondas.

SAræ mandauit Abrahamus facere subcineritios panes; puero mandat vitulum coquere: quibus peractis, ait: *Tulit quoq; butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis, &c.* De panibus nihil dicit: vt mandauit vitulum coqui, sic mãdauit fieri panes: cur ergo vt dicitur apposuisse vitulũ, non dicitur apposuisse panes? Sic sanctus vir reliquit Saræ curã de panibus apponendis, quasi in eo ipse nihil haberet: quod ad maximam eius virtutem appono, quod tantã beneficentiæ partem sic permisit vxori, quasi ipse alienus ab illa videri posset. Hinc extollit patris sui virtutes Nazianzen. orat. 19. inquiens: *Vxori totas largitionis habenas ille permiserat. Quæ res, mea quidem sententia, omni exemplo præstantior, ac sublimior est. Nam animi quidem in pecunijs dandis magnitudinem apud alios quoque facile reperire est: at qui gloriam*

ex ea

ex ea re collectam alteri cesserit, haud ita facile reperiemus. Per multi siquidem ad sumptus prompto animo faciendos sola honoris cupiditate ducũtur. Vbi autem largitio arbitris caret, ibi quoque largitio langueſcit, & obtunditur. Hæc est sane, & perfectissima, & sublimissima virtus, quod sic facias virtutes, vt non videaris in illis. Sic Abrahamus, sic Nazianzeni pater, licet suo nutu darẽtur omnia, quæ ab vxoribus dabantur, & omnia ipsi mãdarint, & diffinierint, tamẽ sic rem illis permittebant, vt ipsi minimè viderentur in beneficentia illa: Quod maximę in illis sublimitatis, & perfectionis erat indicium. Huc veniant, qui virtuti student, & discant vel ab oculis suis abscondere proprias virtutes. Quod monebat Dominus Matth. 6. *Te autem faciente eleemosinam neſciat ſiniſtra tua, quæ facit dextera tua.* Id quod adeo obseruarunt omnes, qui ad regna cœlorum ascendunt. Matth. 6. Matt. 25 quando prædicari se videant, quod pauerint Christum Matth. 25. stupentes respondeant: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus?* Ecce tibi audiunt de se dici à Deo, quod pauerint illum, & quærunt de tempore, quando tale præ se tulerint. Sed cur id quærunt à veracissimo iudice? Sic curauerant semper remouere, vel ab oculis proprijs, quas faciebant virtutes, vt etiam quando retributionem illarum percipiunt, ignorent illas, & sibi asconditas, & ignotas dicant. Paul. Or. Pulchrè Paul. Orosius in Apolog. liberi arbitr. ait: *Iuſti in illa die iudicis, operũ ſuarum glorias audientes, adhuc tamen velut ignorantes interrogabunt, Domine quãdo te vidimus, & hæc fecimus tibi.* Expende illud, *Adhuc velut ignorantes, &c.* In ipsa præmij perceptione se quasi extraneos, & alienos à proprijs agẽt virtutibus, illasque ab oculis suis ostendent remotissimas. Proh ingẽtem iustorum virtutem, fallar nisi inde validissimos hostium impetus retundant! Matth. 6. Matth. 6. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris, &c.* Circa quæ D. Chryſ. hom. 10. ex variis in Matth. ait: D. Chryſ. *Si fieri poteſt opus religioſæ ieiunij, & ipſius corporis, animique afflictionem vultus hilaritate velemus.* Ieiunauit Iudith domi, in lugubri veste sedit; vbi autem ad bellum processit cap. 10. Iudith 10. *Lauit corpus ſuũ, & vnxit ſe myrto optimo, impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis, &c.* Similiter post luctum, & ieiunium trium dierum Æsther cap. 5. Æſther 5. *Indutã eſt regalibus veſtimentis, &c.* Quid tunc? Cũ his operiunt afflictionis luctum, glorioſos reportant de hostibus triumphos. Chryſoſt. supra: *Sanctiſſima Iudith, cũ magno mœrore pro populo eſſet afflicta poſt ſolemnitatem triduani ieiunij capite vncto, & lota facie, ita interna afflictionis triſtitiam texit, vt ſimulato gaudio lætari hoſtibus videretur; ac ſic dum lætitia vultus ieiunium texit, de hoſte triumphum victoriæ reportauit.* D. Chryſ. Expende illud: *Sanctiſſima Iudith, &c.* De culmine enim sanctitatis venit, quod scias operire virtutes, vt de hostibus triumphes. Similiter, & de Æsther ait Chrysost. supra: *Eſther ſanctiſſima, dum lota facie, & capite vncto poſt triduanum ieiunium intelligi à rege non potuit, Amam illum populi ſui inimicum iniquiſſimum interemit.* Idem. Itaque in eo non paruum pondus sanctitatis ponit, & virtutis, qua hostes deuincas, si scias ita dissimulare virtutes, vt minimè videaris in illis; sed maiora sint, quæ in intimis latent, quam quæ de foris videntur. De Stephano dicitur ca. 7. Actorum, *Cum eſſet plenus Spiritu Sancto.* Actor. 7. At vbi sistitur tribunali Pharisæorum, ait textus c. 6. *Viderunt faciem eius, quaſi faciem Angeli.* Circa quæ S. Hilar. Arel. etat. ser. de eo ait: Hil. Arel. *Habens intra ſe Spiritum Sanctum os præſegestat Angelicum.* Sic nitebatur intrinsecus plenitudinem diuini Spiritus continere; vt qui intrinsecus erat Spiritus Sanctus, extrinsecus Angelus appareret. Sic parabatur, qui inimicos prosterneret.

§. IX.

A Dei ſpiritu aliena conuiuiorum cupedia. Vbi de Bachanalibus.

NIhil in hoc conuiuio apparet, quod ad frugalitatem vitæ non pertineat, vt notat Lyppoman. dicit enim: *Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & poſuit coram eis, &c.* Lyppom. Simplicia hæc ponuntur, azimus panis, lac, butyrũ, cato vitulina cocta: nulla pretiosi condimenti mentio, nulla exquisiti obsonij memoria. Et meritò; ad Dei enim Angelorum ve hospitum mensam sola simplicia, & frugalia hæc pertinebant, quæ naturæ satis facerent, voluptatum irritamenta nõ essent. De Noe post diluuium, dicit Gen. 9. *Cœpit Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam.* Gen. 9. Cur non magis frumenti messem fecit? Cur non magis alebat armenta? Cur relictis illis necessarijs ad vinearum plantationem se contulit, in quibus voluptas est, non necesitas? Vt iam inde ostenderes

deretur, quæ ad Deum, quæ ad hominem pertinerent inuenta; ad Deum frugalia omnia, & vitæ satisfaciētia; ad hominem voluptuaria, quæ appetitus, vrgerent. Ait D. Amb. lib. de Noe cap. 29. *Necessarij fructus sunt tritici, & hordei, sine quibus non possumus viuere: vinum autem voluptarium, & causa delectationis datum. Quod quia iustus est, ideo magis sibi hoc quod secundum erat, quā quod primum est vendicauit. Necessaria enim alimenta viuendi Deo detulit, quod erat. Superfluum autem vinum hominibus, & non necessarium.* Ostendebat iustus, quæ Dei essent, & quæ hominum; pro Deo erant necessaria, & frugalia vitæ alimenta; pro hominibus superflua, & quæ voluptuaria sunt, vt quæ appetitus excitent. Vnde non miror, quod hæc voluptuaria ciborum Deum sibi aduersarium teneant. Num. 11. clamabant murmuratores illi: *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniūt cucumeres, & pepones, porrique, & cepæ, & alia, &c.* Hæc illi, quibus Deus multitudinem immisit coturnicum, sed vt Psal. ait; *adhuc esca erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super illos.* Et cur tanta Dei ira super illos? Nefas ne adeò magnum erat desiderare pepones, & cucumeres, cepas, & alia? Vnde horum desiderium peperit ruinā tantam? Pulchrè Theodoret. in cat. Græca citatus ait: *Quod autem necessarium fuerit de impijs supplicium sumere, quæ secuntur, aperte declarant. Non enim prius cessauit incendium, & illi Ægypti memoriam repetunt, in his etiam, quæ appetitum potius proritent, quam naturæ satisfaciant.* Cupiebant miseri non frugalia, sed appetitum incitantia alimenta; non quæ Deus naturæ necessaria designauerat; sed quæ homines quæsierant, vt appetitus proritarent, vt incenderent cupiditates. Ne miremur, quod in his Deum aduersarium experiantur. De eius enim halitu venit, quod à cōuiuiorū cupedijs abstineamus. Psal. 128. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Proponit nobis, qualis sit vxor agni, nimirum Ecclesia Christi, quæ filios Deo regenerat. Sed quos filios? Qui sint *in circuitu mensæ*; in circuitu, nimirum, mensæ, quæ viuificum porrigat panem; nō quæ carnis ostendat cupedias. Ait D. Zeno ibi: *Ex hac igitur filij, qui erunt, tanquam nouellæ oliuarū in circuitu mensæ nostræ erunt, non in conuiuijs. Mensa enim Domini est, &c.* Itaque quos filios nouit Dominus in sua Ecclesia, sint in circuitu mēsæ Dominicę, non in conuiuijs, non in baccanalibus, nisi velint perire. Num. 25. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab*; & inde in perditionem venit vltimam. Et quod initium tanti mali? Ait Theodor. in cat. Græca: *Subornauit itaq; rex formosas virgines, quæ ad Baccanalia iuuenes Hebræorum inuitantes à Deo vero ad impietatem traducerent*: Expende illud: *Ad Baccanalia inuitantes*: Inde enim ex Baccanalibus conuiuijs orta est perditio.

D. Amb. Num. 11. Theod. Zeno Num. 25 Theod.

§. X.

Id præstantissimum in Principe, quod sic se principem in operibus ostendat, vt & subditis aquetur.

OCciso vitulo non [illegible] conuiuiū adornat Abrahamus hospitibus; quibus tamen interea adstat, quasi vnus è seruis: Quippe ait: *Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis. Ipse vero stabat iuxta eos, &c.* Chrysost. ait: *Adstitit igitur Patriarcha, quasi famulus.* Lyppoman. *Assistebat, imò ministrabat comedentibus.* In præstando conuiuio dominum beneficentissimum agebat; sed quod maius est, in regali illa beneficentia, quasi vnum è seruis segerebat. O quam sublime hoc est in principe si inter regales etiā beneficentias, meminerit se conseruum. Inde suum Trajanum extollebat Plinius in Paneg. aiens: *Non enim de tyranno, sed de cive, non de Domino, sed de parente loquimur. Vnū ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod vnum ex nobis putat, nec minus hominem se, quam hominibus præesse meminit.* Expende Principis excellētiam, qua quis magis eminet; nimirum, quod vel inter dominatus decora, inter regię magnificentiæ exhibitionem, & se vnum meminerit è cōseruis. Paul. ad Philipp. 2. *Hoc sentite in vobis, quod in Christo Iesu, qui cū in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualē Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, &c.* Vere rex regum Dominus in ipsa diuinæ beneficentiæ exhibitione, & formam, & habitum præferebat conserui. Vt pulchrè dicat Theodotus hom. 1. de Nat. apud tom. 6. Concilij Ephesini: *Vt cōseruus videbatur, vt Dominus beneficia impertiebatur. Seruilem formam præferebat, & gratiam diuinam, vt Dominus subministrabat.* Et simul, & Dominum, & seruum agebat; quis ma-

Chrysost. Lyppom. Plin. 2. ad Phil. Theod.

gis regalis, quam Iesus in beneficijs elargiendis, in gratijs submini-strandis? Sed in terra dum magna præstat vt Dominus, & ad minima se deijcit vt seruus. Nec detrectat seruilem formam, etiam dum ditissimum suum principatum in donis manifestat. Aiebat Luc. 12. *Beati serui illi, quos cũ venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Ecce tibi summus Dominus in regno suo, vt discumbere facit famulos, illisque magnificũ parat conuiuium. Nonne hoc sufficisset, vt summi regis, summi Principis præstantia ostenderetur? Quid aliud requirendũ in Principe, quã quod suos cibet, quod suos satiet, & ditet? At diuinissimus Princeps etiã addere maluit, quod *ministrabit illis*. Est enim diuinissimi Principis in summa exhibitione regalis magnificentiæ, & faciem & habitum præseferre conseruis. Adhæc ait D. Chrysol. ser. 24. *Præcinget se Deus, & faciet seruos discũbere, & trãsiens ministrabit illis. Discumbenti homini Deus adstat, & adstat in cœlestibus: epulanti seruo seruit Dominus, & seruit accinctus; pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus; & facit in patris gloria constitutus. Faciet, & ille trausitus suos, quia transiens ministrabit illis: de dominatione ad fidelium suorum pia transiet, & migrabit obsequia.* O diuinissimi regis magnitudo; quæ vel in ostensione ditissimi regni, vbi omnia facit abundare seruis; adhuc se vnum agnoscit è seruis, & simul coniungit magnificentiam Principis, & formam seruitutis. Discant hinc Principes mundi veram maiestatis altitudinẽ in eo sitam, quod sciãt non dedectare formam seruilem, etiã dum ostentãt gloriam magnificentiæ suæ. Psalm. 95: *Annuntiate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.* Et quæ gloria, & quæ mirabilia hæc in Iesu fuerũt? Sanè hæc erat summa gloria eius, quod cũ maiestate Dei formas serui coniungebat. Vt dicat D. Aug. ser. 12. de Nat. *Annuntiemus in gentibus gloriam eius, in omnibus pŏpulis mirabilia eius. In præsepi iacet, sed mundum continet. Vbera sugit, sed Angelos pascit. Pannis inuoluitur, sed immortalitate nos vestit. Lactatur, sed adoratur.* Hoc mirabile est, hoc glorioſum est etiam Deo; quod sic in deitatis maiestate splendeat, vt nihil remittat eorum, quę ad formam serui pertinent.

Luc. 12.

Chrysol.

Psal. 95.

Augusti.

§. XI.

Ad crucis Domini conspectum mundialia decora vilescunt.

HOspitibus vescẽtibus sub arbore adstat Abrahamus vt seruus; ait enim textus: *Ipse vero stabat iuxta eos sub arbore.* Quid est sub arbore? Eucherius, & Origines referunt ad crucis mysterium. Ne miremur, quod Abrahamus sub crucis imagine Dominum se esse nesciat, & faciat conseruum. Qui dominatus, quæ dignitas, qui splendor mundialis non eũanet ad crucifixi cõspectum? Principes monebat Theophilact. otat. de Adorat. Crucis hãbita tom. 2: Grethseri: *Reges, accede ad sceptrum Christi. Agnoscite seruum esse pretio magno emptum. Agnosce Dominum, tibi subiectos, vt conseruos tracta. Vno enim sanguine empti sumus. Considera honoratissimum regalis dignitatis habitum tempore crucis illusum; coronamque gemmis distinctã, spinis, & curis exasperatam, potensque tuum sceptrum, & omnem speciem, esse fragilem, & inanem arundinem; purpuram alienum esse bonum è sanguine manans, eam enim milites tibi circundant. Genuflexiones, quibus adoraris, & acclamationes æstimabis quasque fictitias, & ab illis, qui caput tuum non modo verberarent; sed amputarent. Hæc documenta discas, cum crucem adoras.* Equidem nullum regale decus in Christo nõ apparuit ludicrum, & inane, & abijciendum tempore crucis; & purpura, & sceptrum, & corona, qualia sint in se Christus Dominus ostendit tunc temporis. Ne quis ad crucis conspectum possit non se Dominum obliuisci; & habere seruum. Quo aspiciens Paul. ad Heb. 12. ait: *Ideoque, & nos tãtam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum per patientiam curramus propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Vbi ipse Iesus crucem sustinẽdam vidit, statim præ illa contempsit vniuersa mundi gaudia, & regnum, & dominatus. Ait enim D. Ansel. ibi: *Proposito sibi a turbis gaudio, dum vellent eum facere regem, noluit ille gaudium huiusmodi suscipere, sed postquam sustinuit crucem, & illusiones, & opprobria. Omnia enim terrena bona contempsit, vt in illis non quæreretur fœlicitas.* Traducebat Iesus in cruce principatus, & potestates mundiales; & despiciens regna, seruorum

Theoph.

Ad Heb. 12.

Anselm.

rũ verbera amplexabatur, vt iam nos inde decor a etiam mundi contemnamus, prę seruitute Christiana. Vt dicat D. Athan. orat. de Incarnat. *Signo autem Crucis Idola vniuersa deserta relinquuntur, omnis irrationalis voluptas conquiescit, quilibet è terra ad cœlos suspicit.* Vbi viuificæ crucis lignum affulget, vniuersa mundi Idola, & mundiales deliciæ, ob tenebrescunt, & facile reijciuntur. Isaias cap. 33. de viris fidelibus ait: *Regem in decore suo videbunt oculi eius; cernent terrã de longe.* In quo decore? In decore, & pulchritudine passionis, & crucis. Quem insinuabat Psal. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est.* Equidem dum à ligno regnat, maximus est decor eius. Vbi ergo videant homines in decore Crucis Deum, statim cernent terram de lõge; terrena omnia lõgissime facta despicient. D. Bern. ser. 4. in Ascens. *Sequere ascendentem in Crucem, vt non solum super te, sed & super omnem mundum mentis fastigio colloceris, vniuersa, quæ in terris sunt, deorsum aspiciens, & despiciens, sicut scriptum est: Cernent terra de longe.* Fugiũt sanè omnia terrena bona ad crucis aspectum. Vbi Iesus expirauit in cruce, Matt. 27. *Terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Quò respiciens Amphilochius ser. in Sabb. Sancto ait: *Heri terra commota, vel lut de fuga consilium iniit.* Vbi mysteria crucis cœperunt, fugæ se dedunt terrena omnia decora, iam de longe videnda, & despicienda ab hominibus.

Athan. Isai. 33. Psal. 92. D. Bern. Matt. 27 Amph.

§. XII.

Crux Christi humanæ virtutis fulcrum.

NOn accumbit hospitibus Abrahamus, sed adstat, sic enim textus: *Ipse vero stabat iuxta eos sub arbore.* De arboris enim beneficio veniebat, quod senex staret, nec deficeret. Crede mihi, ille stare potest, qui præ oculis habet arborem viuificæ crucis. Ipse Abrahamus sacrificaturus filium, vbi peruenit ad locum sacrificij, ante quam montis ascenderet cacumẽ, ait seruis suis Gen. 22. *Expectate hic cũ asino; ego autem, & puer illuc vsque properantes, &c.* Septuag. legit: *Sedete hic cũ asino, &c.* Et cur expresse iubentur sedere? Quid si stare vellent? Non immerito sedere iubentur, sed quia vt non admittebantur, vt mysterium crucis in Isaac figurandum viderent, sic fieri non poterat, quod starent, & non deficerent. Ait D. Augustin. serm. 71. de Tempore: *Sedete hic cum asina. Num asinam illam sedere fecit? Sedete cum asina, dicitur, quia Iudæorũ populus, qui in Christum credituras non erat, stare non poterat; sed vt debilis, languidusque, qui baculum crucis despexerat, in terram casurus erat.* Non stat, sed cadit, qui baculum crucis despicit, qui autem ad crucem Dominicam respicit, Is stare potest, nec est cur casum metuat. Ioan. 19. *Stabant autem iuxta crucem Iesu Maria mater eius, & soror mater eius, &c.* Quando omnes fugerant discipuli, fœminę constantes stabant, sed vnde starẽt fœminæ nisi de crucis vicinitate? Sic id in crucifixi mysteriũ referens Chrysost. ait: *Imbecillior sexus tũc fortior apparuit, ita omnia reformauit.* Ita, inquam, crucifixus Dominus ob oculos positus omnia reformabat, vt faceret imperterritas, & constantes stare fœminas. Similiter Ioan. 20. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Miror, quod luctus mœrore confecta non magis deijceretur. Sed vt locum sepulchri, quò crucifixus Dominus conditus fuerat, attente inspiciebat, sic inde confirmabatur, vt staret imperterrita. Ait S. Laurentius Iustinian. lib. de Triumph. Christi agone cap. 24. *Stabat, inquit Euangelista, Maria ad monumentum foris plorans. Sibi ipsi nempe indixerat, nusquam diuertere, donec quem diligebat, vbi positus fuerat, reperiret. Propterea stabat forti animo, spe viua, dilectione vulnerata, mœrore eboria, intentione inflexibili foris plorans.* Ex quo decreuerat à monumẽto nõ recedere, ibique crucifixum quærere, nihil ad casum pertimens timebat, sed forti, & constanti animo, inflexibilique intentione stans perseuerat. Est equidem crucifixi vel vmbra firmissimum fulcimentum fidelium, ne in casus decidãt. Exod. ca. 12. cauebat lex circa agni esum; *Sic autem comedetis illum, Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus; tenẽtes baculos in manibus, &c.* Quid est tenentes baculos? Ait Nazianzen. orat. 2. in Pasch. *Hic lex fulcientem baculum tibi præscribit, nec vbi animo titubes, dum sanguinem Dei, & passionem audis ac mortem, ac dũ Dei patronus atque defensor vis videri, impie corruas.* Ecce dum passioni, mortique saluatoris adstas, lex tibi baculum præscribit, & quid facit legalis iste baculus? Ne impie corruas, dum Dei patronus, ac defensor vis videri. Huc impingebat Petrus Matth. 16. quando audiens Iesum crucifigendum dicebat: *Absit â te Domine, non erit tibi hoc;* quasi enim Christi maiestatis patronus, & defensor, ab illo mortem crucis depellebat,

Gene. 22. Septuag. Augus. Chryse. Ioann. 19. Ioann. 20. Laur. Ius. Exod. 12. Nazian. Matt. 16.

bat. Sed vt in reiectione crucis caſus certiſsimus erat; ſic in cruce Dominica complectenda baculus erat, quo mirifice ſuſtententur fideles.

Gen. 18. Cumque comediſſent, dixerunt ad eum: Vbi eſt Sara vxor tua? Ille reſpondit: Ecce in tabernaculo eſt. Cui dixit, Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi. Erant autem ambo ſenes prouectæque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria. Quæ riſit occulte dicens, Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus es, voluptati operam dabo?

§. XIII.

Intra ipſas res eleemoſinæ præmium proſilit largitori pro futurum.

NOndum ablata mẽſa, in conuiuij fine hoſpites quærunt ab Abrahamo, vbi Sara ſit? Sic enim dicit: *Cumque comediſſent, dixerũt ad eum, Vbi eſt Sara vxor tua?* Qui extranei erant, & prorſus ignoti, nominatim de Sara interrogant, quam nominare vnquam credebantur audiuiſſe. Solent externi homines ab hoſpitibus ſuis prius rogare nomina filiorum, vxoris, cognatorum, & inde de illis nominatim inquirere. At iſte non Abrahamo, nec ab alio nomen Saræ diſcunt, ſed ipſi in medium proferunt nomen, tãquam ſibi notiſsimũ. Et cur non prius diſsimulant id diſcere à marito? Cur maluerunt ipſi prius Sarã nominare, de qua nihil audiuerant? In manifeſtatione ignoti nominis ſeſe iam volebãt reuelare viro, & ſui reuelationis beneficio honorare hoſpitem ſuũ, antequam diſcedant à conuiuio. Proh eleemoſinæ virtus, intra ipſas eleemoſinæ res præmiũ trahit, quo largitorem muneret! Ait in præſenti Chryſoſt. Chryſoſt. *Poſtquam largiter, & magna hilaritate ſeminauit hoſpitalitatem, ſtatim manipulos vberrimos meſſuit. Nam vbi ea, quæ ex ſe erãt impleuit, declarataque fuit virtus iuſti. Vt poſtea diſcas, quantorum, & qualium bonorũ can-*

ſa fuerit iuſto hoſpitalitas, manifeſtat ſe, qui aſſuit, & paulatim iuſtum ſua magnitudinem potentiæ docet. Quia dixit ei: Vbi eſt Sara vxor tua? Statim per interrogationem indicauit ei, quod non eſſet ex vulgaribus aliquis, quandoquidem, & mulieris illius nomen ſciuit. Ecce tibi, vt in ipſo conuiuio peregrinis exhibitopræmium inuenit Abrahamus; noſcens ex interrogatione illorum de Sara, inter illos eſſe virtutem aliquam ſupernam, & diuinam, cui pateant vniuerſa abſcondita, & abſtruſa. Non multum differtur præmiũ eleemoſinæ exhibitæ; ſed intra illius res, & metitur, & conſpicitur. Similiter Luc. 24. Ieſus putatus peregrinus iter agebat cum duobus diſcipulis verſus Emaus, quẽ adueſperaſcente die coegerunt ſecum manere in hoſpitio. Manſit ille, menſam apponunt, panem porrigunt; accipit ille, & frangit, & *cognouerunt eum in fractione panis.* Cur in fractione panis ſeſe voluit illis Deus manifeſtare? Vt in ipſa eleemoſinæ re præmium homines miſericordes acciperent. Ait D. Laurent. Iuſtinianus lib. de Triũphali Chriſti agone cap. 25. inquiẽs: *In panis fractione potius, quam in prædicatione agnoſcere meruerunt, quatenus ſicut egeni miſerti ſunt, ita miſericordiam reperirent.* Itaque quia egeni miſerti, & panem porrexerunt; ideo in pane, & miſericordiam, & præmium reperire meruerunt, quia Ieſum cognouerunt. Credẽ mihi, è rẽ miſericordiæ proſilit miſerentis præmium. Sareptana vidua dicebat 3. Reg. 17. *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quãtum pugillus capere poteſt farinæ, & parum olei in lecytho.* Quid tunc? De hoc dedit Eliæ, & comedit Elias, & comedit ipſa cũ familia, & hydria farinæ non defecit, nec lecythus olei imminutus apparet; licet enim hæc vaſa vacuarẽtur ſæpe, vbi in manus viduę veniebant, ſtatim, & farinã, & oleũ fundebant. Quo ſpectãs Euchetius ibi ait: *Facta eſt igitur manus vidua perenne torcular, & mola ingiter fundens.* Ecce tibi non aliunde, ſed ab ipſa manu porrecta in egentis cibũ; indefectibiliter panis, & oleũ manabant, quo vidua poſſet ſuſtẽtari. In ipſa enim eleemoſinæ re, illius præmiũ naſcitur. Nota eſt Thabitæ hiſtoria Actor. 9. Fœmina hæc erat multæ miſericordiæ in pauperes, quæ tandẽ cõceſsit fatis; vocatus Petrus adſtat defunctæ, iubet ad vitã redire. Viuit illa ſtatim imperio Apoſtoli, qui accedẽs, *dãs autẽ illi manũ, erexit eã.* Et qui ſolo imperio fecit, vt ad vitam rediret, cur neceſſum fuit eius apprehendere manum, vt à feretro erigeret? Erat illa Thabitæ manus, quæ to-

Luc. 24.

Laur. Inſt.

3. Reg. 17.

Euchet.

Actor. 9.

ties ad pauperum inopiam subleuandam extendebatur, & ideo in illa fructus eleemosinæ contactu Apostolico debuit designari. Ait Arator lib. 2. in Acta.

Arator.

Illa manus meruit Petri contingere dextram,
Pauperibus, quæ larga fuit.

Non in alio, sed in ipsa eleemosinæ re cœpit eleemosinæ fructus capi.

§. XIIII.

Fœminæ nomen vni Deo notum sit.

PRomissurus filium centenario, quærit de vxore eius nomen euulgans dicēs: *Vbi est Sara vxor tua?* Quam non videbat, quam nominare non audierat; nomine proprio vocat. Nec otiose, sed vt in eo Deum ostendat, cui vni debet esse notum nomen nobilis fœminæ. Ait enim D. Chrysost. in præsenti: *Quia pollicebatur ei quæ supra naturam, propter hoc, & replicando nomē Saræ, significauit, quod supra hominem esset.* Itaque in nominanda Sara, nō hominem, sed Deum ostendebat; ea enim erat mulieris probitas, vt vni Deo cognita esse ex nomine videretur. Id quod in vxore Osiridis præstantissimi principis D. Synes. asserebat lib. 1. de Prouid. *Osiridi vero Gynæceum esse aliquando ab hominibus visus filius indicio fuit, quamquam raro admodum puer Horus in conspectum hominum veniret. Vnam enim hanc mulieris virtutem Osiris esse dilitabat, si neque corpus eius atrienſi porta, neque nomen efferretur.* Sic præstantissimus Princeps suam familiam cōponebat, vt illi Gynæceum esse, nimirum vxorium stratum nemo sciret mortalium; & maneret penitus ignoratum, nisi filius Horus sese, licet raro, conspiciendum daret hominibus. Erat enim apud hunc principem sanctum, quod nobilium fœminarum nomen non efferretur extra portam domus. Quo spectans Dominus Exod. 11. iubebat: *Postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea, & aurea, &c.* Iubet, inquam, quod vir postulet ab amico, fœmina autē non ab amica, sed à vicina, quasi nō liceat feminis cognosci ab aliis, quam ab ijs, qui sunt propinquæ ipsius domus. Imò vt ait D. Nazianz. In Parænet. ad Olimpiadē. *Hæc mihi laudatur mulier, quam turba virilis Omnino ignorat.*

D. Chrys. *Arator.* *Exod. 11.* *D. Naz.*

Prorsus equidem debet esse ignota hominibus nobilis, & proba mulier. Hinc dicebat Gen. cap. 7. *Facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Nec otiose positi sunt dies, noctesque diluuij; sed vt exprimerentur etiam sexus diluuio absorti. Per dies enim ostendebantur viri submersi, fœminæ autem per noctes. Et cur fœminæ per noctes? Ait D. Ambr. lib. de Noe cap. 13. *Actu vir clarior publico, fœmina obscurior, tanquam domestica clausa parietibus, & nocti proxima, &c.* Itaque fœmina, & obscurior, & quasi tenebris obnubilata, nulli virorum debet esse nota.

Genes. 7. *Ambr.*

§. XV.

Creaturarū proprium est, quod necessario absint.

ABrahæ hospites creaturas esse nō creatorem in eo manifestant, quod recessum, & accessum proponunt, cum aiunt: *Reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, &c.* Vbi reuersuros se dicunt, & abituros ostendunt, & in ijs non Deū, sed Angelos eius esse se declarant. Sic enim Caiet. ibi: *Cæperunt Angeli manifestare se ipsos.* Equidem, qui adsit, & absit; qui accedat, & recedat, Angelus est, creatura est; cuius absentia toleranda est, vt necessaria. Vnus Deus est, qui semper suis adesse, & potest, & vult; quod creatum est, necessariam secum affert absentiam. Aiebat Dominus Ioan. 14. *Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia pater maior me est.* Ex quibus manifeste conuincuntur hæretici asserentes in Christo nudam Deitatem permanere: nihil naturæ humanæ remansisse in in eo. Quos illa verba conuincunt. *Quia vado ad patrem.* In quo enim datur vicissitudo accedentis, & recedentis implicat, vt sit purus Deus, sed ibi aliquid hominis est. Ait Gelasius PP. lib. de duabus Christi naturis ex Amphilochio: *Maior est enim pater eo, qui vadit ad eum, non eo, qui est in eo. Sicut enim Deus in patre sum, sicut homo vado ad patrem. Illo ergo maior est pater, qui nunc vadit ad eum, non qui est in eo.* Plane eo ipso quod dicit, vado, aut venio, putatur esse aliquid proprium hominis, non Dei: hominis nāque est, & creaturæ cuiusuis non semper adesse, sed necessarios habere recessus. Deus enim solus est, qui semper adesse potest, qui nullā sui necessariam inducat absentiā. Sic dū Ioan. 14. ait: *Vado, & venio ad vos*: ponderat ipse Amphilochius supra apud Gelasium. *Vado, & venio, vtrumq; sicut homo, sicut Deus antē inseparabiliter sum vobiscū.* Habes homo hoc in Deo, quod inseparabiliter tecū posit esse, quod ita tibi adsit, vt semper tibi possit adesse. Minime id in creatura habere potes, cuius

Caietan. *Ioan. 14.* *Amphilo.* *Ioann. 14* *Amphilo.*

neces-

neceſſum eſt, vt patiaris abſentiam. Multum falleris, ſi a creatura expectes, quod tibi ſemper præſens ſit; nulla hoc creatura præſtitit, ſed neque præſtare poteſt, cum id propriũ ſit Dei, à quo ſolo id petere debes. De Magdalena locutus Dominus Luc. 10. ait: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quæ pars erat hæc, quæ dicitur non auferenda? Elegerat Maria creata omnia tranſcendere, & vni aſsidere Deo, cuius ſolius eſt ſic ſuis adeſſe, vt poſsit nũquam abeſſe. Ex quo Philo lib. de Abraham monebat: *Si cui contingit non ſolum rerũ naturæ notitia, verum etiam patris, factoriſque omnium; is ſe ſciat ſummum fœlicitatis attigiſſe faſtigium. Nihil enim eſt Deo ſuperius, ad quẽ ſi quis peruenit, precandum eſt ei, vt poſsit ibi cõſiſtere.* Nõ creaturæ, ſed Deo precari debemus, vt ei poſsimus aſsiſtere, quando is ſolum eſt, qui nobis ſemper poſsit adeſſe, & cui ſoli non ſit neceſsitas fugiendi.

Luc. 10.

Philo.

§. XVI.

Riſui, & deſpectui ſubiacet ſenectus delicijs dedita.

RIdet Sara, ſe in extrema ſenectute deſignari ad coniugales delicias, quæ promiſsi filij ſint ſemina. Sic ait: *Quæ riſit occultè, dicens: Poſtquam cõſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operã dabo?* Et quidem ſi naturam ſpectes, cõmuneſque leges viuendi; quod ſeniles anni dentur voluptati, & delicijs, vix poteſt nõ eſſe, & riſui, & deſpectui. Id quod notans D. Chryſol. ſer. 92. ſic loquitur in rem præſentem: *Quod autem riſui ſubiaceat ſenilis, & veterana conceptio, Sara probat: quæ ſibi, cum reddi partum, donari filium, cum iam vita prope deerat, domino promittente cognoſceret; & ipſa de ſuo partu riſit; & quod riſui poſſet eſſe omnibus prægnans, & onerata canities, ipſius germinis teſtatur ex nomine, dicente ſcriptura: Et vocauit nomẽ filij ſui Iſaac. Quod interpretatur riſum.* Et in filij nomine, & in riſu ſuo oſtẽdebat Sara, quam ſubiaceret ex ſe prægnans canities deſpectui, & riſui. Non equidem conueniunt ſenili grauitati carnalium voluptatum blanditiæ. Hinc ſenex illa, & effæta Eliſabet mater Ioãnis, vt concepit in ſenectute ſua Luc. 1. *Occultabat ſe menſibus quinque.* Quæ toties fleuerat ſterilitatẽ ſuã, vix eius opprobrium ferens; cum ſit fœcũda, procurat deliteſcere, ne videatur menſibus quinque. Et quando fœcunditas tunc temporis gloriæ erat, & opprobrio dabatur ſterilitas; cur non magis oſtentat fœcunditatem ſuam diu expetitam? Fœcunditas illa in ſenectute accedens, vt præſupponebat iuueniles delicias, penè æſtimabatur probroſa ſenibus, & verecũda. Ait D. Chryſol. ſerm. 92. *Occultabat ſe menſibus quinque, quia & ſi erat diuini muneris, ſui tamen temporis nõ erat quod habebat. Erubeſcit anus fœta, verecũdatur vetula primi partus, & puerperã ſenectus abſcõdit extrema, ne ſterilitatis oppropriũ riſus fœcũdæ ſenectutis augeret.* Verebatur Eliſabeth ne ſterilitatis opprobriũ augeretur apud homines ex riſu fœcunditatis ſenilis: vt enim ſterilitas opprobrio erat tunc tẽporis, ſic ſemper ſenes traditi voluptatibus carnis, lenocinijſque iuuentutis ſunt riſui, & deſpectui. Et quando ſeni non indecorũ fuit in iuuenilibus luſibus inueniri? Cauebat Athanaſius ille Patriarcha epiſt. 5. *Videndum eſt etiam, vt coniugium non ſolum licitum ſit, & conceſſum, ſed decorum quoque. Ne, inquam, puella ſeni nubat.* Meritò indecorum putat, quod ſenex deſcendat ad ludos iuuenes.

Chryſol.

Chryſol.

Athan.

Geneſ. 18. Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare riſit Sara vxor tua, dicens, Num vere paritura ſum anus? Nunquid Deo quicquam eſt difficile? Iuxta conditum reuertar ad te hoc eodẽ tempore, vita comite, & habebit Sara filium. Negauit Sara, dicẽs, Non riſi; timore perterrita. Dominus autem, Non eſt, inquit, ita, ſed riſiſti.

§. XVII.

Primarios viros vt maxime decet natalium nobilitas.

EX Agar acceperat Abrahamus filium; ſed adhuc Dominus filium alterum de Sara promittit, dicens: *Habebit Sara filiũ.* Et meritò cauet Deus, ne filius promiſſionis de ancilla ſit, ſed de ingenua, & nobili ſtirpe originem ducat. Eſt equidẽ hoc à Deo in ſuis primarijs viris prouiſum, vt ſimul natalium ſplendore, & virtutum effulgeant. Luc. 1. *Fuit in diebus Herodis regis Iudæa ſacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Eliſabeth.* Non ſolum Zachariæ notatur genus illuſtre, ſed quod minus vſitatum eſt in ſcripturis, & vxoris illius

Luc. 1.

Luc. 1.

illius Elisabeth genus edicitur ab Aaronis descendisse familia. Et cur sic etiam in Elisabeth genus Sacerdotale monstratur, nisi vt ostendatur causa, cuius gratia assumpta fuerit in matrem tanti viri? Illam enim Præcursoris matrem faciebat non solum sanctitas vitæ, sed & generis nobilitas, quod in primarijs suis viris solebat Dominus non parum requirere. Ait D. Paulinus epist. 10. ad Seuerum: *Auxit meritũ Sacerdotis commemorata nobilitate coniugij, vt illa, quæ concors in itinere iugum veritatis cum marito trahebat, ad pariendum eligenda per Angelum dignior, & viro Sacerdote, & filio prophetis præferendo existeret: quam diuinis idoneam dotibus nõ solum vita iustitia, sed familiæ prærogatiua feciſſet.* Inde equidem Elisabeth eligitur in matrem tanti viri, quia in sanctitate vitæ, & generis splendore respondebat, & marito, & filio. Requiri enim à Deo solet in primarijs viris, præsertim quirem pacificam administrant, cum virtutis exemplo natalium lumen. Sic Numer. 3. cauebat Dominus: *Aaron autem, & filios eius constitues super cultum sacerdotij.* Ecce tibi non ad filios Mosis, sed ad filios Aaron designauit dignitatem Sacerdotij. Et cur non magis Mosis posteritas ad Sacerdotium eligitur? Nonne Moyses Charior Deo? Nonne præstantior Aarone coram Deo? Cur ergo non magis filijs suis Sacerdotium acquisiuit? Fuerat vxor eius Æthiopissa; & ideo cauit Deus, ne viri, qui eligebantur in tantum Sacerdotij munus, turparentur de genere aliquo natalitio. Ait Theodor. in cap. 18. Iudicum. *Solius enim Aaronis genus insitit Deus fungi officio Sacerdotali. Et existimo, propterea quod legislator vxorem duxerat alienigenam, eos, qui ex ipso nati erant, iussisse referri in numerũ Leuitarum, non Sacerdotum, ne cõtumelia afficeretur dignitas Sacerdotalis, si expuobraretur cognatio.* Habebant filij Aaron matrem ex tribu regia; habebant filij Mosis matrem alienigenam; ideo hi excluduntnr à Deo, ne Secerdotes sint; illi Sacerdotes fiunt, vt quorum parentes cõmendabat, & vitæ splendor, & generis nobilitas. Decet enim maximè primarios viros, quod ex moribus, & ex natalibus affulgeant. Sic etiam filio suo Dei auos, proauosq; regalibus, & Sacerdotalibus insulis claros prouidit, vt videre est Matth. 1. *Iesse autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex, &c.* Et qui omnia paupera, & abiecta sibi assumpserat; cur auos ex regali culmine sibi prouidit? Ait D. Paulinus epist. 10. *Dignum erat, vt vnigenitus Dei, & primogenitus totius creaturæ, & vniuersi corporis caput, etiam ingenuis corporei dignitate primatum teneret; vt vnus in cœlo Dei filius ante sæcula ineffabili natus exordio, etiam in terra illustriũ titulorum sibi apices vendicaret; regum pariter, & Sacerdotum clara progenies.* Sanè quàm tantus nascebatur in terris, non abs re cõmendationem trahebat ex regia vena nascendi. Vide infra lib. 6. cap. 1. §. 7.

D. Paul.

Num. 3.

Theod.

Matth. 1.

D. Paul.

§. XVIII.

Eo præcellentior quis, quo minus de hominibus accepit.

POsset Dominus de fecunda, & iuuene Sara filium promissionis Abrahamo educere; sed maluit de sterili Sara, & sene: semel & bis asserens: *Habebit Sara filium, &c.* Cur non magis de fœcunda, & iuuene? Cur huic prætulit sterilem, & senẽ? Cõducebat ad præstantiam filij nasciturj, vt de sterili, & sene nasceretur; inde enim præstantior apparebat, quo minus de hominibus habebat. Ait pulchrè D. Chrysol. ser. 90. *De Abrahæ, & Saræ emortuis extrema senectute corporibus, & à patris, matrisque nomine, famosissima sterilitate submotis, Isaac ad totam fœcunditatem Israeliticigerminis, erupit; cui non obfuit tantum defuisse naturam, quantum nasci profuit authoris beneficio, non naturæ.* Defecerat iã ipsa natura in parentibus, ne ex illis oriretur filius. Quid tũc? Cessit id in damnũ aliquod nasciturj? Absit, quãdo enim in defectu naturę Deus accurrit, id in maximũ erat nascentis profectũ, qui totũ, quod erat, vni debebat diuino beneficio. Proh hominis felicitas! Proh summa præstantia viri! Non potest nõ tibi ad summũ proficere, quod nihil debeas hominibus, sed totus maneas Deo adscriptus. Quò spectans Psalm. 117. aiebat: *Bonũ est confidere in Domino, quam confidere in homine.* Quasi inde exeat maxima ratio præstãtiæ, & bonitatis, siquis nihil habeat in homine positum, sed totum se referat ad Deum. Ex quo Tertull. lib. 4. in Marc. ait: *Creator benedictionis, laudis humanæ sectatores incusat per Esaiam: Populus meus, qui vos beatos dicunt, seducũt vos, & vias pedũ vestrorũ disturbant. Prohibet & fidere omnino in hominẽ, sic & in laudẽ hominis: vt per Ieremiã: Maledictus homo, qui spem ponit in homine. Nam & Psalmo: Bonum est fidere in Deũ, quàm fidere in hominem. Ita totum, quod ab homine captatur, abdixit creator, nedum benedictionem.* Expende ab illis: *Totum, quod ab homine captatur, abdixit creator, &c.*

D. Chrys.

Psal. 117

Tertull.

quid-

quidquid per homines venit, vel ipsa benedictio suspecta est creatori, qui ad profectum suorum, hoc in primis amat, vt in illis desit, quidquid est hominis, & magis in illis appareat Deus, quam homo. Vtinã in nobis deficiat, quidquid est hominis; & vel naturæ ipsi renuntiemus propter Dominum; sic inde proficiemus, vt in Deos transisse putari vulgo possimus. Præstãtissimus omnium hominum Iesus Dei filius,
Luc. 5. Luc. 5. incidit in leprosum: *Et extẽdens manum tetigit eum, dicens, Volo: Mundare. Et cõfestim lepra discessit ab illo. Et ipse præcepit illi, vt nemini diceret, sed vade, ostende te sacerdoti, & offert pro emendatione tua, &c.* Lepra mundatum non permittit, quod euulgetcuratorem suum, sed iubet, vt offerat munus Domino. Et quando requirit ab illo muneris oblationem, cur non simul patitur, vt eius facinus annuntietur omnibus? In enũciatione facinoris, aliquid posset esse, quod pertineret ad hominem; in oblatione muneris in templo, totum referebatur ad Dominum; sic Iesus quod hominis possit esse vetuit; vt quo magis refugit, quæ sunt hominis, eò clarius ostenderet diuinitatis in
Hieron. se manentis glorias. Ait D. Hieron. lib. de vera circunciſ. fatus: *Dum hominem, quem in carne viderat leprosus laudare prohibetur, Deũ tamen muneris oblatione magnificat. Nec quasi homo prædicandus est; cui vt Deo sunt curationum vota soluenda; nec in platearum angulis carnaliter celebrandus, qui spiritualiter sit adorandus in templo; vt si secundum hominem nil requirit, secundum Deum diuinæ virtutis gloriam promereatur,* Quid pulchrius? Expende ab illis, *si secundum hominem nil requirit, &c.* vbi enim facis, quod tibi, quidquid hominis est, deficiat, in eã exurgis perfectionem, qua diuinæ virtutis in te habitantis, tibique fauentis glorias promerearis. Quõ nihil potest inuenire præstantius. Vide dicta infra lib. 7. cap. vlt. §. 6.

§. XIX.

Hominem exuas, vt Deum digne excipias.

NOn de iuuene, & fœcunda puella, sed de sterili, & senio confecta Sara filius promissionis nascitur, iuxta illud: *Habebit Sara filium.* Et cur ad Isaac generandum eliguntur parentes steriles, & senio iam graues, & pene exanimes? Erat in Isaac semen benedictum, ex quo Dei filius venturus erat in carnem: merito ergo tunc parabatur vterus susceperus Isaacum, cũ pene exuebat à se, quidquid hominis erat, quidquid erat humanum. Luc. 1. de matre Percursoris Domini, ait: *Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filiũ in senectute sua, & hic mẽsis est sextus illi, quæ vocatur sterilis.* Et sterilis, & senex mulier eligitur in matrem Ioannis; & quando sterilis erat, cur adhuc spectatur, vt senescat, & emoriatur eius caro, vt sic concipiat Ioannem? Pulchrè ait D. Chrysol. serm. 91. *Elisabeth sanctæ partus non ablatus est, sed dilatus, donec trãsiret tempus carnis, passio corporis, coniugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum, quod humanam confundit, & grauat cõscientiam. Mundabatur enim diuo tempore sacrificij domus, sanctitatis hospitium, via mediatoris Christi, Angeli domicilium, aula Spiritus Sancti, templum Dei, &c.* Ecce tibi expectabatur, vt quidquid carnis, quidquid humanæ passionis erat, extingueretur, exueretur in matre, vt possit in ea concipi Præcursor Christi Ioannes. Et quanto magis debent exui humanæ passiones, vt ipse Christus in nobis inhabitet? Sane vt vel Isaac, vel Ioãnes, in quibus Christus erat, concipiantur, expectãdum fuerit, vt prius exueretur in parẽtibus omnis humana passio, vt ostendatur, quam exuere hominem debes, vt in te digne Christus recipiatur. Hinc de Maria cum audit ad se venire Deum, dicit Lucas cap. 1. *Quo cum audisset, turbata est, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Et quæ tunc temporis erat Mariæ cogitatio? Ait Andræas Cretensis ibi: *Cogitationes suas statim conuertit ad primæ parentis lapsum, in animo secũ suo volens deceptionis primæ casum.* Et sane quæ tota erat plena gratia, & Spiritu Santo, uullius sibi conscia, vnum posset vereri humanum ex primo ortum contagio, de cuius immunitate certificari volebat, vt se dignam Deo excipiendo putaret. Nihil in se humanarum passionum cognoscẽs, de sola primi originis infectione cogitabat. volens ab illa fuisse immunis, vt erat, & sic digne in se Deum recipere. Magdalenę enim dicebat Iesus Ioan. 20. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meũ.* Vetabat Dominus se tangi, & excipi à muliere alioquin sancta. Et cur sic modo cauet hospitã suã? Nõ prorsus veterẽ hominẽ exuerat. Ait sapienter D. Amb. in Luc. cap. 23. *Prohibetur Magdalena tangere, quia nõdũ inhabitare Christo corpore liter plenitudinem diuinitatis, vt Paulus, acceperat; nõdũ euacuauerat lubricũ seculi, carnis ambiguũ, nõdũ vitã vixerat Christi.* Prius debebat euacuare quidquid carnis haberet, quidquid seculare, & humanũ pateretur, & totã

Luc. 1.

Chrysol.

Andr. Cre.

Ioann. 20.

Ambr.

Iesu Christo dedere, vt sic illum exciperet. Prius dicere debebat, viuo ego, iam non ego, sed viuit in me Christus; nisi enim de veteri homine prorsus exuto, & extincto, non viuimus vitam Deo excipiendo dignam. Quô spectans D. Zeno lib. 3. ser. 26. de fonte baptismatis, quo regeneramur, locutus ait: *O magnam prouidentiam Dei nostri! O bonæ matris charitas pura, diuerso genere, sexu, ætate conditionem suscipiens necat odio criminum vt nouerca: pia seruat vt mater; necatos quæ non ante viuificat, quàm omne virus vetustatis extinguat.* Et quidem vt vitâ illâ vitalissimâ viuamus, qua Deum in nobis possimus excipere, omne prius virus vetustatis pellendum est, vt nihil maneat in nobis hominis vetusti.

D. Zen.

§. XX.

Eleemosina facit, ne supremus iudex in pœnam peccatoris exurgat.

INcredula Sara de promisso sibi seni partu, risit, & adeô risit, vt Deus illam reprehenderet apud maritum, aiens: *Quare risit Sara vxor tua, dicens: Num vere pariturа sum anus? Nunquid Deo quidquã est difficile? Iuxta conditum reuertar, & habebit Sara filium.* Reprehendit Saræ incredulitatẽ, sed nullam illi pœnam irrogat, imo adhuc promittit filium. Non sic Luc. 1. actum est cum Zacharia; de quo, cum accepisset promissionem filij, ait: *Dixit Zacharias ad Angelum, vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis.* Cui statim Angelus: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui, &c.* Sara, & Zacharias audiunt Angelum promittentem sibi filium; vterque promissionẽ excipit, vterque senectutem obijcit suam, quasi nequeat fieri, quod senibus nascatur filius. Sed Zachariæ pœnam incredulitatis Angelus irrogat, quod maneat mutus; Saræ nullam pœnam infert. Cur non magis iubet, Saram mutam esse? Cur simili vocis amissione non fœminam castigat, qui sic propter eandem culpam castigauit virũ? Sanè totum hoc Dei colloquium cum Sara, erat *postquam comedissent*, postquam exceptus conuiuio à Sara confectos panes prandisset: prandium autem peregrino, & pauperi exhibito, sic diuinum iudicem obligat, vt nequeat pœnã de erratis inferre hospiti suo. Dauid inauditũ Miphiboseth damnauerat, omnibusque spoliauerat bonis: qua iniuria accepta, ait Miphibo. 2. Reg. 19. *Fac, quod placitum est tibi:: Tu posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ, quid ergo habeo iustæ querelæ? Aut quid possum vltra vociferari ad regem?* Bonus Princeps iniuriam acceperat à Dauide, & quidem magnam iniuriam; sed vbi recordatur, se quotidie in mẽsa Dauidis comedere, adeò se sentit obligatum, vt nequeat aduersus illum mutire. Ait enim, cum positus sum inter cõuiuas tuos, quid possum vltra vociferari ad regẽ? Vbi explicatius in rem præsentem legit Abbulensis quæst. 28. *Quid mihi plus eleemosina ad clamandum plus contra regem?* Plane eleemosina accepta clamores vniuersos, & maligna verba suffocat aduersus largitorem. Quis Princeps damnum vellet inferre ei, cuius conuiua est, cuius panibus vescitur? Hinc monebat Dominus Deuth. 16. *Non apparebis coram Deo vacuus.* Quæ ponderans D. Chrysost. hom. 2. in epist. 2. ad Timoth. ait: *Id circo pauperes ante fores adstant, vt nemo vacuus ingrediatur, vt misericordia comite securus introeat.* Qui non vacuus, sed cibis largiendis Deo accedit, de tanta misericordia in pauperes, & peregrinos securus introit. Crede mihi, multum offenderis licet, multaque peccaueris, si viscera misericordiæ in pauperes, & peregrinos tuleris, hæc peccata tua abscondent coram Domino. Persecutores Christi Domini Pharisæi, & Sacerdotes summis erant criminibus obnoxij; deplorati erant homines, vt pene viderentur remedium salutis habere non posse. Hi dum refulsum vident pretium sanguinis Christi, Iudas enim nummos acceptos refuderat in tẽplum Matth. 27. *Consilio inito emerũt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.* Quid tunc? Ait D. August. ser. 121. de Temp. *Emerunt, inquit, ex illis agrum in sepulturam peregrinorũ. Inuenit tandem mens cæca remedium.* Quippe deplorati licet videantur, summisque sint obstricti criminibus, dum pauperes, dum peregrinos colant, remedium habẽt, quo sine supplicio, si sapiant, euadere possint. Nunquam non est remedium salutis ei, qui peregrinis excipiendis, curandisque dat operam.

Luc. 1.

2. Reg. 19.

Abbul.

Deut. 16.

D. Chrys.

Matth. 27

August.

Gen. 18. Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam; & Abraham simul gradiebatur deducens eos. Dixitque Dominus num celare potero

potero Abraham, quæ geſturus ſum; cum futurus ſit in gentem magnã, ac robuſtiſsimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quod præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viã Domini, & faciant iudicium, & iuſtitiam: vt adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus ſum ad eum.

§. XXI.

Deus vt iuſtis gratiam, ſic peccatoribus infert pœnam.

EX Abrahami hoſpitio contendũt Angeli contra Sodomam; dicit enim: *Cũ ergo ſurrexiſſent inde viri, direxerũt oculos contra Sodomam.* Qui erga Abrahamum adeo gratioſi, & affabiles erant, inde ſurgentes ſeſe iam ſeueros oſtendunt aduerſus Sodomam. Hoc ſanè maximè eſt Dei proprium, qui vt iuſtis gratiam exhibet, ſic ſeueritatem contorquet in peccatores. Vt dicat D. Ambr. in præſenti: *Sicut viſitatio Domini timentibus exhibetur, ita etiam impijs pœna reponitur. Abraham deducebat hoſpites, ad humanitatis gratiam addebat obſequia. Sodomitæ proprietatis officijs impuritatis augebant flagitia. Datur itaque iuſto benedictionis gratia, & poſteritatis hæreditas. Offenſa autem peccatorum exponitur.* Sic ſemper Deus graditur iuſtis gratioſus, ſeuerus peccatoribus. Nec inter gratias iuſtis faciendas obliuiſcitur ſeueritatis in peccatores. Luc. cap. 6. dicebat Dominus: *Beati pauperes ſpiritu, quia veſtrum eſt regnum Dei. Beati, qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum ſeparauerint vos, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate; ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo: ſecundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum. Verumtamẽ, Væ vobis diuitibus, &c.* Expendè, & quam gratioſus ſeſe exhibeat Dominus in effundendis benedictionibus; & quam ſeuerus in contorquendo væ. In id maximè incumbebat, vt benedictionibus impleret pauperes, eſurientes, lugentes, afflictos, quibus beatitudinẽ patefacit, & gaudia profert. Sed ſtatim in diuites ſuperbos ſic iacula torquet; *Væ vobis diuitibus.* Quorſum hæc Domine? Cum gratias effundis, & benedictiones; tunc etiam accedis ad rigores? Equidem ea eſt Dei conditio, vt iuſtis gratias effundat, & inde ſeueritatẽ veritat ad peccatores. Ait Tertul. lib. 4. in Mar. *Vt quia præmiſerat in benedictionibus benignitatem, ſubiceret etiã in maledictionibus ſeueritatem, amplitudinem diſciplinæ vtriuſque inſtruendæ, tam ad benedictionem ſectandam, quam ad maledictionem præcauendam.* Duo hæc munera Deo ſunt cordi; vt gratum, vt blãdum ſe exhibeat pijs; & ſceleratis tigoroſum. Adeò vt quando theſauros miſericordiæ ſuæ iuſtis aperit; iam inde euolet, vt puniat peccatores. Matth. 17. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos.* Cur ſolos tres aſſumit in teſtes tantæ gloriæ? Cur patefacturus ſuos theſauros, reliquit nouem Apoſtolos, & ſolos tres aſſumpſit? Erat inter Apoſtolos Iudas, qui nec aſſumi meruit ad tantæ gloriæ faſtigiũ, nec cæteris omnibus aſſumptis notari infamiã, qua edoctus infamis proditionis fœditatem efficaciter abhorreret, caſtigante ſic Deo impium ignotatione peccati, & pios oſtenſione gloriæ remunerante. Vt dicat D. Damaſcen. orat. de Transfigurat. *Ad hunc modum proditori quidem proditionis crimen occludit. Apoſtolis autem diuinitatem ſuam patefacit.* Simul Apoſtolis gratiam facit, eis reuelans gloriam ſuam; & ſupplicium infert traditori, dum ſpecialem occaſionem illi aufert ſceleris ſui videndi.

Ambr.

Luc. 6.

Tertull.

Matt. 17.

Damaſco.

§. XXII.

Diuinæ gloriæ manifeſtatio, diuinorumque fauorum communicatio maior in illis inuenitur, qui vtiliores plurimis ſunt.

ECce tibi cauſa ſeſe aperiẽdi Dei, & cõmunicandi ſe creaturis ſuis, nimirum, quod inde ad plurimos diriuetur fructus. Sic ait: *Nun celare potero Abrahã, quæ geſturus ſum; cum futurus ſit in gentem magnã, & robuſtiſsimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ? Scio enim, quod præcepturus*

turus sit filijs suis, &c. Quia Abrahamus pater futurus erat omnium nationum, quas directurus erat in benedictiones diuinas, sic Deum tenuit, vt illi magnalium suorũ thesauros aperiret. Hæc est enim Dei notissima œconomia, quod sese aperiat, vel obstringat, homini, iuxta maiores, vel minores fructus, & vtilitates ex illo in alios profecturas. Matth. 4. erat Iesus in deserto, cui accessit diabolus dicens: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Cordi erat Iesu se filium Dei manifestare mundo, & posset tunc se manifestare in conuersione lapidum in panes. Sic enim sese manifestauit postmodum in nuptijs Chanaa per conuersionem aquæ in vinum. De qua dicit Ioan. cap. 2. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Chana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli.* Cur ergo similiter in conuersione lapidum in panem, non se manifestauit, quando ab hoc venerat in mundum? An quia id petebat diabolus? Sed etiam petenti diabolo, vt permitteretur in porcos ire Luc. 8. annuit Iesus. Cur modo non annuit petenti conuersionem lapidum in panes, qua ostenderetur eius gloria, vt ostensa fuit per conuersionem aquæ in vinũ? Rationẽ insinuat textus inquiẽs: *Manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli.* Manifestationem in conuersione aquæ secuta est multorum fides; manifestationem illam in conuersione lapidũ nullus sequeretur fructus, nulla vtilitas circa conuersionem mundi. Deus autem in manifestationibus suis respectum semper habet, ad vtilitatem plurimis futuram. Ait Rupert. lib. 3. de Gloria, & honore filij hominis: *Forte enim putas, quia gloriam suã manifestauisset, si ad eius dictum lapides facti fuissent panes, sicut in eo gloriam suam postmodum manifestauit, quod ad eius nutum, aqua in vinũ conuersa est: sed non ita est. Vbi enim hoc fecit initium signorum, & sic manifestauit gloriam suam, non gloria fuit inanis, sed gloria cum fructu, quem videlicet fructum protinus Euangelista præsentat dicens, & crediderunt in eum discipuli eius.* Huc accedant, qui volunt confirmare manifestationes Dei, & communicationes illius factas seruis suis. Respiciãt fructus, & vtilitates inde prodeũtes ad multorum salutem. Quod si videant, plurimi inde roborari, instrui, trahi in salutis viam credant ratas esse illas manifestationes diuinas. At si paruus aut nullus est fructus, sed solum manent in ostentatione sterilis fauoris diuini; suspectę quandoque reddũtur illæ manifestationes. Crede mihi, Dominus in fauoribus exhibendis hũc habet scopum, vt vniuersalitati hominum proficiant. Gen. 32. dum Iacob solicitus quadã nocte esset de familia sua tutanda ab Esau feritate, *Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Vir dicitur, qui Angelus erat, in forma viri apparens. Nec desunt, qui putent illas apparitiones Angelorum fuisse factas in veritate carnis humanæ assumptæ. Putatur enim non fuisse sola apparens figura carnis, sed vera caro hominis; quam sentẽtiam, & probat Tertullianus. Qua supposita adhuc dubium est, si vt erat vera caro illa assumpta ab Angelis, sic etiã erat ab homine nata? Ego vt improbo fuisse veram carnem, sic nego fuisse natam; Tertullianus autem in suo figmento persistens vt putet veram fuisse carnem, asserit tamen nõ fuisse vere ex homine natam. Et quando admittit, quod vera caro assumpta fuerit ab Angelis; cur non admittit datum etiam illis fuisse, quod assumerent carnem ex homine natam? Ait ipse lib. 3. in Mar. *Innata erat, quia solus Christus in carnem ex carne vasci habebat, vt natiuitatem nostram natiuitate sua reformaret.* In falsa sententia, ratio inuenitur præclara, & generalis, quam debẽt in donis diuinis Theologi spectare. Qui admisit datum fuisse Angelis, quod incarnarentur, & in veritate carnis venirent ad homines, vt illis proficerent. Non admisit datum illis fuisse, quod vt habebant verã carnem, haberent etiam carnis natiuitatẽ. Et cur hoc non admisit? Quia nimirum sola natiuitas carnis Christi profectura erat hominum natiuitatibus, & quando natiuitas carnis Angeli non profectura erat hominibus regenerandis in Christo; nec erronea mẽs potuit fingere datum fuisse à Deo Angelis, quod ex hominibus potuerint nasci. Hæc sit vna regula pro donis diuinis examinandis, si nimirum proficiant hominibus in Christo regenerandis.

Matth. 4.

Ioann. 2.

Luc. 8.

Rupert.

Genes. 32.

Tertull.

§. XXIII.

In doctrina vtilitas maximè respicienda. Vbi de Christi Domini specu.

ILlud gratum in Abrahamo, quod viam salutis præcepturus sit, quippe ait: *Scio enim, quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, &c.* Hoc maximè facit ad laudem optimi præceptoris, quod non doctis fabulis confingendis incumbat, sed vtilia ad salutem pro-

propinet. Vt dicat Eccleſiaſtes cap. 10. *Verba oris ſapientis gratia.* Vbi D. Hieron. *Loquetur vir ſapiens verba ſcientiæ, verba gratia, quæ vtilitatem poſſint præbere audientibus.* Inde vir ſapiens agnoſcitur, ſi eò ſpectat in doctrina tradenda, vt audientibus vtilitatem afferat; ne inanibus tẽpus abſumãt; ſed ea diſcant, quibus poſſint diuinam gratiam ſolicitare. Hinc ſapientiſsimus Moyſes aggreſſus mundi opificium explicare Gen. 1. ait: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*: & inſuper quambreuiſsime dicit, vt verbo Dei & aues, & piſces, & animalia fuerunt generata. Et cur ſic breuiter perſtrinxit res, de quibus alij impleuerunt longa commentaria? An quia ſolum ſciebat, id, quod fuerat factum, demonſtrare? Sciebat equidem quidquid & philoſophi, & aſtrologi in ſuis ſcholis verſantur; ſed bonus præceptor maluit ad vtilia noſtræ ſaluti feſtinare. Ait D. Amb. lib. 6. Exam. cap. 2. *Certè Moyſes eruditus erat in omni ſapientia Ægyptiorum: ſed quia ſpiritum Dei accepit, quaſi miniſter Dei inanem illam, & vſurpatoriam philoſophiæ doctrinam veritatis rationi poſthabuit, & ea deſcripſit mihi, quæ noſtræ ſpei accõmoda putauit. At non ille putauit dicendum, quantum de ſpatio aeris occupet vmbra terræ, cum ſol recedit à nobis, &c. Vidit enim in Sancto Spiritu non illas marceſcentis iam ſapientiæ vanitates ſequendas, quæ rebus inexplicabilibus mentem noſtram occupant, ludunt que operam, ſed ea potius deſcribenda, quæ ad virtutis ſpectarent profectum.* Hic eſt vere ſapientum ſcopus, ne tempus terant in leuibus, & inanibus indagandis, ſed doctrinam ad vtilitatem conuertant, vt doceant ea, quæ vitæ, & ſaluti proſint. Supra locuta diuina ſcriptura de Thare ait Gen. 11. *Tulit itaque Thare Abram filium ſuũ, & Loth: eduxit eos de Vr Chaldæorũ, vt irent in terram Canaan; veneruntque vſque Haran.* De Chaldæa educit filios ſuos Thare, & iubet, vt quieſcant in Haran, ſiue Charras, quę eadem ciuitas eſt. Et quid inde myſterij elicitur? Ait Philo lib. de ſomnis: *Chaldæa relicta, Charras migraſſe Thare dicitur: ducens ſocum, & filium Abram, & cæteros conſentientes :: Chaldæi vacant obſeruandis ſyderum curſibus. Charrenſes circa ſenſus occupantur. Cæterum ſacra eloquia ſic ſcrutatorem naturæ interpellant. Quid de ſole quæris, ſit ne pedali latitudine, an tota terra maior? Quid de lunæ lumine proprium, aut mutuum præferat? Cur es curioſus in rebus ſublimibus nihil ad te attinẽtibus? Cur ſubtiliter ſcrutaris de ſyderibus? Propinqua conſidera, imo te ipſum. I Charram; conſidera oculos, aures, naſ-*

res, cætera inſtrumenta ſenſus, & diſce ſummã philoſophiam, vel potius ſumme neceſſariam veritatem, quærendo, quid ſit videre, & quomodo videas, quid ſit audire, & quomodo audias, &c. Ad hanc doctrinam neceſſariam ſapientes vniuerſi debent maxime reſpicere, nimirum quomodo ſenſus dirigantur, componantur, ne in via ſalutis faciant nos errare. Sit noſter Athænæus non Chaldæa inutilibus, & vaniſsimis quæſtionibus vacans; ſed Charras, in qua neceſſariæ quæſtiones aguntur circa ſenſus humanos expoliendos, dirigendos, vt recta ad vitam habeãt. Quæ ſapientia vt omnibus conuenit, maximè Chriſtianis aptatur, quorum Athenæus abſque dubio eſt Charras; nimirum ſpecus, (ſic enim Philo nomen ibi interpretatur) ſpecus, inquam, in quo diuinus mundi magiſter natus apparuit. In quem, qui aſpicit, fallar, ſi aliud velit docere, aut ſapere. Matth. 2. Chaldæi Magi venerunt Ieroſolymam clamantes: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum: Vidimus ſtellam eius in Oriẽte, & venimus, &c.* Ad Deum veniebant, ſed adhuc de ſyderibus aliquid meditantur, eorumque aliquam vim æſtimant. Tandem Bethleem cõtendunt, ſpecum intrant, puerum adorant; *& reſponſo acceptõ in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Et cur diuinum reſponſum illos de via mutanda admonet? Cur id etiam ſtella nõ facit? Quãdo ſtella illos adduxit, illis viam, qua venirent, oſtendit: Cur eadem illos non deducebat, & illam alteram viam reditus mõſtrabat? Viluit ſtellarum doctrina viris, qui Chriſtum viderant; nec iam ſtellarum curſum videre vellent, poſiti in eo, vt Ieſum ſolum, & ſaperent, & annũtiarent: Quò ſpectans Cæſarius Nazianzeni frater dialog. 2. fatur: *Cum autem remiſsior, & infirmior Magia facta fuiſſet per deificati hominis natiuitatem, qui ſtellas fundauerat, & ordinem ipſis præſcripſerat: reintellecta errãtes illi Chaldæi, confirmato ad ſupplicãdum animo, expiato errore, ſua eunt ſponte tanquam Euangeliſtæ, & primi prædones gentium de diuini hominis aduentu. Surgentes igitur clamant: Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, &c.* Proh ſapientiſsimi, & fœliciſsimi Magi! qui vt intrarunt ſpecum Bethleemiticum, non amplius de ſtellarum curſibus curãt, ſed hoc ſatagunt, vt Chriſtum vniuerſi ſapiamus. Et quidem in Chriſti ſpecu inutiles quæſtiones non habent locum; ſed vtilia, & neceſſaria docemur. Hinc Ioan. 20. Petro interroganti de Ioanne reſpondit Dominus: *Sic eum volo manere, donec veniã,*

quid

Hierod.

Geneſ. 1.

Ambr.

Matth. 2.

Caſ. Naz.

Geneſ. 11

Phil.

Ioann. 21.

quid ad te? Tu me sequere. Vbi D. Cyril. Alex. lib. 12. cap. 66. ait: *Quoniam curiosa magis, quam vtilis rerum alienarum inquisitio est, respondet quidem, sed ita vt rogantis animũ abducat ad alia: Quid ad te? Ideſt, Audisti Petre, quæ ad te pertinent, cur alia quæris? Cur diuinæ iustitiæ secreta rimaris?* Nunquàm patitur Iesus, quod sui quæstionibus inutilibus, & ad se minimè pertinentes immorentur, sed quôd vadant ad ea, quæ illos in vita continebunt. Cyr. Ale.

Gen. 18. Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorũ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam. Conuerteruntque se inde; & abierunt Sodomam: Abraham vero adhuc stabat coram Domino.

§. XXIIII.

Apud præstantem Principem peccata publica reputantur; in cæteris se habet quoad inferendã pœnã, ac si ea nesciret.

NOn ad quælibet Sodomorum peccata exurgit Deus, sed ad illa, quæ ingẽti clamore, & rugitu orbem impleuerant, cœlestiaque tangebant. Sic enim dicit: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, &c.* Illa debet bonus Princeps censere delicta, & ad supplicium decernere, quæ impudentissimis vocibus, & clamoribus agitantur in populo; quæ occulte, & abscondite fiunt, bonus Princeps sic æstimat ad pœnam, ac non essent. Hinc Isaiæ cap. 1. Dominus ad supplicium vocaturus populum ait: *Audite cœli, & auribus percipite terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me: Væ genti peccatrici, &c.* Vt puniat populum, prius eius delicta facit annuntiari, & conuocat cœlum, terramque, vt audiant ea. Sed cur necessum fuit, prius vocari cœlum, & terram ad percipienda populi sceleratissimi delicta? Non ne ea vera erant? Non ne, & ipsi Deo punitori nota? Cur amplius expectat, vt notificentur cœlo, terræque? Apud præstãtissimum Principem humanum, quem Deus repræsentare volebat, non cẽsercetur delicta, sed quasi non essent haberentur in ordine ad pœnam, nisi publica essent. Ait D. Zeno lib. 3. ser. 39. *Non leue crimen est eius, cum de co ille queritur, qui eum mox poterat & punire. Sed quia penè pro infecto habetur, quod non diffamatur, censuit eos cœlo, & terra testibus denotare, vt inexcusati facinoris iudicio subiacerent.* Expende illa: *Penè pro infecto habetur, quod non diffamatur*: nunquam non boni Principis est, quod habeat pro infecto, quod non scitur; dum modo, vbi sciri, publicarique videat, puniturus accedat. Quò etiam spectat illud D. Luc. cap. 16. *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illũ, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocauit illum, &c.* Sanè cum primùm villicus cœpit malè administrare bona Domini; Dominus probè nouerat omnia scelera illius; cur ergo ad primum ausum non exurrexit, non excanduit in infidelem virum? Erga occulta sic se gerebat bonus, ac si ea minimè sciret; quæ tunc punit, cum eorum famam iam videt ad cælum vsque pertingere. Ait D. Chrysol. serm. 125. *Quasi non præscierit, quasi non præuiderit, cui occulta nota sunt, cuius oculis etiam nota sunt quæ tegũtur. Et hic diffamatus est ante illum. Ergo ille famæ credidit: Fama nuntiante cognouit. Absit: sed quia illa, quæ nouerat, quæ pietate velabat, quærere tunc cœpit, quando accusabat terra.* Sic dissimulabat occulta villici peccata, quasi ipsa nõ essent, nec minimè eius oculis paterent; vt publicari cœperunt, & opplere fama sua terram, tũc statim bonus ad vindictam processit. Quò respexit Isaias cap. 3. de Iudæis locutus: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, neque absconderunt. Væ anima eorum, quoniã reddita sunt eis mala.* Hoc illis pœnam fuit, quod non absconderunt peccata, sed illa publicarunt: quando peccatis publicis publica etiam pœna semper à bono Principe mandatur. Quæ ponderans Nazianz. orat. in Athanas. ait: *Vt Sodomitæ, quorum scelera vulgatissima sunt toto orbe, pœna tamẽ multo nobiliatior, & vulgatior est, igne & sulphure consumpti sunt: Ita Iudæi, quorum facinus illud immane crucis Domini toto orbe nobilitatum est, & pœna incendij toto orbe vulgatissima est, ferro, fame, incendio sunt consumpti.* Ecce tibi vt pœna comitatur publicitatem peccati: vt enim peccata in Sodomitis, & Iudæis

D. Zen. Lac. 10. Chrysol. Isai. 3. Nazianz. Isai. 1.

Iudæis publicabantur; quid magis publicum, & notum in mundo, quam excidium Sodomiticum, & Ieroſolymitanum?

§. XXV.

Peccati conſuetudo lapideam grauedinem, & duritiem hominibus infert.

NOta illa; *Clamor Sodomorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatũ eſt nimis.* Ex multiplici peccatorum vſu, hoc euenit, quod peccatum graueſcat inſtar ingentis ſaxi cordi affixi, imo quod peccator lapideum rigorem, & grauedinẽ induat. Reliquerat ſaltem corpore Sodomæ peccata Lothi vxor hac lege accepta ne iterum ad Sodomam reſpiceret. Quid tunc? Ait Gen. 19. *Reſpiciensque vxor eius poſt ſe verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Cur in ſtatuã ſalis? Vt oſtenderetur, quid faciant repetita delicta, vt duritiem ſaxi, & grauedinem humano cordi inferant. Ait ſapienter Aurelius Prudentius in Hamartigenia.

Genes. 19

Aurel.

Non reſpicit vltra
Loth noſter, fragilis ſed coniux reſpicit, & quæ
Fugerat, inuerſo mutabilis ore reuiſit.
Atque inter patrias perſtat durata fauillas.

Quę fugerat, inuerſa facie reuiſit; repetiuit oculis; & affectu mala illa, quæ reliquerit; & ſtatim in lapidem ſalis obduruit; & totam ſaxi grauedinem induit, quæ immobilis perſtat durata inter patrias fauillas. Et cur non graueſcat, & obdureſcat in lapidẽ, dum crimina repetit; quandò vel ex vno ingenti crimine ſolent homines ſic obdurari, vt quaſi immobiles lapides fiant. Quę rebatur Dominus Matth. 23. quod Iudæi multi eſſent in Prophetis lapidandis: *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt.* Sed non meliores facti Iudæi poſt hæc Actor. 7. *Impetum fecerunt vnanimiter in Stephanum; & eicientes eum extra ciuitatem, lapidabant.* Ecce tibi lapidatores ſanctorum, vt multiplicant crimina, vt repetunt lapides, vt Stephanũ perimant. Quid tunc? Inde iam cœperunt lapidaſcere, & inſtar ſaxi, & grauari, & obdurari, ne vllum in ſe ſalutis motum haberent. Vt dicat Arator lib. 1. in Act. *Lapides Iudæa rebellis.*

Matt. 23

Actor. 7.

Arator.

In Stephanũ limphata rapis, quæ crimine dura
Saxea ſemper eris.

Quid aliud expectes à repetitis criminibus, ab immani aliquo facinore, quam ſaxeam duritiem, & grauedinem? Qui vadis frequenter ad crimina, qui immani ſceleri accedis; fallar, niſi in lapideam molem eas, qua ſexeus, & immobilis perſeueres.

§. XXVI.

Bonus Princeps nullorum etiã præſtantiſſimorum teſtimonijs ſic credat, vt non ipſe per ſe reos conueniat, & interroget.

CLamores Sodomorum, & aduerſus Sodomam con tantiſſimos Dominus exceperat, cœlum, terramque illorum infamia implẽte; & adhuc vult ipſe deſcẽdere, vt videat, ſi quod clamores ſonabãt, opera implerent? Ait enim: *Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita.* Sciebat Deus, & clamorẽ, & veritatem eius; vt quę nihil poſſit latere: nihilominus per ſe vult conuenire reos, eoſque videre, & audire; ante damnationem, vt doceat Principes, ne vlli famæ, vllis ve teſtimonijs adeò credant, vt inauditum damnent reum. Duo principum lumina, Dauid, & Conſtantinus magnus ſemel prætermiſerunt hanc regulam, & turpiter errarunt. Conſtantinus enim multorum Epiſcoporum teſtimonio raptus Athanaſium inauditum, & indefenſum in exilium dedit. Dauid autem dum Sibæ accuſanti Miphiboſeth fidem adhibet; bonis ſpoliat abſentem inauditum, & indefenſum 2. Reg. 16. *Ait rex Sibæ, Tua ſunt omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth.* Circa quæ ait Theodor. lib. 1. Hiſtor. cap. 33. Fidem adhibuit Conſtantinus Epiſcopis, qui occultare ſtudebant veritatem; illuſtrem quandam vitæ ſpeciem præſeferẽtes, quâ Imperatorem dolo deluſerunt. Neque ſanè nos fugit Dauidem Prophetam reuera deceptum fuiſſe. Quem non Pontifex, ſed verna, & verbero (Sibam dico, qui falſum teſtimonium contra Miphiboſeth detulit ad regem) veteratorie circumuenit. Atque iſta quidem dico, non quo Prophetam inſimulẽ; ſed quo pro Imperatore reſpondeam; oſtendamque humanæ naturæ imbecillitatem, *& doceam ſimul, nõ ſolis accuſatoribus credendum, quamuis digni videantur, quibus ſit habenda fides; ſed alteram aurẽ integram ſeruandam reo.* Nullius, & ſi grauiſſimi viri teſtimonium; nulla famæ publicæ

2. Reg. 16.

blicæ authoritas facere debet, quod à reo ipso non inquiras, eumque audias, antequam condemnes. Ex quo malitiam principum in Christianos primitiuos euidenter elicit Tertul. in Apol. dicens: *Credunt de nobis, quæ non probantur, & nolunt inquiri, ne probentur non esse, quæ malunt credidisse.* Tertull. Dicebantur Christiani ab Ethnicis infanticidæ, incestores, humanæ carnis epulones. Comprehendebantur, distorquebantur, nulla tamen fiebat quæstio de illis delictis, à nullo interrogabatur, quot infantes peremerit, nihil de ijs inquirebatur. Cur cum tot criminum reos plectis, non de illis criminibus loqueris? Cur non de illis vllum facis verbum? Pulchrè Tertul. *Nolunt inquiri, ne probentur non esse, quæ malunt credere.* Idem. Equidem iudex qui testimonijs alienis ductus procedit in reum, nullũ cum illo faciens de talibus criminibus verbum, aperte conuincitur timere, ne forte non probentur illa non esse, & appareat sincera veritas manifesta. Malunt enim credere mala, quam bona videre. Malunt fide procedere, vt in fidei obscuro, sagittent rectos corde; quam in visionis euidentia, ne forte teneantur parcere, quos condemnant. Tertull. Et addit Tertul. *Incestus sum, cur non inquirunt? Infanticida, cur non coercetur? In Deos; in Cæsares aliquid committo, cur non audior, qui habeo, quo purger?* Equidem potest accidere, quod requisitus reus eam sui rationem reddat adeo euidentem, vt facili negotio firmissima aduersus se testimonia deludat. Crede mihi, quoties solis testimonijs niteris, nec à reo inquiris, nec reũ cõuenis, vt videas veritatẽ; innocentiæ paras insidias. Quò refero illud Psalm. 10. Psal. 10. *Quoniam ecce peccatores intẽderunt arcum, paruerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Quid est sagittent in obscuro? In solis testimonijs vel famæ, vel hominum dicentium obscuritas est, in visione est claritas, & veritas. Pessimi illi affectant non venire ad visionem, sed malũt niti obscuritate testimoniorum, vt sic rectos perdant. Ait enim D. Iustin. Martyr in Apol. 2. Iust. M. *Principes veritati opinionẽ anteponentes, nihilo plus possunt, quam latrones in solitudine.* Quod latro est in solitudine, dũ syluarũ obscuritate vtitur, vt perimat homines, idest, princeps qui sola opinione nititur, vt aliquem damnet, quin accedere velit ad videndum, in quo sæpe veritas pateret oculis. Sed aiunt imperiti, & nimis affecti ad perdendum; quid si reus monitus de delicto, neget, & apparentibus excusationibus se immunem ostendat, & euadat aliquim in veritate nocentissimus? Quibus ego respondeo: quid si reus non monitus de delicto, prætermittat verissimas rationes, quibus innocentiam suam probaret, & sic in veritate innocens cogatur subire supplicium? Planè hoc maius apud omnes viros probos dicitur inconueniens; nec est, qui non magis teneatur vitare periculũ castigandi innocentem, quam liberandi reum. Vt ècontrario in muneribus elargiendis ait Nazianzen. orat. 19. *Multo satius est, ob eos, qui digni sunt, indignis quoque largiri, quam dum metuimus ne de indignis bene mereamur, dignos etiam beneficio fraudare.* Nazianz. Nunquam enim prudentes viri inconueniens putarunt, quod aliquod bonum accidat malefactoribus, ne benefactoribus accidat malum.

Cen. 18. Et appropinquãs ait: Nunquid perdes iustum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul, & nõ parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius; non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram; nequaquam facies iudicium hoc. Dixitque Dominus ad eum; Si inuenero in Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam, &c.

§. XXVII.

Princeps intercessionibus debet concedere.

EVntibus duobus aduersus Sodomam Abrahamus adhuc adstat tertio, & pro Sodomis liberandis instat. Sic enim dicit: *Conuerterunt que se inde, & abierunt Sodomam, Abraham vero adhuc stabat corã Domino, & appropinquans ait: Nunquid perdes, &c.* Chaldæus potuit: *Stabat in oratione coram Domino.* Chald. Vbi sapienter Lyppom. ait: *Armauit igitur se Patriarcha ad nouum virtutis genus, intercessionem.* Lyppom. Quando peregrinos videt Abraham, currit obuiam, seseusque

vsque ad terram prosternit adorans; modo cum vindices Sodomorum nouit, non se prosternit, sed stat coram Domino in oratione. Et cur modo stat? Modo armabat se ad nouum virtutis genus, intercessionem, qua se maximè expugnari sentit Dominus. Proh singularem præstantiam Dei nostri, Principis nostri! Nunquam non cedit intercessionibus. Aiebat Ferrandus diaconus reg. 6. ad Reginum: *O quãta, dux sapiẽtissime, dissimulanda sunt, quãta leuiter attingenda, quanta Sacerdotum intercessionibus cõcedenda ab illo, qui sapienter audit! Noli esse multum iustus.* Hoc erat consilium Ecclesiastæ Principes monetis cap. 7. *Noli esse iustus multum*: quod vt sapiẽter audiat Princeps, multa debet intercessionibus concedere. Iratus Dauid aduersus Nabal pergebat hominem interempturus, omnemque euersurus substantiã eius. Irato nihilominus Abigail occurrit, cibos profert, stat pro misero, ne furor Dauidis prodeat in effectũ. Tunc sedatus Dauid ait 1. Reg. 25. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, &c.* Ecce quanta precatut Dauid mulieri, quæ se interposuit iræ eius: ex quo debent discere vniuersi, quam nunquam debent aditum occludere intercedentibus. Ait D. Amb. lib. 1. officior. cap. 21. *Bellatores aduersus Nabal ad vltionem paratos Abigail deprecatione reuocauerat. Vnde aduertimus, tempestiuis quoque intercessionibus non solum cedere nos, sed etiam delectari oportere. Eo usque autem delectatus est Dauid, vt benedigeret interuenientem, quòd ab studio vindictæ reuocatus foret.* Sic boni Principis, imo bonorum omniũ est intercessionibus cedere. Nec aliũde Princeps ornatior apparebit, quam ex eo, quod intercessoribus iram locum faciat. Ait enim D. Chrysost. hom. 20. ad Popul. de Regis cum ciuitate reconciliatione: *Regem vero negotium hoc omni diademate splẽdidius ornauit. Primum quidem manifestũ factum est, quòd quæ nulli alteri cõcederet, hæc Sacerdotibus condonauit.* Erat Imperator maximè iratus in ciues Anthiochenos, propter deiectas, & confractas imagines. Accessit sanctus Pontifex, veniam petit ab Imperatore, qui concessit postulanti Pontifici, ne ciuitas perdatur. Quid tunc? Ait Chrysost. *Regem vero negotium hoc omni diademate splendidius ornauit.* Et quidem nullum ornamentum sic ornat Principes, vt illos ornat, quòd sciant bonis, & pijs intercessoribus aliquid donare.

Ferrand.

1. Reg. 25.

Ambr.

D. Chrys.

Chrysost.

§. XXVIII.

Ex iustorum consortio multa commoda obueniunt etiam impijs.

QVis nesciat impietatem Sodomitarũ? Nilominus ait Dominus: *Si inuenero in Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam, &c.* Et quid non parcat Deus etiam nequissimæ ciuitati, in qua fuerint viri iusti? Israelitæ nequissimi sæpe irritauerant Dominũ vel pro aqua, vel pro panibus, vel pro carnibus. Interea Deus attulit illis coturnices, vt ait Numer. 11. *Det vobis Dominus carnes, & comedatis: non vno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem, sed vsque ad mensem dierum.* Magna hæc Dei beneficentia in homines perditissimos, qui denique interimẽdi erant ob flagitia sua. Sed quando interimendi erant ob flagitia, cur eos statim in primo, aut secundo die datæ carnis, illos non peremit? Cur maluit carnes dare mense integro? Erant etiam in populo viri iusti, quibus vt benefaceret Dominus; nõ dubitat & largitatem suam extendere ad impios, nunquam enim non veniunt impij cõmoda ex iustorum consuetudine. Sic Abbulen. quæst. 81. in fine: *Fuit hoc, quia Deus voluit alleuiare labores quorundam bonorum, quia inter Hebræos erant aliqui viri iusti, & licet illi non peterent carnes, recrearentur tamẽ datis carnibus; & quia duri ad vnam diem parua recreatio erat, voluit Deus dare carnes ad mensem integrum.* Propter recreãdos iustos mense integro sustinuit Deus impios, illos cumulans beneficijs. Audet Dauid numerare populum; propter quod peccatum Deus pestilentiam immisit; dicit enim 1. Paral. 21. *Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel, & ceciderũt de Israel septuaginta millia virorum, &c.* Cum videas sic Israelem affligi pestilentia in præsenti, ne putes id illi euenisse ob peccatum regis; sed ideo nũc absumuntur, quia ipsi meruerũt. Peccauerat Israel, maximè Absalonẽ sequens; cuius criminis reus modo dabat pœnas, pestilentia decedens, vt nõ parua doctorũ manus censet. Sed cur modo dat pœnas adeo antiquati sceleris? Cur non magis tũc cum Absalon castigatus est, & illi eius sequaces ceciderũt? Tũc erat Dauid iustus cũ eis, quẽ ne Deus affligeret suorum ciuiũ interitũ, scelreatorũ maluit supplicium differre. Modo peccauerat Dauid, & vbi tãtus iustus populo defecit, durissimas statim populus pœnas dedit. Rem tandem finit D. Isidor. Pelus.

Num. 11.

Abbul.

1. Par. 21.

Isid. Pel. Pelus. lib. 3. epist. 219. his verbis: *Qui ad Absalonis partem se adiunxerant, pœnam, & si non statim (mœrorem enim concepisset Dauid, subditis, imo regia dignitate orbatus) at certe non multo post soluerunt. Pestis quippe vos depasta est, funditus vniuersam gentem populans, &c.* Vbi perditio Israelis iusto Dauidi luctuosa futura erat; abstinuit Dominus à supplicio Israelitarum, illis parcēs, dum secum Dauidem iustum haberent. At vbi primum Dauid desijt iustus esse, iusti præsidio carentes Israelitæ pœnas dederunt, misere absumpti pestilentia. Huc trahe dicta tom. 2. in Vet. testam. lib. 5. cap. 16. §. 30. & tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 2. §. 17. & alibi sæpe.

Gen. 18. Respondensque Abraham, ait: Quia semel cæpi, loquar ad Dominum, cum sim puluis, & cinis. Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint? Delebis propter quadraginta quinque vniuersam vrbem? Non percutiam, &c.

§. XXIX.

Hoc præstantissimæ virtutis est, quod scias humiliari, & mitescere erga eum, cui beneficeris.

QVem conuiuio exceperat, quē tenerrimo vitulo, cibisq; alijs saciauerat, Dominum vocat, seque vilem cinerē respectu illius censet, dum ait: *Quia semel cœpi loquar ad Dominum, cum sim puluis, & cinis.* Quid præstantius? Et regium conuiuium præbet, & se cinerem meminit. Et nouit munera regia præstare, & hospitia parare egregia, & inter hæc adhuc se vilem reputat etiam in conspectu eius, quem tot suis muneribus impleuerat. Huc adest magnus ille Dauid, qui infensissimum sibi hostem Saulem nactus in spelunca, cum occidere posset, maluit liberare, scissa tantum minima pars clamidis eius. Quid tunc? Ait

1. Re. 24. text. 1. Reg. 24. *Surrexitque Dauid post eum, & egressus de spelunca clamauit post tergū Saul dicens, Domine mi rex. Et respexit Saul post se, & inclinans se Dauid pronus in terram adorauit, dixitq; ad Saul, &c.* Erant duo soli in agro, Dauid, & Saul; Dauid Sauli pepercerat, & cum posset occidere, maluit seruare, in cuius testimonium scissum eius pallium efferebat. Interea tamen Dauid *inclinans se pronus in terram adorauit, & dixit, &c.* Cur sic se humiliat ad eū, quem vita donabat? Cur non magis se erigit, ostentans signum beneficentiæ suæ in regem? Hoc pertinebat maximè ad ingentem Dauidis virtutem, quod inter beneficia exhibita, inter obsequia summa exhibita regi, non insolesceret, sed se deijceret vsque ad terram in conspectu eius. Ait D. Chrysost. hom. de Dauid, & Saul: *Respexit Saul, & vidit Dauid in facie prostratum in terram. Hæc non minus ornamenti afferunt Dauidi, quam seruatus hostis. Nec enim vulgaris erat animi, nō inflari beneficijs in proximum collatis, perinde vt mancipia supercilijs adductis despiciendo quos beneficio iuuarint. At non ita beatus Dauid, quin potius post impensa beneficia pleniore mensura effudit benefícentiam. Nihilque eorū, quæ præclare gesta sunt, suæ ipsius virtuti referebat acceptum, sed totum diuino muneri adscribebat. Eoq; quem seruarat, adorabat, &c.* D. Chrys.

Sane viles hominum animi inter prospera insolescunt, nec possunt non se efferre respectu eorum, quibus benefecerint. Vt munera alicui præbent, simul illum despiciūt, & se illi superiores ostendunt. Inuenies multos, qui proximis proficui fuerint, sed rarus, aut nullus erit, qui non se extollat super eos, quos ornarit muneribus. Inuenies plurimos, qui pro Republica, pro rege sic pugnauerint, vt vitam regi, & incolumitatem Reipublicæ dederint; sed nullus, qui non aduersus regem, & Rempublicam inter hæc insolesceret, adeo vt nullis remunerationibus quiescat. Non sic viri spectatæ virtutis, qui, & seruatos adorare norunt, & muneratos à se humilius colūt, nec de gestis insolentes queruli sunt præmiorum, cū sciant nihil sibi feciſſe, sed Domino. Quo in genere Abrahamus etiam adest præ oculis, qui post detriumphatos quinque reges, post innumera capta spolia sic se inutilē putauit seruū, vt nec minimā partē pro mercede accipere vellet, sed omnia cesserit Regi Sodomorum, fatus Gen. 14. *A filo sub tegminis vsque ad corrigiā caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Cur non magis afficitur ad spolia tanto labore parta? Cur omnia cedit regi? Cur non potius sua vocat, quę acquisierat? Magnæ virtutis homo, vt omnia Deo tribuit, sic se seruum inutilē recognoscit, vt nec audeat ad mercedē leuare oculos; nec parta reputat sua, sed aliena, ait enim: *ex omnibus, quæ tua sunt.* Quid humilius? Pro quo elegāter cecinit Claudius Marius lib. 3. in Genes. fatus, *Cl. Mar.*

Genes. 14.

At

At victor tanti nil motus laude triumphi
Nil prorſus concupit horum
Magnificus; ſed enim tanta inter gaudia mitis,
Et varios hominum reputat ſub pectore caſus,
Omnes omnino prædas, & præmia belli
Direptis paſſim populis, regique reſeruat.
Non ſibi ſe pugnaſſe docens.

Expende illa, nimirum: *Tanta inter gaudia mitis*, non equidem triumphos, nec ſpolia hominem à vera humilitate, & mititate detorquent. Sed vt fuerat fortis erga victos, ſic erga eos, quos liberarat à captiuitate, & infamia, mitis, & humilis fuit; vt regi ſpoliato antea cederet omnia; & haberet ſpolia parta non præmia laboris, ſed quaſi Regis Sodomorum propria.

Gen. 18. Obſecro, inquit, ne iraſcaris Domine, ſi loquar adhuc ſemel: Quid ſi inuenti fuerint ibi tantum decem? Non delebo propter decem. Abijtque Dominus, poſtquam ceſſauit loqui ad Abraham; & ille reuerſus eſt in locum ſuum.

Caput 19. Venerunt itaque duo Angeli Sodomam, &c.

§. XXX.

Impijs excidium ſalutare eſt.

VBi Abrahamus ſupplicare ceſſat, dicitur abijſſe Dominus ijs verbis: *Abijtque Dominus poſtquam ceſſauit loqui ad Abraham, & ille reuerſus eſt in locũ ſuũ.* Nec amplius dicitur abijſſe Dominus contra Sodomam, ſed abiſſe ſolum. Cum à limine Abrahami egreditur, dicitur eleuauiſſe oculos contra Sodomam; *Direxerunt oculos contra Sodomam*: mox poſt longam diſceptationem cum Abrahamo de venia danda, vel neganda, ſolũ dicitur abijſſe Dominus. Et quando modo excidio parãdo magis appropinquabat, cur non dicitur expreſsius abijſſe contra Sodomam? Nunc ventum erat iam ad hoc, vt Sodomitarum tanta explicaretur impietas, vt nec decẽ iuſti inueniri inter illos ſperarẽtur. Excidiũ autem tam impijs hominibus illatum non ab aduerſaria Dei ira, ſed à miſericordia eius, & gratia, vt quid ſalutare peruenit. Sic 1. Reg. 16. vbi Philiſthæi narratur interfectio: *Præualuitque Dauid aduerſus Philiſthæum in funda, & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit.* Quid miſerius homini impio eſſe potuit, quam vita priuari? Sed rem meditatus D. Baſil. Sel. orat. 26. ait: *Paſtoritys lapidibus Goliath appetitus violenter occubuit. Nam ſimul Dauid, ſimul gratia lapidem iecit.* Expende illud; *ſimul gratia lapidem iecit*; dixiſſet in rem cõuenientius; ſimul diuina ira, ſimul Dei ſeueritas, & rigor, ſimul iuſtitia puniens lapidem iecit, qui impium morti dederit. Quid gratia cum lethali vulnere, cum morte, cum excidio? Planè homini adeo nequam excidium non tam ab ira, quam a gratia, quam à pientiſsima Dei miſericordia venit, quæ præcipitem belluã tenuit, ne abiret in peius. Sic Gen. 7. de ſtragè diluuij ait: *Conſumptaque eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper terram.* Quãta hæc ira Dei aduerſus homines? Illorum tamen conſiderans turpitudinem, quia omnis caro corruperat viam ſuam, non putat Chryſoſt. iram Dei, ſed miſericordiam, qua pereant. Ait enim ibi: *Itaque & ſi Deus puniat, ex bonitate ſua facit. Nõ enim vel affectione, vel ira pœnã infert, ſed malitiam morari nõ vult, ne vltra progrediatur. Quia, & diluuium ob nihil aliud induxit, quam vt curam ageret eorum, qui iniquitati vacabant totí. Et qualis cura hæc omnes aquis ſuffocari? Sciat, quod etiam hoc eſt maximæ curæ argumentum. Nam eos, qui ſic incurabiliter peccant, & quotidie ſibi vulnera inferunt, ex tanto malo liberaſſe nonne ſummæ fuerit prudentiæ? Et hic puniendi modus nonne omni miſericordia plenus eſt?* Miſericordia plenus eſt modus puniendi, qui mortem infert peccatoribus deploratis. Quod enim morte eorum malicia reſcindatur, ne in maius creſcat, longéque maiora ſibi congerat mala, nemo non videat, hoc prouenire à maxima gratia. Quò ſpectans Dominus Deuth. 32. ait: *Ego occidam, & viuere faciam.* Quaſi nunquam ab eius manu telum contorqueatur, quod non in vitam aliqualem tranſeat. Ipſiſsimæ namque mortes à Deo venientes vitam, & miſericordiã halant. Sed vnde mortes miſericordiam halant? Ait Seuerus Antioch. in cat. Græca: *Omnia in veſtram ſalutem tracto, & propterea pœnas in hac vita à peccatoribus exigo, vt per pœnitẽtiam ipſis vitam largiar, quæ nihil aliud eſt, quã impietatis cognitio. Eos, qui ob impietatẽ mortui ſunt, vt ne amplius malũ cõmittant.* Ecce tibi vt Deus in omnibus ſalutẽ, & bonũ humanũ tractãs infert pœnas, morteſq; peccatoribus, ſiue vt ex pœna felices reuiuiſcãt, vel ex morte infelices ſcelerib⁹ finẽ faciant.

1. Re. 16.

Baſil. Sel.

Geneſ. 7.

Chryſoſt.

Sen. Ant.

faciant. Quod sanè est illis semper salutare, ne in peius abeant.

§. XXXI.

Quod Deus peccatorem fugiat, hoc ad summam Dei pertinet iram.

DVm Abrahami, & Dei colloquium finitur; dicitur Deus abijsse, duo autem Angeli Sodomam iuisse; ecce enim fatur: *Abijtque Dominus postquam cessauit loqui*; & statim in capitis sequentis initio: *Venerunt itaque duo Angeli Sodomam.* Tres venerant ad Abrahamum, nimirũ Dominus, & Angeli duo; tresque se aduersus Sodomam iratos ostenderunt. At in re supplicij, cum Sodomam perdendam accedunt; Dominus abijt, prorsus dispâret, soli duo Angeli cernuntur, qui mala inferant. Et cur etiam Dominus pœnæ inferendæ non affuit? Cur ab ipso supplicij puncto discessit? Crediderim discessisse, vt impiorũ supplicium magis inde exacerbetur, quãdo nihil durius in malis est, quam Deum abesse.

Nazianz. Quo videtur respexisse Nazianzen. in 18. Lambico de virtute fatus:

Qui vinculi, & nexus nuit
Rebasque sese mancipans totum inferis
Carnisque seruus, per libet, & fluxa expetens,
Felix sit ipse rebus influxis licet.
Leues se ob umbras efferens, & somnia,
Ob luxum, opesque tumidus, & celsos thronos,
Heu quanta moles verberum hunc illic manet
Quorum supremum est deijci a summo Deo!

Plane inter verbera, inter tormenta, & calamitates à Deo in impios missas, illud supremũ malũ est; quod illic non adsit Deus, sed miseri videantur, & sint à Deo deiecti, & derelicti. Cum huc perueneo, mirari soleo variam Dei prouidentiam erga tyrannos mundi; erat Pharao truculentissimus puerorum Hebræorum hostis; cuius in aulã mittit Deus puerum Hebræum, qui custodiatur ab illo, & qui tandem illum perimat.

Exod. 2. Sic Exod. 2. dicit: *Adultumque tradidit filia Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filij, vocauitque nomen illius Moyses.* Nota est huius pueri historia, vt à parentibus expositus fuit; & commendatus fluctibus, ne perimeretur à Pharaone; vt à Deo deductus fuit in ipsius Pharaonis vlnas, vt ibi cõseruaretur tutius. Non sic cum puerulo diuino Iesu factum est, imo vbi Herodes in illum armari sentitur, aduolat Angelus ad Ioseph, qui dicat Matth. 2. *Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptũ.* Puero Iesu mandatur fuga, vt liberetur ab Herode; puero Moysi consulitur inter ipsas Pharaonis vlnas. Cur ergo Iesus fugiat? Cur non magis vt Moyses seruatur in ipsa tyranni aula, inter amplexus illius? An qui hoc potuit in Moyse, in Iesu non potuisset? Absit imo vt ait D. Chrysost. hom. 8. in Matth. *Multo potius fuisse videatur in manus eum Herodis incidere; nec tamen eum incidisset, latere, sed claro diuinitatis auxilio vindicari*, sed durius castigandus erat Herodes in ipsa Dei fuga; si enim Iesus Herodi adesset, eius nutriretur in aula, inter eius amplexus viueret, vel optabile foret à tali manu supplicium, ipsaque iam mors fuerat expetibilis. Moyses ergo vt creatura, sit in aula, & in brachijs hostis sui, vt perimat illum, vt solent creaturæ facere in suos propinquos; Iesus autem, vt Deus est, sic necessum est, vt ab Herode fugiat, quem est percussurus; supremum enim hominis malum est in Dei fuga. Quò alludens D. Chrysol. ser. 152. inquit: *Herodes hostis naturæ, omnibus malus, suis peior, pessimus sibi, quem Christus, non vt euaderet, sed ne videret, aufugit.* Itaque sic erat inuisus Herodes Christo Dei filio, vt nec puniens voluerit videre illum; sed cauit hominis impij conspectum, vt pessimum ostenderet illũ, & grauissimo supplicio dignum. Et quod maius supplicium, quam quod nec videre te patiatur diuinitas? Sapienter dicebat ipse Chrysol. serm. 150. *Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pauoris. potens quando se subduxit infirmo, insequentem non pauet, sed foris producit, vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam.* Equidem in fuga Dei cuidẽtius patet peccatoris ruina. Huc trahe dicta tom. 2. de Christo figurato lib. 5. cap. 18. §. 3. & sæpe alias.

Matth. 2.

Chrysosto.

Chrysol.

Idem.

CAPVT NONVM.

Abimelechi supplicium ob Saram.

Textus Historia.

INDE Paucis post diebus Abrahamus peregrinationẽ mãdatam repetit, Gerara cõtendit, vrbem Palestinorũ haud ignobilem, sed magis fideli rege præclarã dominante; is erat Abimelech veri Dei cultor,

cultor, diuinarumque virtutum æmulator. Nec tamen deſiuit Abrahamus timere vxoris pulchritudini, quæ vel ſanctos reges in nefaria coniugia, & homicidia rapit: ideoque antiquam ſapientiam reſumens vxorẽ tacet, Sororemque dilectiſsimam clamat. Vt quid enim diſsimularet vxorem, niſi eius timeret pulchritudini adhuc in ſenilibus annis vernanti? Vt poſt centum & viginti annos Moyſi oculi non caligarunt, nec dentes moti ſunt; ſic Saræ poſt nonaginta annos tota faciei gloria integra manſit; quam vt vidit Abimelech, amauit; amatam autem, & ſolutam reputans ſibi in cõiugem accipit. At non decuit vel famam pudoris in Iſaaci matre periclitari; quare ſimul cum Sarais morbus Regiam intrauit, qui euidentiſsimum fecit nullam fœminam à rege potuiſſe tangi. Inſuper Deus regi dormienti adſtat, mortem minatur, niſi ſtatim marito vxorem reddat intactã. Quo expergefactus Abimelech, multoque terrore perculſus Abrahamum vocat, dolenter queritur de fraude ſibi facta, in coniugij diſsimulatiõne; porrectiſq; muneribus non paucis Saram reddit Abrahamo, cauẽs ne rurſus in notiſsima periçula abeat.

PARS MORALIS
circa textus literam.

AD Saræ ingreſſum ſterileſcit aula, vt virtutum vena, quæ in ſanctis eſt, fœcundior appareat; & de illius abundãtia vniuerſi poſsimus exſatiari.

Cen. 20. Profectus inde Abraham in terram auſtralem, habitauit inter Cades, & Sur: & peregrinatus eſt in Geraris. Dixitque de Sara vxore ſua; Soror mea eſt. Miſit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam. Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem, quam tuliſti; habet enim virum.

§. I.

Hominem exuat neceſſum eſt, qui veritatem periculoſam manifeſtet.

ITerum de vxore periculum timet Abrãhamus, & iterum vxorem tegit, & Sororem prædicat, dum peregrinatur in Geraris apud regionis potentes. *Peregrinatus eſt in Geraris. Dixitque de Sara vxore ſua, Soror mea eſt.* Et quis homo ſibi periculoſam veritatẽ non tegat coram potentibus? Certiſsimum eſt illud Antiochi Ptolemaidis Epiſcopi teſtimonium de Chriſto Domino. Ait enim in Paſchal. aduerſus Iudæos: *Non hominem purum dico Ieſum, ſed hominẽ, per quem ſaluus factus es; hominem, qui de ſe ipſo dicebat: Quid me quæritis interficere hominem, qui veritatem dixi vobis?* Et quidem nõ homo purus ſit, ſed Deus, vel Deo plenus, & vacuatus homine, qui veritatem periculoſam ſibi neſciat tacere, ſed illam proferat potentibus. Sauli quærenti de euentu prælij per manus mulieris veneficæ, apparuit illi Samuel iam defunctus, & ait. 1. Reg. 28. *Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid, quia nõ obediſti voci Domini, &c.* Periculoſiſsimum putaret homo tot infauſta annuntiare regi. Cur Samuel non magis cauet ſibi? Cur nõ magis diſsimulat, ne regem exacerbet? Exuerat iam Samuel hominem, mortuus mundo erat, totus Dei effectus; & ideo veritates has effari minimè veretur. Ex quo ait D. Zeno ſerm. de Reſur. *Samuel egregius mortis iam lege diſpunctus Sauli regi non tantũ ſuam præſentiam exhibet, ſed ad conſulta reſpõdit, liberiuſque canit mortuus, quam canere cõſueuerat viuus.* Ecce tibi vel Samuel dũ mortalis erat, dum homo inter homines agebat, aliquid tribuebat timori, & reuerentiæ; ne totam veritatem regi exhiberet; ne ceſſum fuit, vt moreretur, vt hominẽ exueret, vt cum Deo eſſet, vt ſic poſſet nudam veritatem liberrime annuntiare coram potente. Hinc purpuratus ille dũ eſſet in tormentis Lazarum defunctũ petebat dimitti de cœlis, qui fratribus quinque purpuratis æternas veritates prædicaret. Cui Dominus reſpondet Luc. 16. *Habent Moyſem, & Prophetas, audiant illos.* Sed etiam

Ptol. Epi.

1. Re. 28.

D. Zeno.

Luc. 16.

habebant Sacerdotes, & legis peritos, & doctores plurimos, cur non designauit illis Sacerdotes aliquos strenuos, vel legis doctores ex Ierosolymitanis Scholis? Cur ad solum Moysem, & Prophetas maluit illos remittere? Propheta Ieremias non timuit carceres, nec catenas, vt veritatē nuntiaret: Isaias maluit medius findi, quā reticere veritatem: Moyses integerrimus fuit veritatis propugnator. Sciāt ergo purpurati, & potentes viri à quibus veritatem expectare possint; non ab ijs qui humanā vitam colunt, qui personas agunt inmundi theatro. Dum Moyses non est, dum Ieremias non est, dum Isaias non est, qui veritatis simplicitatem carceribus, tormētis, morti præponunt; nec veritatem dicēt potentibus, nec potentes securi erunt eorum testimonijs. Vnde sciolus ille Ieroboam cupiens veritatem scire de morte filij 3. Reg. 14. *dixit vxori suæ: Surge, & commuta habitum, ne cognoscaris, quod vxor sis Ieroboā, & vade in Silo vbi est Ahias Propheta, &c.* Mittitur regina ad Prophetam, & mutato habitu mittitur, ne cognoscatur. Nō erant potentissimo regi famuli, & ministri? Cur necessum fuit, quod non famulus, sed regina iret, & ea iret mutato habitu, ne cognoscēretur regina? In habitus mutatione curabat astutus rex impedimētum tollere, quo minus Ahias diceret veritatem. Sic enim ait Carthus. *Ne cognoscaris, quod vxor sis Ieroboam, ne propter regium fastum, veritatem tibi dicere, quod verum est.* Nouerat ille, quā pene impossibile est, quod viri reges, & potentes nudam hauriant, vel à bonis viris veritatem; & ideo quando illam certo scire voluit, nihil prius curauit, quam abscondere reginam, & proferre fœminam priuatam. Sed hoc posset præstari per famulam, vel ministrum aliquem; cur necessum fuit per ipsam reginam tractari? Dissimulauit reginam, vt Ahias diceret veritatem; nō misit famulam, nec ministrum, vt dictam veritatem sincerius vsque ad regem asportaret. O sapientiam à principibus inittandā in re veritatis indagandæ. Dissimulent regem, dissimulent Principem, & potentem, qui amant sinceram haurire veritatem; nā enim homo purus est, sed vel Deus, vel Deo plenus, qui eam velit potentibus annuntiare. Nec rem committat viris aulicis, ministris, aut famulis, si quando ij veritatem acceperint, nil prius agent, quam illam obiurare, ne sincera, & integra possit ad regem penetrare.

3. Reg. 14

Carthus.

§. II.

Quæ à Deo, vel per somnium venit disciplina, efficacissima est, vt hominem cōtineat.

DOrmienti regi apparet Deus, & mortem minatur, sic enim dicit: *Venit autem Deus ad Abimelech per somnium noctis, & ait illi; En morieris propter mulierem, quam tulisti; habet enim virum, &c.* O Domine per somnium loqueris ad regem de non tangenda muliere pulchra, de pœnis inferendis pro auſu lasciuo? Et cum hæc audiunt vigilantes Principes, insomnia putant, & quasi de insomnijs rident! Ad regē clamabat Ioānes Mar. 7. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, & rex vigilans excipiebat verba, & quasi non acciperet. Quid faceret rex dormiens ad verba similia? Quæ vigilanti non prosunt, dormienti dicis? Et speras profutura? Equidem quæ à Deo venit per somnium disciplina nō contemnitur, sed efficacissima est, vt hominem contineat. Aiebat enim D. Synes. lib. de Insomnijs. *Hic vigilans, alter somnians edocetur, sed per vigiliam homo est, qui instruit; dormienti vero Deus virium suarum fructum obijcit, vt eadem sit discere, quod assequi.* Dum vigilantibus datur disciplina, humanus est modus, in quo magnum chaos est inter audire, & facere, discere, & assequi: verū vbi dormienti per somnium disciplina datur, vt ea à Deo venit virium suarum fructum ostentante, sic efficaciter homo persuadetur, & nihil mediat inter discere, & assequi. Quidquid enim sic Deus faciendum insinuat, in effectum abit. Dicitur Iob cap. 3. *Per somnium, in visione nocturna, quando irruit super homines, & dormiunt in lectulo. Tunc aperit aures virorum; & erudiens eos, instruit disciplina. Vt auertat hominem ab ijs, quæ facit, & liberet eum de superbia, &c.* Expende ab illis: *Tunc erudiens eos instruit disciplina, &c.* Vbi Tygurina lectio ait: *Disciplinam eorū velut impresso sigillo confouet.* Sigillo impresso designātur, quæ firmia sunt, & profsus constantia. Sic quæ à Deo venit disciplina per somnium, adeò perfecte, & firmiter accipitur, quasi scripta sigillo obfirmata, quæ nequeant reuocari. Quò respiciens Nicetas in cat. Græca fatur: *Si negligentem Dominus inuenerit, nocturnis illum terroribus ad mentem reuocat, & monitis corrigit. Et vero vs-*

D. Synes.

Iob 3.

Lect. Tig.

Nicet.

ro vſque eò eſt hic timor vtilis, qui viſis & ſtimulachris vtitur ad erudiendam, vt & futurum ſupplicium cohibeat; & hominis, quem reddit meliorem, corpus, & animam quouis malo atque incommodo liberet, neque in hoſtium manus eum incidere ſinat. Ecce tibi vt efficax eſt diſciplina, quæ à Deo per ſomnium venit: quæ in vigilantibus altiſſimæ creaturarum voces, imminentia pericula non cõficiunt; hæc in dormientibus conficit virtus diuina. Et timor à Deo dormienti immiſſus adeo vtilis eſt, & efficax, vt vel præcipitem hominem detineat, ne mala incurrat. Compone modo omnes Ieroſolymæ ſapientes commotos in Ieſum tanquam malefactorem, & reum mortis cum fœmina vna vxore Pilati, ſic dicẽte ad virũ Matth. 27. *Nihil tibi, & iuſto illi; multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* Sed & iudæi multa viderant propter Ieſum; viderãt claudos ambulantes, cęcos aſpicientes, mutos loquentes, mortuos reſurgentes. Audierant, eundem venturum in ſede maieſtatis, in nubibus cœli, & *vę* inclamaturum. Et nihilominus illũ malefactorem reputant; mulier autem vna ob viſa de illo iuſtum prædicat. Cur ergo magis perſuadetur fœmina viſis de Ieſu, quam Iudæi? Iudæi vigilantes erant, traditi, vel raptæi à viuidiſsimis ſenſuum concupiſcentijs, quæ ſucum faciunt videntibus, ne videant; audiẽtibus, ne audiãt. Fœmina viderat per ſomnium, quando ſopiti ſenſus nihil nocent, hinc eius eruditio efficacior ad perſuadendum, & victrix in omnibus aduerſis videtur. Quo reſpiciens D. Chryſoſt. hom. in Paraſceue apud Grethſerum tom. 2. de cruce, ait: *Nihil tibi, inquit, & iuſto illi, multa enim paſſa ſum per viſum propter eum. Tanquam alter Ioſeph veritatem per inſomnia cognitam aduerſus Iudæorum clamores teſtatur. Decebat enim eos à fœmina vinci.* Ecce tibi vt quando Iudæi erant à fœmina vincendi, & confundendi, datur fœminæ veritatem cognoſcere per inſomnia; tunc enim & deſęcatior eſt, & efficacior ad perſuadẽdum, vt libera à tumultu ſenſuum. Hinc Cantic. 5. aiebat ſponſa: *Ego dormio, & cor meum vigilat: Vox dilecti mei pulſantis, &c.* Dũ ſe fatetur dormire, nihilominus primũ ſponſi pulſum ſentit. Et vnde dormiens tã perſpicax eſt in Dei pulſu percipiendo? Ex eo, quia dormit. ſic enim ſopiti ſenſus non perſtrepunt, & efficacius ſentitur, quidquid à Deo venit. Vt dicat D. Niſſen. hom. 10. in Cant. iuxta tranſlationem Delrij ibi: *Atque iis ſenſibus omnibus, quaſi in quodam ſomno quieſcentibus, effectio cordis pura eſt, & ſurſum ſpectat ruio, nullo eam mouente ſenſu circunſtrepente: Eam ob cauſam anima, quotieſcumque ſe ſola veri boni contemplatione oblectat, omni rei voluptuariæ dormit, & omni motu corporeo ſopito, nuda, puraque mente, quaſi per diuinam quandam vigilem, Dei prælectionem recipit, & audit vocem pulſantis, &c.* Sic perſuadetur quidquid à Deo venit, obdormientibus ſenſibus.

Matt. 27

D. Chryſ.

Cant. 5.

D. Niſſen.

§. III.

Apud mundiales Principes in maiore pretio ſunt quæ circa ſomnia.

NOn otioſe dictum, imo nec factum illud eſt cum Abimelecho, ob mundanorũ Principum, quam gerebat, imaginem, vt Dominus ad eum per ſomnium veniret. Sic enim ait: *Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnia, &c.* Nihil enim auidius Principes mundiales excipiunt, quã ea, quæ inſomnia ſunt, & nullo citius, quã per ſomniorum narrationes, & explicationes, quis valet apud illos. Nota fuit Ioſephi calamitas, vt a fratribus venditus, vt portatus in Ægyptum, vt à Domina inſidijs appetitus, vt in carcere truſus, vt inde ad regnum eductus, & ad Pharaonis amicitiam. Et quibus gradibus è carcere euolauit Ioſeph ad regis familiaritatem? Narrabat pincerna Regi Gen. 41. *Erat ibi puer Hebræus, eiuſdem militum ducis famulus: cui narrantes ſomnia, audiuimus quicquid poſtea rei probauit euentus, ego enim redditus ſum officio meo: Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioſeph totonderam, &c.* Ecce tibi à ſomniorum explicatione incepit Ioſeph valere apud palatinos, & reges. Vbi de ſomnijs egit cum palatinis in carcere, profperitatis ſuæ aulicæ fundamentum iecit. Rem ita expedit Theodoret. ſer. 8. de Prouid. fatus: *Calumnijs accuſatus Ioſeph carcerem habitauit. In carcere detentus aulicis ſomnia expoſuit. Hinc regi notus fit, quem ſomnijs turbatum omni cura liberat.* Expende illa: *Hinc regi notus, &c.* Ex ſomniorum tractatione cum palatinis incepit innoteſcere regi, & apud illum eſſe in pretio, & æſtimatione. Crede mihi, in ſomniorum tractatione, & explicatione, regum, principumque mundialium omnium ſies Dominus. Daniele audito cap. 2. aſſ. *Tunc rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adorauit: Tuo rex Danielem in ſublime eleuauit,*

Geneſ. 41

Theodoret.

Daniel. 2.

lit, & munera multa, & magna dedit ei. Carpebat impius Porphyrius scripturæ veritatẽ, eo quod diceret à tanto rege adoratũ Danielem. Quis, ait, credat, quod potentissimus, & superbissimus rex adoraret captiuum, vilemque hominem, eumque in sublime extolleret? Cui sapienter respondet D. Hier. ibi: *Non considerat Porphyrius, ideo somnium illud diuinitus regi missum, eiusque interpretationis mysteria per Danielem reuelata, vt Daniel cresceret, & in loco captiuitatis Princeps fieret omnium Chaldæorũ.* Plane volens Deus, quod Daniel exaltaretur in aula Babylonia, & Princeps fieret è captiuo, à superbissimoque rege coleretur, somnium immisit regi; cuius fieret Daniel explicator; quo non mirari debet Porphyrius, quod adoretur à regibus explicator somniorum. Et quid mirum, quod Babylonius rex proueat Danielem, & adoret? Explicabat Daniel coram rege somnium, dicebatque vt ipse rex erat caput aureum, & aureus totus; vt erat minus illo, quidquid post illum venturum erat; sicut argentum, æs, & ferrum est minus auro optimo. Nec mirer, si adoretur, qui talia apud mundiales Princeps narret somnia.

Hieron.

Gen. 20. Abimelech vero nõ tetigerat eam, & ait: Domine num gentem ignorantem, & iustam interficies? Non ne ipse dixit mihi, Soror mea est; & ipsa ait, Frater meus est? In simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum Dominus: Et ego scio, quod simplici corde feceris, & ideo custodiui te, ne peccares in me, & non dimisi, vt tangeres eam. Nunc ergo redde viro suo vxorem, & orabit pro te: quia Propheta est, & viues, &c.

§. IIII.

Fœmina pudicitia, vel in leuissimis ipsa potest sordescere, & nocere alijs.

Bis in paucis verbis ponitur, quod Sara intacta exiret a domo Abimelechi; primõ ait textus: *Abimelech vero nõ tetigerat eam*; secundo, & paucis interiectis ait Deus, *Nõ dimisi, vt tangeres eam.* Et cur tanto studio ostenditur dicẽte id Deo, & Moyse, quod Sara intacta exiret? Vel ad tan leuem tactum fœminea puritas teritur, vt multis persuadendum esset, quod Sara dum amaretur à Rege, omnino pura, & integra maneret. Quod vt nouum, & inauditum, sic ipse mirabatur rex, vt notat D. Augustin. lib. 22. contra Faustum inquiens de illo: *Plus in Sara admirans formæ decus, quod amare potuit, violare non potuit.* Noua, & miranda fuit Saræ pulchritudo, quæ sic exposita vt tangi visu amatorum posset, nihilominus non abijt in sordes. Hoc adeo admirabile, & nouum in Sara fuit, vt vix credi posset nisi attestante, & prouidente Domino. Quod ideo dixerim, vt fœminæ cautæ sint, quãdo earum puditicia vel in leuissimis sordet. Monebat Dominus populares suos Exod. 19. *Cauete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis, qui tetigerit montem, morte morietur.* Quid rigidius? Quid scrupulosius? Prohibentur, ne ascendant montem; & meritò, posset enim mons fẽdari sub pedibus hominum: at amplius prohibentur, ne tangant montem. Deus bone, sic caues vel manuum tactum vastissimo monti? Qui mons posset recipere damnum ex leui tactu hominum? Crediderim pudicitiam humanam montem esse, in quem salit Dominus, de quo ait Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus*, nimirum purissimis, pudicissimisque Mariæ viscerĩbus. Quæ puritas fœminea vt mons est cœlos pertingens, sic in adeo leuissimis sordet, vt meritò cauere debeat vel leuissimum tactum hominis. Rem pulchrè cecinit Nazianzen. in Lambico 1. de Pudicitia inquiens.

Augustin.

Exod. 19.

Cant. 2.

Nazianz.

Sociumque tecti facile nec fratrem cape
Spectare morbi fomitem, quid attinet?
Non est, quidẽ hoc fœdũ: ast memoria sordidat
Vel sola. Patri crede te soli, & Deo.
Fugiant, vt olim bestiæ montem Sinæ
Cum lex tabellis sculperetur, cæteri.
Intacta sint hæc, victima, & virgo: manus
Fugiat prophanas illa, visum hæc omnium.

Piaculum esset vel verbulum prætereire, quorum singula spirant, & ingenij acumẽ, & vtilissimam doctrinam moribus. Vt victima sacra manus vitat prophanas, vt mons Sinæ cauebat leuissimum tactum hominum, imò & propinquitatem illorum; sic fœmina pudica, vel iactum oculorum, vel leuissime videre, & videri timeat,

vt quæ sciat vel â sola memoria contrahi sordes. Non minori periculo fœmina est sibi propinquantibus, quam olim fuit mons Sina; vt ipsa vel tactu oculorum fœdetur, & ipsi perdite corruant.

§. V.

In quouis culmine dignitatum possunt inueniri perfectissimæ vitæ actus.

COnueniant huc, qui ab aularum copijs, & facultatibus putant prorsus exulare vitæ puritatem: & videant cõfessionem regis Abimelech iacentis in regio stratu, soliciti de adiũgenda sibi formosissima Sara. Et quid inter hæc fatur? *In simplicitate cordis mei, & mũditia manuum mearum, feci hoc.* In Regia, in delicijs aulæ, in splendore, & culmine dignitatis, in præsentia pulchertimæ fœminæ, est homini regi simplicitas cordis, & mũditia manuum. Quis iam in aulis, in culmine dignitatũ putet necessitatem peccandi? Magnus Athanas. epistol. ad Dracontium monebat virũ ne fugeret Episcopatum, aiens: *Nec dicas, nec dicentibus credas Episcopatum esse causam peccati, aut quod inde nascãtur occasiones delinquendi. Licebit tibi in Episcopatu esurire, & sitire sicuti Paulo. Licebit, & vinum non bibere, sicut Timotheus fecit, & ieiunare frequenter, vt Paulus solet. Nonimus enim Episcopos ieiunantes, & monachos comedentes, &c.* Sanè medijs in dignitatum culminibus, in aularum facultatibus inuenientur sæpe clarissimæ virtutes; & ea vitæ moderatio, & puritas cordis, & rectitudo mentis, qua nõ sit maior in adytis monasterij. De Ioseph dicebat Psalm. 104. *In seruum venundatus est Ioseph. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertrãsijt animam eius, donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflãmauit eum, misit rex, & soluit eum, Princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ. Vt erudiret Principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* Ecce tibi hominem, & priuatum, & regiũ, & in carcere, & in regno constitutum, in vtrisque tamen pulchris radiantem virtutibus. In carcere Verbo diuino inflammabatur, ait enim: Eloquium Domini inflammauit eum; in regno cõstitutus sic se gerebat, vt eius vita doctrina esset senũ. Quid plura? Aiet Theodor. ser. 8. de Prouid. *Talis hic fuit seruiens, & regnãs. Talis in prospera, & aduersa fortuna. Proinde neque opes, neque imperium, nec paupertas, nec seruitus malitiam pariunt; sed vbique mentis arbitrium regnat.* Equidem, & in imperij culmine, & in aulis potentissimorũ regum possunt inueniri, qui pure, & sancte, imo perfectissime degant. Ieremiæ cap. 38. ipse Ieremias ab aulicis ductus est in arctissimam custodiã; *Audiuit autem Abdemelech Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod mississent Ieremiam in lacum, porro rex sedebat in porta Beniamin. Et egressus est Abdemelech de domo regis, & locutus est ad regem dicens, Domine mi rex, male fecerunt viri isti omnia, quæ præceperunt contra Ieremiam, &c.* Ecce tibi Abdemelech Æthiops, & eunuchus, & habitans in aula, & nihilominus iniustitiæ minimè consentit. De quo Theodor. supra ait: *Abdemelech quidam Æthiops, eunuchus, nec aulæ regiæ fastum, nec regnantem in ea impietatem, nec contra Prophetam conceptum furorem meditans iniustam regis sententiam reprehendit: & summum rerum omnium inspectorem monstrat, aulamque iusta pœna perterret.* Sic etiam aulæ viros virtutum præstantissimarum ostendunt. Vt de Cesario fratre suo dicat Nazianzen. orat. 10. *Cumque magnis quotidie dignitatibus ornaretur, maioribus tamen, ac iam in spe positis dignus habebatur, tum ab ipsis Imperatoribus, tum ab omnibus ijs, qui primas secundũ eos tenebant. Quodque maximum censendum est, non commisit, vt à gloria, aut ab ijs, inter quas versabatur, delicijs, animæ suæ nobilitas corrumperetur. Quin potius cum multa, & magna ipsi suppeterent, ad dignitatem tamen hoc primum erat, quod Christianus, & esset, & cognominaretur.* Plane inter magnarum dignitatum culmina, inter ipsos thronos, nil magis Cesario cordi erat, quam quod Christianus videretur. Sic in illo simul commonstrabatur, & priuati Christiani seruor; & thronorũ splendor. Meritô in hoc Christi sectator acerrimus, cui, & Domini magnalia, & serui forma cordi erat. Vt dicat Paul. ad Philipp. 2. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formã serui accipiens, &c.* Et quæ ista conuentio formæ Dei cum forma serui? Pulchrè Theodotus hom. 1. de Natiuit. ait: *Famebat vt seruus, panes multiplicabat vt Dominus.* Simul potentissimi Domini personam agebat in panum multiplicatione, in imperio circa mare, circa ventos, & inter has dominij, beneficentiæque copias, simul famebat vt seruus. Non equidẽ throni cogunt homines, vt vitijs se dedãt.

Athanas.

Psal. 104

Theodor.

Ierem. 38

Theod.

Nazianz.

2. ad Phil.

Theodot.

§. VI.

Qui seruos Dei lædunt, & in ipsum Deum irruent.

ILlud notandũ in verbis Domini, quod ait: *Custodiui te, ne peccares in me, & nõ dimisi, vt tangeres eam.* Dum non dimittitur Saram lædere, custoditur, ne in Deum peccaret; quia qui lædit Dei seruos, iam in de aduersus Deum sese parat. Dicebat Iesus Luc. 9. *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos; filius enim hominis, futurum est, vt tradatur in manus hominum.* Sed scire cupis, à quo tradendus erat Dominus? An solus Iudas, aut Iudæi tradituri illũ erant? Quam quæstionem, & excitat, & finit Ioãnes Geometra in cat. Græca D. Lucæ fatus: *A quo tradendus est? Dices, ipsum etiam à diabolo traditum esse, a quo traduntur prædonibus iuga, & muli Iob.* Expende, vnde probet a diabolo fuisse Iesum traditum in mortem, nimirum ex eo, quod à diabolo fuissent tradita in ruinam Iobi famuli Dei bona. Qui enim audet in Dei seruum, quasi necessario sequitur, quod audeat in ipsum Deum. Si quem videris, qui Dei seruos offendat, qui non vereatur illis bona eripere, mala inferre; nõ dubites, quod ipse similia in Deum ostendat. Gen. 49. Iacob ait: *Simeon, & Leui fratres: vasa iniquitatis bellãtia. In concilium eorum nõ veniat anima mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.* Legunt alij: *Quia in indignatione sua interfecerunt homines, & in concupiscentia sua ceciderunt neruos tauro.* Ecce tibi illorum furor incepit quidem ab hominibus occidendis, & desiuit in taurum. Sed qui erant homines, qui occidebantur; & quis taurus? Explicat rem Tertul. lib. 3. in Mar. *Quia indignatione sua interfecerunt homines, id est, Prophetas, & in concupiscentia sua ceciderunt neruos tauro, id est, Christo, quem post necem Prophetarum suffigendo neruos eius clauis, desæuierunt.* Primũ in Prophetas desæuierũt, dein statim aduersus Christum vadunt; qui enim seruos Dei contundere non cauent, crede mihi, nec Deo ipsi parcent. Vnde mirabundus Dauid Psalm. 2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt in vnũ aduersus Dominum, & aduersus Christum eius?* Mirandum sane, & stupendum est, quod terreni reges sic audeant in Deum insurgere. Et vnde tam insolens audacia in illis fuit, qua Deum petant? Fremuerunt prius in sanctos eius, in viros iustos, & Prophetas: inde non mirer, quod clare in Deũ insurrexerint. Ait D. Chrysost. ibi: *Quemadmodum cæcus vna virga pugnat cum diuite, & paupere, cum seruo, & libero, ita aliquando Iudæi, & Græci, & gentes incredulitate cæcutiẽtes, in Prophetas, & Christum bellum similiter gesserunt.* Quo furore ad Prophetas iuerũt, eodem similiter Deum impetiuere. De illis enim ait Apocal. 17. *His cum agno pugnabunt.* Quis vnquam vidit reges gentiũ agno Dei bellum inferre? Is qui vidit illos insurgere aduersus Dei seruos. Ait D. Amb. ibi: *Cum agno pugnauerunt, quia Ecclesiã Dei persecuti sunt, populumque Dei interfecerunt.* Et quando in populum Dei ausi sunt, eodẽ ausu insurgunt in Deum. Parce homo in ira tua sanctis, si vis parcere Deo.

Luc. 9. Ie. Geom. Genes. 49 Tertull. Psalm. 2. D. Chrys. Apoc. 17. Ambr.

§. VII.

Proficientes, vel diris cogendi sunt, vt prorsus à carnalibus decedant.

LAudat Dominus Abimelech puritatẽ cordis, & nilominus illi minas intentat, dicens: *Nunc ergo redde viro vxorem, & orabit pro te, quia Propheta est, & viues, si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris, &c.* Et quem scis simplicis cordis esse, nullius que maculæ reum in accipienda Sara stetisse; imo & coram te humiliter deprecãtem vides, cur illum mortis minis exagitas? Cur non magis allicis blanditijs, sed mauis hominem pium terrore mortis cogi, vt reddat vxorẽ viro suo? Planè quo magis pius est Abimelech, & maculæ immunis, eò vehementiori vi cogẽdus est, vt à carnalibus voluptatibus abstineat. Sic enim Deus se gerere solet circa iustos suos; quos videt in salutis via proficere, hos diris exagitat, & vi compellit carnalia relinquere. Isaias cap. 28. ait: *Quem docebit hanc sciẽtiam? Et quem intelligere faciet auditũ? Ablactatos a lacte, auulsos ab vberibus.* Expende ordinem: prius ablactatos à lacte nominat, deinde proponit ab vberibus auulsos. In ablactatis solum nulla vis intelligitur, nec coactio; at in auulsis, iam ibi coactio, & vis intelligitur. Nam quos ablactatos iam ostendit Dominus, & in vita proficiẽtes de cœlesti mensa videt, eos quasi vi, & multis diris facit, à carnalibus abhorrere. Sic notat D. Chrysost. ser. de Iob, & Abraham, inquiens: *Dicit enim, Ablactati a lacte,*

Isai. 28. D. Chrys.

te, anulſi ab vbere; afflictionem ſuper afflictionem ſuſcipe, ſpem ſuper ſpem. Non dicit, ablati ab vbere, ſed anulſi. Proficientes enim ad perfectionem, coguntur, vt cedant à lactando. Aſpere tractat Dominus proficientes, donec coacti ſaltem vi, & diris, carnis blanditijs renuntient. Hinc Luc. 14. poſt cœnam magnam paratam vocauit Dominus conuiuas, qui ſe ſe à tanta cœna excuſarunt, tũc ait rex ſeruis ſuis: *Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait ſeruus, Domine, factum eſt vt imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſeruo. Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare.* Vbi ad cuiuſque domũ mittebat, ſolum proponebat prandium, ſiue cœnam paratam, vt venirẽt qui velint; rurſus mittens ad plateas, & vicos ciuitatis, nullã ibi vim; nullã coactionẽ mãdat. At cũ mittit ad vias, & ſepes, tũc iam mãdat vim, & coactionem. Et cur modo compelli mandat inuitatos, & non antea? Antea erant quique in domibus ſuis, intra ciuitatem mundialem; nullum fecerãt in via ſalutis gradum; hos autem cœna propoſita inuitat, & blande allicit. At qui à ciuitate mundiali exierant, & in via erant ſalutis proficientes in ea, hi meritò compelluntur, & vi, & pugnis coguntur mundialibus renuntiare, & in conuiuium diuinum intrare.

Luc. 14.

Geneſ. 20. Statimque de nocte conſurgens Abimelech, vocauit omnes ſeruos ſuos; & locutus eſt vniuerſa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde. Vocauit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid feciſti nobis? Quid peccauimus in te, quia induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meũ peccatum grande? Quæ non debuiſti facere, feciſti nobis. Rurſuſque expoſtulans ait, Quid vidiſti, vt hoc faceres?

§. VIII.

Res virtutis, & perfectionis mature, & cum conſiderationis pondere arripienda.

DE reſtituenda Sara ſolicitus Abimelech, *De nocte conſurgens vocauit omnes ſeruos ſuos, & locutus eſt vniuerſa verba hæc, &c.* Non ſic in principio, cùm vellet ſibi accipere Saram, tunc enim ſolum dicit: *Miſit Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.* Vt accipiat fœminam, non vocat ſeruos ſuos, nec cum illis de ea re loquitur, vt illam reſtituat, etiam admonitus à Deo adhuc ſeruos conuocat, rem cum illis tractat. Et cur ad accipiendam eam non fuit vlla conſultatio; quæ modo intercedit, vt reſtituatur? Sanè in reſtituenda Sara res maximè virtutis exercebantur, quæ ex ſe cõſultationis maturitatem, & pondus petunt, vt in glorioſum effectum abeant. Pulchrè hinc virtutem, & vitium diſcernit Philo lib. de Abrah. fatus: *Virtus ſedatiſſimo eſt ingenio, quam aiunt ſolere, quoties imparem ſe vetetur aduerſario, prius virium ſuarum periculum facere, vt confligat, ſi qua ſe oſtendat ſpes victoriæ, ſin minus ne deſcendat quidem in certaminis aleam. Vitium enim vinci ſe turpe non putat, aſſuetum ignominiæ.* Ecce tibi vt è re vitij venit leuitas, & temeritas, quâ inconſideratè in omnia ruitur, vt quod nihil gloriæ veræ ſpectet; at ê re virtutis ſemper eſt maturitas, & conſideratio, & conſultatio de viribus, nec niſi maturè, & cum rationis, conſultationiſque pondere procedit, vt ſemper vincat. Victoria enim virtutis in eo conſiſtit, quòd cum deliberatione, & conſultationis pondere concurrat. Quò refero illud ex Exod. 17. *Cum leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Manus autem Moyſi erant graues: ſumentes igitur lapidem poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit: Aaron autem, & Hur ſuſtentabãt manus eius ex vtraq; parte.* Manus ad victoriam ordinatæ graues erant, & adeo graues, vt egerent duobus viris hinc inde poſitis, quibus ſuſtentarẽtur, vt ſic ſuſtentatæ victorias poſſent parere. Quid inde protenditur? Crediderim inde monſtrari virtutum opera, vnde victorias pariant, nimirum ex eo quod non leuiter, ſed ponderoſe procedant, maturiſque grauiſſimorum virorum conſilijs ſuſtentata. Ait D. Amb. in Pſal. 104. *Sapientis cor, actuque, & opus radicatum eſſe decet, atque immobile. Hoc docuit Moyſes, quando manus ei graniores fiebant, ita vt vix ſuſtineret eas Ieſus Naue. Ideoque vincebat populus, quando non perfunctoria gerabantur opera, ſed plena ponderis, atque virtutis, non nutantis animi, nec tituban tis affectu, ſed fundatæ mentis ſtabilitate.* Itaque opera virtutis victricis, non leuiter, & raptim procedant, nec inconſiderate, vt

Philo.

Exod. 17.

Ambr.

quæ

quæ magis petant pondus, & stabilia fundamenta, quibus nitantur. Nunquam virtus victorias suas æternabit, nisi de magnis præmissis consilij fundamentis procedat. Datū fuit Salomoni adolescenti, quòd templum ædificaret Deo: & dum ventum
1. Par. 29 fuit ad rem, dicit Dauid 1. Paral. 29. *Salomonem filium meum vnum elegit Deus adhuc puerum, & tenellum: opus enim grande est; neq; enim homini præparatur habitatio, sed Deo. Ego autem totis viribus meis præparaui impensas, &c.* Ecce tibi Salomon adolescens eligitur, vt ipse ædificet domum Domini, quę nomen Dei in mundo æternet. Sed quomodo adolescens delicatus in tantū opus procedet? Ait ibi Dauid: *Ego autem totis viribus meis præparaui impensas, &c.* Prius senex, & prudens, & exercitatus Dauid submittitur, qui omnia templi præparet, examinet, trutinet; vt de tanta præmissa senis præparatione procedat adolescens in perfectum Dei opus. Ait enim pulchrè Paul.
Paul. Or. Oros. lib. de libr. arbitr. *Ex his duobus templum Domini vnus præparat, alter ædificat: præparat senex, perficit puer.* Crede mihi, vel puerulus sublime attinget opus perfectionis, si de longa senum præparatione procedat, & consultatione. Non exurgit perfectionis, nec virtutis opus, nisi vbi matura senum præparatio, & consultatio præponitur.

§. IX.

Sic se habeat Princeps quasi vnus è subditis, si velit illos sibi deuincere.

VIde moderationem Abimelech regis in obiurgādo Abrahamo, ait enim; *Vocauit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei; Quid feciſti nobis? Quid peccauimus in te, quia induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum grande?* Et quis vnquam priuatus ita moderatè egit cū eo, qui occasionē dederat summo discrimini? Quis pater, quis amicus sic obiurgauit, aut filiū, aut amicum sibi periculosum? Bonus Princeps Abimelech, in nullo se ostēdit regē, in nullo se superiorē præbet: sic obiurgat Abrahamum, quasi nō esset maior, sed illi æqualis existeret. O regalissimum ingeniū Principis! Nunquam Princeps magis sibi subditorum animos deuincit, quam cum in nullo se ostendit alium ab illis. Hinc extolleret Traianum suum Plinius in Paneg. aiens: *Quod quidem Patris nomen quā benignitate, quā indulgentia exercet? Vt cum ciuibus tuis quasi cum liberis parens viuis? Vt reuersus Imperator, qui priuatus exieras, agnoscis, agnosceris? Eosdem nos, eūdem te putas, par omnibus, & hoc tantum cæteris maior, quo melior.* Expende illa: *Eosdem nos, eundem te putas, par omnibus*: quę quidem stemmata sunt Principis regalissimi; & arma, quibus vniuersos detriumphet. Credite mihi, in nullo magis Princeps sibi inferiorum animos obstringit, quam dum se non alium ostendit ab illis. Sic maximus omnium Princeps Deus sui principatus formam exprimens Luc. 14. ait: *Simile est regnum cœlorū homini regi.* Mirabar, quod cœlestis regni altitudinem sic ad hominis similitudinem deprimeret. Cur Domine cœlestia ad terrā demittis? Cur quod immensæ est magnitudinis regnum, intra hominis claudis mensuram? Meritò regalissimus Princeps humanos animos volens sibi adiungere, ostēdit principatum suum non alium ab illis. Ait Ioannes Geometra in cat. Græca D. Lucæ. *Quamdiu homines sumus, neque diuinæ bonitatis diuitias datur cognoscere; necesse est, vt simile sit regnum Dei homini regi, vt hominibus loquatur, qui à Deo in propria manente natura dispensari non possunt. Tunc vero cessauit regnum cœlorum simile esse homini, cum cessante zelo, & contentione, & reliquis passionibus cessauerimus secundum homines ambulare: & audierimus a Deo: Ego dixi, dij estis, &c.* Effingit maximus Princeps regnum suum ad mēsuram subditorum, ne vnquā appareat aliud ab ijs, quos sibi subijcere amat. Cum enim homines iuxta Dei placitum fiamus dij, exuentes quidquid hominis est in nobis; tunc Dei regnum minimē assimilabitur homini. Id quod patet Matt. 17. vbi de Iesu ostendente regnum suū in Transfiguratione ait: *Transfiguratus est ante eos.* Et ait Ioannes Geometra in cat. Græca D. Luc. *Hæc enim temporalia qui trāscendit, videt Iesum ante se trāsfiguratum, configuratum nemini.* Ecce tibi, dum supra hominē es, dum te supra temporalia eleuas, & sis propinquus Deo, Dei regnum configuratur nemini, nec homini simile est. At quādiu homines sumus, Dei regnum simile est homini, hominibusque assimilatur, & configuratur, vt sic illos sibi faciat subiectos.

Gen. 20. Respondit que Abraham: Cogitaui mecum, dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter

ter vxorem meam; aliâs autem, & vere ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem. Poſtquam autem eduxit me Dominus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc miſericordiam facies mecum, &c.

§. X.

Timor Dei efficaciſsimum frænum contra laſciuiam.

INgenue fatetur Abrahamus cauſam ſuæ diſsimulationis a se is: *Cogitaui mecum dicens: Forſitan non eſt timor Dei in loco iſto, & interficient me propter vxorem, &c.* Dum abeſſe timorem Dei credidit, nihil non petulans, & laſciuum aduerſus vxorẽ credidit exorturum. Timor enim Dei eſt, qui valeat rabiem comprimere libidinis, quæ ſine dubio exorbitat, vbi deficit ille. Tertull. Sic Tertul. lib. 1. in Mar. ait: *Age itaque qui Deum non times, quaſi bonum; quid non in omnem libidinem ebullis, ſummum, quod ſciã, fructuæ vitæ omnibus, qui Deum non timent?* Efformarat Marcio Deum vt nullius iræ capacem, ſic in nullo timendum. Aduerſus quem ſapienter argumentatur Tertullianus, quod eo ipſo, quod timorẽ Dei adimat, neceſſum ſit, vt adimat frenum libidinis. Nihil enim citius oritur ablato timore Dei, quam effrænis luxuries; quæ maximè cohibetur fræno illo. Proponetibi ob oculos petulantem illam Ægyptiam libidine flammantem in Ioſeph, qui illi dicebat Geneſ. 39 Gen. 39. *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* In margine expreſsius ponitur, *in Deum*, & Theodoretus legit, *peccabo coram Deo.* Mirabar fœminam nobilem, & Principem ſic rapta ri luxurię reſtibus, vt nec pudori parceret, nec periculo. E contra autem puerulũ cap tiuum inter ſeruos agentem ſic dominari li bidinis, vt nec fumo eius tetro tangeretur. Vnde hic tam continens? Vnde illa tam effrænis? Defuit huic timor Dei, quem affa Theodoret. tim ille tenuit. Accipite Theodoretum ſer. 8. de Prouid. *Non vides, inquit Ioſeph, quem ego video. Nam tu quidem affectibus ebria es, ego vero ebrietatem illam non admiſi, qui totius machinæ huius gubernatorem video. Hunc ego videns timore, & metu tangor, & matrimonium generis noſtri fontem, & viæ ad vitam hanc deducentis ianuam, violare non auſim.* Expende totam hic continentiæ cauſam poſitam, nimirum, *Timore, & metu tangor*, qui enim Dei timore tangebatur, non mirer, quod ſub tanto fræno brutos laſciuiæ appetitus teneat. Qui proculdubio erumpunt effrænes, vbi timor Dei deficit. Dan. 13. *Videbant eam ſenes quotidie ingredientem, & deambulantem, & exarſerunt in concupiſcentiam eius. Et euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos; vt non viderent cœlũ, neque recordarentur iudicium iuſtorum. Erant ergo ambo vulnerati amore eius.* Scholiaſtes Græcus, *Erant puncti concupiſcentia eius vehementer*: Quippe ex quo declinauerunt oculos, ne viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum, quibus Deus laſciuos perdit, facti abſque timore Dei, hoc cõſequens erat, vt concupiſcentia carnali exardeſcerent ad conſpectum pulchræ fœminæ. At Suſanna petulantibus ſenibus reſpondet: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in cõſpectu Domini.* Vnde mulier immobilis ad laſciuorum commenta? Ait D. Chryſoſt. D. Chryſ. hom. de Suſanna: *Contemnebat, quod audiebat, quia timebat eum, quem nihil latebat.* Ecce tibi, & caſtitas ſimul, & timor Dei ſunt; in quibus timor Dei deficit, proculdubio, & caſtitas ibit peſſum. Gen. 34. *Egreſſa eſt Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius*; & vt egreſſa eſt, flammas libidinis in Principe Sichen accendit, inter quas ipſa perijt. Et vnde caſta fœmina in primo egreſſu tot caſtitatis diſcrimina, imò excidia inuenit? Egreſſa fuit ſola ſine timore comite; ideoque in tot clades peruenit. Ex quo monebat Petr. Cellenſ. lib. de Panib. Pet. Cell. cap. 14. *Noli filia Iacob, noli ſine fratribus exire ad mulieres regionis huius, quia Leo eſt in via. Sichen filius Hemor ardens in concupiſcentia tui. Saltem Simeon, & Leui, id eſt, timor præſentium, & futurorum, pudicitiæ tuæ ſemper aſsiſtant protectores, & vltores, ne rapiaris, ne blanditijs delinita in confuſione nobilitatis tuæ proſtituaris.* Sub hoc comite, timore Dei ſecura poteſt eſſe caſtitas, qui vbi defecerit, ſtatim ſuborientur pericula mille, mille damna. Nũquã enim damna pudoris ſunt, niſi in quo timor Dei non inuenitur. Vt dicat Eccleſiaſticus cap. 23 *Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur trãſgrediens vſque ad finẽ. Omnis homo, qui tranſgreditur lectum ſuum, contemnens in animã ſuam, & dicens, Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & pa-* Eccl. 23

tes cooperiunt me, & nemo circunspicit me, quē vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei. Vt expellit Dei timorem, simul in omnem effunditur luxuriem.

Gen.20. Tulit igitur Abimelech oues, & bobes, & seruos, & ancillas, & didit Abraham; reddiditque illi Saram vxorem suã, & ait: Terra coram vobis est, vbicumque tibi placuerit, habita. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes, qui tecum sunt, & quocumque perrexeris: memẽto te esse deprehensam. Orante autem Abraham sanauit Dominus Abimelech, & vxorem, &c.

§. XI.

Principibus beneficentia gloriosa, & vtilis.

NOn solum Abimelech restituit vxorem Abrahamo, sed etiam hominem multis muneribus ditat: quippe dicitur: *Tulit igitur Abimelech oues, & bobes, & seruos, & ancillas, & dedit Abraham; reddiditque illi Saram, &c.* Quid principe dignius? Credant Principes, non minuuntur, sed augentur, & crescunt bona in beneficenti, & largitore principe. Aiebat Pacatus in Panegyr. Theodosij: *Imperatori propriam maiestatem æstimanti non tam id suum videri debet, quod abstulit, quam quod dedit. Nam cum intra ipsum voluantur omnia; & vt ille, qui cuncta ambit, Occeanus, quas suggerit aquas terris, recipit è terris; ita quidquid in ciues manat à Principe, redundat in Principem; & rei, & famæ bene consulit munificus Imperator. Lucratur enim gloriam, cum dei pecuniam reuersuram.* Hoc suo in animo fixissent Principes; & fallar nisi in immensum crescerent bona illorũ, & gloria, si munifici, & liberales essent in suos. Et inter thesauros sibi ditissimos, & glorioßissimos reputarent; non quos recondito auro plenos habent, sed quos sæpius vacuarent replendis ciuibus. Hæc essent illis vtilissima cõsilia. Isaias cap. 32. ait: *Princeps ea, quæ sunt digna Principe, cogitabit, & ipse super duces stabit.* Vbi Vatablus legit: *Liberalis autem liberalia consulit, perque liberalia facta ci. rus exurgit.* Munificentiæ, & liberalitatis opera non deprimunt Principem, sed illũ maximè eleuant, & faciunt super potentissimos quosque exurgere. Vt meritò dicat Cassiodor. 3. Var. 29. *Quis nostrum nesciat illud bonis principibus crescere, quod benigna possunt largitate præstare? Hæc sunt enim regia dona, quod semina, sparsa in segetem coalescat, in vnum coacta depereũt.* Nemo huius virtutis experientiam fecit, qui non mesuerit messes ampliss imas. Nũquam semina tantam in segetem coalescunt; vt coalescunt dona Principum. Nunquam flumina tam præcipiti cursu in mare remeant; vt currũt ad Principes bona ciuium, quæ orta sunt ex Principis beneficio, adeò vt de possessione Principis minimè egressa videantur. Quo refero illud Gen. 14. vbi offerebat Rex Sodomæ spolia capta ab hostibus eorum victori Abrahamo; cui ille respondit: *A filo subtegminis vsque ad corrigiam calceæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Modo autem dicitur Abimelech rex Geraræ dedisse Abrahamo oues, & bobes, seruos, & ancillas, & mille argenteos, quæ omnia Abrahamus accepit. Et cur Abrahamus cauit à rege Sodomæ accipere ne videretur illius manu ditescere; & id non cauit in Abimelecho rege Geraræ? Sodomita dabat spolia in pretium pugnæ, & labores; quæ autem sic dantur, transeũt in dominiũ accipientis, quibus ille augetur. Abimelech offerebat mera munera; munera autem gratuita regum, videntur non transire in accipientis dominium, sed inde maiori impetu ad regem redeunt, vt supra Pacatus dicebat. Ideo Abrahamus non cauit recipere ea, quæ semper sub rege manebant, & vi debantur esse ipsius regis.

Pacat.

Isai. 32.

Vatabl.

Cassiod.

Genes. 14.

§. XII.

Aurea munera nunquam non rubori, & dedecori fœminæ.

Obscurissima verba apud interpretes

dixit

dixit Abimelech Saræ aiens: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum ſunt, & quocumque perrexeris, memento te eſſe deprehenſam.* Quibus verbis agnoſcunt ironiæ iocũ Rupert. Raban. Caietan. imo agnoſcunt aliquid caſtigationis, & obiurgationis Vatablus, Oleaſter, & alij, præcipue, quia vbi noſter ponit: *Memento te eſſe deprehenſam*; ex Hebræo legunt; *& fuit caſtigata*, Sed ſcire cupis, in quibus illorum verbis fuit hæc cum ioco, & ironia caſtigatio? Illa ſunt, & iocoſa dicta, & fœminæ punitiua verba: *Ecce dedi mille argẽteos fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, &c.* Aurea enim munera acquiſita ob gratiam fœminæ, nunquam non ſunt rubori, & dedecori fœminæ, ob quæ non aperta facie poſsit coram ſcientibus incedere; Hinc per iocum vexans Rex Saræ pudorem, repræſentat munera aurea, argẽtea ve à ſe propter illam fratri, vel marito exhibita, ne putet Sara ſibi aliquid nõ eſſe pudori, & erubeſcentiæ, ob quam faciem velet coram ſcientibus. Equidem ea fuerat Saræ pudicitia in aula, ea cautela in abijciẽdis etiam minutiſsimis munuſculis regis; vt inde palatinus homo occaſionem nactus ad vexandum ioco pudorem fœminę, munera à ſe data obijciat, quæ ſint in velamen oculorum, nimirum, quæ illi dedecori ſint, & verecundiæ. Quando enim aurea munera in fœminis non verecundum quid, & punitiuum innuant? Ierem. 51. *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram.* Quę verba explanans Theodor. ait: *Hoc itaque loco, ſupplicium aliis gentibus illatum à Deo, nuncupauit poculum aureum.* Nota ſignum poſitum à Propheta pro ſupplicio, nimirum, aureum poculum in manu fœminæ Babylonis. Eo enim ipſo, quod in fœminæ manu aurea cernãtur munera; iam ibi intelligitur res caſtigationis, & ſupplicij. Hinc Tertul. ſupponens datum aurum, & gemmas filiabus hominũ à filijs Dei, inquit lib. de Habitu muliebri: *Illud ipſum bonum naturalis decoris, vt cauſam mali, ſic remunerauerunt, ne eis profuiſſet fœlicitas ſua, ſed vt deuectæ de ſimplicitate, & ſinceritate, vna cum ipſis in offenſam Dei peruenirent.* Expende, quo protendit illud, *remunerauerunt*, quippe dabantur illa aurea munera, in quibus caſus à ſimplicitate, & ſinceritate legeretur. Tunc enim ſuſpitio mali tollitur à fœmina, quando ab illa aurum reuellitur. Hinc Gen. 35. familiæ Iacobeæ mulieres *dederunt omnes Deos alienos, quos habebant, & in aures, quæ erant in auribus earum, at ille infodit ea ſub therebintum.* Quod perditioni dederint Deos alienos tantæ familiæ mulieres, nõ miror, ſed illud mirandum, quod ſimul perditioni dederint inaures. Cur inaures cum Idolis perditioni dantur? Erant in aures aureæ, vel argenteæ, quæ puellis in munus à procis dabantur; quæ meritò tollũtur, vbi omnis nequeam ſuſpitioni aditus clauditur. Dicit enim D. Amb. epiſt. 66. *Congrue inaures auferuntur mulieribus, ne iterum Eua vocem ſerpentis audiret.* Crede mihi, nunquam non creduntur ſerpentis veſtigia eſſe vel in adamantino pectore mulieris, in qua cernuntur munera aurea.

Rupert. Raban. Caietan. Vatabl. Oleaſt. Tertull. Geneſ. 35 Ierem. 51. Theodore. Ambr.

§. XIII.

Res diuinæ non ſunt ordinandæ ad lucra temporalia.

DIcturus textus, vt orante Abrahamo rex curabatur; prius meminit munera ei data ob aliam longe cauſam, dum ait: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum ſunt, & quocumque perrexeris, memento te deprehenſam. Orante autem Abraham. ſanauit Deus Abimelech, &c.* Ecce vt prius explicat, ob quid argentei fuerint dati, nimirum ob velamen oculorum, & ad memoriam diſcriminis Saræ. Deinde orationes poſuit Abrahami, quibus Regiam totam reſtituit ſanitati; cauens ſic ne putaretur Abrahami propter pecunias habendas Regiæ curationem fuiſſe operatus. Nũquam enim à bono, ſed à malo ſpiritu venit, quod diuina fiãt ob lucrum temporalem. Matth. 8. acceſsit quidam ad Ieſum dicens: *Sequar te, quocumque ieris.* Cui Ieſus reſpondit: *Vulpes foueas habent, & aues cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Et cur volenti ſequi, obijcit Ieſus ſuam extremam paupertatem? Sectator iſte eo ſpectabat, vt virtutes ſanandi, & miraculorum diſceret, quibus ipſe ingens lucrum faceret pecuniarum. Quem ſpiritũ vt alienum à Deo ſic reiecit Ieſus prædicans ſuam paupertatem inter tot miracula. Ex cuius ore ait D. Baſil. Seleuc. oration. 28. *Quid miraculorum fingis deſiderium, cum pecuniarum te vincat amor? Quid ob quæſtum diuitiarum paupertatis adiſti legislatorem? Pecuniæ miraculis non actitantur. Inſpice me, qui ex autho-*

8.

Matth. 8.

Baſil. Sel.

ritate patre miracula, volucribus pauperiorem. Non è miraculis aurum legitur, neque nobis hoc admirabilium rerum lucrum est. Nihil magis alienum à miraculis, a diuinis actionibus, quam si torqueantur in lucrum temporale. Hinc cauebat ip-

Matt. 10. se Dominus Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecunias in*

D. Hila. *zonis vestris.* Circa quæ D. Hilar. can. 10. ait: *Quid sibi vult auri, argentive, atque æris in zona inhibita possessio? Zona est ministerij apparatus, & ad efficaciam operis præcinctio. Ergo ne quid in ministerio nostro venale; sit admonemur, neque hoc Apostolatus nostri opus fiat, auri, argenti, æris que possessio.* Idem plane debet esse, quod quis præcingat se virtutum diuinarum operationem, & quod exuat spem temporalis lucri: ni velit in Dei offensionem maxi-

Mich. 3. mam incidere. Michæas ait cap. 3. *Prophetæ eius in pecunia diuinabant: Propterea, causa vestri Sion quasi ager arabitur.* Ecce tibi extrema populi vastatio vt ex eo veniebat, quod propter pecunias fiebat

Cyr. Ale. prophetia. Ait ibi D. Cyril. Alexand. *Nefarium plane est pietatem quæstus occasionem facere, & res diuinas acquirendæ pecuniæ viam arbitrari.* Non ideo dantur homini diuinæ virtutes, vt quæstus faciat, & lucris inhiet temporalibus, quod

Actor. 8. nunquam non est lethale. Quippe Actor. 8. *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens, Date mihi hanc potestatem, &c.* Qui meritò reijcitur à Petro, & inter damnatos, & deploratos numeratur. Et cur tam duriter castiga-

Tertull. tur? Ait Tertul. lib. de Idololatr. *Quoniam aliquid de circulatoria secta cogitaret, vt inter miracula professionis suæ, etiam Spiritum Sanctum venundaret.* Diuinarum virtutum amabat mercatum facere, vt bonis ditaretur temporalibus, vnde damnationē incurrit ineuitabilem.

CAPVT DECIMVM.

Fœdus Abrahami cum Abimelech.

Textus Historia.

IAM Natus Isaac lætitia domum impleuerat paternam; & Abrahamus ne Saræ filio filius ancillæ molestus esset, & Ismaelem, & matrem a se ejecerat. Et ecce tibi Abimelech cum Phicol Principe exercitus sui Abrahamum conuenit, sanctamque, & iuramento firmatam amicitiam ab illo petit. Non abnuit Abrahamus, homo promptus vt omnibus se amicum præbeat; sed & munera regi offert; quibus ille lætus ad propria redit.

PARS MORALIS.

circa textus literam.

NAtiuitas Isaac modo accedebat, cuius historiam habes tom. 1. in Vetus testam. lib. 3. cap. 1. par. 1. & 2. vbi latè, & historia textus explicatur, & per moralia studia exprimitur succus literæ. In præsenti aliqua cursim dabimus, quæ etiam ad mores pertineant.

Gen. 21. Visitauit Dominus Saram, sicut promiserat, & impleuit quæ locutus est. Concepitque, & peperit filium in senectute sua, tempore, quo prædixerat ei Deus, &c.

§. I.

Magnorum virorum præsagia in natiuitatis miraculis cernuntur.

IN senectute parentum paritur magnus Isaac; dicitur enim de eius matre: *Concepit, & peperit in senectute sua.* De quo eleganter ait D. Aug. ser. 68. de Tempore: *Augustin.*

Longè deficientibus membris Isaac concipitur, subito inanes & marcescentes venæ redierunt sanguine feruentes, & emortua seni viscera calefacto sanguine vaporata, vsque ad partum inquilinis sunt caloribus animata. Sic Isaac credulitate nascitur, vt eorum fides in progenie emarcuit in sæcula. Sic in natiuitatis signis, & miraculis veniunt, quos expectat mundus, vt sub illorum gloriis fiat insignis. Pulchrè Sidon. Apol. in Paneg. Anthemij Augusti bis consulis canebat: *Sidon.*

Cunabula vestra
Imperij fulsere nouis, & præscia tellus
Aurea conuerso promisit sæcula sæclo

Te nas-

Fe nascente fluunt, exorto flumina melle
Dulcatis cunctata vadis, oleique liquores
Ipse per autonitas bacca pendente trapetas.
Protulit undantem segetem sine semine campus,
Et sine se natis inuidit pampinus vbis,
Hiberna rubuerunt rosæ, spretoque rigore
Lilia permixtis insultauere pruinis.
Tale puerperium quoties Lucina reuoluit,
Mos elementorum cadit, regnique futuri
Fit veram nouitate fides; venisse beatos
Sic loquitur natura Deos.

Quid pulchrius? In eo quod emortua corpora reuiuiscant ad partum; quod frigidus sanguis recalescat; quod inter albentes canos, fructus exurgat iuuentutis; & mammæ ad folles redactæ resumant effundenda mella; ostendit natura infanti orto glorias iam iam imminentes. Sic veniunt futuri dij, qui orbem beare debeant. De parentibus Ioannis locutus Luc. cap. 1. *Nō erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Et post pauca: *Hæstibus autem diebus cōcepit Elisabeth vxor eius.* Ecce tibi, vt in senibus emortua viscera reuiuiscunt, nec miror, inde enim ostendebantur ingentes filij nascituri virtutes. Luc. 1. Chrysol. Ait enim Chrysol. ser. 92. *Elisabeth annosa, atque etiam mortua sanctum reuiuiscit in partu: & lurida, atque exarata rugis membra, medullis vitalibus in viscera fœcunda viuidantur; ipsum quoque tempus, ipsum quod defecerat, reuocatur ad corpus: & vetustate nimia domus vetori dilapsa, in faciem nouam repente reparatur; stupet ordo, defecit consuetudo, miratur ipsa natura, & ex apparatu mansionis hospitis meritū, dignitasque innotescit.* In tot miraculis iam prædicabatur nascentis magnitudo; non poterat sic venire, nisi qui Angelus diceretur, & putaretur à scribis, & Pharisæis Christus; & laudibus extolleretur à Dei filio. Annuit Beda homil. 2. in vigil. Ioan. Baptistæ fatus: *Sic Isaac filius promissionis, qui in figuram redemptoris nostri factus est obediens patri vsque ad mortem, de veteranis parentibus, & sterili diu matre natus est: Sic Iacob, & Ioseph, sic Samson fortissimus ducum, & prophetarū eximius Samuel steriles diu corpore, sed fœcundas semper virtutibus habuere genitrices, vt miraculo natiuitatis natorum dignitas nasceretur, & probarentur sublimes in vita futuri, qui in ipso vitæ exortu conditionis humanæ iura transcenderent.* Sicibi.

(*)

§. II.

Natiuitatis miracula ingens bonum in nascituro protendunt.

NON Otiose ad sterilis fœminæ senectutem expectat Deus, vt Isaaci promissi partum cōcedat; dicit enim de Sara: *Concepit, & peperit in senectute.* Tanto enim miraculo concipi, & parturiri debebat, qui nascebatur ad tantas benedictiones gentium. Quo spectans Sedul. lib. 1. Paschali cap. 4. aiebat: *Marcebant Saræ iam senectute membra languentia, & grandæuo situ sanguis extinctus annosi corporis venas desperatæ prolis sterilitate damnauerat, cum senioris viri fœcundata connubio sinum gelidi repente ventris extendit, & tumidis nouo partu præcordys, natum sera fœcunditate progenitum, in spem futuræ gentis, & populi ad lactei potus vbera mater tremebunda suspendit.* Expende illud, *in spem futuræ gentis, &c.* In eo quod tam noue, & inusitate à siccis vberibus alebatur infans, simul, & alebatur spes populorum. Quid enim non speraretur a paruulo tantis miraculis orto? De se aiebat Iesus Ioan. 15. *Ego sum vitis vera*; quem tamen effigians Dan. 2. ait: *Lapis abscissus est sine manibus.* Sanè & lapis, & vitis erat nobis Dominus, & tam in lapide, quam in vite sine manibus abscissus erat, quando noue, & prodigiose de Virgine incorrupta nascebatur. Sed cur sic abscissa sine manibus ostenditur in natiuitate vitis nostra nisi iam inde ingentia mundo bona obuentura nuntiaret? In Anthemij Augusti natiuitate fingitur vitis abscissa frondes, & fructus germinasse, de quo ait Sidon. Apol. Panegyr. 2. Sydon.

Ast hunc, egregij proceres, ad sceptra vocari
Iā tunc nosse datū est: laribus cū forte paternis
Protulit excisus iam non sua germina palmes.
Imperij ver illud erat, sub imagine frondis
Dextra per arentem florebant omnia virgam.

Ecce tibi Iessæa virga Iesus, excisus sine manibus de maternis visceribus; ibi & flores, & noua germina parturiuntur, quæ mūdo, & floridam, & auream ætatem restituāt. Sanè virginitas Mariæ, quātum ex se erat aridum lignum; hæc tamen protulit florem Iesum, in cuius reflorescente natiuitate imperij ver exprimebatur, & vt per aridæ virgæ reflorescentis signum omnia dextra, omnia fœlicia ventura iam erant mundo.

§. III.

Magna viri gloria est, quod in nullo videatur bono, in quo non magis dare, quam accipere videatur.

TOties à Deo promissi Isaaci natiuitas vsque ad parentum extremã senectutem reseruatur, cum dicat textus de eius matre: *Concepit, & peperit in senectute.* Et cur tam sero, iam iam pene emortuis parentibus, & magis cadauer, quam corpus portantibus filius datur? Pertinebat hoc maximè ad gloriam nascentis Isaaci, quod in eo tempore nasceretur, quando nõ tam ipse accipere à parentibus, quam illis ipse videretur præstare. Sic Gen. 37. dicitur de Ioseph: *Israel diligebat Ioseph super omnes filios, eo quod in senectute genuisset eum.* At magis genuerat in senectute Beniamin, qui natus fuerat post Ioseph. Cur ergo de Beniamin non dicitur, quod fuerit in senectute genitus, & dicitur id de Ioseph? Vt Ioseph super omnes erat eleuãdus, sic de eius ortu prædicatur, quod ad maximam viri gloriam facit, nimirum quod vel in natiuitate appareat præstare beneficia patri. Ait D. Basil. Sel. orat. 8. *Si Beniamin filiorum Iacobi postremus, & senectuti vicinus erat, quomodo Ioseph filius senectutis appellatur? At senectutis filius est, qui senectutem accurans, & ætatis patriæ laborem cura alleuans, spe senectutis fouendæ naturalem amorem sibi conciliauit.* Nõ quidem Beniamin, sed Ioseph sic nascebatur, vt in illo putarent parentes accipere fulcrum suæ cadentis ætatis. Hæc enim erat maxima Ioseph gloria supra omnes fratres, quod eo tempore, & circunstantijs nascebatur, quod iam videretur non tã ex parentibus accipere, quam ipse illis dare, quo in spem vitæ alantur. Quanta hæc gloria in hominibus? Paulus ad Hebræos 9. de Iesu ait: *Nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destructionem peccati, per hostiam suam apparuit.* Expende illud, quod maximam quæstionem fecit gentilibus, nimirum, *in consummatione sæculorum apparuit.* Cur enim quando omnes homines saluatore egebant, tam sero saluator datur? Cur non statim in initio mundi, vel saltem in prima, aut secunda ætate filius Dei venit in mundum homo factus? Respõdet Theophylactus ibi ex D. Greg. Nissen. meritò dilatam fuisse Christi natiuitatem vsque in ea tempora, in quibus iam totum virus peccati esset manifestatum, quando omnia, & culpæ, & pœnæ, sese in immensum dilatarent, adeo vt nulla esset in mundo sanitas, sed vbique vlcus, & vulnus, & plaga tumens. Pertinebat enim maximè ad gloriam filij Dei, tunc ex hominibus nasci, quando euidenter constaret, non ipsum in nascendo accipere, sed beneficium dare. Sic enim adulatur suo Trajano Plinius in Panegir. quod angustis Reipublicæ temporibus fuerit in principem adoptatus: *Olim tu quidem adoptari merebare, sed nescissemus, quantum tibi deberet Imperium, si ante adoptatus esses. Expectatum est tempus, in quo liqueret, non tam accepisse te beneficium, quam dedisse.* Ex homine gentili gaudeo sumpsisse hanc rationem, quæ vel ethnico satisfaciat. Posset equidem filius Dei ex hominibus nasci. vel in initio mundi; sed cum nondum totum virus vidissemus peccati, non vniuersas inde ortas calamitates, nescissemus quantum deberemus saluatori tanto. Eius autem gloriæ cõuenit, vt illud expectaretur tempus eius natiuitati, quo, crescente peccato vsque ad diluuium mundi, vsque ad Sodomiticas flammas, vsque ad delubra dæmonum, vsque ad alia innumera nefaria, aperte liqueret, non in nascendo Iesu tam accepisse beneficium, quam dedisse.

Plin.

Genes. 37

Basil. Sel.

Ad Heb. 9.

Theoph.

Cen. 21. Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol Princeps exercitus eius ad Abraham Deus tecum est in vniuersis, quæ agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ: sed iuxta misericordiam, quam feci tibi, & terræ, in qua versatus es aduena. Dixitque Abraham. Ego iurabo. Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ, quẽ vi abstulerant serui eius. Respondit Abimelech: Nesciui, quis fecerit hanc rem, &c.

§. IIII.

Peccatores homines meritò sibi possunt timere a iustis hominibus.

GEntilis rex vbi nouit Abrahami sanctitatem diuinis beneficijs confirmatam, pergit ad illum dicens: *Iura ergo mihi, ne noceas mihi, &c.* Ex eo quod videat Deum fauere in omnibus Abrahamo, timet ab illo sibi damnum obuenire, & petit, ne sibi suisque noceat. Sed cur Abimelech nocumentum sibi cauet venturum ab homine, cui videt Deum propitium? Sanè gentilis est, & peccator; & prudentissime cauet sibi, qui talis est, ne comparatus ad vicinas iusti virtutes malũ incurrat. Solẽt enim ex iusti vicinitate, mala in peccatores venire, ob vicina iustorũ despecta exẽpla. Aiebat enim Paul. ad Hebræos cap. 11. *Fide Noe responso accepto de his, quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundũ.* Dicitur Noe damnasse mundum, at vir sanctus, & iustus pro mundo orabat, omnesque sibi vicinos curabat trahere in fidẽ imminentis periculi fabricatione arcę. Quomodo ergo dicitur à Noe damnationem in homines venisse, pro quibus ipse potius orabat? Equidem sanctus ex se, & ex animo suo malum non inferebat, at multi illi peccatores, & impij dum prope viuebant; ex comparatione illius virtutum vt culpabiliores videbantur, sic malum extremum trahebant sibi. Ait Chrysost. hom. 25. *Condemnauit, inquit, mundum, nõ quod ipse fuerit iudex, sed comparationis gratia, condemnationem Dominus induxit.* Solent equidẽ iustorum virtutes in occasione esse, qua Deus damnet peccatores vicinos, multaque illis mala inferat. Hinc Loth Gen. 19. post Sodomiticum excidium, audiens ab Angelis, quod montem ascenderet, in quo prospiceret saluti suæ; ipse magis cauebat montem dicens: *Nec possum in monte saluari:* Et cur vir sanctus sic cauet in montem ire, in quem dirigebatur ab Angelis causa salutis? Erat mons ille vicinus tabernaculis Abrahæ; ex cuius vicinitate timebat ipse sibi malum, cum se minus iustũ agnosceret, & illum iustum. Ait Lyppoman. in cat. *Non vult in monte proximus habitare ipsi Abrahæ, forte ne comparatione iustitiæ illius ipse iniustus magis videatur.* Sic cauet Loth vicinitatẽ iusti, sic sibi timet à iusto vicino; accusat enim vehementer, imo, & damnat iusti vita eos, qui se se tradũt peccatis. Dum fęlix latro clamat ad Iesum Luc. 23. *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuũ.* Ait D. Athanas. serm. in Parasceue apud Grethserum tom. 2. de cruce: *O latro vehemens Iudæ accusator! O latro proditori suo ipsius laqueo visus grauior!* Sed latro nullum verbum locutus est aduersus Iudam, non illum accusauit, non damnauit voce; at accusauit, & damnauit sua conuersione; quãdo virtutes vnius iusti vehementissime accusant peccatores, qui in similia non eunt opera. Huc trahenda sunt plura dicta alijs tomis.

Ad Heb. 11.

Chrysosto.

Genes. 19

Lyppom.

Luc. 23.

Athan.

§. V.

Mundiales Principes, etiam inter pacis fœdera, non obliuiscantur sui munitionem.

PRudens Abimelech rex ad amicum Abrahamum, multis sibi muneribus deuictum veniebat; & veniebat, vt longissimæ pacis fœdera stabiliret, sed nihilominus magno cinctus veniebat exercitu. Ait enim: *Dixit Abimelech, & Phicol Princeps exercitus eius ad Abraham:* quæ explicatius ponit Abbulens. ibi: nimirũ *Dixit Abimelech, & Phicol, & exercitus eius.* Erat equidem rex, & Phicol dux maximus, & exercitus simul cum amico Abrahamo loquens, & tractans fœdera pacis. Nec prudens Princeps tantum fidit amicitiæ hospitis, aut fœderibus pacis, vt arma ponat; imo inter ipsa pacis fœdera suos duces prætendit, suos exercitus maximè componit. Discant id vniuersi Principes mundiales, & putent fœdera pacis inter reges non esse, vt deponantur arma; sed vt magis interea stabiliantur, confirmenturque, quæ securitatem in bello afferre possunt. Nota est Dauidis historia; vt fugitiuus à Saul, quærebatur ad mortem, vt nactus occasionem, habuit Saulem solum in spelunca, quem facile, & impune occidere posset. Pepercit tamen regi, cui solum ostẽdit partem pallij resciſsi, in testimonium, quod similiter illũ percutere posset. Quid tunc? Ait text. 1. Reg. cap. 24. *Dixit Saul; Numquid vox hæc tua est fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit, dixitque ad Dauid, Iustior tu es, quam ego, tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu in-*

1. Re. 24.

te indicasti hodie, quæ feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim cum inuenerit inimicum suum, dimittit eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. Et nunc quia scio, quòd certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel: iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Et iurauit Dauid Saul. Abiit ergo Saul in domum suam: & Dauid, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca. Ecce tibi Saul agnoscit euidēter innocentiam Dauidis, agnoscit, & prædicat suam in illum ingratitudinem; fatetur beneficium recens vitæ ab illo acceptum; præsagijt regnum illius, petit vt fœdus ineatur, vt iuretur amicitia. Iurat ipse, iurat Dauid; firmatur inter vtrumque fœdus; & firmato fœdere abit Saul in suã; Dauid autem quo abijt? Ait textus: *Dauid, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.* Cur ad tutiora loca post fœdus initũ, post iuratam pacem? Cur non magis præsidij loca obliuiscuntur, quando fœdus inierunt, quando pacem iuraruntꝰ quando hostẽ viderunt pacificum? Equidem hoc fuit sapientissimum consilium principis prudentissimi, qui simul hostem videt pacificatum, & pacem iurat, & fœdus init, & simul sibi, & suis loca tutiora prouidit, & præsidia tutissima acquirit. Vtinam hanc prudentiam omnes reges ebiberent, & a confirmata pace, & fœderibus initis eò tendant, vt firmiora præsidia in regno quærant, & stabiliant. Quod cum non fecisset Ionathas 1. Machabæorum cap. 12. & periit ipse, & magnum fecit populo Dei periculum. Venit enim ad hunc Tryphon factus amicus, Ionatham excipit, adornat conuiuium, iubet amicum in pace esse, milites dimittere. *Et credidit ei, & fecit sicut dixit: & dimisit exercitum, & abierunt in terram Iuda. Retinuit autem secum tria millia virorum: ex quibus remisit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt cum eo. Vt autem intrauit Ptolemaidam Ionathas, clauserunt portas ciuitatis Ptolemenses, & comprehenderunt eum, & omnes, qui cum eo intrauerant, gladio interfecerunt.* Male bonus Princeps paci, & conuiuio, & fœderi fidit; vt exercitum dimitteret; quo factum est, vt inermis comprehensus periret. Sapuisset Ionathas, vt Dauid, & à Tryphonis pacifico conuiuio potius numerum augeret militum. Sic sapientes Principes de iurata pace illud eliciunt, vt magis attendãdant firmandæ militiæ, & vt tutioribus munitionibus regnum stabiliant, & insuperabiles fiant.

1. Ma. 12

§. VI.

Maximè nocet principibus, eosque funditus perdit, qui eis non veritatem, sed mendacia loquitur.

CAuebat Abimelech damnum sibi ab Abrahamo inferendum, & ideo ait illi: *Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, & stirpi meæ.* Ex Hebræo trãstulit Lyppom. in cat. *Iura per Deum, si mentitus fueris, aut fabricabis mihi, & filio meo, & nepoti meo.* Velut vt Sal'anus transfert: *Iura per Deum te non mentiturum mihi, aut filio, &c.* Quod noster dicebat, *ne noceas*; ex Hebræo dicebant, ne mentiaris: quippe magnum nocumentum, & damnum extremum regibus principibusque infert ille, qui non veritatem loquitur, sed frequentibus mendacijs palpat illos. Sapienter enim dicebat Gildas sapiens de Excidio regni Britanniæ: Auditur fornicatio, qualis nec inter gentes. Non solum vero hoc vitiũ, sed & omnia, quæ humanæ naturæ accidere solent; *& præcipue, quod nunc quoque in ea totius boni euertit statum, odium veritatis, amor mendacij cum suis fabricatoribus.* Sanè quod in regnis, quod in principatibus euertit totum statum boni, extremamque perditionem infert, est illud commune principibus vitium, nimirum odiũ veritatis, amor mendaciorum cũ fabricatoribus suis. Vbi mendacibus hominibus Principes arridēt, aspereque tractant veraces, immensa sibi damna, infinitasque perditiones sibi accumulant. Michæas prædixerat Achabo regi extremam perditionem eius, & regni ipsius in bello Ramoth Galaad, & nõ credebatur. Qui vt firmaret certam futurã ruinam 3. Reg. cap. 22. sic inquit: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnẽ exercitum cœli assistentem ei à dextris, & à sinistris, & ait Dominus, Quis decipiet Achab regem Israel, vt ascendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiusmodi, & alius aliter. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus, in quo? Et ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus, Decipies, & præualebis; egredere, & fac ita. Nunc ergo*

Lyppom.

Gildas.

3. Reg. 22.

tuã

tur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum, qui sunt hic, & Dominus locutus est contra te malum. Et quis non credat perdendum funditus, & regem, & regnum, apud quem homines mendaces prævalent? Sanè euidenter videtur Deus locutus multa mala, multas & ineuitabiles perditiones loqui contra regem, quorum in consiliarorum, & ministrorum ore mendacia patitur esse. Aiebat Oseas cap. 7. *In malitia sua lætificauerant regem, & in mendacijs suis principes.* Et cur principũ lætitias non veritate, sed mendacijs fouebant? Scite Theodor. ibi: *Nam procliues, & prompti ad perniciem facti.* Vt facti erant prompti, & procliues ad perdendos reges, & regna, sic mendacia crebra suggerebant regibus. Cum certum sit, veracitatem aulicorum esse regibus maximum fulcimentum. Cum dicat Prouerb. 20. *Misericordia, & veritas custodiunt reges.* Quo spectans D. Athanas. in Apolog. ad Constantium Imperatorem, aduersus calumniatores suos, aiebat: *Domine omnipotens rex seculorum, tu per verbum tuum imperiũ hoc famulo tuo Cõstantio dedisti: tu illumina mentem illius, vt cognitis mei calumnijs, benevolenter recipiat meam excusationem: omnibusque clarum, manifestumque reddat, quam habeat aures conformatas veritati: solumque sibi, vti scriptum est, accepta esse labia iusta, ita enim solium regni fortunatum fieri per Salomonem pronuntiasti. Quapropter omnibus modis percuncta, & intelligantque quadruplatores, tibi non deesse curam indaganda veritatis.* Hoc est clarum regum stabilimentum, si reges oderint mendaces, & ament scire veritatem.

Oseas 7.

Theod.

Prouerb.

D. Atha.

§. VII.

Principibus maxime colenda est fama posthuma.

BONVS Et prudens Abimelech hoc curabat stabilire, quod circa se erat, & quod circa famam suam, ait enim: *Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ:* vbi Septuag. legunt: *Iura mihi Deum, ne noceas mihi, nec semini meo, nec nomini meo.* Sic solicitus erat de posthumo nomine, ne male oleret apud venturos. Similiter Saul. 1. Reg. 24. aiebat ad Dauid: *Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.* Hæc solicitet cura principes de nomine relinquendo post se; vt illud maneat illustre, vndique radiet, vel in stemmatum aureis flexuris, vel glorioſis paginis adscriptum. Ne sordes præseferat, ob quas ab albo clarissimorum debeat expungi. Hanc curam in suo Trajano extollit Plinius in Paneg. aiens: *Illud indignum, quod eodem tempore in Senatu, & in scena ab Histrione, & consule alij laudabantur. Tu procul à tui cultu ludicras artes remouisti. Seria ergo te carmina, honorq; æternus annalium, non hæc breuis, & pudenda prædicatio colit.* Solent equidem principem Histriones in Scena, siue alij ambitores passim horarijs, & inanibus laudibus extollere. Prudens princeps has repellebat, fastidiebat, vnum curabat serium illum, & æternum honorem annalium, in quibus cum examine, & iudicio veniunt facinora principum ad trutinam. Non æstimat qualis dicatur ab Histrionibus, a præsentaneis ambitoribus; sed qualis inueniẽdus sit in annalibus apud venturos. Babylonio Imperatori cænanti cum concubinis apparuerunt tres digiti scribentes in pariete Dan. 5. *Et rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.* Quantus timor, & tremor potentissimum regem occupauit ex solis visis digitis in pariete scribentibus? An putas tantũ hunc timorem dignum fuisse rege, & imperatore? Plane crediderim hoc summo pauori debere esse regibus; quid de illis, scriptoribus licebit, quid scribendum in patietibus, in marmoribus, in annalibus regni. Hinc Nazianzen. or. 32. in discessu suo a curia Constantinopolitana ait: *Valete Imperatores, & palatia, atque omnes Imperatoris familij, & cubicularij: si quidem Imperatori fideles, haudquaquam certum habeo; Deo autem magna ex parte infidi. Manibus plaudite, acute clamate, rhetorem vestrum in sublime tollite. Siluit vobis improba, & loquax lingua, nec tamen silebit. Pugnauit enim manu, & atramento. Cæterum in præsentia consiluimus.* Ecce tibi quæ sanctissimus doctor minetur principibus Palatinis, illud nimirum: *Pugnauit enim manu, & atramento*; quippe non sic ærea machina iaculans globos igneos, rapidissima fulmina vibrans, vt scriptoris calamus atramento intinctus debet esse principibus formidini. Illa temporarium potest damnum inferre; hic æternam nominis infamiam, abominandumque omnibus foetorem propinat.

1. Reg. 24

Plin.

Dan. 5.

Nazianz.

Gen.21. Tulit itaque Abrahã boues, & bobes, dedit Abimelech: percusseruntque ambo fœdus. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. Cui dixit Abimelech, Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum? At ille, Septem, inquit, agnas accipies de manu mea, vt sint mihi in testimoniũ, quoniam ego fodi puteum istum. Idcirco vocatus est locus ille, Bersabeht, quia ibi vterque iurauit.

§. VIII.

Princeps vt seuerus in reos, sic beneficus sit incorrectos,

EXpende quando Abrahamus munera parat exhibenda Abimelecho; prius enim in illum seuere animaduerterat, dicit enim, *Et increpauit Abimelechum propter puteum aquæ, quem vi abstulerãt serui eius. Respondit Abimelech, Nesciui, qui fecerit hãc rem, sed & tu non indicasti mihi, & ego non audiui præter hodie. Tulit itaque Abraham oues, & bobes, & dedit Abimelech, &c.* Siquidem ad munera, & pacem, & amicitiam veniendum illi erat, cur increpationem præmisit? Cur non magis dissimulauit offensam, quãdo de mutuo agebatur fœdere? Sanè præferebat Abrahamus præclarissimi Principis speciem, quo nõ totus esset melleus; sed de seueritate in reos veniret ad beneficentiam in correctos. Inuenio quid simile in Theodomiro Gothorum rege, de quo ait Iordanus Episcopus Rabben. in Historia Getica: *Hunnimundo cum Sueuis, vastatis Dalmatijs, ad sua reuertente, Theodomir germanus Vualemiris regis Gothorum non tantum iacturam armentorum dolens, quantum metuens, ne Sueui, si impune hoc lucrarentur, ad maiorem licentiam prosilirent; sic vigilauit in eorum transitu, vt intempesta nocte dormientes inuaderet, conseruitoque in opinato prælio, ita eos oppressit, vt etiam ipso rege Hunnimundo capto, omnem exercitum eius, qui gladium euasisset, Gothorum subderet seruituti. Et dum multum esset amator misericordiæ, facta vltione, veniam condonauit, reconciliatusque cum Sueuis, eundem quem cœperat adoptans sibi in filium, remisit cum suis in Sueuiam.* Quid faceret Princeps præstantius? Inuasores castigauit, castigatos, correctosque in filios adoptauit. De seueritate, qua punijt reos, ne insolescerent; venit ad profusissimã beneficentiam, quam in iam castigatos deriuauit. Ioseph in regno positus excepit sibi iniurios fratres ab illis minime agnitus, quos vt vidit, statim induit seueritatẽ: quasi exploratores tractat, iubet vinculis detineri Simonem, dat operam, vt furti rei detineantur. Tandem post multam afflictionem illorum, sese ostendit fratrem Genes. 45. aiens: *Ego sum Ioseph, adhuc pater meus viuit. Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer, &c.* Quando tot officia fraterna parabat, cur maluit prius affligere fratres? Bonus Princeps reos etiam fratres voluit prius seuere castigare; & vt correctos vidit seueritate, sic adamauit vt amantissimus iam ostenderetur frater. Ait D. Aug. ser. 82. de Tempore: *Prius quam peccatum suum confiterentur, & crimen, quod admiserant mutua inter se castigatione consumerent, nec agnoscendum eis se dedit, nec pacis osculum eis indulsit. Cum vero illos humiliter videret afflictos, de osculatus est singulos, & per singulos fleuit, & pauentium colla pio oculorum rore perfundens, odium fratrum charitatis lachrymis abluebat.* Præstantissimus Princeps reos excipiens, prius seueritati intendit, donec corrigeretur delictum; vbi autem delictum castigatum aspexit, continuo seueritate deposita cucurrit ad beneficia. Id quod in regio etiam bruto voluit ostendere Dominus, cum Leoni mãdauit castigationem Prophetæ inobedientis. 3. Reg. 13. *Inuenit eum Leo, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere, asinus autem stabat iuxta illum, & Leo stabat iuxta cadauer.* Occidit Leo Prophetam, & mansit iuxta cadauer custodiens illud. Vbi dicit D. Greg. PP. lib. 4. dialog. cap. 24. *Leo ergo qui prius peccatoris vitam necauerat, eustodiuit postmodum cadauer iusti.* Equidem dum reum agnouit, percussit, vt tolleretur delictum, vbi autem delictum castigatum recessit, iam nihil ostendit pertinens ad vulnus, sed ad munus. Vt discant Principes seueritatem exercere in reos, quos amplectantur, & foueant, & multis ornent, vbi eos correctos viderint.

Iord. Epi.

D. Aug.

3. Reg. 13.

Greg. PP.

§. IX.

Præstantissimi Principis est in aliquibus priuatorum officia non defugere.

NIhil nõ præstantis Principis inuenitur in Abimelech, qui rex indictione sua nactus hospitem priuatum hominem Abrahamum, nõ detrectat fœdus inire cum illo, & iuranti pacem Abrahamo simul respondere rex ipse iuramento suo. Ait enim textus: *Quia ibi vterque iurauit.* Morale est, quod rex à priuato iuramentum firmitudinis causa requirat. At rex priuato iurare non solet? Verbum regis simplex adeo firmum est, vt dedeceat regem iuramento firmare, quod promittit priuato homini alicui. Sed bonus rex vbi cum priuato paciscitur, non refugit implere priuati hominis officia; & iurare etiã fœdus, quod priuati iurant. Id quod miratur Plinius in Trajano suo in Paneg. Cum enim Imperator hic consulatum sibi regẽdum acciperet, quia mos erat priuatorum hominum ad consulatum non accedere ni si iuramento præmisso; similiter & Trajanus iurauit in consulatus limine. Pro quo ait Plinius: *Imperator ergo, & Cæsar, & Augustus, Pontifex maximus stetit ante gremium Consulis, sedit que Consul Principe ante se stante, quin etiam sedens præbuit iusiurandum, & ille iurauit. Ingens Cæsar, & par gloriæ tuæ, siue fecerint istud posteà Principes, siue non fecerint. Vllane satis prædicatio digna est idem tertio Consulem fecisse, quod primo, idem Principem, quod priuatum, idem Imperatorẽ, quod sub Imperatore? Nescio iam nescio, pulchrius ne sit istud, quod præeunte nullo, an hoc, quod alio præeunte iurasti.* Vtrumque fuit præstantissimi Principis, quia in vtroque se ad priuatorum dimisit officia, vt morem gereret suis subditis. Quod prius, & glorioſius Trajano fecerat Rex regum, & Dominus dominantium, de quo ait Paul. ad Hebræos cap. 10. inquiẽs: *Homines per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem, est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui interposuit iusiurandum.* Ecce tibi vt Deus Optim. Max. vt morem gerat hominibus, non detrectat iusiurandum interponere promissionibus datis homini suo. Vtsapienter dicat Theodotus hom. 2. de Nat. habita in Concil. Ephesino; *Neque enim turpe est clementi Domino, si in serui vtilitatem in quibusdam seruilibus cum seruo communicet. Siquidem boni fama per huiusmodi non offenditur; sed qualis nam sit per id genus officij deprehenditur.* Officia enim seruilia à principibus in suorum vtilitatem sumpta non turpant Principes, sed glorioſissimi principatus qualitatem indigitant.

Plin.

Ad Heb. 10.

Theodot.

Gen. 21. Et inierũt fœdus pro puteo iuramenti. Surrexit autem Abimelech, & Phicol Princeps exercitus eius, reuersique sunt in terram Palæstinorum. Abraham vero plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

§. X.

Religio, & Dei cultus validissimum hominum munimen est.

HEc prima Abrahami plãtatio legitur in terra, qua nemus plantauit, in quo inuocaret nomen Domini; dicit namque. *Abraham plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni.* Erat quippe iuxta Caietanum nemus pro tẽplo, vbi quiete, & pacate diuinum nomen inuocaretur, & Deus coleretur. Conueniant huc, qui munitissimas ciuitates, altissimas turres, muros ædificant æreos, quibus sese à malis incursibus defendant. Abrahamus non saxorum parat munimẽta, sed locum aptat, vbi colatur Deus, & eius inuocet nomen, quo maximè aduersus omnia pericula defenditur. Sapientissime enim exclamat D. Nilus apud Cerdam in Aduersarij sacris cap. 153. *O religionem omnibus regibus potentiorem magisque regiam! Quæ enim reges armis excitabant, hæc sine armis dissoluebat.* Non sic arma non sic mænia propugnant, & expugnant reges, vt religio, & Dei cultus verus hominem propugnat. Quisquis pro se diuinum cultum habet, vel sine alijs armis est securus, & potens aduersa omnia cõprimere. Habes 1. Reg. 4. prælium infaustissimum, quo Israe-

D. Nilus.

litæ perimuntur, & arca Domini capitur à
1. Reg. 4. Philistiinis: *Ceciderunt de Israel triginta millia peditum. Et arca Dei capta est, &c.* Sed
Idem c. 7. c. 7. absque vlla pugna, absque vllius stricto gladio arca reducitur ad Israelitas: *Venerunt ergo viri Cariatharim, & reduxerunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab, &c.* Ecce tibi vt Israelitæ perdunt in difficili prælio Domini arcam; & sine prælio, & sanguine illam recuperant. Et cur recuperant sine prælio, quam multis armis, multorum ciuium nece retinere secum non potuere? Equidem antea Heli Sacerdotis filij auaritiæ, & tyrannide sua deterrebant homines à sacrificijs, vix vlla extabat in populo religio, plenus erat abominationum Dei cultus. Ne mireris, quod armatæ phalanges corruant in populo, in quo deficit religio, quæ sola præ omnibus alijs armis prodest hominibus ad salutem. Pro quo aiebat Egesippus lib. 5. Excid.
Egesipp. Ierosol. cap. 16. *Intermissa erat sacra curare ligionis, Heli Sacerdotis negligentia, diuina imperia deserebantur, irrogatum ab Allophilis prælium, victi Hebræi, capta Dei arca est, & sine armis reddita illis, quo indicio claruit, quod & sine religione arma non vincant, & religionem sine armis vincere.* Expende, & cordi imprime illud: *Sine religione arma nõ vincunt, & religionem sine armis vincere.* Licet omnia munimenta, omni arma desint, potens est religio, & cultus Deo digne exhibitus comprimere vniuersos malos incursus. Vbi autem religio desit, non potest permanere victoria diu. Vt vere dicat Eu-
Euseb. seb. in cat. Græc. D. Luc. cap. 1. *Magnum quoque erat Assyriorum regnum, nec prius deletum est, quam Ierosolymis Dei templum violauit.* Equidem triumphabant Assyrij per sæcula multa; venerunt tandem Ierosolymam, templum Dei prophanant, vasa sacra asportant, illa adducit Balthasar in cõuiuium, quibus bibebant eius concubinæ,
Daniel. 5 tunc dictum est Daniel 5. *Diuisum est regnũ tuum, & datum est Medis.* Nec prius clarissimum regnum venit in ruinam, quam ab illo prophanaretur Dei veri cultus. Ex cultu enim Deo exhibito in templis colligi-
Actor. 6. tur regni status, & facies. Actor. 6. de D. Stephano. *Viderunt faciem eius, quasi faciem*
Hil. Ar. *Angeli.* Circa quæ S. Hilar. Arelat. hom. de illo ait. *Tali eum vultu internus habitator induerat, qualem regni in templo, templi indicat pulchritudo.* Interna Spiritus Sancti gratia in Stephano, etiam externe visebatur; ad eum modum, quo interna pulchritudo templi apparet in externa regni facies, vt qualis fuerit templorum cultus, talis sit regni status. De hoc infrà lib. 7. cap. 4. §. 3.

CAPVT VNDECIMVM.

Abraham litat filium.

FILIVM Optulit Abrahamus Deo, cuius fuerat in desperatione promissum. Festinatur ad montem, stetit puer ad iugulum, & factus est aries placidissima victima. O sancti mens intemerata parentis, filio dum vitam denegat, acquisiuit.

PARS MORALIS circa textus literam.

HVius capitis latè explicatam historiam, & moralibus documẽtis perpolitam habes 1. tom. de Christo figurato lib. 3. cap. 1. vbi ad vitam Isaaci deuenitur. Non nulla in præsenti dabimus ne in Abrahamo desideretur memoria tanti sacrificij.

Cen. 22. Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum; Abraham, Abraham, at ille respondit, Ad sum. Ait illi, Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi.

§. I.

Grauissimum homini tormentum est, quod præ oculis habeat perdenda.

NOn vane dicitur Deus tentasse Abraham, cum iubet vt filium occidendũ tollat, & ferat secum in montem; ait enim: *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eũ, &c.* Quod ipse tollat filium, quod eum fe-

rat

rat in montem, vbi occidendus erat, credo inter maximas mundi tentationes numerandum esse. Venantius Fortun. In salutatorio 3. ad virum illustrem ait: *Rem mihi desiderabilē pene vno momento, & offerre voluit, & auferre. Cum nihil sit in humana conditione crudelius, aut non videre, quod aueat; aut videre, quod perdat.* Hoc vir sapiens æstimauit crudelius humanis vulneribus; quod quis videat chara sibi perdēda: quod præ oculis habeat ea, quæ properato ad ruinam eant. Minabatur Prophetā ruinā Niniuitis Ionæ cap. 3. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem:* Quibus ponderat D. Hieron. vt cœperit à maioribus dolor prius sentiri; ait enim *a maiore, vsque ad minorem.* Et cur maiores priores dicuntur in luctu? Equidē maiores acrius torqueri cœperunt, vt quibus præ oculis erāt charissima filiorum pignora, quæ cito videbant cōuertenda in fauillas. Rem sic pulchrè depingit D. Ephræm in Ionam fatus: *Viri suos deflere solent mortuos; at Niniuitæ vinos omnes filios suos, & affines plangēbant. Instabat iam dies subuersioni proximas, & ciuitas planctu, atque eiulatu repleta erat. Excitabant patres rursum sessilios suos, vt simul acerbam cum ipsis mortem lugerent; sponsosque, ac sponsas in medium adducebat. Et quis ex sæuo hoc spectaculo animum retineret? Spectabāt patres pulchritudinem filiorum suorū, & præmagna tristitia offundebātur ipsis tenebræ.* Crescebat dolor in immensum parētibus spectātibus filios pulcherrimos, qui statim erant a diuina ira perdēdi. Quis vehemētissimo dolore nō angatur, cū charissima sibi pignora spectet iam iam perdē da? Apud Prudentium lib. 2. contra Symmachum proponitur Roma ex verbis Symmachi quæribunda, quod ad maxime dolē dam fortunam deuenerit, & ait: *Ad hoc ego seruata sum, vt lōgæua reprehendar? Videam, quod destruendum putatur?* Plane hoc summum dolorem æstimabat ille rhetor, quod quis videat charissimum sibi aliquid, quod putatur statim destruendum. Quisquis eo mali peruenit, crudelissimum malum pertulit. Vt merito Venantius Fortunatus dicat in Epithaphio Vilithuthæ.

Ven. Fort.
Tom. 3.
D. Hier.
D. Ephr.
Prudent.
Ven. Fort.

Omne bonum velox, fugitiuaque gaudia mundi
Monstrantur terris, & cito lapsa ruunt.
Vt dolor acquirat vires, cum perdat amantem,
Ante placere facit, durius inde premi.
Eheu lachrymæ rerū, eheu sors inimica virorū,
Cur placitura facis, quæ dolitura rapis?

Expende illud, *Vt dolor acquirat vires, cum perdat amantem*; vix enim reperietur, qui numeret augmentum doloris in eō, qui sibi charum videat perditum ire.

§. II.

Locus sacer templorum faustissimus hominibus est.

MOntem visionis designat Dominus sacrificando Isaaco, dicens: *Vade in terram visionis, &c.* Vbi templum Ierosolymitanum ædificatum est, vt ex D. Hier. & alijs cōmuniter probat Pereyra disput. 3. in hoc caput. Nec sine mysterio ducitur Isaac sacrificandus in templi partem; sed vt iam inde quid faustum illi sacrificio ostenderetur; quando templi locus nunquam non faustus est hominibus, & salutaris. Inde Plinius auspicium dabat Trajano, quod in templo Iouis fuerat in filium Imperatoris adoptatus. Ait enim Panegyric. *Itaque non tua adoptio in cubiculo, sed in templo; nec ante genialem torū, sed ante puluinar Iouis adoptio peracta est, qua tandem non seruitus nostra, sed libertas, & salus, & securitas fundabatur. Sibi enim Dij gloriam illam vindicauerunt.* Quæ in templo parabatur, non poterat non salutem, & securitatem hominibus aspirare, quibus semper templi locus est faustus. Et illud maximè notandum ex Luc. 1. dum Ioannis natiuitas promittitur patri; ait enim *Factum est cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt, vt in censum poneret ingressus in templum Domini: Apparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi: Ait autem ad illum Angelus, Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, &c.* Sic Angelus expectat Zachariæ accessum ad tēplum, & iuxta altare stans filiū nasciturum prænuntiat. Nō sic Angelus, qui ad Mariā mittitur præuuntiaturus Christi natiuitatē; sed in cubiculo sedentē Mariam conuenit. Id quod pōderās Guarricus Abbas serm. 3. de Ioann. Baptist. ait: *Mirentur igitur alij, quod à Prophetis prænuntiatus, quod ab Archangelo promissus, & eodē quo Christus: cum tamen Christus in cubiculo, Ioannes in oraculo.* Ioannem, vt Christum prænūtiarunt Prophetæ, annūtiauit Angelus, & idē qui Christū annuntiauit. Sed ex loco annūtiationis aliquid præcellētius videbatur accidisse Ioāni, quā Christo Domi

Plin.
Luc. 1.
Guar.

no; quando de illo facta fuit annuntiatio in templi adytis, inter ipsa sacramenta altaris, de Iesu autem facta fuit non in templo, sed in cubiculo matris. Et cur non magis de Iesu in templo, quam de Ioanne? Ioannes creatura erat, expositus naturæ humanæ variabilitati; & vt creatur æ, ab extrinsecis loci, & aliorum auspicia salutis dantur, & fœlicitatis, inter quæ illud præstantissimum, quod inter aras templi annuntiatur. Iesus vt Deus, summusque omnium creator, non ab extrinsecis auspicia sumit salutis, quando ipse est salus, & securitas, & vita generis humani.

Cen. 22. Igitur Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum: ducens secũ duos iuuenes, & Isaac filium suum: cumque succidisset ligna in holocaustũ, abijt ad locum, &c.

§. III.

Vbi Patris magnalia vocãt filium, non acquiescendũ maternis suspirijs.

ERat domi Sara, cuius tamẽ mentio nulla fit in toto sacrificandi Isaaci tumultu. Pater à lecto surgit, duos famulos excitat, filium vocat, ligna parat, & ignẽ, & ferrum; iter arripitur. Sic enim ait textus: *Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum; ducẽs secum duos iuuenes, & Isaac filium suum, &c.* Cum famulis, cum filio de via arripienda agit, Saræ autem nec verbũ dicit. Et cur etiam Sara amantissima conjux non adducitur saltem in viæ consiliũ? Cur non iubet filio, vt matris manibus oscula figat? Patris facinus erat tota illa res sacrificij; nec permittitur ad matrem attendere filius, dum adest magnalia patris secuturus. De Theodorico rege Gothorum ad bellum proficiscente ait D. Ennodius in eius Panegyr. *Sanctam matrem, & venerabilem sororem, dum de euentu belli attonita tui vultus sydere pascerentur, talibus alloquijs confirmasti: Scis genitrix partus tui honore vniuersis nota nationibus; quod natalis mei tempore virum fœcunda genuisti: dies est, quo filij tui sexum campus adnuntiet. Telis agendum est, vt auorum per me decora non pereant. Sine causa parentum titulis gaudemus, nisi proprijs adiuuemur. Stat ante oculos meos genitor, de quo nunquam fecit fortuna ludibrium, qui dextros sibi ipse peperit valetudine exigente successus. Hoc oportet duci, contendi, &c.* Sic nobilis Princeps in re gloriæ ad genitoris contendit triumphos, matris prætermittens teneritudinem. Non afficitur matris conspectu, sed habens patrem, quem spectet, quem sequatur, eius animo figit sequẽda vestigia. Posset equidem Iesus ijs verbis alloqui matrem suam iturus ad patris beneplacitum implendum; sed placuit magis vti illis, quæ posuit D. Lucas cap. 2. vbi dolentem matrem, quod inscijs parẽtibus abesset filius, sic loquitur: *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in ijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse.* Bonus enim filius vbi habet ad quas patris euolet virtutes, nec aspicere debet ad matris teneritudinem.

D. Enno.

Luc. 2.

Cen. 22. Cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suũ. Et ecce Angelus Domini de cęlo clamauit, dicens: Abraham, Abraham, &c.

§. IIII.

Vilescunt durissima quæque Dei amatori.

ECce tibi Abrahamus filium alligat, gladium stringit, vt filiũ mactet; *Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium.* Filius est, & filius amantissimus, ingentibus comparatus suspirijs, hæres vnicus paternorum bonorum; & hunc pater mactat? An quia minus amabat? Absit, sed amabat Deũ; Dei autem amatori, quasi nihil sint, vilescunt durissima omnia. Ait Philo in præsenti: *Ille, quamuis maiore, quam dici potest, filij amore teneretur, nec animum flexit, quippe qui amore Dei subactus fortiter vincebat omnes cognationis affectus, & omnia nomina.* Expende illud, *& omnia nomina*; quasi tot durissima in filij dilectissimi morte, non res essent doloris, sed nomina. Sic namque afficitur Dei amator, vt illi quasi vacua nomina videantur quæcumque difficilia propter Deum sustinere possit. Compone modo Abrahamum, & Adamum; vtrique à Deo fuit

Philo.

præ-

præceptum impositum; Abrahamo de filio immolando, Adamo autem de non gustando pomo. Quid hoc facilius? Quid illo difficilius? Sed Abrahamus præcepti sui difficultates vorat, nec æstimat filij vitã, vt obediat Domino. Adamus autem in re adeò facili corruit, & ne contristaret delicias suas; contra Dei præceptum, manducat pomum. Vnde hic tam infirmus in re facili, quando ille tam validus in arduo, difficilique negotio? Qui erat in Abrahamo Dei amor, non erat in Adamo, ideo vel in leuissima re corruit: Ait Rupertus ibi: *Magna largitas bonorum, & non graue largitoris mandatum. Leuis in tanta copia fuisset vnius continentia, si non defuisset continentiæ dux beneuolentia.* Et quidem non solum in tanta copia, sed vel in extrema penuria, & inopia esset leuis continentia, si non defuisset in largitorem beneuolentia. De Petro ait Matth. 26. *Petrus vero sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla dicẽs: Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit.* Et quî potuit fieri, quod tantus vir vnius ancillulæ verbo in tantum malum labore tur? Ait D. Laurent. Iustinian. lib. de Triump. Christi agone cap. 8. *Dominum quippe ignarus sui, passione timidus, & frigidus charitate, solo corpore sequebatur.* Expende illud, *& frigidus charitate*: ex quo tepuit in eo charitas, timere cæpit, vel vilissima quæque, & inde incidit in peccatum. Vna est enim beneuolentia, & Dei amor, qui facit vilescere, & pro nihilo reputari propter Deum difficilia omnia. Hinc Iesus ait Apostolis, quando metu Iudæorum domi concludebantur Ioan. 20. *Sicut misit me pater, ego mitto vos.* Et pater miserat filium in mortis præceptum, in crucis tolerantiam; cur ergo Domine meticulosis hominibus talia proponis certamina? Cur dura illa crucis tibi à patre proposita, illis offers, quos vides metu turbari? An fieri potest, vt qui propter metum non audent extra domum exire, prosiliant postmodum in vitæ discrimina, in mortis damna? Difficile sane esset, quod timidus ad durum iret certamẽ, nisi prius in eo totum timorem flamma charitatis depasceret. At vbi charitas imperet, nullæ non vorantur difficultates. Vt dicat Chrysol. ser. 84. *Mitto vos ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squallorẽ carceris, ad perferenda omnia genera pœnarũ, ad subleuandum cunctis execrabile mortis iugum, quæ omnia charitas vtique humanis mentibus imperat, non potestas.* Sane nulla potestas est, quæ hominibus durissima hæc persuadeat, ea tamen charitas persuadet.

Rupert.

Matt. 26

Lact. Iust.

Ioann. 20.

Chrysol.

§. V.

Similitudo Christi in pœnis, vel ipsas pœnas suauiat.

PRius victimæ mactabantur, & postea inter ligna ponebantur, vt consumerẽtur igne holocausti; non sic Abrahamus, quin potius vt ait textus: *Cum alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, &c.* Cur prius posuit victimam in altare super struem lignorum, quã iugularet? In altare, & lignis imago erat Christi Domini in ligno crucis immolandi; sub cuius imagine sic Isaac afficiebatur, vt auide susciperet mortem, qua Christi passioni assimilabatur. Quo respiciens D. Basil. Sel. orat. 32. ait: *Suspice in Isaaco animi æquanimitatem, qui vinctus ad cædem obuolitante ferro lubens erat, vt imaginem passionis indueret.* Itaque Isaac dum morte sua iret in Christi passionis imaginem, lubens mortem acceptabat. De imagine enim Christi ibi repræsentanda duritiei quæ is mortis maximè suauiatur. Dicebat ipse Luc. 9. *Dico autem vobis vere; sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem.* Expende illud: *Non gustabunt*, quibus nec minimus gustus mortis significatur: & vnde fieri poterat, quod sic gustus, & vel leuis amaritudo mortis in aliquibus nõ caderet? Eo ipso, quod aliqui se in morte consortes Christi passionis viderent, sic illis mors dulcescit, quasi nihil amaritudinis gustarint, sed omnia fuerint illis suauia. Amb. lib. 7. in Luc. ait: *Soli non gustabunt mortem, qui possunt stare cũ Christo. In quo licet ex verbi qualitate perpendere, nec tenuem quidem sensum habituros mortis, qui Christi mereantur habuisse consortia.* Dum se consortes Christi esse videant, ad eiusque similitudinem expressam mori; nec tenuem sensum habent mortalis amaritudinis. Implet enim maximè hominum animum; si vel pereat ad Christi similitudinem. Vnde monebat Dominus sponsam dicens Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio.* Expende rationem ob quam Christi cruce iubeamur signari, nimirum, quia inde *sit fortis vt mors dilectio.* In similitudine Christi crucifixi sic nostra dilectio cõfirmatur, vt nullis cedat periculis mortalibus. Circa quæ verba ait Philo Carpatius ibi: *Signum crucis in corde ipsius sponsæ se primum ponendum di-*

Basil. Sel.

Luc. 9.

Ambr.

Cant. 8.

Phil. Carp.

cit, deinde in brachio, vt illuminati, & redempti bona per vires Spiritus Sancti agamus, optima quæque perficientes, vt caput ipsum imitemur abnegata propria voluntate, sicuti nobis præceptum est ab sponso dicente; Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me; quandoquidem Charitas Dei nil graue existimat, nil intolerabile veretur, sed omnia facilima habet, & iocunda. Dum Christo enim conformemur, eiusque similitudine signemur, adeò roboratur in nobis eius charitas, vt cum morte possit luctari, & illam facili negotio detriũphare.

§. VI.

Resurrectionis expectatio facit nos lætos in mortem ire.

MIrabar Abrahamum armatum gladio, vt filium percuteret, ait enim textus: *Arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Et vnde pater sic confirmatur, vt nõ dubitet filium dilectum, & filium promissionum magnarũ morti tradere? Ait Paul. ad Hebræos cap. 11. *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones:: arbitrans, quia, & à mortuis suscitare potens est Deus.* Proposuit sibi ob oculos resurrectionem, quam firmiter credens filio mortuo obuenturam, non dubitat intrepidus illum tradere morti. Qui enim metuat mortem è qua putat orturam gloriam resurrectionis? Plane vbi resurrectio, vbi vita gloriosa appareret in ipsa morte, nõ mirer, quod mors despiciatur ab omnibus. Actor. 7. Stephanus iam iam rapiendus ad mortem oculos ad cœlos leuans ait: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Morituro Stephano aperiuntur cœli, & filius hominis, qui mortuus fuerat, viuus apparet sedens ad dexteram patris; cuius conspectu Stephanus confirmatus nihili æstimat mori, quãdo videt mortuum in vitam, & gloriam suscitari. Nec solum ipse lætus vadit in mortem, sed prædicans Iesum à mortuis suscitatum, & gloriosum, facit, quod innumeri alij in mortem læti abeant. Vt illi accinat Arator lib. 1. in Acta.

Ad Heb. 11.

Actor. 7.

Arator.

Sere prælia martyr
Fœlices habitura neces, vbi gloria pœne
Et cadere est ortus, iugulisque patentibus æuum
Nascitur æternæ complectens munera vitæ.

Meritò petit, quod serantur prælia fœlices habitura neces; non enim auferenda est, sed colenda maximè res illa, quæ mortes infert, è quibus iterum in vitam renascamur. Vbi pœna commutatur in gloriam, vbi casus nouo propinquat exortui, vbi nascuntur æterna sęcula; nullus sapiẽs est, qui detrectet in ijs morari. Mar. 16. de fœminis locutus ait: *Introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, &c.* Et cur Angelus sub iuuenis splendentis aspectu in sepulchro sedens fœminis appareat? Cur non magis à sepulchro separatus apparuit? Ostendebantur quales à sepulchro parturiantur per resurrectionem, vt sic metus mortis dispareat. Ait D. Hieron. ibi: *Hic inuenis formam resurrectionis timentibus mortem ostendit:* Vt resurrectionis spes promoueat homines habes tom. 2. de Christo figurato lib. 5. cap. 4. §. 8. Et tom. 3. in Euangel. lib. 15. cap. 12. §. 8. & aliàs in præsenti.

Marc. 16

D. Hier.

§. VII.

Vt Deus in suorum pœnis dolet.

IN filij charissimi interfectione, pater stringit ferrum, vt occidat; filius ictum expectat; nullus interea gemitus, nullum auditur suspirium, nulla à patre, nec à filio exilit vox doloris. Solus à cœlo Angelus auditur, qui clamat, & clamans abigit funus ab Abrahami domo, dicit namque: *Et ecce Angelus de cœlo clamauit dicẽs: Abraham, Abraham, & c.* Non ab Abraham, non ab Isaac, sed à cœlo venit vox clamoris in Isaaci morte; quia solus Deus dolet in pœnis suorum. Ait D. Zeno lib. 2. serm. 6. *Vbi fides fuit, non erat dolor. In illo sacrificio solus Deus doluit, & c.* Solus est Deus, qui nesciat non dolere in pœnis suorũ. Actor. 7. circũseptus Stephanus ab hostibus, à quibus petebatur in mortem, *intẽdens in cœlũ vidit gloriã Dei, & Iesum stãtem à dextris Dei.* Credimus post ad censum in cœlos Iesum sedere ad dexteram patris, vt per sessionem illam, interminabilem eius requiem designemus. Cur modo apparet non quiescens in sede, sed stans? Vt per stãtis habitum res laboris ostenditur, sic Iesus dum ostenditur aspiciens suum militem in tormentorum conflictum esse, eo habitu voluit apparere, quo se laborantem, & dolentem ostenderet. Ait D. Petrus Dam. serm. de Stephano: *Surgit ipse rex filius regis, & lapidantium aciem interrumpens trium-*

D. Zeno.

Actor. 7.

Pe. Dam.

triumphatoris certamini non sine dolore cordis assistit. Quasi nequeat Deus videre suorũ tormenta sine dolore; sic assistit suis laborantibus, vt ipse sese ostendat de eorũ malis dolere. Quod sane glorioſissimum accidit laborantibus fidelibus. Dum Titus Imperator super muros Ieroſolymitanos esset, alacris Romanorum iuuentus se è muro præcipitat, in medios confertiſsimos hoſtes proſilit, quorum multitudine hinc inde circuncincta prope erat, vt tota cederetur. Quid tunc Cæsar? Pulchrè Egeſippus lib. 5. cap. 38. ait: *Volebat subuenire Cæsar, nec poterat, hortabatur tamen proximos, vt auxilio suis essent. Has voces, hunc dolorem Cæsaris, pro supremo illi habebant solatio. Hoc erat morituris viaticum; hoc se velut sublimi solanies sepulchro ad mortem festinabant, qui morerentur pro Cæsare, relinquentes sui hæreditatem triumphum.* Suſpiciebat Cæsar cadentes ſuos cum dolore, cum genitu: qui Cæsaris dolor, & ſolatium morituris erat, & maximum decus. At fęlicius Ieſus cum dolore aſpicit ſuos milites inter belluas, inter flammas agentes, qui dolor verius accipi poteſt pro ſupremo ſolatio; imo pro ſupremo ornamento, quo fideles ex hoc mundo decedant. Egeſipp.

Cen. 22. Leuauit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt. Vnde vſque hodie dicitur in monte Dominus videbit. Vocauit autem Angelus Domini, &c.

§. VIII.

A cruce Dominus magis innoteſcit hominibus, illiſque magis gratus eſt.

Sæpe alias Abraham Dominum excepĕrat, ſed nunquam diuinæ apparitionis nomen aptauit loco, ſicut modo fecit, de quo dicit. *Appellauitque nomẽ loci illius, Dominus videt. Vnde vſque hodie dicitur in monte Dominus videbit:* ſiue vt D. Ambroſ. legit: *Dominus apparuit*, vel vt Septuag. *Dominus videbitur.* Et cur non antea, ſed modo de diuinæ apparitionis beneficio nomen imponitur loco? Modo in ariete cornu inhærente vepribus oſtẽdebatur Chriſtus ligno crucis ſuffixus, nunquam autem magis Chriſtus hominibus, quam à cruce innotuit. Ait enim D. Amb. in præſenti: *In monte Dominus apparuit, hoc eſt, quod apparuerit Abrahamo reuelãs ſui paſſionem corporis, qua mundum redemit: demonſtrans etiam genus paſſionis, cum ſuſpenſum oſtendit cornibus arietem: virgultum illud patibulum crucis eſt. Et in hoc ligno præſtantiſsimus ductor gregis exaltatus omnia traxit ad ſe, vt ab omnibus cognoſceretur.* Iam in ligno crucis moliebatur Dominus clariorem ſui cognitionem hominibus præbere; nunquam enim ſic manifeſtum, ſic gratum ſeſe hominibus oſtendit, quam vbi ad nos in cruce venit. Mulier illa Sareptana, vt exciperet, cibaretque Eliã aiebat: *En colligo duo ligna, vt faciam illum mihi, &c.* Sic 3. Reg. 17. Sed cur neceſſum fuit memorare duo ligna? Ait D. Auguſt. ſerm. 201. de Tempore: *Duo ligna volebat colligere, quia crucis myſterium deſiderabat agnoſcere. Ideo duo ligna colligebat, quia in typo Eliæ Chriſtum excipiebat.* Vbi Chriſtum, eiuſque myſteria, & excipere, & agnoſcere cupiebat, duo ligna ob oculos poſuit, à ligno enim crucis, & gratior, & notior Chriſtus illi fieret Ioan. 20. incredulum Thomam traxit Dominus ad tractanda ſui corporis vulnera. Ait enim: *Infert digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuã, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei Dominus meus, & Deus meus.* Ecce tibi, vbi crucifixi vulnera tetigit, ſtatim Deum agnouit, vt dicat D. Auguſt. ſerm. 156. de Tempore: *Nouo genere veſtigia vulnerum diuinitati perhibent teſtimonium, quia templum erat Dei indumentum corporis vulnerati. Fixuram perſpicit corporis, & Deum prædicat maieſtatis.* Sic à crucis notis diuinitas claret. Multũ enim errat, quiſquis Chriſtũ ſine cruce cupit habere; à Chriſto enim cruci ſuffixo, & ſalus, & ſapiẽtia, & omnis virtus hominibus venit. Pugnãte Ioſue cõtra Amalechitas ait Exod. 17. *Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autẽ paululũ remiſiſſet, ſuperabat Amalech.* Ecce tibi perditio populi in eo ſolo, quod manus Moyſes demiſiſſet. Et cur in manus extenſione victoria, in demiſsione manũ perdi

Ambr. Septuag. Ambr. 3. Reg. 17. D. Aug. Ioann. 20. D. Aug. Exod. 17.

tio erat? Extensæ manus crucem efformabant, a qua victoria, & salus venit; in demissione manuum crucis forma tollebatur, & in ablatione crucis non nisi perditio erat. Ait D. Iustin. martyr cap. 21. Documentor. *Non si quidquam de figura crucem imitante remittebatur, populus vt in Moyse scriptum est, superabatur.* In eo perditio populi consistebat, si Deum sine cruce vellent, si crux à consortio pugnæ tolleretur. Clamantes Iudæi Matth. 27. dicebant: *Si rex Israel est, descendat de cruce.* In quos vehementissime inuehens D. Chrysost. ait hom. de cruce, & latrone: *Considera nunc vocem filiorum diaboli, quomodo imitantur vocem paternam. Diabolus dicebat, si filius Dei es, mitte te deorsum. Et Iudæi dicunt: Si filius Dei es, descende de cruce, & credimus ei.* Eadē prorsus est vox illa: *Mitte te deorsum*, & hæc nimirum, *Descende de cruce*; de diabolo enim venit, & ad præcipitium, & perditionem tendit, quod velis Christum sine cruce habere.

D. Iustin.

Matt. 27

D. Chrys.

CAP. DVODECIMVM.

Abraham sepelit Saram.

Textus Historiæ.

NON Iam Bersabee, sed Arbee habitabat Abrahamus, cuius in finibus ægritudine correpta Sara concesit fatis; centum viginti septem vixerat annis; triginta & septem, ex quo in gaudium populorum pererat Isaacū: nunquam non in ærumnis confirmata lætis successibus. Competenter, atque magnifice funus curatur, præmisso in agrum cadauere ad pompæ funebris celebritatem; illuc tandem peruenit Abrahamus, lugubri vultu, luctuoso habitu, filijs, clientibus, amicis pariter comitantibus. Officium extorserat omnium reuerentia in sanctissimam fœminam; filiorum affectus in matrem; Abrahami in coniugem amor. Post hæc de loco sepulturæ agitur; quem inter illustrissimorum sepulchra cōcedebant Hethæi; maluit tamen Abrahamus illum emere ab Ephron filio Seor. Erat homini spelunca duplex in agro; quā siclis quadringentis numeratis accepit Abrahā, in eaque dū locum vxori parat, sibi etiā locū relinquit paratū. Sic iusti viri in aliorum funeribus proprium tractant.

PARS MORALIS circa textus literam.

CVius vitam vsque modo explorabamus, necessum est, vt eiusdem etiam mortem videamus pari affectu, fructu non inæquali.

Gen. 23. Vixit autem Sara cētum viginti septem annis, & mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron in terra Chanaan: venitque Abraham vt plangeret, & fleret eam. Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens; Aduena sum, & peregrinus apud vos, date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum.

§. I.

Mors præstantissimorum maxime nos munit aduersus carnalia incitamenta.

NVllius fœminæ mors vsque ad Saram commemorata est in scriptura; de prima hac fœmina dicitur: *Vixit Sara centum viginti septem annis, & mortua est, &c.* Et cur Saræ mors prima omnium fœminarum annuntiatur? Hæc est illa pulcherrima, propter quam bis timuit maritus mortem; quæ sexagenaria, & nonagenaria tam incredibilis pulchritudinis fuit, vt in Ægypto, & in Geraris raperet animos regū, sibique nuptias regias assereret. Vnde meritò hęc mortua ob oculos proponitur; maximè enim nos munit, vt à viuis libere mur, si videamus mortuos pulchritudinū apices. Ad remedium Israelitarum cadentium sub serpentinis morsibus, de præcepto Dei Numer. 21. *Fecit Moyses serpentem aneum; & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Et quale hoc remedium erat, vt sanarentur homines à morsibus serpentium viuorum? Quid conspectus

Num. 21.

ctus de morthi serpẽtis cum veneno, quod viui halabant? Rem pulchro exemplo ex-
D. Aug. plicat D. Augustſer. 101. de tempore fatus: *Etiam secundum medicorum carnalium disciplinam, quibus de morte serpentis contra viuorum serpentium venena salubria anthidota præparantur, non est incongruum, vt mortuum debeat serpentem intendere, qui à viuorum serpentium venenis desiderat liberari.* Dat caput serpentis mortui materiam, qua medici anthidota præparãt aduersa serpentina venena lethalia; sic Israelitæ iubebantur intendere in serpentem mortuum, in quo maximè aduersus viuorum incursus curabantur, confirmabantur. Vtinam, & fidelis intendat in præstantissimorum cadauera; inde sanè non possent non maximè confirmare aduersus viuida venena pulchritudinum, seu voluptatum. Exod. 14. non solum Dominus submersit in mari validissimos Ægyptiorum exercitus, sed & eorum cadauera in littus proiecit in conspectum Israelitarum. Ait enim: *Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.* Et cur post submersionem voluit Deus, vt omnia cadauera ad littus proiecta iacerẽt?
Lyra. Ait Lyra: *Vt haberent arma eorum ad defendendum se contra hostes.* Ministant arma validissima homines præstantes mortui, quibus hostiles incursus propellamus. Accinit
Theodore. Theodor. quæst. 34. fatus: *Cum Ægypty demersi essent, eorum corpora vna cum armis in littus depulsa, quæ illi spoliantes ad belli cos vsus sumpserunt.* Non aliunde, sed de cadaueribus occisorum prouidit Dominus arma suis Israelitis; vt quos non solum aduersus homines; sed aduersus vitia, & irritamenta vitiorum armaret. Dant equidem cadauera hominibus ea arma, quibus possint vniuersas malas incursiones deuincere. Quò crediderim spectasse Ezechielem
Ezech. 32 cap. 32. *Non dormient cum fortibus, cadentibusque, & incircumcisis, qui descenderunt in infernum cum armis suis.* Expende fortium virorum, & Heroum notionem, nimirum, *qui descenderunt in infernum cum armis suis*; quod refert Hector Pintus, & Cornelius à Lapide ad pompam funebrem magnatum, quorum cadauera armis cincta efferuntur. Putarim ego in rem præsentem Heroum cadauera cũ armis esse in sepulchris, quia videntibus arma proferunt, quibus sese maximè in virtute confirment, & propugnent aduersus delinimenta mundi.

(*)

§. II.

Quo præstantior quis in bonis temporalibus, eo ruinæ proximior.

TAndem de illa pulcherrima Sara dicitur, *Mortua est*; prima seminarum proponitur ab scriptura mortua, quæ prima in pulchritudine fuit, quæ propter pulchritudinem Reges principesque sibi subiectos tenuit. Sic ostenditur prima in ruina, quæ prima erat in dote naturali. Ezech. cap. 32. aiebat: *Quo pulchrior es? Descende, & dormi cum incircumcisis, &c.* Theodoret. Hector Pintus, & alij tollunt interrogationem, & legunt. *Quo pulchrior es, descende, & dormi cum incircumcisis.* Quasi præstantiæ pulchritudinis annectãt viam vniuersæ carnis; quanto enim pulchritudo est maior, tanto vicinior est, vt in somnũ mortis abeat. Vt dicat Iob cap. 24. *Sicut summitates spicarum conterentur.* Vbi Septuag. expressius in rem præsentem: *Sicut de stipula spica decidens sponte sua.* Non equidem stipula adeo vicina est casui, vt spica; quæ vt granorum pretio extollitur, sic vel ipso diuitiarum põdere ipsa se deprimit, & terram quærit, in qua denuo thesauros suos abscondat: Non aliter qui multus est in tẽporalibus bonis, in diuitijs, in fortitudine, in decore, similiter, & præ omnibus alijs est ruinæ proximus. Dixi de hoc plura sũpra tom. 2. de Christo figurato lib. 5. cap. 3. §. 41. & tom. 2. in Euangel. lib. 12. cap. 6. §. 1. & alibi.

Ezech. 32. Theodoret. Hect. Pint.

Iob 24. Septuag.

§. III.

De Mariæ patrocinio venit, quod difficilia quæque vincamus.

ITaque de Sara dicitur, quod *mortua est*, mortua, inquam, est illa Abrahami coniux, illa laborum socia, circa cuius mortem ait Rupert. lib. 6. in Gen. cap. 35. *Vnde notandum, quia Deus vlterius Abrahæ apparuisse non legitur.* Apparuit Deus Abrahamo cum illum à patrio solo eiecit, & peregrinum fecit; apparuit, cum circuncisionem mandauit; cum eijciendum Ismaelem dixit, cum Isaacum immolandum flagitauit. Hæ apparitiones dutissimarum tentationum

Rupert.

tionum factæ sunt Abrahamo viuente Sara; at post huius mortem omnes illæ apparitiones cessarunt. Et cur sic durus apparebat Deus Abrahamo, Sara viuente, & comitante virum; post cuius mortem ab illa duricie cessauit? An quia de Saræ auxilio omnia illa difficilia facile superaret? Sanè in illa vmbra significabatur, vt à vera Sara, à vera matre nostri risus Maria veniat, quod alacres nos, & victores indifficilia quęque prosiliamus. Comitante suos alumnos Maria petat Deus circuncisionem carnis, imo petat immolationem corporis, abnegationem omnium mundialium; ad omnia intrepidi aduolabimus. Hinc aiebat Maria ad filium: *Dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Cant. 8. Per malum granatum intelliguntur, qui ex tribulationibus, & tentationibus difficilimis coronas nouerunt reportare. Et notandum, quod hos coronatos vocet Maria suos, illosque vt rē propriā Deo offerat. Plane inde claret, quod tentationum, tribulationumque coronas Mariæ debeamus. Ait D. Philipp. Abb. lib. 4. in Cant. cap. 35. *Meorum vero, forte ideo dicit Virgo: quia quisquis amans Christum, passioni, & martyrio se addicit: ipsa illi auxilium, & curam impendere gratulatur, & quicquid ille proficit, totum proprium arbitratur.* Meritò inter suos numerat Maria omnes eos, qui in stadio crucis desudant, qui vestigia Christi per afflictiones, & tribulationes secuntur, de Mariæ enim auspicio venit, quod fideles in tribulationum certaminibus triumphent. Maximus ille Christi athleta Paulus de se dicebat ad Galat. cap. 6. *De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Ecce tibi fortis athleta, vt in stadio crucis ab omnibus se abstinet, nulli parcit vulneri, sed instar Domini Iesu plagatus triūphat. Quid tunc? Ait D. Ignat. Martyr epist. 7. ad Tarsenses: *Paulus stigmata Christi in carne sua circuntulit; cuius cum memineritis, prorsus cognoscitis, quod Iesus Christus natus est ex Maria.* Et cur necessum est cognosci Christum ex Maria natum in stigmatibus Paulo infixis? Equidem quod Paulus triumphet sub vulnere, quod indefesse sequatur crucifixum, ex eo pēdebat, quod Iesus meus præcessisset in vlnis matris Mariæ. Rem illustro exemplo ab historia petito, quam refert Aimoinus lib. 3. cap. 81. Clotharius Francorum rex orbatus fuit parente adhuc infans, cum ab vberibus penderet matris Fredegundis. Quæ hostilem exercitum conspicata assumpsit Clotharium infantem in vlnis, & iubet militibus suis, vt se sequantur ita in prælium euntē; quid tunc? Ait Aimoinus: *Placuit cunctis, quod dixerat Regina, ex consilij sententia Regem adhuc matris sugentem vbera, ferrata agmina secuntur.* Præcedebat rex infans a matris dependens vberibus, quem sic sequebantur ferrata agmina, vt reportarent triūphum. Proh Dei sapientiam! Proponit infantulum Iesum regem nostrum in Mariæ vlnis, pendentem ab vberibus illius, & in prælia homines agit, & in triumphos. Ex quo Regina cœli Maria Iesum habet in vlnis, & nobis adest; non est, qui ferro parcat, non est qui se neget vulneri; quin agmina Christiana ferrata abnegatis mundi blandicijs aduolant secutura tantam ductricem. Et quis metuat sibi ab hostibus dum adest Iesus in vlnis Mariæ? Bis, & ter concesserat Petrus hosti, & totus erat catenis hostilibus captiuus Luc. 22. *Et conuersus Dominus respexit Petrum: Et egressus Petrus foras fleuit amare.* Omnia hostilia tela subito depulit Petrus, vbi Dominus illum respexit: & vnde tantam vim cępit ex simplici oculorum contuitu? Nota verbum illud *Respexit*, quo vsa Maria in cantico ait: *Respexit humilitatem ancillæ suæ, &c.* Quasi iactus oculorum Iesu in Petrum, idem fuerit, qui in Mariam matrem; ne miremur, quod oculi, qui Mariam respexerunt, vbi ad Petrum accederent, in illo mille triumphos generarent. Ait D. Laur. Iustinian. lib. de Triumphali Christi agone cap. 8. *Respexit Petrum non corporis, sed pietatis intuitu. Eodem quippe modo respexit Petrum, quo respexit humilitatem ancillæ suæ, sed non pari affectu.* Cur Petrus non rideat hostes, quando illum respexit Dominus, illo intuitu, quo respexit matrem? Sanè oculorū acies per Mariam transiens vt peruenit ad Petrum, non potuit non illum multis triūphis decorare. Fœlix tu, qui à Maria respiceris, fallar, nisi inde mille trahas triumphos.

Cant. 8. — Phil. Ab. — Ad Gal. 6. — Ignat. M. — Aimon. — Luc. 22. — Laur. Iust.

Cen. 23. Responderunt filij Heth dicentes: Audi nos Domine; Princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit, quin in monimento eius sepelias mortuum tuum.

§. IIII.

In nullis diuitijs tanta lucratur homo, quanta lucratur in Deo.

INgentem diuitiarum suarum substantiam præmittebat Abrahamus, cum ab Hethæis petit locum sepulturæ, in quo condat Saram vxorem suam. At illi nõ diuitias respiciunt, non munera, sed vnum Deum illi præsentem attendentes gratanter exhibẽt, quidquid petit. Quippe aiũt: *Princeps Dei es apud nos; in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit.* Ecce tibi, vt Princeps Dei agnoscitur esse, nihil illi negatur, nullum illi ponitur impedimentum. Hoc vnum prospiciunt, quod in illo elucet Deus, & vt Deus patet, in illius parte esse, omnia illi gratanter concedunt. Felix, qui habeat Deum, in illo solo lucrabitur maiora, quã in omnibus diuitijs sæculi. Eliezer Abrahæ seruus mittebatur multis diuitijs plenus quæsiturus sponsam filio Domini sui. Quid tunc? Gen. 24. *Tulit decem camelos de grege domini sui, & abijt, ex omnibus bonis eius portans secum, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad vrbem Nachor. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ vespere, eo tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam: Dixit; Domine Deus Domini mei Abraham, &c.* Laudo, quod famulus iste expectãs puellas, è quibus vnam acquirat Isaaco, ad Deũ confugiat; sed & illud requiro, cur non simul diuitias domini sui prætendat? Quãdo duodecim camelos onustos auro, argento, pretioso que suppellectili secum habebat, cur illos cubare sinit, & diuitias occludi, & seorsum esse? Nonne hæ si viderentur citissime compararent dignam tanto viro puellam? O virum sapientem! Quærens lucrari sponsam Domino suo; diuitias dissimulans confugit ad Deum, sciens in Deo citius, quam in omnibus diuitijs posse lucrari vniuersa. Ait Theodor. ser. 8. de Prouid. *Donis, quæ secum ferebat, & omni diuitiarum splendori longum valere renuntians, manibus in cœlũ extensis Deo supplicat, vt Isaaco puellam, quæ Heri moribus conueniat despondere dignetur.* Sciebat optimus longe validiorem Deum ad omnia lucra facienda quã omnes diuitias mundi esse: & ideo diuitias dimittens, vnum Deum in se curat ostendere, in quo non dubitat sibi omnia prospere acquirenda. Est enim Deus in nobis substantia certior, quã vniuersa cõparemus. Quò respiciens Dauid Psal. 88. aiebat: *Vsque quo Domine auertis in finem, exardescet sicut ignis ira tua? Memorare, quæ mea substantia.* Deo irato, & vindici iniquitatum opponit suam substantiam Dauid, quasi inde habeat, vnde reddat Deo, & cõparet ab illo misericordiam, & patientiam. Sed qualis, quantaque erat hæc Dauidis substantia, in qua præsumat tanta habere ex Deo? Crediderim nullam aliam substãtiam prætendi modo, quam ipsum Deum. Deus enim vnus est tota hominis substantia, in qua prospera omnia acquirat, & vniuersa aduersa repellat. Ait D. August. lib. 17. de Ciuit. cap. 11. *Nihil hic melius, quam ipse Iesus intelligitur substantia populi huius, ex quo natura est carnis eius. Nisi enim esset vnus filius hominis substantia Israel, per quem filium hominis liberarentur multi, vane vtique constituti essent omnes filij hominum.* Quis enim homo magis vane degit, quam ille, cui nulla substantia est? Sed hic est ille, cui Deus non est, in quo vno nos omnem nostram substantiam habemus, quasi careamus, vani sumus, sed si Iesu abundemus, fortunatissimi negotiatores erimus. Hinc Matth. 21. ingressus Iesus Templum: *Eiiciebat ementes, & vendentes, & mensas nummulariorum euertit.* Duo dicitur fecisse Dominus; in primis ementes, & vendentes eiecit, & cur eiecit ementes, & vendentes? Ait Chrysost. hom. 38. in Matthæum: *Nec stabilis est substantia eorum. Talium enim substantia, aut ipsis viuentibus peritura est, aut a malis heredibus dissipanda, aut ad extraneos ventura. Non potest ad bonum proficere.* Planè talibus non erat Deus substãtia, sed nummus, sed aurum, & ideo in illa non poterant fructuose negotiari; nihil bonum poterant sibi comparare. Solus enim Iesus vera est homini substantia, in quã omnia vere cõparabit. Et qui sine hac substantia sunt ab omnibus reijciuntur, reprobantur. Deinde *mensas nummulariorum euertit.* Et cur sic in nummos iratscitur? Ait idem Chrysost. supra: *Ideo mensas nummulariorum euertit, significans, quia in templo Dei non debent esse nummi, nisi spirituales, id est, qui Dei imaginem habent.* Dumque homines præseferant Deũ, iam habent, in quo ad se vniuersa trahant. Huc afferenda sunt dicta tom. 2. in Euang. lib. 10. cap. 3. §. 23.

Genes. 24

Theodoret.

Psal. 88.

D. Aug.

Matt. 21.

Chrysost.

Chrysost.

§. V.

In exercenda iustitia Deus manifestè claret.

ETHnici homines non possunt non Deum agnoscere in Abrahamo, dicũt enim: *Princeps Dei es apud nos, &c.* Nõ solum eum Principem agnoscunt; sed & Principem Dei æstimant, vt in quo maximè Deus clareat. Et vnde Princeps Dei videbatur? Erat enim apud illos potentissimus, fortissimorum hominum exercitu circundatus, quorum manibus de quinque regibus paulò ante triumphauerat, & in tanta potentia neminem læserat, sed cum omnibus iustitiam seruauerat, ex quo illi non Principem vtcunque, sed Principem Dei nominabant. Ait in præsenti Caietan. *Princeps Dei es apud nos. Fulgebat in Abraham tanta iustitia diuina, vt vices summi iudicis Dei gerere videretur.* A iustitia exercita per Abrahamum, manifeste Deus in illo esse cernebatur: quantumque in illo iustitiæ fulgebat, tantum summi iudicis Dei radiabat. Est enim iustitiæ virtus Dei insigne singulare. Pro quo monebat Deuth. 1. *Non accipias cuiusque personã in iudicio, quia Dei iudicium est.* Itaque quod ad rectum iudicium faciendum spectat, id totum Dei est: & vt se ex parte Dei ostendit, qui iudiciũ facit; sic qui in iniustitijs se exercet, manifeste Deum inuadit. Ait D. Cyril. Alex. in cap. 3. Michææ prope finem: *Qui se ad inique iudicandum exercet, tantum non diuinum, & altissimum thronum inuadit: & in ipsam ineffabilem gloriam se peccare sciat, quæ recte, & iuste iudicare nouit. Dei enim iudicium est.* Dei se putet aduersariũ, & diuini throni inuasorem; qui iniustitiam facit; rectum enim iudicium, & iusticiæ administrandæ norma ex Deo est; in tantum Deo assimilaris, in quantum nemini iniustitiam facis; & quantum à iusticia recedis, tãtum à Deo abes. Vt meritò mordeat Israelitas Michææas cap. 3. *Principes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant: & super Dominum requiescebant dicentes; Nũquid non Dominus in medio nostrum?* Miseri errones, cum nihil iustitiæ seruarent, sed in omnibus corrupti essent, gloriabantur quasi Deum in se haberent. Quid absurdius, quã quod credatur Deus esse in eo, in quo nulla est iustitiæ seruandæ ratio? Aiebat ibi D. Cyril. Alex. *Execrandum negotium, & Deo omnium purissimo etiam, atque etiam, vehementerque exosum iudicium iniustum.* Tantũ abest, vt Deus sit in eo, qui iniustitiam facit proximo suo, vt execrandũ id, & Deo vehementer exosum sit.

Caietan.

Deuth. 1.

Cyr. Ale.

Mich. 3.

Cyr. Ale.

§. VI.

Reges, Principesque non tam ex subiectis prouincijs, quã ex virtutibus clarent.

ADuena erat, & peregrinus Abraham, nec palmũ terræ suũ habebat, & nihilominus Princeps ad Hethæis vocatur, dum aiunt: *Princeps Dei es apud nos, &c.* Græce apud Chrysost. *Rex a Deo es tu in nobis, &c.* Et Princeps, & rex habebatur, qui nec gradum pedis possidebat, & merito: non enim sic à terrenis ditionibus, vt à virtutibus constituuntur reges. Pro quo aiebat D. Chrysost. ibi: *Tam clarus, & spectabilis, & tantam apud Deum habens fiduciam, in tanto honore erat, vt & à filijs Heth rex nominaretur, neque gradum pedis possidebat.* Itaque cum nec palmum terræ possideret, in tantum virtutibus extollebatur, vt merito rex haberetur. Virtutes enim sunt, quæ veros faciunt reges. Hinc Psal. 67. ait ad Dominum; *Tibi offerent reges munera.* Sed quando Deus plus æstimat duo æra pauperculæ viduæ, quam amplissima munera regum, quid magnum dicit psaltes in eo, quod reges munera offerent Deo? Cur non potius dicit, pauperculæ viduæ offerent Deo munera, quando hæc acceptiora solent esse Deo? Sanè de pauperibus loquitur psaltes, quos propriæ virtutes sic euehunt, vt mallet illos vocare reges. Ait D. Amb. lib. de Nabuthe cap. 16. *Pauper fide ditior est, sobrietate locupletior: & cum sit pauper, ex illis est, de quibus dicitur: Tibi offerent reges munera. Non enim purpuratis offerentibus, sed motus proprios regentibus Dominus Iesus delectatur, qui corporalis lasciuiæ mentis dominentur imperio.* Pauperes erant, qui dona offerebant, non purpurati mundiales; hos enim, quia vitijs seruiunt, minime censet eos Dominus esse reges, nec gaudet regno, quod à terrarum possessionibus venit, sed quod à virtutibus, à vitiorum expugnatione, à carnalium voluptatum abnegatione procedit. Sectare virtutes, & sub illarum radijs splende, & licet Iro pauperior sis,

Chrysost.

Psal. 67.

Ambr.

sis, licet nullum possideas pedem terræ, rex es coram cordatis, & coram Deo omnipotente. Qui, vt est Apocal. 1. *Fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo.* Et quomodo fecit nos regnum, nisi gratiam communicando, qua expugnatis vitijs pure, & sancte viuamus? Crede mihi, dum sancte viuis, regnum in te ostendis, & si nullius oppiduli dominus sis. At si vitijs seruias, minime rex habeberis, quamuis vniuersarum nationum domineris. Apocal. 17. *Et decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt.* Putat Rupert. ibi denotari Reges vniuersos, & Imperatores, qui vsque ad Ioannis tempora extiterunt in mundo, & apud Assyrios, & apud Persas, & apud Græcos, & apud Romanos. Sed cum isti dominati fuerint orbis, quomodo de illis dictum est, *Regnum nondum acceperunt*? Plane sub se habuerunt terram, sed quia vitijs cupiditatibusque seruierũt, meritò censentur regnum non habuisse, & ab aluo regum excluduntur. Sic ibi Rup. lib. 10. *Regnare quidem visi sunt, & regnum, fastũque nomen sibi vsurpauerunt, sed veraciter nũquam regnauerunt, Neque enim regnum illorũ vere est regnum, sed solius Domini est regnum. Nam vere reges huiusmodi non sunt mirandi, sed miseri sunt iudicandi, qui vt regnarent, tot homicidia fecerunt.* Equidem qui seruientes cupiditatibus suis igne, ferroque nationes domabant; non tam reges, quam carnifices visi sunt: nec tam sibi regnum fecisse, quã mensam parasse putandi. Ex quo Regem Charibertum meritô extollit Venantius Fortunatus, canens:

Cur tamen hic repetam præconia celsa priorũ,
Cum potiùs tua laus ornet honore genus?
Illi auxere armis patriam, sed sanguine fuso;
Tu plus acquiris, qui sine clade regis.
Quos prius infestis lassarunt bella periclis,
Hos modo securos pacis amore foues.
Omnia læta canunt fœlicia tempora Regis,
Cuius in auspicijs floret opima quies.
Per quem tranquilla terrarum fruges abũdat,
Deuotis populis est tua vita seges.

Quid de Rege pulchrius? Plane, qui sic omnia moderantur, vt solis vitijs inferant ruinam, vt de sola malorum imminutione crescant, vt non nisi benefacere sciant, hi vere regnant, & vere reges sunt.

Apoc. 1.

Apoc. 17

Rupert.

Idem.

Ven. For.

Gen. 23. Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth, dixitque ad eos: si placet animæ vestræ, vt sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor: vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri: Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth.

§. VII.

Munera datoris manibus correspondent.

NOn otiosè in præsenti de Abrahamo dicitur: *Adorauit populũ terræ, filios videlicet Heth*: sufficisset enim dicere, quod adorauit filios Heth, vt de Rege Babylonio dicitur Dan. 2. *Et Danielem adorauit.* Cur maluit in præsenti præponere illud; Adorauit populum terræ, filios videlicet Heth? Ad quid præmissa est illa phrasis, nimirum pòpulus terræ? In præsenti donum accipiebat sepulchri, cuius largitorẽ digne nominat populum terræ; sepulchri enim donum de manibus terrenis debebat procedere. Solent semper largitoris manibus bona exhibita respondere. Sic Iesus Mar. 1. curaturus leprosum, ei manum imposuit, dicit enim: *Iesus autem misertus eius, extendens manum suam, & tãgens eum, ait illi: Volo, mundare. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, mundatus est.* Quo argumẽto conficit Tertulianus Marcionem dicentem, in Iesu nõ esse veram carnem, sed apparentem, non esse verum caput, veros pedes, veras manus, sed apparentes. Proponit autem Tertul. veram mundiciem leprę per manus Iesu exhibitam homini: ex quo educit debere illam procedere à manibus etiam veris, donum namque debet largitoris manibus respondere. Quippe ait lib. 4. in Mar. *Manus imponens Iesus medicinarum beneficia conferebat, tam vera, tam non imaginaria, quam erant manus, per quas conferebat.* Vt erant dona Iesu vera, & solida bona, nihil imaginarium, nihil fictum habentia: sic ostendebant eius manus, non imaginarias, non fictas, sed veras esse. De fictis manibus fictitia dona procederent; vt de veris solida, & vera. Sequũtur semper manus donã, per quas veniunt. Gen. 2. dicitur:

Dan. 2.

Mare. 1.

Tertull.

Genes. 2.

Et vidit Deus, quod esset bonum. Et ait: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit, &c. Cetera verbo creabat Dominus, vt ad hominem ventum est, manus applicat operi. Et cur faciendo homini manus adhibere voluit? Id innuunt illa verba. *Et præsit, &c.* Dum enim hominem vult condere regem animalium omnium; & dominatrices, & regias suas manus applicuit operi vt manibus responderet, quod ex illis processit donum. Ait Germanus Constantinop. orat. de cruce apud Grethserum tom. 2. *Cum nihil prius in medium contulisset homo, Rex terrestrium constitutus est diuinæ manus impositione. Tu enim, inquit, formasti me, & posuisti super me manũ tuam.* Psal. 138. Et vt Dominus manus suas adhibuit humano operi, quid inde posset venire nisi regium donum; vt exiret homo rex animalium omnium? Quales enim sunt largitoris manus, talia sunt dona. Hinc sponsa Cant. 1. dicebat: *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me Sol.* Et qualem virginem Sol non decoloret? Cum sub vmbra sedebat domi, cum sub Dei manibus erat in abscondito, non decolorabatur; egressa est in lucem, egressa est foras, & statim primum cœpit amittere splendorem. Quo respiciens D. Nissenus hom. 2. in Cant. ait. *Non enim erat consentaneum, vt ei, quæ lucidis Dei manibus fingebatur, illiniretur forma aliqua tenebrosa, & nigra.* Et quidem vbi à Dei manibus fingebatur, vbi à Dei manibus accipiebat; ibi totum lux erat, & splendor; ex quo cepit de aliorum manibus accipere, nimirum de creaturis, de populo terræ, iam inde cœpit vmbras habere.

Germanus. Cant. 1. D. Nissen.

§. VIII.

Pro terra mortis habenda multis se subdit ærumnis, non sic pro Deo.

VT locum sepulturæ acciperet Abrahamus ab Hethæis; *Adorauit populũ terræ.* At Gen. 18. vbi tres viros peregrinos accedentes vidit; *Cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram. Et dixit: Domine, si inueni, &c.* De quo Paulus ad Hebræos locutus ait: *Tres vidit, & vnum adorauit.* Itaque tunc è tribus visis vnum adorauit, cum vno loquitur, ad vnum preces mittit; modo visis Hethæis non vnum ex illis, sed totum populum terræ adorat, & cum toto populo agit de conueniendo Ephron. Et cur antea vnũ è tribus, modo totum terræ populum adorat? Antea excipiebat Deum in peregrinis, pro quo habendo leue quid, & facile impenditur; vni enim Domino si placeas, negotium habuisti. Verum modo terram mortis curat ab Hethæis accipere, & pro terra mortis habenda non facile quid, sed maximè laboriosum impendendum est, quasi te multis, & durissimis tyrannis subdas. Quò spectans Philo lib. de Ioseph aiebat: *Qui auram populi captant, sicut venalicij, seruus sit ex ingenuo propter honores, quos videtur accipere, addicens se innumeris Dominis.* Et quod de aura populari habẽda dixit, similiter intelligendum dictum, de qua vis re temporali, mortali; in cuius acquisitione innumeræ vorantur ærumnę; multiplicia, eaque durissima iuga subeuntur. Fęlix, qui supra hanc terram mortis ascẽdit, & ad ęterna festinat, durissimis sese tyrannis eripiet. Hinc mirabundi Angeli dicebant sanctæ animę Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* Hoc sanè mirabantur, quod per desertum, vbi aliæ, & ipsa cũ alijs huc, illucque erraret, non veros fructus quærens, quando desertum magis ad mortis caliginem spectat, nihilominus hęc ibi ascenderet. Et vnde hoc proueniebat, quod non magis in deserto erret? Sanè nihil illa de deserto cupiebat, quin reputans mortalia omnia, ad æterna festinabat, quo maximè sese extollebat. Aiebat Gillibert. Abbas ser. 15. in Cant. *Quæ est ista, quæ ascendit? Ac si dicat, non est cum illa sicut heri, & nudius tertius. Non iam amplius circuit ciuitatem; non discurrit per vicos, per plateas, per vigiles. Non errabunda vagatur, sed itinere directo ascendit. Quæ est in hoc ipsa tam subita mutatio? Quæ est ista, quæ ascendit per desertum? Desertum vere, & aridum reputat seculum, omne hoc per quod ascendit. Inanitas est, quam putatis vbertatem. Terra sitis est, & imago mortis.* Et quidẽ quãdiu ad ista descẽdebat, circuibat ciuitates, discurrebat per vicos, per plateas, per vigiles, sese multis subdens vt terram sitis, & mortis haberet, sterilem, & desertam veris bonis; at vbi ab ijs ascendit, rectoque itinere tendit ad Deum, ab omni circuitu, ab omni solicitudine, & errore cessat, omne iugum excutit. Hoc habet, quod expers oneris, quasi pennata ascendat. Quidquid mundiale est, & morti obnoxium mille parit labores quærenti, facile offertur, quidquid ad æternam salutem spectat. Ecclesiasticus cap. 24. ait de se vera, & salutari sapientia: *Quasi platanus*

Genes. 18

Plut.

Cant. 3.

Gil. Abb.

Eccles. 24

nis exaltata sumiuxta aquas in plateis. Quæ
Gil. Ab. verba ponderans Gillibert. Abb. serm. 5. in Cant. ait in rem præsentem: *O beatas vere plateas, in quibus sapiētia sic crescit, sic exaltatur, & supereminet perspicuam se ostendens, & non indigens quæri. Et vide quomodo seculari prudētiæ aliqui totam sui cordis latitudinem exponant, quantum distendant animum, vt plā tent ibi plantationem infidelem. Exi in plateas, & vicos ciuitatis, otia discute, scrutare negotia eorum, qui iudicijs vacant, qui tenent cathedram, qui sedent in tribunalibus: contemplare quid agant in publico, quid in cubiculo; &c.* Sola sapientia pro salute æterna habē da omnibus patet, & pene nō indiget quæri, sed facile, & perspicue se oculis offert. Quæ autem quid temporale, & mortale secum inuoluit, multos labores, & sudores parit. Id videre potes in ijs, qui per sapientiam lucra temporalia sectantur siue in iudicijs, siue in cathedris, siue in tribunalibus. Nunquam enim non mortalia bona sudori sunt, & labori suis asseclis. Aiebat
Genes. 37. Ioseph Gen. 37. *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunā, & stellas vndecim adorare me.* Sed quibus laboribus hanc adorationem
D. Hier. comparauit? Ait D. Hieron. ad Demetriadem de virg. *Primum à fratribus Ismaelitis in seruum addictus est, ab eisque venditus, a quibus se viderat adorādum.* Plane qui adorationem temporalem exhibituri erant, prius seruitutem intulere, & captiuitatem; nec enim nisi post multarum ærumnarum pretium gloria temporalis ex creaturarum manu comparatur.

Genes. 23. Respondit que Ephron ad Abraham cunctis audiētibus, qui ingrediebātur portam ciuitatis illius dicens: Nequaquam ita fiet Domine mi, sed tu magis ausculta, quæ loquor: Agrum trado tibi, & speluncam, quæ in eo est, præsentibus filijs populi mei, sepeli mortuum tuū. Adorauit Abraham coram populo terræ, & locutus est ad Ephron circunstante populo eius: Quæso, vt audias me: Dabo pecuniam pro agro, suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in agro.

§. IX.

Boni, præstātisque viri est commoda nolle, quæ de aliorum periculis, calamitatibusque nascuntur.

REquisitus Ephron, vt agrum venderet ad Sāræ sepultutam, ipse comis, & liberalis magis illum gratis tradere volebat accepto pretio nullo. Ait enim: *Nequaquam ita fiet Domine mi, sed tu magis ausculta, quod loquor: Agrum trado tibi, & speluncā, quæ in eo est præsentibus filys populi mei, sepeli mortuum tuum.* Et cur gentilis homo tam liberalis in peregrinum, vt ei agrum, & speluncam gratis offerret? Cur non magis requirebat in pretium agri dignam pecuniam? Ait D. Greg. PP. lib. 5. Regist. *Gre. PP.* epist. 55. *Dum Abrahām à filys Emor, hoc est, Ephron, filio Seor, sepulchri terram pretio ad humandum corpus coniugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadauere consecutus.* Cauebat bonus vir commoda: quæ sibi de aliorum calamitatī bus videbat oriri. Totum illud agri pretiū extorquebat ab Abrahamo mors Saræ dilectæ coniugis: & vt res tanti luctus in Abrahami familia faciebat, quod pecunia offeretur pro agro sepulchri; sic præstans vir Ephrō refugit commodum accipere, quod totum nascebatur de alterius ruina. Hæc est præstantissimorum hominum virtus, quod cōmoda ex aliorum calamitatibus orta refugiāt. Abimelech rex Geraræ post manifestatam sibi Saram esse vxorem Abrahami Gen. 20. *Tulit oues, & bobes, & ser* *Genes. 20.*
nos, & ancillas, & dedit Abraham; nec Abraham refugit munera Regis Abimelechi accipere; at Gen. 14. cum Rex Sodomæ obtulisset Abrahamo spolia omnia de *Genes. 14.*
quinque regibus expugnatis sumpta, ait Abrahamus: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli, & terræ, quod a filo subtegminis vsq; ad corrigiā caligæ, nō accipiā ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas ego ditaui Abrahā.* Et cur qui nō refugit munera oblata ab Abimelecho rege accipere; à Rege Sodomæ cauet vel filum subtegminis sumere? Quæ offerebat Abimelech erāt munera cōmunia, qualia homines passim exhibere solent in signū amicitiæ, ex nulla calamitate, aut ruina aliorū nascebātur. At quæ rex Sodomæ offerebat, erāt spolia occisorū; quę cladē quinq; regū, & mul-

multorum aliorum cædes repræsentabant. Ideo ea præstantissimus vir Abraham repellebat, vt qui horreret cõmoda ex aliorum ruinis. Quò spectans Claudius Ma-
Cl. Mar. rius lib. 3. in Gen. inquit:

Et varios hominum reputans sub pectore casus
Omnes omnino prædas, & præmia belli
Direptis passim populis, Regique reseruat.

In spolijs oblatis videbat totam illam belli tragædiam, vt quinque Reges spoliauerant Sodomitas, pluresque interfecerant, quorum spolijs diuites pergebant ad sua; at dum requiescunt ipsi, miserè interficiuntur ab Abrahami militib⁹, & proiectis eorum cadaueribus in terra, quam fecerant, spoliationem subeunt. Vbi autem tot mortes, tot casus, tot clades in illis spolijs reputat Abrahamus, calamitatum effectus calamitosis relinquit; horrens ipse ditari, & augeri aliorum calamitatibus, & ruinis. Mihi crede, illa placent bonis viris dona & commoda, quę nullius præseferũt ruinam. Aliter efferis hominibus, & tyrannis; de quibus illud est ingenium aquilarum à Iob
Iob 39. cap. 39. decantatum, *Pulli eius lambunt sanguinem, & vbicumque cadauer fuerit, statim*
D. Aug. Septuag. *adest.* Augustin. ex Septuag. *Pulli eius in sanguine volutãtur.* Quod ingenium sapiẽter putat Nicetas in cat. Græca esse hominis impuri, cuius est crescere in aliorum calamitatibus. Sicut è contra præstantis hominis est effugere commoda talia. Ex quo
Plin. Trajani sui dona laudabat Plinius in Paneg. inquiens: *Quò circa nihil magis in tua tota liberalitate laudauerim, quàm quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo; neque à te liberi ciuium, vt ferarũ catuli, sanguine & cadibus nutriuntur; quodque gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi, quod nemini est ereptum.* Itaque feraria stirps est, quæ aliorum nutritur cædibus; vt humana, & regia, quę solis illis gaudet bonis, quæ nemini eripiũtur, & de nullius cladibus exurgunt.

Genes. 23. Respondítque Ephron, Domine mi, audi me; terra, quam postulas, quadringentos siclos argenti valet: istud est pretium inter me, & te, sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum. Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulauerat, audientibus filijs Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ. Confirmatusque est ager, &c.

§. X.

Quod humilis obsequij gratia nolle videris, id efficacissimè extorques à probis viris.

ILlud maximè notandum est, quod de Abrahamo dicitur in præsenti, nimirum: *Appendit pecuniam, quam Ephron postulauerat, audientibus filijs Heth, quadringentos siclos argenti, &c.* Expende illud: *Quam Ephron postulauerat*; at Ephron nullam pecuniam postulasse inuenietur. Solummodo taxauit agri valorem; sed nihil pro illo petijt; quin potius illud gratis omnino offerebat. Sic enim dicit: *Domine mi, audi me: terra, quam postulas, quadringẽtos argenti siclos valet; istud est pretium inter me, & te; sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum.* Hæc verba nõ petentis, sed donantis sunt, & vilipendentis pretium; idque pro Abrahami reuerentia admittere nolentis. Quomodo ergo dicitur postulasse pecuniam, quã adeò officiosè, & humili obsequio repellit? Equidem apud probos viros pro efficacissimis postulatis habentur, quæ tu humilis obsequij gratia declinare vidêris. Quot officiosa, & humilia verba promis, vt rem tibi vtilem repellas: tot efficacissima postulata videris proferre, ad illam de viris probis extorquẽdam. Sic Genes. 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis. Qui cũ vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitq; pronus in terram, & dixit: Obsecro Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: Lauate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt. Minime, sed in platea manebimus.* Inuitati hospitium recusant, officiosam humanitatem præseferentes: siue, vt ait Lyppomãnus, ciuilem verecundiam prætendebant, propensiores ad beneficiũ exhibendum, quàm accipiendum, consenti in platea manere, potius quam onerosi esse iusto. Sed cur hæc Angeli? An vt hospitem suum absolute deludãt? Absit; imo sic segerũt, sic declinãt eius hospitiũ, cõtenti in platea manere; vt eius animũ magis in hospitalitatẽ accẽdant, & efficacius persuadeant
Genes. 19

se in

se in domo eius recipi. Quando enim vrbanitas recusantis non magis benefici animũ accendit? Cyr. Alex. Ait D. Cyril. Alex. lib. 1. de Ador. *Recusant, & se in platea mansuros respondent, per hoc se domo carere significãtes, atque ipsum hospitalitatis exercendæ studiosum adferuentius studium incitantes, & tantum nõ vrbane insinuantes illum non honeste eos domo carentes, & in triuijs expositos relicturum.* Ecce tibi vrbana recusatio ostẽdens se in platea contentam esse, voce clarius à probo viro hospitium exigebat, & extorquebat; qui minime passurus esset tales viros in plateis nocte manere. Sic vrbana recutatio efficacius extorquet a probis viris optima quæque. Sic 1. Reg. 10. dum sors de regno mitteretur, *peruenit vsque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus, &c.* Quippe absconderat se, & humilis refugiebat imperium. Quid tunc? Inde magis accẽ si sunt ciues vt illi coronam deferrent. Ait Ioseph. Iosephus lib. 6. de Antiq. cap. 4. *Ad Saul filium Cis sors regni perducta est. Quod dum iuuenis agnouisset, semetipsum abscõdit, nolẽs videri sponte accipere principatum: Nec solum semetipsum pro tali regno, & tantarum gentiũ futurus Dominus non ostendit; sed etiam conspectui eorum, quibus erat regnaturus eripuit, & quærendum se non sine eorum fatigatione fecit.* Expende hæc vltima: *Et quærendum se fecit*; quo enim ipse magis vrbane, & humiliter imperium recusabat, eo efficacius faciebat, vt illum quærerent, vt facerent regem. Nunquam non vrbana recusatio trahit homines, vt impensius præstent, quæ recusari humiliter cernunt. Id quod in Vespesiano ostendit Egesippus lib. 4. de Excid. cap. 26. Egesipp. de quo ait: *Milites vociferãtes adoriuntur Vespesianum, rogant, vt Romani imperij susciplat gubernaculum. Ille autem abnuere, ac se indignum dicere, esse iam constitutum Imperatorem, refugiendum ciuile bellũ: Illi instare promptius, ille resistere perseuerantius. Postremo reluctantem armati circumsistunt, gladijs mortem minitantes, &c.* Quo ille humilius, & vrbanius refutabat imperia; acrius qui offerebant, incendebantur, adeo vt eo insaniæ peruenirẽt, quod strictis gladijs, & mortis metu cogerent acceptare.

Genes. 23. Atque ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelũca agri duplici, quæ respiciebat Mambre, hæc est Hebron in terra Chanaam. Et confirmatus est ager, & antrũ, quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti à filijs Heth.

§. XI.

Bona temporalia honorantur, dum bonis seruiunt.

VBi noster posuit. *Et confirmatus est ager*; proprie ex Hebræo legitur: *Et surrexit ager Ephron.* Surrexit, inquit, ager; qui sub ethnicorum dominio iacuerat, vbi ad fidelis Abrahami transiit dominiũ, surrexit, melioremque inde conditionem accepit. De quo ait Caiet. *Vtitur Moyses metaphora surgendi, significando agrum elcuatum in meliorem conditionem, per hoc quod emptus est ab Abrahamo.* Et quidem longe melioris conditionis sunt temporalia vniuersa, quando bonis, & præstantibus viris seruiunt. Vnde iubemur Matth. 6. petere à Deo; *Adueniat regnũm tuum*: non enim solum nostra interest, vt Christi regnum adueniat, sed & omnes creaturæ sub tanto rege honoratæ gaudebunt. Quippe ait D. Amb. lib. de Elia cap. 21. *Gaudent athletæ, qui possunt dicere: Veniat regnum tuum. Gaudebit creatura mundi, vt à vanitate mundi istius liberetur, quæ nunc congemiscit, & parturit, quia vanitati etiam illa creatura subiecta est, donec multiplicetur adoptio filiorum; & totius corporis redeptio adimpleatur.* Dum vanis, caducisque creatura seruit; sic putatur affici, quasi gemat, & doleat miseram vicẽ suam. A quo dolore, & gemitu liberabitur, cum regnum Dei apparuerit, cum nos adoptati in filios Dei erimus immortales. Tunc creaturæ omnes in meliorem conditionem ascendent; non seruientes vanis, turpibusque vsibus, sed æternis, gloriosisque Domi seruientes. Quo spectans Dominus per Oseam cap. 2. ait: *Liberabo linum meũ, & lanam meam, quæ operiebant ignominiam eius.* Quis non credat lanam, linũque quasi vinculis teneri, vt seruiant impijs operẽdis? Ideo Deus promittit harum creaturarum liberationem, & translationem in frugem meliorem, quando non seruiant impijs, sed præclaris Dominis. Pro quo ait D. Hier. ibi *Liberatur autem lana, & linum, siue vestes, & linteamina; ne vltra ignominiam operiant meretricis; vt scilicet Dei iudetur auxilio, & omnũ ab ea Angelorũ* Heb. Lect. Caiet. Amb. Osee 2. D. Hier.

tutela discedat. *Vnde, & Apostolus liberari dicit creaturam à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Proh quàgloriosè liberantur creaturæ, vbi accidit illis, ne sceleratis, & impijs seruiant. Durissima enim seruitus illorũ est, qui vilissimis, abiectissimisque Dominis impendunt seruitutem: vt Sol, & Luna, & Astra, quæ seruiunt latronibus, adulteris: vt lana, vt linum, quæ seruiunt meretricibus. Quantò cum sui dedecore putantur nobilissimæ hæ creaturæ addictæ vilissimorum seruituti? Sed ab hac liberabuntur vilitate, quãdo homines transeant in Dei filios, vt exultent, & honorentur cum illis. De Iuliani Apostatæ nece agẽs D. Nazian. orat. 1. in illũ inquit: *Vnam vocem, vnum carmẽ præsentibus beneficijs quodammodo dignum repperio, illud scilicet, quod ante nos Esaias prænunciauit, huic tempori maximè congruens, & cum beneficij magnitudine contendens. Lætetur cœlum desuper: & nubes stillent iustitiam. Effundant montes lætitiam: & colles exultationem. Quandoquidem res omnes conditæ, & cœlestes virtutes, huiusmodi rerum sensu afficiuntur. Neque enim creatura simul tantum ingemiscit, & parturit corruptioni seruiens; sed simul etiã cum filijs Dei lætantibus gloriam ipsius prædicat, & exultat.* Hoc solemne est creaturis, quòd vt seruientes corruptibilibus ingemiscunt, & dolent; sic regnantibus, & gaudentibus sanctis, simul adgaudeant ipsæ, quasi à vili seruitio liberæ.

D. Naz.

§. XII.

Illa perfecta vnitas, & alijs vtilis, quæ è duobus, aut pluribus est.

IN duplici spelunca Sara sepelitur; dum ait: *Sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici*: nimirum in spelunca duos loculos habente, in quibus duo esset cadauera vxoris, & viri. E duobus enim speluncæ loculis alterum dedit Abrahamus modo vxori, alterum reseruauit in posterum sibi. Et cur nõ in vno, eodemque loculo maluit sepeliri cum vxore? Cur qui in carne vna vixerant; mortui in distinctis loculis conduntur? Equidem distinctionem cadauerum amauit in dupli ei sepulchro, vt è duobus corporibus perfectior appareret animorum vnitas. Nunquam enim perfectior, & vtilior alijs vnitas nascitur, quàm dum è duobus, aut pluribus constitit. Ex quo Sidonius Apollinaris in Paneg. Anthemij dicit duobus Romæ Consulibus. *Apollin.*

Melius Respublica vestra
Nunc erit vna magis, quàsic est facta duorum.

Vnus singularitatem facit, à qua occasiones trahuntur fastus, & discordiarum; in duorum, plurium verò cõcordia, vnitas est, quæ omniũ deuincit animos, & ad se trahit. Vt verè dicatur de Republica, quòd nunquàm perfectius currat ad vnitatem, quàm vbi à duobus concordibus gubernatur. Hinc de Adamo rectè facto locutus Dominus Gen. 2. ait: *Non est bonum, hominem esse solum.* Et quando rex creabatur, cur non erat bonum, quod vnus esset, & singularis? Amabatur in primo rege, non singularitas, quæ fastus generaret; sed vnitas illa perfecta, quæ multorum animos cõciliaret. Aiebat enim Tertul. lib. 2. in Mar. *Nõ est enim, inquit, bonum, hominem esse solũ. Sciebat illi sexum Mariæ, & deinceps Ecclesiæ profuturum.* Expende gradus: ex quo singularitati Adami per sexum Mariæ, hoc est, per fœminam sociam succurrebatur; deinceps & inde Ecclesia, quæ est fidelium cantatissima vnitas, nascebatur. Tunc enim Ecclesia cœpit perfici in vnitate, quando plurium concordium fuit facta, & populos traxit. Gen. 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam*; & insinuat Prudentius rem mirabilem, etsi nõ probandã, nimirum nõ fuisse illos, duos Angelos substantialiter, sed vnum, qui in duorum hominum formis repræsentabatur. Et quando vnus sufficiebat ad perdẽdam Sodomam; cur necessum fuit, vt is appareret sub duorum hominum formis? Trahenda erat domus Loth in id, vt vnanimiter vellet exire à Sodomis, & ad salutem festinare: & ideo duorũ cõcordia præmittebatur, vt efficacius inde vnione arctiori domus Lothi cõstaret: Ait Prudentius in Hamartigenia: *Prudent.* Gen. 19.

Angelus hanc hospes legem præscripserat illis
Emissus virtute Dei sub imagine dupla,
Omnis vt è portis iret domus, vtque in apertum
dirigeret constans oculos, &c.

Itaque duorum concordium imaginẽ præmisit, vt vnitas è duobus totam domum cõcorditer traheret ad salutem. Quò spectãs Dominus Luc. 10. *Designauit septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam.* Luc. 10.

Ideo mittebat binos, vt crescens fidelium multitudo, magis vna esset, facta duorum cõcordium.

CAP. DECIMVMTERT. De morte Abrahami.

Textus Historia.

SEPVLTA Sara solicitudo impleuit Abrahamum quærendæ è Mesopotamia puellæ, quam filij nuptijs aptaret. Sed & de Chananæis virginibus sibi aliam adiungere non dubitat, Ceturam nomine; quæ transenem fouit, & sex datis filijs, Madian, Epha, Epher, Henoch, Abida, Eldaa promissiones diuinas de regnis multis Abrahami semini subiugandis confirmauit. Interea septuagesimum quintum supra centesimum annum attigit Abrahamus, & dierum plenus euolauit ad superos; conueniétesque Isaac, & Ismael filij eius in spelunca illa duplici charos parétis cineres claudunt.

PARS VNICA Moralis.

VLtima tandem Abrahami dies nos vocat, quæ vt cantatissima eius tempora clausit, sic virtutum aperuit fontem clarissimarum.

Genes. 24. Erat autem Abraham senex, dierumque multorum, & Dominus in cunctis benedixerit ei. Dixitque ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cœli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quas habito, sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo, &c.

§. I.

Vxor bona commodissima viro.

PRudens pater vbi sponsam meditatur filio charissimo adiungere; illam de Mesopotamia curat adducere, quò tendit adiuratio illa ad seruum facta; *vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorũ, inter quas habito, sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo.* Et quando tot in præsentia erant Chananæorum virgines, cur maluit Abrahamus, vt è distantissima terrâ quæreretur filio sponsa? Nota erat seni puellarum cognatarum præstantissima educatio, illarumque ingenia mitia, & salutaria, & ideo ad illas mittit, vel de vltimis terris quærendam, bonæ indolis vxorem vt quæ marito sit maximè commoda, & salutaris. Quò spectans Prouerb. 31. ait: *Mulierem fortem, quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit. Reddet ei bonum, & non malum.* Prou. 31. Hæc vltima verba sic Septuagint. in correctiore textu Xisti legunt: *Operatur enim viro ad bona in omni vita sua.* Septuag. Hoc est præstantis vxoris ingenium, quòd semper viro operetur ad bona. Id quod in præclaris fœminis obseruabat Sidonius Apollinar. lib. 5. epist. 7. dicens de Principe à pestiferis hominibus concitato: *Sane quod principaliter medetur afflictis, temperat Iucundum nostrum Tanaquil sua, & aures mariti virosa susurronum fœce completas opportunitate salsi sermonis eruderat. Cuius studio scire vos par est, nihil interim quieti fratrum communium, Cibyrritarum venena nocuisse, neque quicquam (Deo propitiante) nocitura; si modo, quandiu præses potestas Lugdonensem Germaniam regit, nostrum, suumque Germanicum præsens Aggripina moderetur.* Sid. Ap. Sic bonæ matronæ vtiles sunt sedandis, moderandisque maritis. Venit enim sæpe de bonæ vxoris consortio, quod maritus venenatas propinationes effugiat, sanamque mentem recipiat. Quod Paulus Orosius lib. 7. cap. 40. notabat in Placidia: de quâ inquit: *In ea diruptione Placidia Theodosij Principis filia, Arcadij, & Honorij Imperatorum soror ab Ataulpho Alarici propinquo capta est, atque in vxorem assumpta, quasi eam diuino iudicio velut speciale pignus obsidem Roma tradiderit; ita iuncta barbari potentissi-* Paul. Or.

tissimi regis coniugio, multo Reipublicæ commodo fuit. Vna ex sanctis parentibus orta, sancteque educata virgo, à barbaro captiua, illique matrimonio iuncta innumeros progressus peperit Romanæ Reipublicæ. Hinc de præclara sponsa dicitur Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascēdit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Sed quid cū bona sponsa tot aromata habent? Quid cum eadem tot pigmentariorum vnguenta? Aiebat prophanus ille: *Posthume non bene olet, qui bene semper olet.* Et Cyprianus, Tertullianusque in feminarum bonarū cultu vnguenta abominantur. Cur ergo optimæ sponsæ claritas ex tot pigmentis, vnguentisque desumitur? Est etiam in vnguentis, quod placeat, nimirum virtus depellendi spurca animalia. Cuius officio etiam bonæ vxores erga maritos gaudent. Et quid valeat in eo bona vxor largius explicat Sanct. Germanus Constantinopol. orat. in Sanctarum imaginum restitut. vbi de regalissima Imperatoris coniuge Theodora ait: *Vasis enim vnguentarij vice functa egregia illa discipula, & à Deo coronata Regina, omnes, qui Copronymi hæresi infecti erant, tanquam Scarabæos quosdam ex cœno progenitos suffocans perdidit, & proprium coniugem Imperatorem Theophilum miserabiliter à tyrannica impietate captum, tanquam de stercore inopem excitauit, vitæ quidem consors, at sententiæ exors. O eximiam mulierem, quæ multarum clades, & damna mutauit. Eua virum ex paradiso eiecit. Non ita Dei amantissima hæc fœmina. Nam cum Deum diligeret, à Deo quoque dilecta est, propterque Deum virum quoque tam vehementer amauit, vt eum ex inferno eripuerit, & ad paradisum spirituali labore traduxerit.* Expende illa prima nimirum: *Vasis vnguentarij vice functa*: quod enim vnguentum est ad perdendos Scarabæos, fugādaque animalia spurca: hoc est præclara fœmina erga maritum suum, semper illi operans ad bona, pernicioſos mores depellens, spurcasque illius concupiscentias eruderans, nec patiens illi mala accedere.

Cant. 3.

S. Germ.

§. II.

Improbitas matris validissima ad perdendos filios.

MErito Abrahamus cauit, ne de Chananæis daretur vxor Isaaco, in cuius semine gentes benedicendæ erant, ait enim: *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, &c.* Vtpote notas sibi malæ indolis puellas prudentissime cauit, ne iungerentur Isaaco, è cuius semine excitandus erat populus Dei; matrum enim improbitas prorsus inficeret filios, & raptaret per vitia. Dicitur 2. Paralip. 22. de Ochozia: *Ipse ingressus est per vias Achab; mater enim eius impulit eum, vt impie ageret.* Caietanus legit: *Mater eius consuluit ei, vt impie ageret*: quasi consilium, vel exemplū improbæ matris idem sit, quod vehementissimus impulsus, qui reptet, imo præcipitet filios in vitia. De Gallis fœminis, quę sibi cladem intulerunt Romano in prælio locutus Paul. Oros. lib. 5. cap. 16. ait: *Inuenta est etiam quædam, quæ duos filios trajectis per colla eorum laqueis ad suos pedes vinxerit, & cum se ipsam suspendio moriturum dimisisset, secum traxerit occidendos.* Hæc fecit quondam vna: visibilique laqueo religata ad pedes suos filiorum gutura, traxit ad ruinam. Quæ faciunt matres improbæ laqueo in visibili. Habent equidem in pedibus suis, inuestigijs suis laqueos, quibus rapiunt, & reptant filios per nefandorū scelerum præcipitia. Quò respiciens Ezech. cap. 19. ait: *Quare mater tua leæna inter leones cubauit, in medio leunculorum nutriuit catulos suos? Et eduxit vnum de leunculis suis, leo factus est: & didicit capere prædam, hominemque comedere.* Ecce tibi, vbi ferocissimus homo in regno constitutus ostenditur, qui quasi leo ex præda viuat & raptu, homineſque deborat; id totum de matris dicitur venisse ingenio. Mater enim erat leæna, id est, ferocissima mulier, omnis humanitatis expers; & ab hac oriens filius, ferocissimus extitit leo.

2. Par. 22.

Paul. Or.

Ezech. 19.

§. III.

Temporalium negotiatio maximè cauenda ab ijs, qui ad Christum pertinent.

QVi modo cauebat, ne Chananea puella iūgeretur Isaaco, dicens: *Nō accipias filio meo vxorem de filiabus Chananæorum*; post pauca ipse sine vllo scrupulo Chananæam duxit, ait enim Gen. 25. *Abraham vero aliam duxit vxorem nomine Cetturam, quæ procul dubio Chananæa fuit.* Et simili-

Genes. 25

militer nec Ismaeli, neque alijs filijs cauit, ne Chananææ iungerentur. Cur ergo in vno Isaaco sic horruit Chananæarum coniugium? Erat in Isaac semen ex quo Christus sperabatur oriturus, in cuius partē minimè admittitur qui totus in negotiandis sibi temporalibus insistit, vt Chananæi mercatores, negotiatoresque insistūt. Abnuat temporalium negotiationem homo necessum est, in re Christi. Quo aspiciens
Psalm. 70 Psaltes 70. ait: *Introibo in potentias Domini, quia non cognoui literaturam.* Non equidem mala ex se est cognitio literaturarū, & negotiationū; at eam traducere ad rem Christi, vt sic in Christi negotijs sis, quasi inde velis temporalia acquirere, id malum est: & solum tunc in potentias Christi admitteris, quando exuas temporalium tibi acquirendorum studium. Vt dicat Sedul.
Sedul. lib. 3. Pasch. cap. 15. *Quisquis deitatis opus exercet, puri muneris gratiam consecutus, puri muneris gratiæ sit deuotus, vt dispensator potius, quam videatur esse mercator, & cantico Dauidis impleto, spem sibi vitæ sic pronuntiet assurgere, Quia non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini.* Exue Chananæum, exue mercatorem in rebus Christi, quisquis sub illius potentia amas viuere. Non eo animo accedas ad Christum, quo videaris mercator esse, nimirum acturus Christi negotium, vt temporalia acquiras, id enim maximè te à Christo excludet. Felix, qui temporalium negotiationem excludens, vnum spectat Christum, & vni Christo laborare studet. Is quantumuis disiunctissimus videatur à Christo, illi maximè adiungitur. Post diluuij stragem sic Dominus fa-
Genes. 9. ciebat securos: Gen. 9. *Hoc est signum fœderis, quod do inter me, & vos ad omnem animū viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas: Arcum meum ponam in nubibus; & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Expende quale signum ponatur in nubibus fœderis diuini, vt maneat terra à diluuio secura, nimirum arcus Iris. Et cur in arcu Iridis tale signum constituitur? Is est arcus, qui ex se nihil habet, nullū in veritate sibi colorem acquirit, sed quos refert colores, Soli omnes illos acceptos refert; ex cuius reflexis radijs apparent illi quasi in nubibus existant. Sic prorsus in nobis, quando nihil nobis attribuimus, sed omnia bona, & pulchra referimus Christo, clarissimum signum damus æternæ salutis.
D. Aug. Ad hæc D. August. lib. 12. contra Faustū: *Quod testamentum posuit Deus inter se & homines, atque omnem animam viuam, ne perdat eam diluuio? Arcum, qui apparet in nubibus, qui nunquam nisi de sole resplendet: Illi enim non pereunt diluuio separati ab Ecclesia, qui in Prophetis, & in omnibus diuinis scripturis, tanquam in Dei nubibus, agnoscunt Christi gloriā, non quærunt suam.* Itaque vt arcus, positus in nubibus in signum fœderis ne homo diluuio pereat, nullam ex se lucem habet, nec quòd pulchris coloribus splendeat sibi refert, sed totum Soli refert acceptum: sic qui velit in se signum æternæ salutis præferre, vel in diuinis scripturis, vel in alijs quibuscumque non se quærat, sed Christū ostendat; non pro se, sed pro Christo Domino negotietur. Huc referat omnia fœdera, contractus omnes, vt nihil sibi, sed Deo quærat. Suspecta, & periculosa negotia tractas, dum non Deum, sed te quæris.
Apoc. 18. Apocal. cap. 18. in ruina Babylonis, multi inueniuntur, qui æternis illam fletibus comitentur, & inter alios dicit: *Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius.* Et qui sunt negotiatores isti, qui tantam partem damnationis Babylonicæ recipiunt in fletibus? An licet Babylon, imo totum impiorū mundus pereat, nonne manet Deus, qui eorum opera emat? Ait D. Amb. ibi:
Ambr. *Sunt multi, quibus legum sæcularium scientia data est, qui causas pauperum in iudicijs portant. Sed quia non pro amore Dei, sed pro præmiorum acceptionibus hoc faciunt, mercedem a Deo non recipiunt. In tantum vero hæc miseria conualuit, vt non inuenias aliquem, ex his, qui locum habent apud Principes, qui aliquod verbum ad pauperis necessitatem sustentandam proferat sine prety acceptione.* Ecce tibi qui sint miseri negotiatores, nimirum qui in omni negotio, & actione, & studio se solos quærunt, nullā ex parte Deum. Qui in nullo Deum aspiciunt, sed sola sua lucra terrena. Hi meritò excluduntur à porta Dei.
Cant. 3. Dicebat illa Cant. 3. *Quæsiui illum, & non inueni.* Et cur nō inuenit quem quærebat, quando dicebat ille, *Qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur?* Quærebat illum, nō propter illum, sed propter alia habenda, & ideo manet sine illo. Rem tractat Gillib. Abb.
Gil. Abb. serm. 5. in Cant. in quiens: *Et multos quidem sic quærētes inuenies aliud, præter ipsum. Tractatur in cōsilijs, disceptatur in iudicijs, in scholis disputatur, cantatur in Ecclesijs. Religiosa sunt hæc negotia, sed vade ad exitus aquarum, pensa, quis generalior istorum finis est operum. Vide, si non per hæc omnia quædam exercēatur mercimonia de Christo.* Et cur nō maneat sine Christo, qui ideo illum quærit, vt temporalium mercatum faciat per illum?

§. IIII.

In coniugijs ineundis maximè spectanda est puellæ educatio.

QVi Chanaanæorum puellas reprobauerat, ne ex illis vxor daretur filio, ad cognationem suam in Mesopotamiam mittit, dicens: *Sed ad terrã, & cognationem meã proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo, &c.* Quippe notæ illi erant familiæ cognatorum suorum: quàm in illis vigebat honestas in virginibus educandis, quæ a parentibus, imo ab auis, quandã ebibebant morum simplicitatem, & honestatem, in quibus ad senectam vsque in offensè perdurarent. Quod vt in alijs viderat, sic in dilectissima coniuge Sara expertus ipse fuerat. Et quidem in deligenda cõiuge, nihil magis debet spectari, quã puellæ educatio. Dan. 13. probatissimam vxorem Ioacim Susannam prædicaturus, inde incipit eam commendare: *Ioacim accepit vxorem nomine Susannam filiam Helciæ, pulchram nimis, & timentem Deum: parentes enim illius cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi.* Ecce tibi, vt prima laus, & fundamentum reliquarum virtutum, quas decursu temporis exercet casta fœmina, siue in coniugio, siue extra coniugium, venit à parentum institutione. Ne enim miraremur postea, quod Susanna potentes procos repulerit: quod elegerit, & mortem, & infamiam, antequàm lasciuorum iudicum libidini consentire; præmittit hoc Daniel, nimirum: *Parentes illius erudierunt filiam suam secundum legem Moysi*: quam enim morum grauitatem à parentum institutione puella ebiberat, eam in quouis discrimine custodiuit. Quàm aliter inuentum est in filiabus Moab, de quibus dicit Numer. 25. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab: quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua, &c.* Moabitæ enim proceres filiabus suis virginibus suaserunt, vt comptæ, & ornatæ occurrerẽt Israelitis, eosque ad coitum, & idololatriam allicerent. Et hoc maximè mirandum est rationalibus hominibus, vt puellæ virgines, & nobiles, & plebeiæ adductæ fuerint in tantam impudentiam, qua sese procacissimè offerrẽt ignotis, & exteris viris? De quo ait Philo lib. de Fortitud. *His auditis fœminæ, quæ castitatem ne per somnium quidem cognouerant, & educationem honestam nunquam gustauerant, libenter consenserunt: omissoque ficto castitatis studio, quod paulisper simulauerant, ornant se pretiosis vestibus, monilibusque, ac muliebri mundo cætero: atque ita cultu exquisito naturam augent pulchritudinem, atque magna contentione ad captandam iuuentutem circumuentu facilem in apertum prodeunt.* Ex pende illud: *Educationem honestam nunquã gustauerant*; hæc erat radix totius turpitudinis, nimirum quia honestam educationem non habuerant. Puellæ namque, quæ honesta educatione carent, non mirãdum, quòd vel ad primum licẽtiæ verbum prosiliant in omne lasciuiæ certamen.

Gen. 25. Abraham vero aliam duxit vxorem nomine Ceturam: quæ peperit ei Zamram, & Iecsan, & Madan, & Madian, & Iesboc, & Sue. Iecsan quoque genuit Saba, & Dadan, &c. Deditque Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac. Filijs autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret, ad plagam orientalem.

§. V.

Christi mortificatio in corpore nostro maximè conducit ad rem salutis.

ILlud maximè ponderabat Paulus in Abrahamo ad Rom. cap. 4. inquiens: *Nec consideranit corpus suum emortuum, cum fere centum esset annorum, &c.* Audiens promissionem de filio, fidelis ipse stetit etiam si cẽtenarius esset, & haberet corpus emortuum. Hoc magnum ibi; sed illud etiam mirandum, quòd modò agens plusquàm triginta annos supra centum, mortua Sara aliam vxorem duxit, ait enim: *Abraham vero aliam duxit vxorem nomine Ceturam.* Emortuo corpore non solum sperat filium de Sara, sed post hanc defunctam ad nouas aptatur nuptias. Quid cum noua vxore corpus emortuum? Sapienter Orig. ibi aliquid de salutari sapientia odoratur, ad quam habendam nunquam homo aptior, quam

quàm vbi mortificationem Christi circũfert in corpore suo, emortuus mundo. Ait

Origen. ille hom. 11. in Genes. *Accepit ergo senex, emortui iam corporis Abrahã, Cetturam vxorem. Quod melius tunc virtuum vxor accipitur, quando emortuum corpus est, & mortificata sunt membra, quæ sunt super terram: capaciores enim sapientiæ nostri sensus sunt, cũ mortificatio Christi circunfertur in corpore nostro mortali.* Nunquàm aptiores sumus salutaribus, sapientiæque nuptijs, quã dũ prę nobis ferimus mortificationem Christi in corpore nostro. A morte enim Christi in nobis accepta cõiugium nobis applaudit virtutum salutarium. Dum Dominus ad pas-

Matt. 27 sionem duceretur Matth. 27. *Misit ad Pilatum vxor eius dicens: Nihil tibi, & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Ecce tibi rem miram, mulierem & Iesu, & marito salutarem: sed quando vxor primam maritum perdidit, & Iesum adduxit ad supplicium; vnde modo vxor, & saluti Iesu, & mariti consulebat? Fiebat hoc inter ipsas passiones Christi; de cuius mortis æmulatione venit in nobis salutare cõiugium virtutum. Quo respexit D. Aug.

D. Aug. serm. 121. de Tempor. aiens: *In natiuitate mũdi vxor ducit virum ad mortem; in passione Christi vxor provocat ad salutẽ: vt inde inciperet venia, vnde videntur prorrupisse peccata.* Expẽde ab illis: *In passione Christi vxor, &c.* Passio enim Christi malorum scaturigines fecit esse initia salutis, & in vxore hominis ostendit posse nasci salutem. Vt iam inde videamus, quàm salutaria virtutũ possimus sperare connubia; si in corpore nostri circunferamus mortificationẽ Chri-

Leuit. 24 sti. Leuitici cap. 24. iubebat Dominus: *Coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebũt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues, & pones super eos thus lucidissimum, vt sit panis in monimentum oblationis Domini.* Origen. legit: *Et erunt panes in commemoratione appositi Domini.* Et quanta hæc commemoratio in panibus fundata, vt trahat ad se Dominum? Potest ne commemoratio in panibus posita tantæ virtutis esse; vt afficiat Deum erga homines? Plane de viuifico Eucharistiæ pane dicebat Dominus Luc. 22.

Luc. 22. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.* Commemoratio enim sola Dominicæ passionis in corpore nostro tantæ virtutis est, vt de viuifico pane sumpto reddat nobis propitium, & salutarem Dominum. Ait Origen.

Origen. hom. 13. in Leuit. *Si redeas ad illum panem, qui de cœlo descendit, & dat huic mundo vitã, illum panem propitiationis, quẽ proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius. & si respicias ad illam commemorationem, de qua dicit, Hoc facite in meam commemorationem: inuenies, quod ista est commemoratio sola, quæ propitium facit hominibus Deum.* Expande illud: *Hæc commemoratio sola, &c.* De commemorationẽ enim passionis Christi in corpore nostro tales simus, vt reddatur nobis Dominus salutaris, & propitius.

§. VI.

Fœlicissima illa familia est, in quà tota bonorum substantia sic à patre transit ad filium, vt in filio non minuatur, sed magis patri asseruatur.

VBi Saram amisit Abrahamus, cogitãs de Isaaci nuptijs, illi vniuersam substãtiam tradidit, vt placet Caietano, iuxtà præsentis textus verba fantis: *Deus autem Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac, &c.* Fœlix pater talem filium nactus, cui cuncta bona suà posset tradere, quæ in filio non minuerentur, sed magis asseruarẽtur patri. Cuncta quidem accepit Isaac à patre, non equidem vt maneret pater spoliatus, sed vt filius cuncta patri seruaret. Quod familiæ summam attigit fœlicitatẽ. Paulus 1. ad Corinth. 15. de cœlesti patre 1. Cor. 15

locutus erga filium, & de filio erga patrem ait: *Cum tradiderit regnum Deo, & Patri: cũ euacuauerit omnem principatum, & potestatẽ, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus. Nouissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicit, Omnia subiecta sunt ei; sine dubio, præter eum, qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei, &c.* Ecce tibi magna fœlicitas diuinæ œconomiæ: pater nihil habet; quod filio non tradat, & regnum, & gloriam, & potestatem; quæ omnia accepta à patre filius non eripit, sed magis patri asserit. Dedit Pater filio regnum Ecclesiæ, subijcere sibi vniuersa; an pater ideo exuit regnum, quia filio id tõtum dedit? Imo magis filius regnum patri asseruit. Quam gloriam vt in diuinis repertam, sic Plinius maiestatũ adulator suo Trajano attribuit in Panegyr.

Plin.

gyr. ijs datis verbis: *Confugit in sinum tuum concussa Respubl. ruensque imperium super imperatorem, imperatoris voce tibi delatum est. Imploratus adoptione, & accitus es. Vt olim duces magni à peregrinis, externisque bellis ad opem patriæ ferendam reuocari solebant; ita filius, ac parens vno eodemque momento rem maximam inuicem præstitistis. Ille tibi imperium dedit, tu illi reddidisti.* Quid maius dici potuit de patre, & filio? Meritò vocat rē maximam Plinius; quod pater regnum filio dederit, & quod filius acceptum non patri eriperet, sed integrum reddiderit, & asseruerit. Hoc vt maximū, sic in hominibus rarum. Sed quod maximè deberet à filijs seruari; quando nulla bona firmius filius habet, quàm ea, quæ non eripit patri. Apo
Apoc. 14 calyp. 14. de virginibus locutus ait: *Hi sequuntur agnum, quocūque ierit.* Hoc agni vocabulo Iesus singulariter insigniri voluit, vt sic clarius ostendatur eius candor virginitatis. Quod notans D. Augustinus lib. de
D. Aug. Virg. cap. 27. ait: *Sequimini agnum, quia, & agni caro virgo est. Hoc enim in se retinuit auctus, quod matri non abstulit conceptus, nec natus.* Quid pulchrius? Quod bonum Iesus matri non eripuit, id semper sibi retinuit, & sub eo claruit. Retinent enim sibi filij, quæ bona parentibus non auferunt.

§. VII.

Largitas in donando regnorum stabilimentum est.

Genes. 17 MEritò dixerat Dominus Abrahamo Genes. 17. *Ponam te in gentibus, regesque ex te orientur*; fuit namque tantus Patriarcha regum innumerabilium sator, ab illoque, & populi, & regna ingētia pullularunt. Et qua virtute regna populosque fundabat? Ait præsens textus: *Filys conexbinarum largitus est munera*: vt largus erat in donis, sic ostendebatur populorum stabilitor, atque fundator. In tantum enim accrescunt populi, & regna confirmantur, in quantum durat in eis donorum largitas, misericordiaque in egenis ditandis. Cauebat
Leuit. 24 lex Leuit. 24. *Præcipe filys Israel, vt afferant tibi oleum de oliuis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter extra velum testimonij in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron à vespere vsque ad mane coram Domino.* In lucernis illis accensis exprimebatur gloria, & fœlicitas populi Israelitici, ad cuius conseruationē totus quantus erat populus conferebat oleum purissimū. Per oleum enim significabatur largitas misericordiæ, qua donis, & eleemosinis suis proximi iuuant proximos. Dum ergo hoc oleum, hanc misericordiam conferebāt Israelitæ, florebat, & splendebat vt clarissima lucerna populus; vbi cessare cepit oleū illud, illa misericordia prorsus extinctus est populus. Pulchrè ait Orig. hom. 13. in Orig. Leuit. *Dum ergo populus ille, habebat oleum, quod conferret ad lumen, lucerna non est extincta. Vbi vero deficit in eis oleum misericordiæ, nec inuenta apud eos puritas, purum namque oleum quærebatur ad lumen, & quia defecit in eis oleum misericordiæ, necessario extincta lucerna est.* Vt lucerna de adiuncto oleo viuit, ita vt deficiente oleo prorsus deficiat; sic populus, sic splendor Reipublicæ tandiu affulget, quandiu oleum misericordiæ in reficiendis egentibus durat. Erat equidem Reipublicæ Israeliticæ splendor per quam viuidus, quando ciues oleum conferebant, hoc est, misericordiæ, & beneficētiæ operibus studebant. Vbi autem ingressa est auaritia, & cessauit largitas, extinctus est populus ille, & vniuersi populi extinguentur, & excludentur à vita, vt quinque virgines illæ fatuæ Matth. 25. Matt. 25
Non habentes oleum secum: nimirum nō largitati, sed studentes auaritiæ. Propterea monebat Ecclesiastes cap. 7. *In die bona, fruere bonis.* Quæ sententia spectat illam, qua serui Dauid dicebant Nabali 1. Reg. 25. *In die bona venimus. Quodcunque inuenerit manus tua, da seruis tuis*: quasi hoc sit bonorum vsus in die bona, quod dētur, quod egentibus communicentur. Ex quo sapientissime dicebat Chaldæus ibi apud Pinedam nostrum: *In die quo benefecerit tibi Dominus, esto etiam in bonitate, & benefac toti mundo, vt non veniat super te dies malus.* Expende illud: *Et benefac toti mundo*; & quis homo solus toti mundo potest benefacere? Plane, qui auaritiam excludit, & largitatis, misericordiæq; operibus studet, is sufficiens est populis, regnis, imo toti mundo proficere. Stat enim mundus stante misericordia, & cadit cadente illa. Quippe illud datur ruituri mundi euidentissimum signū Matth. 24. *Refrigescet charitas multorum.* Matt. 24
Euthym. ex Græco legit: *Refrigescet hospitalitas*; non erit, qui misericordiam, hospitalitatemque exerceat cum proximo suo, quo non miror, quod cadāt populi, & regna, & ipse mundus.

§. VII.

§. VIII.

Frugalitas in Principe nũquam non abundat bonis.

ANte nuptias Ceturæ, vt placet Caietano, dederat Abrahamus Isaaco filio suo cuncta, quæ possederat; modo dicitur dedisse filijs Ceturę munera, ait enim: *Filijs concubinarum largitus est munera.* Sed qui tanto anteà dederat cuncta bona sua Isaac, vnde modò habuit, vt largiri posset sufficientia vitæ munera filijs concubinarum? Hoc est miraculum principum frugalium, qui etiam in omnium bonorum exhibitione non exhauriuntur, sed semper abundant bonis, quæ possint dare. Id in *Plin.* suo Trajano miratur Plinius in Paneg. *Mihi cogitanti eundem te collationes remisisse, donativum reddidisse, cõgiarium obtulisse, delatores abegisse, vectigalia temperasse, interroganduś videris satis ne computaueris imperij reditus, an tantas vires habeat frugalitas principis, vt tot impendijs, tot erogationibus sola sufficiat? Nam quid est causæ, cur alijs quidem, cũ omnia raperent, & rapta retinerent, vt si nihil rapuissent, defuerint omnia; tibi, cũ tam multa largiaris, & nihil auferas, omnia superfint?* Quid pulchrius? Conferuntur inter se duo Principes, alter nihil dans, omnia repetẽs, imo auferens omnia, & semper indigus; alter omnia cõdonans, omnia dilargiens, nihil auferens, & semper abundans. Et sanè hoc miraculum facit vna frugalitas Principis, qua sibi putat pauca sufficere. De Da- 1. *Par.* 29 uide locutus textus 1. Paral. 29. ait: *Mortuus est in senectute bona, plenus dierum, & diuitijs, & gloria.* Qui pastor venit ad regnũ, in tot prœliorum sumptibus sic abundauit, vt adhuc plenus diuitijs moreretur. Quas omnes hæreditauit Salomon filius eius, vt videatur Iosepho lib. 2. de Ant. cap. 12. nullus regum nec Hebræorum, nec aliorũ tãtas hæreditasse diuitias. Quas in immensum auxit ipse Salomon pace diurna, crebris muneribus ab exteris principibus acceptis, auctis tributis, exhauritis Ophir fo- 2. *Par.* 9. dinis, vt dicat 2. Paral. 9. *Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ præ diuitijs, & gloria.* De quarum diuitiarum copia videndus est *Pined.* Pineda in Ecclesiastem cap. 2. & in Salomone prænio lib. 4. Sed 2. *Par.* 9. vbi ad mortem peruentum est, ait 2. Paral. 9. *Dormiuit cum patribus suis, sepelierunt eum in ciuitate Dauid, &c.* Nec dicitur vnũ didragma reliquisse hœredi; imo asserunt multi Hebræi, ad tantam deuenisse illũ pauperiem, vt emendicare cogeretur: & certo fundamento nititur, ipsum vt sapientiam, & famam, sic & diuitias petdidisse, & ad magnam bonorum indigentiam peruenisse. Componite modo hos duos reges, patrem, & filium; Dauidem, & Salomonem. Dauid filius hominis pauperis peruênit ad regnum exilé, & laboriosum. Salomon filius ditissimi regis regnum ditissimum obtinuit. Ille nunquam pacificus in cõtinuis bellis ingentes faciebat sumptus; hic continuâ pace florens nullum sumptum fecit in bellis. Dauid tributis minimè populum vexauit; Salomon tot tributa exegit, vt populus premeretur. Ad illum nulla classes venit, ad hunc tertio quoque anno classes ex Ophir veniebat plena auro, & argento, & vndique diuitiarum fontes ei affluebãt. Et tamen Dauid plenus diuitijs decessit; Salomõ autem nec âssem dicitur reliquisse hœredi, sed peruenisse ad extremam pauperiem. Vnde ille inter tot sumptus tã diues; hic inter tot vndiq; receptas diuitias, tam egens? Frugalis Dauid, vt sibi paucis contentus erat, sic abundabat ad sumptus bellorum, ad ędificium templi, ad ditandos hœredes. Profusissimus Salomon, vt nulli cupiditati parcebat; auaritię, voluptati seruiens; inexhauribiles diuitiarum fontes in se prorsus exhaustos ostẽdit. Proh frugalitatis vires sine auaritia, inexhauribiles thesauros creare potestis! Hùc forsan respiciebat Ecclesiasticus cap. 11. dicens: *Est homo laborans, & festinans, & dolens impius, & tanto magis non abundat. Est homo marcidus, egens recuperationẽ, & abundans paupertate. Et oculus Dei respexit illum in bono, &c.* *Eccles.* 11 Duo homines in præsenti proponuntur: alter, qui in paupertate degens respiciatur à Deo in bono, vt multis abundet bonis: alter, qui laboret, festinet, & doleat; nec tamen abundet, sed egeat. Sed quæ est illa paupertas hominis, quæ sic ex Deo abundat? Ait Carthusian. ibi: *Spõtaneæ paupertatis repletus,* paupertas voluntaria est, quę in eo consistit, vt homo voluntariè vel inter diuitias vt pauper degat, paucis, & vilibus sibi contentus, nec anxius cupiditate habẽdi. Qui hac frugali vita vtitur in diuitijs, nõ miror si vel post ingentes sumptus abũdare ex Deo possit. At quis est ille, qui laborans non abundat? Ait Carthus. ibi: *Quidam laborant acquirere opes, & festinant ad eas, & dolent, quod nequeunt tam copiosè, & celeriter acquirere eas, & tanto magis non abundant.* Crede mihi non sic venit abundantia vt ex vita frugali. *Carthus.* *Idem.*

§. IX.

§. IX.

Pulchrè consulit filijs, qui illis non tam diuitias relinquit, quam discordiæ aufert causas.

ID curauit Abrahamus non solum ditare cumulatissime Isaacum; sed ab illo lõge fecit, qui possent inuidere, fratres; dicit enim: *Separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret ad plagam orientalem.* Hoc præcipuum erat cordi sancto parẽti, ne inter fratres occasiones essent discordiarum; sed cum Isaac ita opulentus esset, vt simul non morderetur, sed magis amaretur à fratribus: ideo illos ab inuicem separauit. Dicit enim sapientissime D. Amb. lib. 2. de Iacob ca. 2. *Plus confertur dilecto, cui fratrum amor quæritur, plus autẽ adimitur ei, qui prælationis iniustæ oneratur inuidia.* Itaque non ditat, sed magis depauperat filium pater, quem inuidiosum, imò, & prælatione odiosum cæteris facit. Id quod dicebat Naziãzen. in car. ad Vitalianum, qui nimis durus in filios, filias indulgentissime amabat. Ait enim.

Nec nos prosequeris, nec rursus amore sorores
Has licet, & manibus gestes, & ad æthera tollas.
Nam nobis tua tecta sunt clausa, tuusque
Vultus: at his cunctorum odium hac ratione parasti.

Sic monebant filij parentem suum, ne totus iret ad filias, illos despiciens; sic enim non tam filias ornabat, ditabat, quam odiosas faciebat, vt ab exteris morderentur, & à fratribus. Ille equidem sapientius prouidet dilecto filio, qui ea illi parat, quibus maioris concordiæ, & dilectionis apud omnes habeat causas. Hinc Iob cap. 1. *Nati sunt, & septem filij, & tres filiæ.* Cur nõ potius omnes fuerunt filij viro sancto? Cur tres filiæ etiam datæ onerosæ parẽti, & fratribus? Curabat Deus reddere hanc familiam cũctis amabilem, multis vnanimem; quod maius bonum est in familia; ideo filias tres dedit, vt plures concordiarum cõiugationes facerent. Tunc enim filijs Iob melius prouidebatur, si illis daretur materies, qua sibi obstringerent alios, cum quibus viuerent vnanimes. Ait Orig. lib. 3. in Iob: *Ob hoc promiscue dedit filios, & filias, vt concordia, atque coniunctio hominum multiplicetur per connubiorum multiplicationes, &c.* Arctius enim iunguntur familiæ fratrum, ad quam non solum sumitur vxor; sed etiã & vxor datur vxoris fratri. Hinc qui tanti viri filijs prouidebat, ea illis prouidit, per quę arctius constringerentur, & sese ardentius amarent cognati. Quod etiam in filijs suis summo studio curabat pater, dicit enim cap. 1. *Consurgens diluculo offerebat holocausta per singulos.* Græce legitur: *Consurgens mane offerebat sacrificium pro ipsis.* Cum essent decem filij, pater vnum pro illis offerebat sacrificium. Et cur vnum? Vt vel ab vnitate sacrificij, discerent filij esse vnanimes, quæ erat tota cura patris: Olympiod. in cat. Græca: *Attende quemad modum vel ipso sacrificio animorum consensionem eos docebat. Vnicum enim vitulum pro omnibus tanquam pro anima vna offerebat: Et patris curam non quamlibet, sed insomnem declarat.* Sic bonus æstimabat in filijs vnanimitatem, & præcidit occasiones discordiarum.

Genes. 25. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ centum & quinquaginta quinque anni. Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum. Congregatusque est ad populum suum. Et sepelierunt eũ Isaac, & Ismael filij sui in spelunca duplici, &c.

§. X.

Quod à primis vnguiculis ebibit homo, id solet esse vsque in finem vitæ.

AVdio Abrahamum mori *in senectute bona*; hoc est, tranquille, & sine vlla violentia, quæ enim senibus accidit mors trãquillissima, & pacatissima est, omnem vim, & coactionem excludens, vt etiam è prophanis probat Cicero lib. de senectute. Quam tranquillitatem vt significaret textus, solum dixisset Abrahamum mortuum in senectute, verum dum addit in senectute bona, ad altiorem animi tranquillitatem respexit. Habuit enim Abrahamus in morte tranquillitatem, & pacem, non solum quam natura deficiens in maturitate faciebat, sed quam ante actæ generabant

rabant virtutes. Vt enim à primis annis tranquillitatem animi amplexus est, sic etiam illam vsque in extremum diem seruauit. Quò respiciens Dominus Gen. 5. iuxta lectionem Philonis in lib. Quis rerum diuinarum sit hæres: ait ad Abrahamum: *Tu autem ibis ad patres tuos cum pace nutritus in senectute bona.* Expende illud *cum pace nutritus*: ex quo enim pace, & trãquillitate nutritus conualuit, sic tranquillus, & pacatus factus vltimum diem clausit. Solẽt enim virtutes, quæ ex primis nutritijs bibuntur, vsque in finem durare, vt meritò ex illis primis quis censeatur. Aiebat Paul. 1. ad Corinth. 15. *Factus est primus homo Adam in animam viuentem; nouissimus Adam in spiritum viuificantem.* Nihil ausus est nominare in nouissimo Adamo animale, quasi totus factus fuerit spiritualis. Quidquid enim erat in Christo, & corpus, & anima, viuificantis spiritus virtutes repræsentabat. Sed qualiter fieri potuit, quod corpus animale adeo perficeretur in Christo, vt potius spiritualis vitæ virtutes semper repræsentaret? Vide eius primam formationem, de qua Luc. 1. dicit Angelus ad eius matrem: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideo & quod nascetur, &c.* Vbi enim à diuino spiritu incipit eius conceptio, & formatio, non miror, quòd vel ipsa caro per totam vitam maneat spiritualis. Ait D. Damascen. lib. 4. de Fide cap. 14. in fine. *Viuificus etenim Spiritus est caro Domini: quandoquidem ex viuifico spiritu concepta est. Quod enim ex spiritu natum est, spiritus est. Quæ tamen non eò à me commemorantur, vt corporis naturam submoueam; verum vt illud viuificum, ac diuinum ostendam.* Sic valet prima institutio homines supra se eleuare, vt qui in spiritu nutriantur, formentur; quasi penitus spirituales per totam vitam reddantur. Illud enim censebitur homo esse, & fore, quod à principio ebiberit virtutis. Hinc Dominus de Ecclesia fidelium locutus Cant. 6. inquit: *Vna est columba mea, perfecta mea, &c.* Et mirabar, cur Ecclesia fidelium absolutè censeatur columba? Quod dum miror, memini ex Luc. cap. 3. dum Ecclesiæ regeneratio adumbrabatur in aquis Iordanis, vt *descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba*; quo spiritu initiata Ecclesia, non miror, quòd eandem speciem referat per totam vitam. Ait Nissenus hom. vlt. in Cant. *Cum id, quod spiritu gignitur, spiritus sit, & vero filia cum columba sit: omnino etiam mater huius est columba illa, quæ de cœlo ad Iordanum deuolauit.* Vide initio nascentis Ecclesiæ, dum aquarum aluus Christianis regenerãdis in Iordano parabatur, ibi Spiritus Sanctus vt columba apparuit: ex quo Ecclesia regenerata sic columbinam simplicitatem ebibit, vt per totam vitam casta, & simplicissima columbà appareat.

Gen. 5. — Luc. 1. — Damasc. — Cant. 6. — Luc. 3. — Nissen.

§. XI.

Primus alicuius virtutis introductor, nunquam est sine speciali aliqua prærogatiua.

NOn contentus est Spiritus Sanctus dixisse, Abrahamum defunctum esse *in senectute*, sed notanter addidit, *in senectute bona*; siue vt legit Benedictus Fernanduis ex Hebræo, *in senectute pulchra*: vt innueret aliquid eximium, & illustre fuisse in senectute Abrahami, quo præ cæteris exornari deberet. Et meritò, quandò Abrahamus primus fuit, qui grauitate morum meruerit appellari senex in scriptura. Multi præcesserant in mundo, quorum longissimas vitas vsque ad trecentos & quingentos, & nongentos, & vltra annos productas narrat scriptura, in nullo autem illorum senectutem meminit; cum autem ad Abrahamum deuenit, virum multò breuioris vitæ respectu illorum, in hoc primum meminit grauitatis, prudentiæque senilis. Ne miremur, quòd illustri bonitatis, siue pulchritudinis titulo eius coronetur senectus; quando Deus primos introductores alicuius virtutis nunquam non insignit aliqua prærogatiua. Matth. 16. Petrus dixit ad Iesum: *Tu es Christus, filius Dei viui, qui in hunc mundũ venisti*: & statim meruit audire: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sed, & Ioannes cap. 1. dixerat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c.* Et tamen non ideò in caput Ecclesiæ sumitur. Et cur Petrus ex confessione filiationis diuinæ principatum Ecclesiæ obtinuit; & non Ioannes, qui eandem cõfessus fuit, & explicauit, & scripsit filiationẽ diuinã? Planè Petrus fuit primus Apostolorũ, qui illustrẽ illã cõfessionẽ intulit mũdo, & ideo aliqua excellẽ-

Ben. Ferus — Matt. 16

ti prærrogatiua debuit insigniri, quod nimirum in illa duraret vsque in finem, in eiusque sede semper talis confessio maneret inconcussa. Prope accedit D. Hilar. in
D. Hilar. Matth. canon. 16. inquiens: *Dignus iudicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus agnosceret. O in nuncupatione noui nominis fœlix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret.* Vbi enim datum Petro est, quod primus agnoscat, & confiteatur, & prædicet diuinitatem Christi, non miror quod in regno Ecclesiæ primas omnibus ferat, & quod inconcussa eius fides vsque in finem perseueret. Sic enim insigniuntur à Deo prærogatiuis illi,
Damasc. quos alicuius virtutis fatores inuenit, vt dicat Damascen. orat. de Transfig. de eodem Petro: *Qui primus vocatus, ac primus secutus fuerat; quem pro sua præscientia dignum Ecclesiæ Antistitem prædestinarat Deus.* Sic primi in aliqua virtute à Deo honorantur. Quò trahe dicta tom. 2. de Christo figurato lib. 5. cap. 3. §. 11. & tom. 1. similiter lib. 1. ca. 3. §. 6. & lib. 4. cap. 1. §. 45.

§. XII.

Humana caro ex morte habet, quod à bonis sustineatur.

LOcutus textus de Abrahami morte ait: *Deficiens mortuus est*: quæ similiter sonant apud Septuag. apud quos ægre fert
Septuag. D. Hieron. in Tradit. Hebræis, quod diceretur Abrahamus *deficiens mortuus*; quia inquiebat, *non conuenit Abrahæ deficere, & minui.* Quidquid autem de hoc sit respectu moralium defectuum; at respectu materialis carnis defectionis, quæ peruenit vsque ad mortem, maximè Abrahamo conducit, quod deficiat, & moriatur. Quis enim iustus, & sanctus, vt Abrahamus toleraret humanæ carnis onus, nisi sub hac spe, quod aliquando defectura esset, & interitura? Sanè ea est humana caro, quæ inde tolerabilis fiat iustis viris, quod sciant illam aliquando morituram. Gene-
Genes. 18 nes. 18. dum Abrahamus esset in ostio tabernaculi sui; *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum*: nimirum tres Angeli sub formis figurisque virorum se se illi præsentauerunt. Et est quæstio celebris inter Doctores, an Angeli isti veram hominum carnem sumpserint, natam ab hominibus, & creationis huius, an vero solam apparentem exhibuerint? Tertullian. autem lib. 3. in Marc. pu- Tertull.
tant minime carnem nostræ natiuitatis ab Angelis fuisse assumptam, ea in primis ratione, quia ea in illis non esset moritura. Ait enim: *Quo magis Angeli neque ad moriendum pro nobis dispositi breuem carnis commeatum non debuerunt nascendo sumpsisse, quia nec moriendo deposituri eam fuerant.* Equidem Angeli non valuerunt in nostra carne nasci, quam moriendo non erant deposituri. Ea est enim humana caro, quæ de morte sumat, vnde tolerari possit ab Angelicis, & iustis hominibus. In tantum enim iustus homo gaudet in carne, in quantum nouit illam posse infirmari, & deponi, præcipue cum instat glorioſa aliqua causa; vt dicat Apostolus 2. ad Corinth. 11. *Si* 2. Cor. 11
gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Nihil enim iusti viri à carne sua accipiunt, quod non fundetur in eius infirmitate, qua morti, & internetioni tradatur. Ex quo sapienter D. Cyprian. D. Cypr.
lib. de Habitu Virgin. monet: *Neminem Christianum decet claritatem vllam computare carnis & honorem, sed solum appetere sermonem Dei, bona in æternum mansura complecti. Aut si in carne sit gloriandum, tunc plane quando in nominis confessione cruciatur; quando ignes, aut cruces, aut ferrum, aut bestias patitur, vt coronetur. Illa sunt carnis pretiosa monilia, illa corporis ornamenta meliora.* Ecce tibi quid carnis placeat, & conueniat viris sanctis; vel ob quæ sancti possunt gaudere, & gloriari in carne, nimirum ob infirmitatem eius, ob vulnera, ob mortem, qua illam deponunt in Dei causa. Mihi crede non habet caro, vnde posset iustos homines ornare, nisi de infirmitate, morte ornamentum trahat. Vnde Deus sapientissime prouidit suis hominibus ne esset æterna huius creationis caro, ejiciens Adamum ex Paradiso dicens Genes. 3. *Ne forte mittat manum* Genes. 3.
suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Cauens ne homo, qui erat per pœnitentiam iustificandus, & tandem glorificandus carnem hanc sibi adstrueret immortalem, quæ illum miserabiliter perderet, & fœdaret. Rem ponderat Algerus lib. 2. de
Alger. Sacrament. capit. 6. fatus: *Deus Adæ misericorditer prohibuit lignum vitæ, dicens:*

cens: Videte, ne forte sumat de ligno vitæ. Quia si ille, qui in anima perierat per lignum inobedientiæ, vineret etiam in carne æternaliter per concessum lignum vitæ, ex toto periisset: dum carne æternaliter viuens, & in anima peccando æternaliter moriens, incurabilis esset vt dæmones, &c. Ecce tibi, vt huius creationis peccatricis caro, si mortem non haberet, hominem æternis miserijs irremediabiliter grauaret, fœdaret. De morte enim habet, quod illum possit ornare.

§. XIII.

Nulla acerbitas temporalis nõ minor apparet ex sustinentium multitudine.

NOn parum suauiat mortem maturissimam, & pacatam Abrahami etiam illud, quod additur, nimirum: *Congregatusque est ad populũ suum.* Trita enim erat, & plena populo, & via, & terminus, ad quem festinabat. Nihil enim sustinebat in morte, quod non sustinuissent ingens populus iustorum, qui calcata morte ad se posteros suos vocabant. Et quis credat difficile superatu id, quod à tanto populo nouit calcatum? Apocal. 7. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni gente, & ex omnitribu, & populo, & linguastãtes in conspectu throni, & erant amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabãt voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno ::: Et respondens vnus de senioribus, & dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* Ecce tibi ostenditur ingens turba populi ascendisse de tyrannorum tormentis, de ore bestiarum, de flammis, & dolorum, cruciatuumque doloribus calcatis triumphasse. Quid tunc? Pulchrè ait D. Cyprian. de exhortat. ad martyr. cap. 11. *D. Cypr.* fatus: *Quod si tantus ostenditur, & probatur Christianorum martyrum populus, nemo difficile, vel arduum putet esse martyrem fieri, quando videat martyrum populum non posse numerari.* Equidem vbi tãtus populus proponitur, qui præcessit, ad quem festinamus, maximè lenitur, imo & suauiatur acerbitas cuiuscumque mali. Hinc Ioan. 21. vbi Petrus audiuit *Ioann. 21.* ex Christi Domini ore, vt senex erat ad mortem ducendus, & similiter ac ipse Dei filius cruci suffigendus; *Conuersus vidit illũ discipulum, quem diligebat Iesus::: Hunc ergo cum vidisset Petrus dixit Iesu, Domine, Hic autem quid?* Non contentus scire de fine suo, hoc etiam curat, vt sciat finem dilecti discipuli, quasi ex huius notitia, tanti sancti consortio acerbitas propriæ passionis molliatur. Ait D. Cyril. Alex. lib. 12. *Cyr. Alex.* in Ioan. cap. 66. *Hunc igitur ita Domino dilectum cum respexisset Petrus, statim interrogauit, quis vitæ illi terminus immineret::Quia communiter insitum esse hominibus videtur, vt optent, si quid periculi subituri sunt, non esse solos, sed cæteros etiam, aut videre similia pati, aut saltim audire perpessos fuisse, vel omnino idem passuros.* Sic consortium similia passorum homini passionem suauiat. Hinc Dauid 3. Reg. 2. vicinam mortem molliebat *3. Reg. 2.* fatus: *Ecce ego ingredior viam vniuersæ terræ.* Quæ sic expendebat Iosephus lib. 7. *Ioseph.* cap. 12. *Ego, fili, fato vocante, ad patres meos abeo, & viam omnibus, qui nunc sunt, qui vel post erant, communem ingredior.* Et vt bene notat Theodor. quæst. 3. vt mortem suam, *Theod.* & sibi, & filio suauiorem faceret: *Primum communem ostendit finem.* De omnium etiã bonorum, & præstantissimorum consortio nulla acerbitas non aliquomodo suauiatur.

Apoc. 7.

LIBER SEPTIMVS,

IOSVE, SIVE IESVS IN IORDANE.

IAM Iam in lucem procedens Iesus Dominus, vt viam salutis hominibus demonstraret, Iordanis ad litora properat, cuius è fluctibus diuini Spiritus accubationem ostendit, ex qua noui alites ad promissionis terram reuolarent. Qua in re Iesum nostrũ antiquus Iosue expressissime delineabat. Dicit enim D. Chrysost. hom. 1. de verbis Isaiæ cap. 6. *Iosue typũ, ac figuram gerebat veri seruatoris nostri Iesu Christi. Quemadmodũ enim ille è deserto, per Iordanem in terrã repromissam perduxit populũ, sic & seruator noster, ex ignorantiæ, & idololatriæ deserto per sanctũ, ac salutiferũ baptisma in cœlestem Ierosolymã nos traduxit.* Nec deuenire possumus ad vada Iordanis, quin simul ibi & Iesum Naue, & Iesum Christum inueniamus. D. Chrys.

CAPVT PRIMVM.

Iosue, & Christi symbola in Iordane.

ANTE Quam ad Iosue historiam deueniam, malo hic præmittere, quæ præcipua habuit tantus dux similia Domino Christo; quæ maximè ex gestis eius in Iordanis transitu desumuntur. Nemini enim dubium est præcipue in Iosue delineatum fuisse Christianum baptisma.

§. I.

Vt Iosue, sic Iesus maximè exaltatur ab aquis baptismatis.

Post acceptũ Israelis principatum accessit Iosue ad ripas Iordanis, vbi audiuit Deũ dicẽtẽ sibi cap. 3. *Hodie incipiã exaltare te coram Israel.* In aquis enim Iordanis suam exaltationem audit Iosue in cœpturam; verè in hoc typus Saluatoris nostri Christi, cuius exaltatio, & gloria cœpit ab aquis baptismi. Sic enim notat Origen. homil. 4. in Iosue inquiens: *Vbi Iordanis transitur, ibi dicitur ad Iesum. In hac die incipio exaltare te in conspectu populi. Nec enim ante mysterium baptismi exaltatus Iesus, sed exaltatio eius in conspectu populi inde sumit exordium.* Origen.

Erat antea Iosue Moysi minister, sub cuius imperio manebat ipse quasi obnubilatus, & obscurus, adeò vt vniuersa decora eius potius pertinerent ad illum. Vbi mortuo Moyse accessit ipse ad Iordanem, iam ibi in diuisione aquarum mirabili, Iosue gloria, & exaltatio patere incipit. Sic Iesus meus à duodeni anno subditus parentibus delituit; vbi autem vir factus cum multitudine populi venit ad Iordanis ripas, vt baptismum à Ioanne recipiat, & aquas ad nostram sanctificationem mundet; cœli aperiuntur, vox patris intonat, Spiritus Sanctus in specie columbæ tequies-

requieſcit in capite illius, quibus innoteſcit Dei filius, & exaltari incipit. Quando altior Ieſus, quam in aquis baptiſmi? Pſal. 92. *Mirabiles elationes maris; mirabilis in altis Dominus.* Expende coniunctionem; miraculum altitudinis diuinæ coniungitur cum miraculo altitudinis fluctuum; & cuius maris altitudo, & elatio tanta eſt, quæ poſsit facem præferre altitudini diuinæ? Euthym. Ait Euthym. ibi: *Per mare, ſingulari ſermone, ipſum baptiſma ſignificauit. Elationes autẽ huiuſmodi maris, fluctus illi ſunt, qui ex immerſione, atque emerſione eorum fiunt, qui baptizãtur.* Quæ aquarum baptiſmi elationes vbi innoteſcunt, ſtatim apparet altitudinis, & exaltationis Dei miraculum. Accinit Pſal. 28. Pſal. 28. latus: *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit; Dominus ſuper aquas multas. Vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia.* Non prius Deus maieſtatis intonat, nec eſt vox eius in ſingulari hac magnificentia, & virtute, quam ſit ſuper aquas. Ab aquis enim & maieſtas, & virtus, & magnificentia Dei claruit, vt dicat D. Baſil. D. Baſil. hom. 2. in præſenti: *Sublimes ſunt iſtæ aquæ, & magnitudinem gloriæ vnigeniti Dei exprimentes. Eoq; vox Domini erat in magnificentia.* Sanè à fluminis aluo exibat Ieſus prædicatus Deus; prædicatus filius æterni Patris, & datus hominibus ſalutaris. Vndè cõponens D. Auguſt. natiuitatem hanc Ieſu, D. Aug. qua egreditur a fluminis aluo; cum natiuitate, qua egreſſus fuerat a Mariæ Virginis aluo, ait hom. 7. de Epiph. *Præclarior plane eſt ſecũda, quam prima natiuitas. Illa enim ſine teſte, ſilentio Chriſtum genuit, iſta cum diuinitatis profeſsione: iſta cum diuinitatis profeſſione Dominum baptizauit. Ibi laborat ſuſpitionibus mater, quia profeſsioni deerat pater; hic honoratur genitrix, quia diuinitas filium proteſtatur. Honoratior, inquam, ſecunda, quã prima natiuitas. Siquidem pater hic Deus maieſtatis inſcribitur, illic Ioſeph artifex eſtimatur. Et licet in vtraque Dominus per Spiritum Sanctum, & natus ſit, & baptizatus, tamen honoratior eſt, qui dè cœlo clamat, quam qui in terris laborat.* Non ſic in virginis vlnis, vt in Iordanis aquis Ieſus claruit, nec ſic exiens de virgine, vt exiens de flumine fuit à patre cœleſti glorificatus, & coram multitudine exaltatus. Non enim parum deſeruiunt baptiſmi aquæ, & gloriæ, & regno Ieſu fundando. Apoc. 4. Apocalyp. 4. Agno Dei glorioſus thronus parabatur, in quo ſederet, & imperaret; ſed illud notandum, quod ait: *Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile chryſtallo.* Circa quæ Rupert. lib. 3. in Apocalyp. ait: *Ad quid mare in conſpectu ſedis? Mare ergo in conſpectu ſedis erat, quia baptiſmi Sacramentum in ipſa conditum eſt poſitione ſedis, dum per mortem Chriſti, pararetur regnum Dei.* Nec ſedes, nec thronus regni oſtenditur ſine baptiſmi aquis, quidquid enim eſt gloriæ Chriſtianæ ab illis initium accipit. Rupert.

Tom. 3. de Ieſu Fig. T 3

§. II.

Vt Ioſue per Iordanem tranſtulit ſuos in terram promiſſionis, ſic Ieſus nos transfert per baptiſmum in cœlum.

DVce Ioſue cap. 3. *Sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini ſtabant ſuper ſiccam humũ in medio Iordanis accincti, omniſque populus per arentem aluum tranſibat.* Ecce tibi vt poſt deſertum ſuperatum per Iordanem transfert Ioſue populum in terram promiſſam. Non aliter Ieſus noſter per aquas baptiſmi nos in cœleſtem regionem perducit. Quo ſpectans D. Aug. ſer. 105. de Tempore ait: *Hoc fratres attendite, quia terra promiſſionis non recipitur, niſi prius regnante Ieſu Iordanis fluuius tranſeatur. Ita eſt fratres, quia ad ſpiritualem terram repromiſſionis nõ niſi per ſacramentum baptiſmi peruenitur. Denique per ipſum fluuium Ieſus Iſraeliticum populum tranſire fecit.* Ioſue 3. Auguſt. Fuit Ieſus Naue, id eſt Ioſue, & Ieſus Chriſtus; vterque populum duxit in terram promiſſam; ille in Chanaam, hic in cœlũ; ſed ſub vtroque ante introitum promiſſæ terræ flumẽ tranſitur, ne quis putet peruenire ad promiſsiones Dei niſi per aquas baptiſmi. Apocal. 4. dum thronus, & ſedes regia Agno apparatur, ſtatim ſubditur: *Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum.* Et cur ante thronum ponitur mare? Ait Ruper. lib. 3. in Apocal. *Ad hoc videlicet, vt qui vult conſcendere in illam ſedem Dei, introire in illud regnum, tranſeat hoc mare, & illuminetur ſplendido lampadarum lumine. Chriſti namque baptiſmus mare dicitur.* Non ſperet intrare regnum, qui refugit intrare mare baptiſmi. Ait enim Dominus Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrauit in regnum cœlorum.* Hinc agnus diuinus vocat ad thronum aſſeclas ſuos, vt prius tranent baptiſ- Apoc. 4. Rupert. Ioann. 3.

mi aquas, nisi enim per illas, regni cœlestis porta minimè aperitur. Aduenerat iam dies, quo Elias eleuandus erat in cœlum
4. Reg. 2. 4. Reg. 2. Elisæus autem noluit ab illo discedere, sed illum comitabatur, si posset videre in cœlū euntem. Tunc venerunt pariter iuncti Elias, & Elisæus vsque ad Iordanis ripas. Quid inde? Ait text. *Tulitque Elias pallium suū, & inuoluit illud, & percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem, & trāsierunt ambo per siccum::: Cumque pergerent, & incedentes sermocinarētur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Sed cur necessum fuit Elianæ ascensioni tantum miraculum præmittere, quod aquæ Iordanis diuidantur, & præbeant aditum siccum? Sanè Deus non consueuit miracula facere sine necessitate; & quando Elias eodem posset assumi modo ante transitum Iordanis, quam postea; cur necessum fuit miraculose aquas diuidere, vt transiēs per flumen assumeretur in cœlum? Statuebatur iam inde necessitas baptismi, vt nosceret mundus cœlestem ascensionem non pādi nisi per aquas baptismi transeuntibus. Quò spectans D. Cyril. Ierosol. Cateches.
Cyril. Ier. 3. ait: *Principium mundi aqua, principiū euangelij Iordanus. Vbicumque fœdus aliquod inter Deum & homines, ibi & aqua. Post diluuium fœdus percussum est cum Noe; fœdus & cum Israel in monte Sina; verum hæc non sine aqua, & lana rubea, & hyssopo. Elias assumptus est, sed non sine aqua: prius enim transiuit Iordanem, deinde in cœlum raptus est.* Ecce tibi vt inaccessum est cœlum, nisi ad illum contendas per baptismi aquas; quādo nec Eliæ patuit, nisi postquam transisset vn-
Matth. 3. das Iordanis. Matth. 3. dicebat: *Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem vt baptizaretur ab eo.* Compone modo Iesum, & Iesum, Iesum Naue, & Iesum Christum; vterque venit ad Iordanem; vterque Iordanis intrat alueum: Iesus Naue vt populum Israeliticum in terram promissionis transferat; Iesus Christus vt quid aliud? Vt nos in regno cœlorum asserat. Ait D. Chry-
D. Chrys. sol. ser. 157. *Christus Iordanis alueum baptismā nostrum consecraturus intrauit; vt quos nascendo in terra susceperat, hos renascendo reciperet in cœlum; quos diabolus exules fecerat terrenorum, hos ipse in cœlestibus sibi faceret esse consortes.* Sic in Iordane Iosue nostrum Iesum adumbrabat.

§. III.

Vt vnus Iosue in superando Iordane suffecit populo, sic à baptismo vnus Iesus debet sufficere Christianis.

DVm Moyses ducit populum habet etiam administrum, & coadiutorem ducatus sui Iosue. Sic Exod. 24. *Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius:* & cap. 33. num. 11. sic Numer. cap. 8. num. 16. & cap. 11. numer. 28. Sic Deuth. cap. 1. num. 28. Sic Iosue cap. 1. num. 1. & sæpe alias, ostenditur, vt Moyses habuerit Iosue ministrum, & coadiutorem: Vbi autem mortuo Moyse ad Iordanem venitur, & inde incipit ostendi Iosue ducatum, nullus illi minister datur, nullus coadiutor, sed ipse ostenditur dux solus. Dicit enim cap. 3. *Iosue de nocte consurgens mouit castra, egredientesque de Setim, venerunt ad Iordanem ipse, & omnes filij Israel, & c.* Compone modo Moysem, & Iosue; de vtroq; dicitur, quod surrexerit; sed de Moyse ait: *Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius;* de Iosue vero dicit: *Iosue de nocte consurgens,* non cum ministro, non cum coadiutore, sed solus. Et cur ducenti populum per desertum Moysi datur minister, datur coadiutor; ducenti autem Iosue populum per Iordanem non datur minister, nec coadiutor; sed sinitur ipse solus? Dum Iosue per Iordanem ducit populum, adumbrat verum hominum ducem Iesum, qui per baptismi aquas initiat suos sectatores, ex quo autem sic per baptismum initiātur homines, sic sunt vno Iesu contenti, vt nullum aliud requirant temporale adiutorium, sed sufficiat illis Iesus pro omnibus. Cum Dominus hominem creasset perfectissimum ad imaginem, & similitudinem suam; statim vt vidit eum perfecte elaboratum Genes. 2. ait: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium.* Itaque non passus est hominem recens creatum existere sine adiutorio; verū vbi hominem reformat, & per lauacrum illum in vitam æternam regenerat, ait Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex spiritu spiritus est.* Hic de regeneratione hominis agens in spiritu, qualis fit per baptismum, nullius alterius adiutorij meminit,

Exod. 24
Num. 8.
Deuth. 1.
Iosue 1.
Genes. 2.
Ioann. 3.

nit, quo egeat homo. Et cur in prima creatione, statim datur homini adiutorium aliud humanum; in secunda regeneratione per baptismum nullum aliud humanum permittitur adiutorium? Pulchrè, & sapienter D. Chrysostom. hom. 24. in Ioann. fatur:

D. Chrys. *Tunc, Faciamus, inquit, ei adiutorium, nunc minime. Quippe qui Spiritus Sancti gratiam accipit, nulla re indiget. Qui in Christi corpore perficitur, quoná alio ei opus est auxilio?* Equidem vbi Christi simus per baptismum, eique agglutinamur; omni ali adiutorio humano, ac terreno valedicimus, vt qui omnia nobis necessaria habeamus in vno

1. Cor. 1. Christo. Hinc Paulus 1. ad Corinth. 1. maximè carpebat homines, qui post baptismum Christi Mecœnates sibi & patronos temporalis gloriolæ auxiliatores affingebant, inquiens: *Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli; Ego autem Apollo, ego vero Caphæ, ego autem Christi: Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Quãdo nõ in Pauli nomine, sed in Christi nomine solo baptizabãtur, piaculũ erat, quod ad aliũ adiutorem respicerent, cum vnus illis Christus sufficeret. Ait D. Thomas ibi: *Solius Christi virtus*

D. Thom. *operatur in baptismo. Et ideo baptizati â solo Christo denominantur Christiani, non autem a Paulo paulini. Esaiæ cap. 4. Tantum modo inuocetur nomen tuum super nos.* Expende illud in præsenti dictum; *Tantum modo inuocetur nomen tuum, &c.* Quasi omne aliud nomen humani adiutorij debeamus abiurare, ex quo in Christo sumus baptizati; in quo solo omne præsidium, & robur habeamus. Vt monet

Chrysosto. D. Chrysost. hom. 21. ad Pop. *Sicut sine calceamentis, vel vestimẽtis vestrum nemo in forum descendere eligeret: ita sine verbo hoc, nunquam in foro prodeas, sed cũ es ianuæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum; Abrenuntio tibi Satana, & põpæ tuæ, & cultui tuo, & coniungor tibi Christe. Nec vnquam absque hac voce exeas; hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris.* Sic habetur ex translatione

Cerdæ Cerdæ 1. tom. in Tertul. lib. 15. cap. 3. Quibus sanctus doctor consulit baptizatis, vt omnia mundialia abiurent, vt vni fidant Christo, in quo solo est illis omne præsidium.

(*)

§. IIII.

In Christi baptismo nihil tenebrosum, sed omnia lucida, vt in transitu Iordanis sub Iosue.

SIgnificans Iosue tempus, quo deberent Israelitæ Iordanem transire, ait: *Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia;* quasi notet trãsitum diurna luce futurum; qui vt ait Serarius quæst. 13. incepit fieri Serar. hora octaua matutina. Longè aliud visum fuit in transitu maris rubri, cum enim Israelitæ essent in litore, & eos insequerentur Ægyptij, tollens se Angelus Domini, qui erat in columna nubis, constituit se in medio duorum exercituum, Exod. 12. *Et erat* Exod. 14. *nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent. Cumq; extendisset Moyses manum super mare abstulit illum Dominus.* Ecce tibi erat nox, cum mare diuiditur, cum mare intrant Israelitæ, & pertranseunt, cum post illos eũt Ægyptij. In prima enim luce diei, iam Israelitæ erant extra mare, quia tunc aquæ reducuntur, & pereunt Ægyptij. Cur ergo Israelitæ sub Moyse nocturnis tenebris, caliginosa nube mare trã seunt, sub Iosue autẽ diurna luce transeũt Iordanem? Planè in Iordanis transitu a Iosue facto iam exprimebatur baptismi illuminatio, quam in animis nostris de aquis Christus Iesus splendescere facit. Quis enim in Christi Domini baptismo non lucidissimam illuminationem fateatur? Ait Na Nazian. zianz. orat. in sancta Lumina: *Rursus Iesus meus, rursus mysterium, mysterium non fallax, nec indecorum, sed excelsum, & diuinum, ac supernum splendorem concilians. Etenim sanctus luminũ dies ad quem peruenimus, pro principio quidem Christi mei, hoc est, veræ lucis, omnem hominem illuminantis, baptismũ habet::: Christus illaminatur, simul illuminemur, Christus baptizatur, simul descendamus, vt ascendamus.* Ecce mysteriũ Christianorum, qui illuminãtur per aquas baptismi; quidquid enim verus Iesus agit in Iordanem descendens, & initias aquas regenerationi humanæ, totum splendor est, totum illuminatio est, qua tenebrosa aerei dominatus expelluntur, & nos illustramur sub radijs. Ioann. 9. qui cæcus natus fuerat, mittitur Ioann. 9. in Natatoria Siloe, vt lauet oculos suos, & lumen capiat. *Abijt ergo, & lauit, & venit videns.* Et quod lauacrum istud est, quo cæci

cęci illuminantur, nisi baptismus Christianus? Pulchrè inde D. August. hom. 23. ex Quinquag. ait: *Ideo venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excœcator, Omnes cœcos nasci fecit, qui primum hominem decepit. Currant ad illuminatorem, currant, credant. Ecce Siloa, lauate faciem, baptizamini, vt & illuminemini, & videatis, quod antea non videbatis.* Sic de baptismi aquis nihil tenebrosum exurgit, sed lucidum, sed clarum sub cuius resplendeamus radijs. Hinc aiebat Paul. 2. ad Corinth. 3. *Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate, in claritatem.* Et quando sic speculamur gloriam Domini, vt transformemur à claritate in claritatem? Ingressi baptismi aquas, de illarum natura fimus speculares, & vt aqua in lucem, solemque cõuertitur, a quo respicitur, sic nos à diuino spiritu visitãte, eius concipimus radios, quibus illuminamur. Ait D. Chrysost. hom. 7. in præsenti. *Sed quid est, gloriam domini speculantes, secundum eandem imaginem transformamur? Simul enim vt baptizamur, etiam vltra Solem refulget anima spiritu perpurgata: ac non solũ intuemur in gloriam Dei, verum etiam inde recipimus splendorem quendam; non aliter quã si argentum mundum ad Solis radios expositum emittat, & ipsum radios ex Solis fulgore. Similiter, & anima argento facta lucidior accipit radium a gloria spiritus, & hunc vicissim exse remittit.* O Christiane, si videres, qualibus fulges radijs à baptismi aquis, fallar nisi totis viribus fugeres spurciciem peccati! Esther cap. 10. dicitur: *Paruus fons qui creuit in fluuium, & in lucẽ solemque conuersus est.* Videtur enim fons baptismi in solẽ conuerti, quando ex illo, quot baptizati tot Soles oriri vidẽtur. Quando enim poetæ fingunt Solem ab occeano oriri, & cursum diei peragere; sic renati ab aquis oriũtur, vt lucidam, in vitam deueniant. Quo spectans D. Zeno lib. 3. ser. 13. ait: *Baptizandos iam nunc felix inuitat occasus, vt sacri occeani lacteo profundo demersi, surgentes inde nouello cum die, nouelli sua luce radiantes nobiscum possint ad repromissionis tempus, vbi in perpetuum quis oritur, peruenire.* Nec multũ dixi vocans baptizatos Soles dierum parentes, quando eos toti stellarum choro cõparat D. Chrysost. ait enim hom. ad Neophitos: *Ecce stellæ de terra micuerunt stellis cœlestibus clariores; in terra stellæ propter eũ, qui in terra de cœlis apparuit. Hoc plus admirationis, quod fulgore stellarum nocti ministratur, ab ijs clarior lumina redduntur. Vultis vtriusque partis nomina audire? Illis nomina hæc sunt, Orion, Arcturus, Vesperus, Lucifer; in ijs Vesperus nullus, sed Luciferi vniuersi.* Quid pulchrius? Sunt Soles, sunt Lucesferi, qui de gurgite baptismi nascuntur.

P. Aug. — 2. Cor. 3. — D. Chrys. — Esther 10. — D. Zen. — Chrysosto.

§. V.

Ad alta nos impulit Iesus in baptismo Iordanis, vt Iosue suos.

PEr medium mare transierunt Israelitæ sub Moyse, de quibus ait Exod. 12. *Filij autem Israel perrexerunt per medium ſicci maris.* Verum sub Iosue non solũ perrexerunt per siccum fluminis alueum, sed & dicuntur ascendisse de Iordane. Sic habes Iosue cap. 3. *Populus per arentem alueũ transibat.* Et cap. 4. dicit: *Populus autem ascendit de Iordane.* Qui sub Moyse non dicitur ascendisse de mari, sub Iosue ascendit de Iordane, vt iam innueretur veri nostri Iesu ducatus ad Iordanis baptismum, quo nos ascendere fecit, & ad alta properare. Quippe ait Matth. cap. 3. *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua.* Circa quæ D. Nazian. orat. in sancta lumina inquit: *At enim Iesus ex aquis ascendit, mundum secum in altum offert, ac cœlos, quos Adamus sibi, & posteris, quemadmodum, & flammeo gladio paradisum, clauserat, findi, atque aperiri cernit.* Expende illud: *Mundum secum in altum offert,* à baptismi namque aquis, omnes nos impellit in alta, vt non nisi alta sapiamus. Iusserat Dominus Gen. 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis,* & iuxta præceptum Domini reptilia singulariter signãtur producenda ab aquis, quæ minimè alta saperent, sed per ima reptarent. At Matth. 3. *Iesus confestim ascendit de aqua*: non iam reptile nascitur ex aqua, sed volatile, quod cœlos scandat. Ait D. Chrysost. hom. 25. in Ioan. *Primum dictum est: Producant aquæ reptile animæ viuentis. Ex quo autem Iordanis alueum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum viuentium, sed animas rationales, & spirituales aqua producit.* Pro virtus aquæ mota à Christo Domino, non patitur inde generare reptilia; quæ serpant; quę reptent humi; sed eos imprimit mentibus humanis impulsus, quibus ferantur in sublimia. Quo respiciens Cant. 4. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* De lauacro enim baptismi venit, quod oues Christi ascendant ad perfectionem Christianam, qua à mundialibus, & terrenis

Exod. 12. — Iosue 3. — Matth. 3. — D. Naz. — Genes. 1. — Matth. 3. — D. Chrys. — Cant. 4.

terrenis tonſæ, ſublimia ſpectent, & immortalia. Rupert. lib. 3. in Cãt. *Tui dentes, ò amica mea, ſicut grex tonſarum, quæ aſcenderunt, id eſt, certiſſime aſcendent de lauacro. Cum enim de latere meo lauacrum regenerationis profudero, ſanctique ſpiritus inuocationem dedero, tunc lauabũtur oues, nec è mundatione ſimplici contentæ vellera rerum dabunt, vellera omnium facultatum, vt nihil habeant proprium.* Quis neget ad culmẽ perfectionis pertinere, quod quis ſe exuat facultatibus, paupertatemque voluntariam amplectatur? Sed oues Chriſti, vbi eius lauacri vim ſenſerunt, ſtatim cęperunt ad illud culmen euolare. Iubebat Dominus Iſaiæ cap. 7. vt egrederetur in occurſum Achaz: *ad extremum aquæ ductus piſcinæ ſuperioris in agro fullonis.* Non ad quoſlibet aquæ ductus, ſed ad eos, qui ducebant ad piſcinam ſuperiorem iubetur ire, cum aquâ enim ſalutifera ſemper debet eſſe coniunctum, quod ad ſuperiora feſtines. Ait D. Baſil. ibi: *Significat nos oportere ab ijs deciſcere, quæ per ſe vilia ſunt, & repunt humi, & adſuperna toto nixu contendere, vbi nobis cõſtitutis in expurgationem inuenitur aqua, & ager fullonis peccatorum ſordes extergentis.* Itaque vbi inuenitur aqua ſalutaris extergens animas noſtras debemus ad ſuperiora contendere, ijs vilibus, & minutis abiectis.

Rupert. Iſai. 7. D. Baſil.

§. VI.

Ioſue in Iordane familiaritatem cum Deo, habuit, quã fecit Ieſus vt haberemus per baptiſmum.

AD Iordanis ripam erat Ioſue, cum audit à Deo illud cap. 3. *Vt ſciant, quod ſicut cũ Moyſe fui, ita & tecum ſim.* Cum Moyſe fuit Dominus tanquam cum familiari amico, tanquam cum filio dilectiſsimo, vt dicat Eccleſiaſticus cap. 45. *Dilectus Deo, & hominibus Moyſes*: ſimiliter ergo Ioſue ex Iordane apparuit, & familiaris, & dilectus Deo; vt clarus typus Chriſti Domini, qui in Iordane agnoſcitur filius, & dilectus Deo, taleſque facit ſuos eſſe per aquas baptiſmi. Quo ſpectans Theodor. quæſt. 1. ait: *Sicut Ieſus filius Naue ex miraculo apud Iordanem edito innotuit eſſe vir à Deo dilectus; ita Ieſus noſter poſt Iordanem, & ſuſceptum à Ioanne baptiſma doctrinæ, & miraculorum fecit initium. Exaltatus porro non eſt adeptus, quod prius non habebat, ſed patefecit, quod habebat; vtpote qui ignorabatur eſſe filius Dei, declaratus eſt talis patre dicente: Hic eſt filius meus dilectus, &c.* Quid pulchrius? Fuit Ieſus, & Ieſus; ille Naue, hic Mariæ filius; vterque venit in Iordanem; vbi filius Naue apparuit Deo dilectus, & familiaris, filius Mariæ ſimiliter innotuit eſſe Dei filius, & dilectus Deo, qui ſectatores ſuos ſimiliter ex aquis, & Spiritu Sãcto redderet Deo dilectos, & familiares. Hinc Ioa. 3. dicebat: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Prima hominis creatio fuit ex terra; vbi autẽ regenerãdus eſt homo, non ad terram itur, ſed ad aquam. Et cur ad aquam, niſi vt præſtantiorem alium originem oſtenderet, quo fieret homo magis Deo dilectus, & familiaris? Ait D. Chryſoſt. hom. 24. in Ioan. Primũ ab aqua orditur, quæ tenuior eſt quam terra. *Quemadmodum enim in principio elementã terra ſubiecta eſt, totum autem opificium Dei fuit; ita hoc in loco elementum aqua ſubijcitur, verum tamen totum ſpiritualis eſt gratiæ. Tũc ad Dei imaginem fecit hominem, nunc Deo familiarem reddidit. Tunc piſces, & feras homini ſubiectos fecit, nũc ſupra cœlos noſtrum propagauit imperium.* Expende illud; *Nunc Deo familiarẽ reddidit*; vbi enim homo ex aquis renaſcitur, & Deo manet dilectus, propinquus, & familiaris. Cant. 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſupra dilectum ſuum?* D. Cyril. Ieroſol. legit: *Quæ eſt ita, quæ aſcendit dealbata confirmata ſuper patruelem ſuum?* Et vbi illam dealbatam aſcendere nouit, colligit eandem aſcendere de baptiſmi lauacro, cuius aquis ſic mundantur Dei ſponſæ, vt albæ prorſus reddantur. Vnde, & dilectæ, & propinquæ Deo manifeſtè apparent. Quippe ait ille Cateches. 3. *Sparget ſuper vos aquam mũdam, & mundabimini ab omni peccato veſtro. Saltabunt circa vos Angeli, & dicent: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, confirmata ſuper patruelem ſuum? Quæ enim antea fuerat ſeruã, nunc patruelem ipſum Dominum ſibi adſcripſit, qui non ſimulato proposito acclamat: Ecce pulchra es amica mea, propinquã mea, dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.* Ecce vt per aquam baptiſmi mundantur hominum animæ, ſtatim acclamantur Dei amicæ, & propinquæ, & cognatæ. Reddunt enim nos ſalutiferæ aquę maximè Deo charos, & familiares, quaſi diuinam ſtirpem nactos.

Ioſue 3. Eccleſ. 45 Theod. Ioann. 3. D. Chryſ. Cant. 8. Cyr. Ieroſ.

§. VII.

Sub Ioſue Iordanis aquæ in primam originem refluxerunt, vt ſub Ieſu baptiſmi aquæ nos ad primum gratiæ ſtatum redire faciunt.

Ioſue 3. ILlud ſub Ioſue accidit miraculum, quod ad cõſpectum arcæ cap. 3. *Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant, &c.* Aquæ currentes, & deſcendentes à primo Iordanis fonte, vbi perueniebant ad arcæ conſpectum, non progrediebantur, ſed ſtagnabãtur, & intumeſcebant in altum, modicè ſeſe verſus primum fontẽ reflexo amne extẽdentes, vt dicat Pſalm. 133. *Iordanis conuerſus eſt retrorſum.* Et D. Amb. lib. 2. Exam. cap. 3. *Iordanis reflexo amne in ſuum fontem reuertitur.* Sic ſub Ioſue Iordanis aquæ ad primum ſuum fontem reuertebãtur; vt inde oſtenderetur, quam ſub Ieſu Domino aquæ baptiſmi nos in priſtinum gratię ſtatum recurrere faciant. Quò ſpectans Nazianz. orat. in ſancta lumina, vt Ieſum venientem oſtendit ad Iordanem, ſtatim ait; *Tempus regenerationis eſt, deſuper gignamur. Tempus inſtaurationis, primum Adamum recipiamus.* Primum, inquam, nempe illũ paradiſi incolam, illum iuſtitia originali ornatum, vt ſic ad primum gratiæ ſtatum recurramus. Similiter Elias 4. Regum 2. pallio tetigit aquas Iordanis; *& diuiſæ ſunt in vtramque partem*: quæ è parte ſuperiore veniebant, non progrediuntur, ſed reflexo amne in primum fontem remeant. Quid tunc? Ait D. Amb. ſerm. 4. in Epiph. *Sicut ſub Elia fluctus primordia fontium, de quibus exierant, petierunt: ita, & ſub Chriſto Domino homines ad originis ſui infantiam, de qua fuerant exorti, ſunt reuerſi.* Non aliter dicendũ eſt de Ioſue, vt enim ſub illo aquæ ad primordia ſua renatarunt: ſic ſub Ieſu homines, qui dilabebamur ſicut aquæ, primæui ſtatus gratias reſumamus. Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* Expende verbum *renatus*, videtur enim à nobis petere, quòd in primam naſcendi originem, quæ fuerat in Paradiſo, recurramus. Sane in eam nos impellunt aquæ ab Spiritu Sancto fœcundatæ. Vt dicat D. Cyril. Alexand. in Ioan. lib. 2. cap. 42. *Regenerationem Dominus appellauit, vt etiam ex hoc diſceremus, idcirco nos Dei fieri participes, quoniam ſpiritum, qui ſubſtantialiter ex Deo procedit, per baptiſmum acquirimus, quo in priſtinum pulchritudinem reformati, & ad nouam vitam renati, à Deo in filios adoptamur.* Vbi ex aqua, & Spiritu Sancto renaſcimur, in filios Dei adoptamur, in priſtinam reformati pulchritudinem. Quæ enim primo ad nata homini ſanctitas fuit, ad eam reformamur in baptiſmo. Vnde reuertente filio prodigo ad patrem ſuum, ait Pater ſeruis Luc. 15. *Cito proferte ſtolam primam, & induite illum.* Et ex quo theſauro ſtolam primam proferant? Quando ille omnia bona ſua ex patre recepta diſſipauerat, in quo manſit ſtola illa prima, vt inde poſſit educi? Ait D. Aſterius in cat. Græca D. Lucę: *Prima ſtola eſt gratia Dei, quam in baptiſmo ſinguli accipiunt.* Itaque de baptiſmi theſauris prima ſtola educitur, ad quam baptizati recurrunt. Quod gratiæ in ſuperiori ſtatu Paradiſi habuit homo, hoc in baptiſmo recuperat. Iſaiæ cap. 7. Dixit Dominus Iſaiæ: *Egredere in occurſum Achaz, tu, & qui derelictus eſt Iaſub filius tuus ad extremũ aquæ ductus piſcinæ ſuperioris in via agri fullonis. Et dices ad eum, vide vt ſileas, noli timere, &c.* Vt bonum nũtium detur regi, iubet Deus Iſaiæ, vt exeat ad piſcinam aquæ cũ filio Iaſub. Et cur in piſcinam aquæ exeat cum filio Iaſub? Iaſub ſignificat reuerſum: ideoque iubet Dominus, quod Iſaias eat ad piſcinam aquæ cum Iaſub, vt oſtẽdatur, quod per baptiſmi aquas reuertamur ad ſuperiorem priſtini ſtatus pulchritudinem. Ait Cyril. Alex. lib. 1. in Iſaiam orat. 4. *Typum Dei repræſentans Propheta percommode affert pollicitationẽ auxilij in piſcina ſuperioris agri fullonis. Figura rurſus eſt piſcina ſalutaris fontis ſacri baptiſmatis, qui nos etiam in viam deducit ſuperiorem.* Sic enim reformamur in baptiſmo, vt ſuperioris in Paradiſo vię fiamus participes.

Pſal. 133 Ambr.

Nazianz.

4. Reg. 2.

Ambr.

Ioann. 3.

Cyr. Alex.

Luc. 15.

D. Auſt.

Iſai. 7.

Cyr. Alex.

CAPVT SECVNDVM.

Ioſue natales, & vita vſque ad Moyſi mortem.

QVadringenteſimus nonageneſimus primus annus ſupet duo millia affulſerat mũdo, qui Ioſue maximum poſt Moyſem Hebræorum ducem

cem dedit luci. Venit hic parentibus ortus cãtatiſsimis decimus ab Ephraim magni Ioſephi filio, nepos Eliſama, filius Nũ. In Eliſamã confluxerat omnium Ephraimitarum principatus, qua in gloria nõ dubito, quin ſucceſſerit Nun, vt ex cantatiſsimi parẽtis agnomine, frequenter compellaretur Ioſue filius Nun. Accepit à patre puer nomen Oſee, ex quo aliqui male vocarunt Auſes; melius, & diuinius Moyſes addita litera I. & mutata, E in V, Ioſue nominauit, quod paſsim Græcus textus in Ieſum transfert. Nec otioſe nomen Oſee fuit à Moyſe in Ioſue mutatum; ſed, & Ioſue nominabat, & armabat virum, qui cum electis ſocijs Amalechitas vniuerſos debellaret. Quibus expugnatis iam dux veteranus Ioſue adhæret Moyſi lateri, ſiue in Sina aſcendat, ſiue deſcendat in caſtra, adeò eius fidus miniſter, vt moleſte ferat, quod Eldad, & Medad ſpiritu Dei pleni Prophetæ à populo cenſeantur. Eo peruenit integerrimi viri virtus, vt non ſolum mitteretur exploraturus terram promiſsionis; ſed poſt explorationem factã poſt deterritos meticuloſos ſocios, & populum validiſsime confirmatum, diuino calculo ad Imperium Iſraelitarum fuerit eleuatus. A Moyſe aſſumptus eſt in laborum, curarũque conſortium, à cuius tumulo profectus viam arripuit, vt ſuperato Iordane ſuos aſſereret in terra tandiu exoptata.

PARS MORALIS in textus litera.

TRanſcurri, quæ de Ioſue dicta ſunt vſque ad imperiũ poſt Moyſem; ea enim latius ponderata manent tom. 2. de Chriſto figurato, cum de Moyſe agimus, vt bellũ Amalechitis intulit, vt in Sina aſcendit, vt exploratores miſit, vt Ioſue deſignat ſucceſſorem; de quibus etiam in preſenti aliqua dicemus ne tanti ducis vita manca maneat.

Ex 1. Paral. 7. Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, & venerunt fratres eius, vt conſolarẽtur eum. Ingreſſuſque eſt ad vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Beria, eo quod in malis domus eius ortus eſſet. Filia autem eius fuit Sara, quæ ædificauit Bethoron inferiorem, & ſuperiorem, & Ozenſara. Porrò filius eius Rapha, & Reſeph, & Thale, de quo natus eſt Thaan, qui genuit Laadan: huius quoque filius Ammiud, qui genuit Eliſama, de quo ortus eſt Nun, qui habuit filium Ioſue.

§. I.

Perfectus Chriſti aſſecla in nullo patiatur illi non aſſimilari.

VIdeo in genealogia Ioſue rem, cuius ſimilem inuenio in veri noſtri Ieſu genealogia; & ea eſt ſingularis, quando vtraque à fratrum occiſione incipit fundari. Equidem dum Gethæi irruptione facta omnes filios Ephraimi occidiſſent; ipſe *Ingreſſus ad vxorem ſuam eſt, quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Beria, eo quod in malis domus eius ortus eſt.* Ecce tibi ab occiſione omnium fratrum Beria naſcitur, à quo ortum duxit Ioſue. Similiter poſt occiſum Abel Gen. 4. *Cognouit quoque adhuc Adam vxorem ſuam, & peperit filium & vocauit nomen eius Seth, dicens: Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain:* ex Seth autem ortus eſt noſter Ieſus, vt oſtendit Lucas cap. 3. aiẽs, *Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Ecce tibi, vt vterque Ieſus, & Ieſus filius Nun, & Ieſus filius Dei initium originis ſuæ habeant ab hominibus, qui poſt fratrum occiſionem concepti, & nati ſunt, vt Beria, & Seth. Debuit enim Ioſue vel in hoc aſsimilari filio Dei; bonus namque Ieſu noſtri æmulator, curare debet, vt in omnibus illi aſsimiletur. Ex quo ſapientiſsime monebat Naziã zen. orat. 38. in fine: *Per omnes Chriſti ætates, atque virtutes, vt Chriſti diſcipulus incede:: Si flagello cæſus fueris, quæ ſuperſunt, expoſce. Fel guſta, aceto potare, ſpuma require; alapas, & colaphos accipe; ſpinis, hoc eſt; vitæ aſperitate coroneris, prompto animo ſimul crucifigaris, ſimul, moriaris, ſimul ſepeliaris, ſimul quoque reſurgas.* Expende illa: *Si flagello cæſus fueris, quæ ſuperſunt, expoſce,* quaſi non li-

Geneſ. 4.

Luc. 3.

Nazianz.

ceat;

ceat, in vnius virtutis similitudine hærere; sed ex quo in aliquo Iesum æmulor, ad omnia eius insignia exprimenda teneor.

Ad Rom. 13. Quod notans Paul. ad Rom. 13. monebat: *Induimini Dominum Iesum Christum.* Quid est induimini? Vt ad vestes accedimus, quibus vndiq; tegamur; ne quid corporis nostri nudum sine veste appareat: sic ad Christum accedamus, vt nihil in nobis sit, in quo Christus non appareat. Ait D. Chry-

D. Chrys. sost. ibi: *Vult animam nostram Christo domũ esse, illoque nos velati vestimento circundari, vt is omnia nobis sit, siue interna, siue externa respicias. Est enim plenitudo omnia in omnibus adimplentis, est via, est vir, est sponsus, est radix, potus, cibus, & vita: Viuo ego, inquit, non iam ego, sed viuit in me Christus.* Nihil in nobis appareat, vel in ipsa radice, & stirpe, quod non habeat Christum, vt sic perfecti eius imitatores simus, & eiusdem gloriæ parcipes. Dum enim vel ab ipsa radice trahamus Christum, inde ostendemus nos ma-

Ioann. 20. ximè pertinere ad illum. Ioann. 20. accedentem Magdalenam cohibuit Iesus dicens: *Noli me tangere.* Et qui eandem tangentem, & lauantem lachrymis pedes eius

Luc. 7. sustinuerat Luc. 7. cur modo à tactu eam prohibuit? Incipientem sequi sustinuit ad pedes esse; modo prohibuit illam ibi manere; sed quod magis festinaret progredi, volebat; ne in pedibus solum, sed & in manibus, & in omnibus alijs deberet Iesu as-

D. Amb. similari. Ait D. Amb. ibi: *Non igitur tangi Dominus fastidit à fœmina, cuius & Maria pedes vnxit vnguento, nec tactum dedignatur, sed profectum docet. Qui vult Christum tangere, sua membra mortificet, & resurrecturo similis induat viscera misericordiæ, non ambigat renuntiare terrenis.* Prohibet sacrorum pedum suorum tactum, vt doceat sectatores suos non in vno debere inmorari, sed ad omnia progredi; vt per omnium virtutum exhibitionem, & omnimodam membrorum mortificationem, perfectè similes Iesu resurrecturo euadant.

§. II.

Mariæ optimè primogenitæ munus impleuit prospiciens fratribus suis.

NOn vacat mysterio, quod in genealogia Iosue inueniatur fœmina, eaque primogenita, & vt talis vtilissima suis, quando illis siue ædificauit, siue repararauit tres munitissimas ciuitates. Ait enim textus: *Vocauit nomen eius Beria, eò quòd in malis domus eius ortus esset. Filia autem eius fuit Sara, quæ ædificauit Bethoron inferiorem, & superiorẽ, & Ozensara.* In Beria Ephraimi filio incepit genealogia Iosue, qui à Beria nonus processit. Sed Beriam patrem prima fecit Saraa lectissima fœmina trium ciuitatum reparatrix. Quò spectans Traditionum author, dum filios Beriæ recenset, ait: *Beriæ filij, id est Saraa,* cui accedit noster Serarius. Nec immeritò in Iosue genealogia datur fœmina primogenita, trium vrbiũ reparatione præclara, quando in veri Iesu nostri genealogia etiam monstratur fœmina Maria, creaturarũ omnium primogenita, inferioris, superioris vè orbis reparatrix, in bonum suorum fratrum. Cum enim constet sanctos eius parẽtes Ioachin, & Annam maiori vitæ parte delituisse in sterilitate; eius sterilitatis causam indigitans D. Damas. orat. 1. de Nat. Mariæ fatur: *Quoniam futurum erat, vt Dei genitrix, ac virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est; verum tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset. Siquidem oportebat eam primogenitam edi in lucem, quæ rerum omnium primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, pariturа erat.* Mansit Anna sterilis, non audente natura filios alios edere ante Mariam, vt illa primogenita oriretur, futura omnium creaturarum primogeniti mater. Nec id potuit non esse in summam hominum commoditatem; quandò Maria, ex eo quòd primogenita esset, iam quasi tenebatur prospicere nobis eius minimis, & infirmis fratribus, quos nitatur reparare, & reformare. De Iesu enim dicebat Paul. ad Rom. 8. quod esset: *Primogenitus in multis fratribus.* Et quandò vnigenitus est matri suæ, & patri suo, cur primogenitus vocatur, nisi ex munere primogeniti ab eo exercito erga homines, dum nos perditos repararet? Ait D. Cyril. Alexand. lib. 10. Thesauri cap. 4. *Propter misericordiam igitur suam creaturis se factus homo connumerauit, & primogenitus earum factus vniuersa reformauit. Deus enim verus est ex Deo vero, lumen ex lumine, primogenitus propter nos: vt sicut per ipsum facta sunt omnia, sic etiam in ipso reformata saluentur.* Ecce tibi vt vnigenitus Dei filius circa nos primogeniti munus impleuit, restaurans nobis vniuersa, quæ per primos parẽtes fuerant amissa, & nos dirigens in salutem. Quod munus etiam fuit impletum à Maria: vt enim primogenita omnium creaturarum, & maximi primogeniti mater;

D. Dam. *Ad Rom.* *Cyr. Alex.*

non

non vt Beriæ filia reparauit tres vrbes iuxta interpretationem Abbulenſis, ſed regna inſtaurauit vtriuſque mundi, & nos aluit in ſalutem. Vt meritò de ſe ipſa dicat Eccleſiaſtici cap. 24. *Ego ex ore altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens,* Ecce tibi, vt primogenita dicitur, ſtatim explcat primogenitæ munus, dum cœlum implet luminibus indeficiẽtibus. Sed qualiter Maria cœlis dedit indeficentia lumina? Ait Hugo Card. ibi: *Multi etiam ſunt in cœlis interceſſione eius, qui nunquam ibi fuiſſent niſi per eam, quorum corpora fulgent vt Sol.* Fœlices nos, qui hanc primogenitam habemus, de cuius munere capiemus, vt in perpetuas æternitates fulgeamus cũ Deo.

Eccl. 24.

Hu. Car.

§. III.

Mariæ debetur cœli, terræque regnorum reſtauratio.

MEritò in genealogia Ioſue ponitur cãtatitiſsima fœmina Sarra, de qua dicitur, *Quæ ædificauit Betheron ſuperiorem, & inferiorem, & Ozenſara.* Vbi ædificaſſe dicitur, quia reparauit eas ciuitates, vt Abbulenſ. aſſerit, & Serarius noſter. Nunquam autem non pertinet ad genealogiam veri Ieſu noſtri præſtantiſsima illa fœmina Maria; quæ certius inferiora terræ, & cœli ſuperiora inſtaurauit regna. Canebat illa Luc. 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam medicent omnes generationes.* Quò reſpiciens D. Auguſt. homil. 3. in Aſſump. ait: *O verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mũdum purificauit, paradiſum aperuit, & homines ab inferis liberauit. O, inquam, verè gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradiſi efficitur, ſcala cœli conſtituitur.* Compone modo has duas fœminas Saram filiam Beriæ, & Mariam filiã Ioachimi; illla reparauit, & quaſi de nouo ædificauit Betheron ſuperiorem, & inferiorem; hæc cœlos innouauit, mundum purificauit, paradiſum aperuit. Sanè qui perditus erat mundus in Maria reparationem accepit. Oſeæ cap. 1. de meretrice naſcuntur duo filij, & vna filia; filia autem vocata fuit: *Abſque miſericordia*, tertius autem filius vocatus eſt: *Non populus meus*, vt innueretur, quam irent in perditionem populi vniuerſi abſque Dei miſericordia. Quid tunc; Apparuit Maria, & reparata ſunt omnia, & Dei miſericordia ſtetit, & confirmati Deo ſunt populi. Ait Damaſ. orat. 1. de Nat. Mariæ inquiens: *Ob eam cauſam nunc Virgo fornicationis aduerſaria paritur, ac Deo deſponsetur, Deique miſericordiam parit, atque populus Dei efficitur, qui prius populus non erat, & qui prius minimè miſericordiam conſecutus erat, miſericordiam nanciſcitur.* Vbi Mariæ virginitas fornicationem ablegauit, omnia inſtaurauit, & populos fecit, quos ad Deum traxit, & de miſericordia Dei ditauit. Vt meritò ſponſus clamet Cant. 4. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonũ, de montibus pardorum.* Intelliguntur ijs vocabulis regna mundialia ſeruientia vitijs, & diabolo, de quibus coronanda dicitur Maria ex quo de Libano, hoc eſt, de cãdore pudicitiæ apparuit. Quia ex tunc regna mundi Deo traxit. Ait Ruper. lib. 3. in Cant. *Venies de Libano, migrabis de corpore iſto, de corpore candido, corpore virgineo, & coronaberis de omnibus his, de regnis mundi huius. Videlicet credent in me fructum ventris tui, & eorum credentium ſalus corona tua erit. Ita coronaberis, vt in cœlis regina ſanctorum, & in terris regina ſis regnorum. Atque hoc intuitu reges, atque imperatores coronis ſuis te coronabunt, palatia ſua nomini meo ſacrabunt, honori tuo dedicabunt, vt deſinant eſſe, quod fuerãt, montes pardorum, cubilia leonum.* Itaque mundi regna, quæ feralia fuerant cubilia, omni feritate depulſa ſeſe ſubſternunt Mariæ, vt quæ in ſupernis de ſanctorum triumphis coronatur, in infernis coronas accipiat, propter inſtaurata mundi regna Chriſto.

Abbul. Serar.

Luc. 1.

D. Aug.

Oſee 1.

Damaſ.

Cant. 4.

Ruper.

§. IIII.

Ieſus noſter ex Maria habuit, quo amabilis fiat hominibus.

IN primo fundamine genealogiæ Ioſue fœmina ponitur reparatrix nobiliſsimarum vrbium, dum dicitur: *Filia autem eius fuit Sara, quæ ædificauit Betheron inferiorem, & ſuperiorem.* Quid hoc ad Ioſue? Quid ad nobiliſsimum Principẽ quod inter auorũ filios ſit fœmina reparatrix vrbiũ? Equidẽ vt Principes commendantur populo ex maiorum claritate, & virtute; non paruam commenda-

tionem recipiebat Iosue apud populares suos, ex eo quod ab illis esset ortus proceribus, quorum vel fœminæ adeò essent illustres, vt illarum vna tres ciuitates in palestina erigeret. Hæc sanè Iosuè Principem, & commendabilem, & populis amabilem effingeret. Sic Matth. 1. de Genealogia veri Iesu dicit: *Iacob autem genuit Ioseph virũ Mariæ, de qua natus est Iesus.* Quando in aliorum genealogijs virilis sola linea explicari soleat; in Iesu mei genealogia non immerito ponitur, & exprimitur fœmina Maria; vt quæ tantum ducem faciat, & commendabilem, & amabilem hominibus. Ait enim D. Laur. Iustinian. in fasciculo Amoris cap. 26. de filio Dei loquutus: *Adiecit se Dei sapientiam vocari, & esse, & quæ ante inuisibilis erat cum patre, visibilem naturam, vt aptius amaretur, accepit ex matre.* Expende illud, *vt aptius amaretur*, ex quo enim è tantæ matris visceribus effluxit Iesus, proculdubio aptior apparuit vt ab hominibus in hac miseriarum valle degentibus amaretur. Et cur Maria non redderet Iesum nobis amabilem, quæ illũ totum nobis ostendit melleum? Deuth. 32. locutus de bonis, quæ fecit Dominus populo suo, ait: *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Vbi audio petram vel saxũ, statim intelligo Christum, de quo non dubitat Paulus asserere, *Petra autem erat Christus.* Sed illud notandum, quod vbi petram nominat, nihil dicit de eius duritie, sed tantum asserit, quod mella fundat, quæ possimus homines sugere. Vbi autẽ de saxo loquitur, illum durissimum nominat. Et vnde diuinissimus Iesus habet, quod petra sit sine duritie, sed tota riuos mellis effundens? Ait Hugo Victor. ser. 22. de Populo Domini: *Petra, & saxum Christum significant. Sed petra significat Christum in sinu matris: saxum significat Christum in dextera Dei patris.* Nec miror quod à dextera patris, à cœlesti sede Iesus durus debellator in terrã prosiliat, rebelles contundens, & perimens; at illud scio, quod si in sinu matris sit, inde, & blandus, & melleus, & suauis fiat hominibus. Cui verius aptem, quæ Cassiodorus dixit suæ reginæ Amalesiunthæ 11. variar. 1. *O te beatam dominam, laude multiplici, cui diuino beneficio necessitas tollitur cuncta certaminis: quando aduersa Reipublicæ, aut cœlesti fœlicitate vincis, aut tuis imperijs spontanea largitate subiungis. Exultate Gothi, pariter, ac Romani. Dignum miraculum, quod omnes loquamur. Ecce, præstante Deo, felix domina, quod habet eximium vterque sexus, impleuit. Nam, & glorioſum, & generosum Regem nobis edidit, & latissimum imperium animi fortitudine vindicauit.* Sanè vna Maria in veritate id habuit, quod latissima imperia restauret, quod nobis regem Iesum generosum faciat, non durum, melleũ, non amarum.

Matth. 1.

Lau. Iust.

Deuth. 32

Hug. Vic.

Cassiod.

§. V.

In vna Maria Saluatoris omnipotentia manifestè claret.

POtentissimorum Principum genealogiã texens de nullius facinoribus agit, solius Saræ recensat in restaurandis ciuitatibus facinus. Et quidem Elisama Princeps fuit omnium Ephraimitarum, & Nun eius filius, & successor in principatu, ob facinora adeò notus, vt ideò passim Iosue, filius Nun sit appellatus, vt placet Serario nostro. Insuper Iosue magnalia cantatissima sunt: cur ergo tantorum virorum facinora nec indicat, vnius autem eorum cognatæ prædicat fanus, aiens: *Ædificauit Betheron inferiorem, & superiorem?* Equidem nullo melius illorum virorum valentia exprimebatur, quam in facinore fœminæ eiusdem prosapiæ. Quid possint viri, in eo apertissimè claruit; quod fœmina eorum tres nobilissimas restaurauit vrbes. In hac vna validissima fœmina præclarè ostenditur, quid Elisama, quid Nun, quid Iosue valeat. Sic in vna Maria clarissime patet quanta sit diuinissimi nostri saluatoris potestas, & valor. Aiebat illa Luc. 1. *Fecit mihi magna, qui potens est.* Vt potentiæ Dei valentiam ostendat, ea sola meminit, quæ sibi sunt facta, quasi in eà solà ornandà validissima saluatoris virtus manifesta appareat. Ait D. August. hom. 4. in Assumpt. Mariæ: *Quantum Christi potestas possit, mundi ostendit vniuersitas: quantum gratia, Mariæ monstrat integritas.* Itaque vt Dei creatoris valentia ostenditur in conditione rerum vniuersitatis; quia ab illo creatum est cœlũ & terra, & lumina, & plantæ, & fruges, & homines, & Angeli, & reliqua omnia. Ita Dei Saluatoris potestas in vna sola Mariã apertissimè ostenditur. Ponũtur vniuersæ creaturę ad extollendam creatoris potentiam; ponitur vna Maria ad potentiam saluato-

Setar.

Luc. 1.

D. Aug.

uatoris prædicãdã; & nõ minus patet potẽ tia Saluatoris in vna Maria, quàm potentia creatoris in vniuerſitate rerum. Hinc
Luc. 1. ait ipſa virgo Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Quæ verba acutè põderans Hugo Victorinus li. 4. Elucidator. cap. 1. ait: *Nec tacitè prætereundum eſt, quòd cum Dominum nominaret, nihil addidit; cum verò Saluatorem diceret, non ſimpliciter Saluatorem, ſed ſuum Saluatorem nominauit.* Non dixit, magnificat anima mea Dominum meum, ſed ſolum põſuit Dominum; at cum de ſalutari loquitur, ibi dicit, *in Deo ſalutari meo.* Cur ergo Deum non vocauit Dominum ſuum, & vocauit ſalutare ſuum? Meritò ſuum reputat Saluatorem, quia in ea ſola ſic tota vis, & potẽtia Saluatoris videtur cõtineri, vt ſi aliæ animæ deficerẽt, ex ſola illa ſufficienter noſceretur, quantus Saluator eſſet.

§. VI.

A Maria efficaciſsima medella infirmitatum humanarum.

NOn potuit non poni fœmina, in gẽnealogia Ioſue, dum nominato Beria ſubditur: *Filia autem eius Sara, &c.* Sed quandò hæc minimè pertinuit ad genealogiam Ioſue, ſed tantum fuit ſoror ataui eius, cur neceſſum fuit illius meminiſſe? Ioſue idẽ eſt Græcis hominibus, ac Ieſus, vnde ſemper Græci Patres pro Ioſue tranſferunt Ieſum. Quod nomẽ medicinam, ſeu
Epiphan. Cyr. Ieroſ. Bernard. medicum ſonat Epiphanio hæreſi 29. Cyrillo Ieroſolym. catech. 10. Bernardo ſerm. 6. in vigilia Natiu. Vbi autem medicina infirmitatum exprimebatur, conueniebat, ne ibi deficeret mulier, de cuius manu venit, quod infirmus non ingemiſcat. Eccleſiaſtici cap. 30. Sic etiam vero Ieſu noſtro datur fœmina Maria, à qua ille habet, quo efficaciſsima medicina noſtris infirmitati-
Iſai. 11. bus fiat. Iſaias cap. 11. ait; *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Ecce tibi de virginea virga Maria flos erũpit Chriſtus. Et cur erumpens à Maria flos
Hug. Vic. dicitur? Ait Hugo Victorinus in Miſcell. 2. lib. 4. tit. 26. *Virgo Dei genitrix virga eſt: flos filius eius. Quàm benè, quàm rectè dicitur flos, quia ex virga virgine producitur: In flore itaque eſt melliſicatio, ex flore fructificatio, ex flore fauus, & fructus. Si parua ſunt iſta, addo, quod & in flore medicamenta: Ex hac medicina ſanitas ſempiterna incorruptibilitatis.* Habet à Maria meus Ieſus, quòd flos ſit, in quo flore omnium medicamenta inueniũtur: nullam medellam requires, quã non inuenias in flore Ieſu à Maria prodeũte. Ibi, vt notãter dicitur, *eſt ſanitas ſempiterna incorruptibilitatis.* Nõ poteſt eſſe corruptio, vbi hæc diuiniſsima mulier applicat medicinam. Aiebat Pſalm. 15. *Non dabis ſanctum tuũ videre corruptionem.* *Pſal. 15.* Sed quod ſanctum eſt, quam à ſe corruptionem fuget? Ait Angelus ad Mariam Luc. 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Equidem non ſolum diuinitati ſuæ, ſed & Mariæ acceptum refert Dominus, quòd corruptionem non videat. Vt dicat D. Au- *D. Aug.*
guſt. hom. 4. in Aſſumpt. *Si de reſolutione in puluerem dicitur, hanc conditionem Chriſti caro euaſit, de carne Mariæ ſumpta, quæ corruptionem non ſuſtinuit. De hoc ait: Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. De quo autem ſancto proditum ſit, Archãgelus prodidit, qui ad Mariam ait: Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Hic ſanctus corruptionem non vidit, qui tertia die cum triumpho rediens reſurrexit. Caro eius, qua de Maria ſumpta eſt, & ſi mortua eſt ex infirmitate, reuixit ex Dei virtute. Excipitur ergo ab illa generali ſententia, de virgine ſumpta natura.* Ecce tibi, vt Auguſtinus putet, carnem Ieſu, quã etiam parte veniebat ex Maria, in corruptionem nõ iuiſſe. Adeò enim ſalutaris eſt, & medicinalis quælibet res, quæ aliquid Mariæ participat, vt corruptionem fugẽs, funditus extirpet.

§. VII.

Nati in principatu cæteris paribus præſtantiores ad regimen populorum.

QVi eligẽdus in ducem populi erat Ioſue, non otioſe oſtenditur filius principũ, dicit enim: *Qui genuit Eliſama, de quo ortus eſt Nun, qui habuit filium Ioſue.* Eliſama autẽ, vt habes Numer. 2. verſ. 18. *Num. 2.* Ephraimitarũ omniũ princeps erat, cui in principatu ſucceſsit filius eius Nun, vt docet Serarius cap. 1. de Geneal. Ioſue. Fuit *Serar.* ergo & Nun princeps, iſque cãtatiſsimus, cuius gratia paſsim vocabatur Ioſue filius Nun, hoc eſt, cantatiſsimi illius principis Nun. Et meritò è tã notis principibus oritur Ioſue, qui electus in principem populi commendetur à famoſis auorum imaginibus, à quibus minimè degener exiſtat.

Quod in Galliæ Rege Chilperico extollebat Venatius Fortunatus in Synodo Brinnaci, inquiens lib. 11. Poemat. *Ven. Fort.*

Inclyte Rex armis, & Regibus edite celſis
Primus ab antiquis, culmina prima regens.
Rector habēs naſcēdo decꝰ, moderādo ſed auges
De radice patris flos generate potens.
Æquali ſerie vos nobilitando viciſsim,
Tu genus ornaſti, te genus ornat aui.
Excepiſti enim fulgorem ab origine gentis,
Sed per te proauis ſplendor honore redit.
Te naſcente patri, lux altera naſcitur orbi
Nominis, & radios ſpargis vbique nouos.

Piaculum duxi tāto Patri vel verbū ſubtrahere, de quorum ſingulis in rem præſentem nō inuenuſta poteſt fieri ponderatio. Sed nobis illud venit expendendum, nimirum: *De radice patris flos generate potens*: quippe regia radix florentiſsimos, & potentiſsimos reges profert. Omnia vigentia, & florida conſueuerunt eſſe in eo, quē regia ſtirps extollit. Quò ſpectans Iſaias cap. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius.* In virga ſceptrum regni Dauidici agnoſcunt Patres communiter apud Leonem à Caſtro, quod regnum in genealogia Ieſſe, ſiue Iſai incepit, quandò Dauid fuit Iſai filius. Ecce tibi dum regnum incepit ab ijs, qui non fuerant reges: dum incepit à Dauide filio Iſai priuati hominis, regnum fuit, virga regni fuit; ſed regnum, quod penè perijt ſub Babylonijs, & Chaldæis: At inde, ex linea regia Dauidis repullulans regnum in Chriſto, non ſolum fuit regnum, ſed florentiſsimum, & prorſus immarceſcibile, ait enim: *Et flos de radice eius aſcendet.* Qui enim ex regali ortus fuit radice, vel ex inde voluit omnia in regno ſuo refloreſcere. Quò refero dicta 1. tom. de Chriſto figurato lib. 1. cap. 1. par. 2. §. 2. & in præſenti lib. 6. cap. 8. §. 17. *Iſai. 11.*

§. VIII.

In principibus auſpicata pulchritudo non fucata, ſed quæ à virtutibus venit.

ILlud notandum in Ioſue, qui à pulchritudine commendetur, dicit namque: *De quo ortus eſt Nun, qui habuit filium Ioſue*: inde paſsim vocatur filius Nun: Nun autem dicitur à radice, quæ pulchritudinē ſignificat, vt Rupert. lib. 1. in Numer. cap. 38. dicat: *Ioſue, ideſt Saluator, filius pulchritudinis.* Ne hoc boni principis auſpicium deficeret Ioſue, quod quidem ſumitur, non à fucata illa pulchritudine, quæ principes effeminat; ſed à vera, & ſolida, quæ ab internis animi virtutibus in faciem venit. Hūc reſpexit Prouerb. 16. *In hilaritate vultus Regis vita, & clementia eius quaſi imber ſerotinus.* Vbi Chaldæus: *In luce vultus Regis vita, & voluntas eius quaſi nubes in ſerenitate.* Splendori vultus bonam voluntatem conIungit, vt præſagiat, à regibus & vitam, & incolumitatē ciuibus obuenire. Vbi enim ſplendori vultus ſuffragantur bonæ voluntatis affectus, nihil in tali rege nubilū, nec tempeſtuoſum timetur. Dicebat enim Venantius Fortunat. lib. 6. Poematum in principio de Rege Sigiberto: *Rupert.* *Prou. 16.* *Ven. Fort.*

Gaudia diffundit radianti lumine vultus,
Nubila nulla grauant populū ſub Rege ſereno.

Vbi enim mentis ſerenitas radiat Regis à vultu, nullum inde nubilum in populum venit, ſed omnia læta, & fructifera. Non equidē ſola pulchritudo externa, ſed quæ ex intimis venit pulchritudo, ea fœlicitatis eſt in regibus auſpicium. Hinc 1. Reg. 16. electurus Samuel regem è filijs Iſai, vt maiores natu videbat iuuenes præſtantia corporis claros, amabat illos in principes, cui Deus ait: *Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius*: quaſi inde ad regnū pulchritudinem corporis condemnaret. Quid tunc? Adductus eſt Dauid è campo: *Erat autem ruſus, & pulcher aſpectu, decoraque facie, & ait Dominus: Surge, & vnge eum.* Quid ais Domine? Nonne paulò antevetabas reſpici in regis electione vultus præſtantiam? Cur modo puer pulcher, & decorus ad regnū auſpicatum tibi placet? Erat pulcher Dauid, ſed eà pulchritudine, quam faciebant, & augebant virtutes animi, & ideo Deo eligendus in regem placet. Ait D. Baſil. Seleuc. orat. 14. *Puer Dauid producitur pæruus ætate, animo magnus. Mitis erat aſpectu, mitior animo. Ore micanti, animo candido, præ corpore bene colorato lætius geſtās animi decus. Trahit in cōmendationem oculos creatoris. Perinde ac ſi diceret ad Samuelē Deꝰ: Tu mortali oculo corporis magnitudinē dimenſus mirabaris; ego vero, quæ mihi ſoli videtur, eā exambio. Vbi animæ theſaurū inuenio, ibi miratur oculus meus. Gratia ſtatim ad vnctionē monuit manū.* Suſpectā habet Deꝰ & reiectaneā pulchritudinē in principe, quę ſola in cultu corporis cōſiſtat. Formoſulos iſtos principes cū videas, quorū pulchritudo venit à calamiſtro, à fuco, à ſtudio faciei pollendæ, hos vt maximē regno inauſpicatos *Baſil. Sel.*

Deus

Deus abijcit; illam ambit in ſuis principibus pulchritudinem, quæ à virtutibus profilit animi. Ad hæc Chryſoſt. hom. 1. in Pſal. 50. *Vbi ſunt illi, qui ſe adornant extrinſecus, & depingunt? Nolo pulchritudinem corporis, honeſtatem mentis requiro.* Hoc ſanè quærit Deus in principibus ſuis auſpiciũ. Pſal. 44. *Specie tua, & pulchritudine tua, intende proſperè, procede, & regna. Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, &c.* Planè ſpeciem, & pulchritudinem præmittebat ad fœlicis regni auſpicium. Sed quam pulchritudinem? Explicat ipſe dicens: *Propter veritatem, &c.* Non quæ veniat à fucis, à picturis, ſed quæ ſit ab animæ veris virtutibus. Ait Guarricus Abbas ſerm. 2. in Nat. Mariæ: *Vis ſcire, quia non formam corporis, ſed cordis; non pulchritudinem membrorum, ſed morum prædicabat? Audi ſequẽtia, ſpecie tua: inquit, & pulchritudine tua, intende proſperè, procede, & regna. Et addit: Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam. Prorſus hæc eſt ſpecies tua, & pulchritudo tua, qua regnum acquiſiuiſti pulcherrime Regum, veritas vtique ſermonum, manſuetudo morum, iuſtitia iudiciorum. Hac pulchritudine facile illexiſti, & ſubieciſti tibi etiã corda inimicorum.* Quid ſapientius? Nõ ſpeculum, non calamiſtrum, non flagella crinium; ſed veritas, ſed manſuetudo, ſed iuſtitia, ſed animi virtutes pulchritudinem faciunt, quæ regna ſtabiliant.

Chryſoſto. Pſal. 44. Gua. Ab.

Ex Num. 13. Vocauitque Moyſes Oſee filium Nun Ioſue.

§. IX.

In nominibus clariſsima futurorum auſpicia ſolent eſſe.

DVo nomina in tanto duce inuenio eſſe: aliud vocatum à parente eius imprimis natiuitatis diebus, vt moris erat gentis; hoc autem eſt Oſee: alterum vocatum à Moyſe, poſtquam ad virilem ætatem peruenerat; Hoc eſt Ioſue. De vtroque modò agemus, vterque enim à dãda ſalute venit. Quod notat D. Hieron. in Oſeam, fatus: *Oſee lingua noſtra ſaluatorem ſonat, quod nomen habuit etiam Ioſue filius Nun, antequã à Deo ei vocabulum mutaretur, & additum eſt eius nomini Dominus, vt ſaluator Domini diceretur.* Itaque, & Oſee, & Ioſue ſaluatorem ſonant, nec immeritò tãto duci ſemper, & ab hominibus, & à Deo ſaluatoris nomen imponitur, ſed in auſpicium ſalutis populum afferendæ populo. Solent nonnũquã eſſe in nominibus futurorum euentuum omina. Ait Eccleſiaſticus cap. 46. *Fortis in bello Ieſus Naue ſucceſſor Moyſi in Prophẽtis, qui fuit magnus ſecundum nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum Dei.* Expende illud: *ſecundum nomen ſuum*: in nomine eius dicẽbantur quæcumque maxima poſtea ab illo fuerunt peracta. Id in Chilperici nomine Regis Galliæ notabat Venantius Fortun. li. 11. Poemat. in principio, fatus:

Chilperice potens, ſi interpres barbarus extet,
Adiutor fortis, hoc quoque nomen habes.
Non fuit in vanum ſic te vocitare parentes
Præſagum hoc totum laudis, & omen erat.
Iam tunc indicio præbebant tempora natò
Dicta priora tamen, dona ſecuta probant.

Quippe vbi nomẽ erat puero Adiutor fortis, meritò in Principe pro auſpicio, & omine ſumebatur, quod futurus erat in factis, quidquid in nomine exprimebatur. Probant ſæpe ſecuta facinora, quæ in nomine ſignificabatur. Non parum faciunt nomina, quando myſterioſæ Dei prouidẽtiæ inſeruiunt, vt credantur de homine bona, vel mala, prout ipſa nominantur. Hinc Dauid cauebat Pſalm. 1. *In cathedra peſtilẽtiæ non ſedi.* Quæ verba referens D. Zeno ad Moyſi cathedram poſt Chriſtũ, ait lib. 3. ſer. 36. *Sacerdotalis cathedra peſtilentiæ ſuo nomine deleta eſt*: quaſi peſtilens nomen nõ potuiſſet extremam ruinam importare rei, quæ ſic nominabatur. Marcion hæreticus Euangelium quoddam publicauit truncatum paſsim, corruptum ſemper: illi tamen nõ ſui authoris nomen affinxit. Et cur aſtutus hæreticus cauit, vel nomen ſuum apponere Euangelio, quod ipſe trũcabat? Sane alij hæretici, vt Lutherus, & Caluinus, paſsim dicunt iuxta Euangeliũ meum, ſua nomina affingentes Euangelijs ſuis. Cur id Marcion adeò cauit? Vaferrimus hominũ auſus eſt Euangelium truncare, ſed non auſus eſt illi nequam nomen imponere, optime ſciens quãtum ſit in nominibus, & titulis omen, vel perditionis in malis, vel in bonis fœlicitatis. Quod ponderans Tertul. lib. 4. in Mar. ait: *Marcio Euãgelio ſuo nullum adſcribit authorem, quaſi nõ licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit ipſum corpus euertere. Et poſſem hic iã gradũ figere, nõ agnoſcendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullã conſtantiã proferat, nullã fidem repromittat de plenitudine tituli.* Non ſic ominoſa æſtimatur à Marcione Euãgelio trũcatio, vt impoſitio nequã nominis: & ideo qui nõ cauit trũcationẽ, abſtinuit à nequã nominis impoſitione.

D. Hier. Pſalm. 1. D. Zen. Tertull.

ne, qua iudicabat perdēda eſſe omnia. Sed & in dē hominem peſſundat Tertull. quod ediderit opus, in quo nullus appareat titulus, nullum nomen bonum, vt de maieſtate nominis, titulivè aliquid ſperaretur, quod proficeret pōpulo. Sic enim bona nomina auſpicata ſunt, vel mala ominoſa. Vide ſupra lib. 6. cap. 1. par. 2. §. 1.

§. X.

Diuinum nomen maximū munimen ſuis eſt.

QVi Oſee à pueritia vocabatur, factus vir vocatus eſt à Moyſe Ioſue, ſiue vt Græci transferunt, Ieſus; dicit enim: *Vocauitque Moyſes Oſee filium Nun Ioſue.* Vocauit, inquam, Ioſue, aut Ieſum, cū vir factus erat, imò cum ad prælium cum Amalechitis dux deſignaretur. Sic enim putant Origen. hom. 11. in Exod. D. Auguſt. ſerm. 93. de Tēpore, Theodor. quæſt. 34. in Exod. Oleaſter, quos refert, & ſequitur Serarius lib. 1. Ioſue cap. 2. quæſt. 6. Et quidem ſapientiſsimè Moyſes, quem ducem deſignans in bellum mittit, Ieſum vocat; nullo enim validius armatur quis aduerſus omnes hoſtes, quam vel vmbra diuini nominis. Numer. 26. dicit: *Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in ſolitudine. Nullusque remanſit ex eis niſi Caleb filius Iephone, & Ioſue filius Nun.* Hoc maximum fuit, quod inter ſeuientes mortes, quę vniuerſos peremerūt Iſraelitas, è duobus, qui tantum euaſerant, vnus eſſet Ioſue. Et quo ſe muniuit, vt è tot euaderet periculis? Ait D. Amb. in Pſal. 118. ſerm. 18. *Quicumq; exierunt de Ægypto, perierunt in deſerto. Mortuus eſt Aaron, mortua eſt Maria, mortuus eſt ipſe Moyſes: ſolum Ieſum Naue nominis ſacri ſimilitudo ſeruauit.* Quid pulchrius? Non audet malum, vbi vel vmbram videat nominis diuini. Fœlix ille, qui ſub diuino nomine degit, procul dubio ſeruabitur in vitam. Similiter è ruina Iericho vna fœmina Raab euaſit cū vita; quod ſi quæramus cauſam eius liberationis, audiemus illam Ioſue 2. fantem ad exploratores quos exceperat hoſpitio: *Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus in cœlo, & in terra.* Vbi noſter poſuit *Dominus*, in Hebræo eſt, *Iehoua*, quod eſt nomen ineffabile Dei, ex quo autem tantum nomen Dei apparuit in ore fœminæ, non miror, quod inde à malis omnibus liberaretur. Aiebat enim Albericus Gentilis lib. 5. de bello cap. 19. *Tota illa res acta eſt ſpiritu Dei indentis confeſsionem illam ſanctiſsimam ori miſeræ mulierculæ: Iehoua Deus veſter, & volentis ſeruari fœminam, ex qua naſci Saluator habuit.* Ecce tibi vbi Deus inter tumultus bellicos, inter arma, inter ipſas mortes ſeruari voluit fœminam, de qua poſtea Saluator oriretur, hoc vnico medio vſus eſt, indidit ori eius diuiniſsimum nomen, quo ſic manſit munita, vt à nullo poſſet noceri. Seruus ille Abrahæ poſt ſuperatas longiſsimæ viæ difficultates, poſt inuētam ſponſam dignam Iſaaco, poſt celebrata conuiuia apud eius parentes Geneſ. 24. ait: *Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam.* Theodoret. legit: *Dominus proſperauit viam meam.* Et vnde ſeruili homini tanta eſt à Deo proſperitas? Vnde nec tam longa via illum fregit; nec ſeruilis habitus offuit, quominus à potentibus viris exciperetur, & illi ſpecioſiſsimam filiā crederent? Ait Theodor. ſerm. 8. de Prouid. *Sermones ſuos vbique diuini nominis mentione exornat, & bonorum largitionem inde trahit. Quid hunc, die mihi, ſeruitus læſit?* A nullo lædi potuit, qui in omnibus diuini nominis mentionem præmittebat. Vtinam & nos ſub hoc Dei nomine viuamus, nihil prius ab ore emittamus, & nullas malas incurſiones timebimus, ſed omnia periecula effugiemus.

Origen. Ambr. Theodor. Oleſter. Serar. Num. 26. D. Amb. Ioſue 2 Albert. Gen. ſ. 24 Theodore.

§. XI.

Ex nomine diuino, quaſi populoſo ſuorum agmine confirmatus exurgit homo.

ILlud non otioſe ponitur in Ioſue, nimirum: *Vocauit Oſee filium Nun Ioſue:* quippe cum Ioſue nomine ſemper illud ponitur, quod ſit *filius Nun.* Supra ex Ruperto, Nun pulchritudinem interpretabamur; modò autem placet Serarius lib. 1. in Ioſue cap. 1. quæſt. 8. qui Nun deducit à radice Nim, qui eſt filius, vt Nun idem ſit, quod filiatus: & dicetur Ioſue filius Nun, hoc eſt filius filiatus, quaſi filijs autus. Sed cum Ioſue filijs careret, cur ſic frequenter vocatur, quaſi filijs autus? Crediderim in hoc oſtendi virtutem diuiniſsimi Ieſu nominis, quo nitebatur, ex quo illud venit, quod quis exurgat quaſi populoſo ſuorū agmine confirmatus. Matth. 5. dicebat Dominus de diſcipulis, & ſectatoribus ſuis: *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſi-* Serar. Matth. 5.

ta. Itaque vnumquemque ſuorum comparat ciuitati ſupra montem fundatæ. Sed vn de vnus homo adeò populoſus apparet, vt poſsit ciuitati integra comparari? Ait
D. Aug. D. Aug. lib. 16. contra Fauſtum cap. 17. *Sicut petra Chriſtus, ita & mons Chriſtus; petra humilis fortitudo, mons eminens magnitudo; quia ſicut Apoſtolus ait: Petra autem erat Chriſtus, ita ipſe Dominus, Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, ſe ſcilicet montem, fideles autem ſuos in ſui nominis gloria fundatos aſſerens ciuitatem.* Expende illa: *in ſui nominis gloria fundatos aſſerens ciuitatem*; eò ipſo quod quis in diuiniſsimi nominis glò ria fundetur, ſic populoſus inde exurgit, vt integræ ciuitatis ſit ſimilis. Quò traxe-
Iſai. 33. rim illud Iſaiæ cap. 33. *Oculi tui videbũt Ieruſalem habitationem opulẽtam:: quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus.* Quæ in hunc modum transferũntur à D. Cyril.
Cyr. Ale. Alex. *Oculi tui videbunt Ieruſalem ciuitatem opulentam:: quia nomen Domini magnum vobis.* Et quod ciuitatem dicat, non neceſsitor intelligere totam collationem fideliũ; quãdo ſoli Ieremiæ dicebat Dominus cap.
Ierem. 1. 1. *Dedi te in ciuitatem munitam.* Sed quomodo vnus homo ſic apparere poſſet populo
Cyrill. ſus? Ait Cyrilli tranſlatio: *quia nomen Domini magnum ibi*: de diuino enim nomine, ſic firmatur quis, ſic augetur, vt meritò appareat ciuitati ſimilis. Nec alio reſpicit
Iſai. 26. Iſaias cap. 26. dicens: *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator ponetur in ea murus.* Quæ ſic à multis diſpunguntur: *Vrbs fortitudinis noſtræ ſaluator, ponetur in ea murus.* Et Pro-
Procop. copius ex Hebræo, ponit, Ieſus, vt dicat: *Vrbs fortitudinis noſtræ Ieſus*: quippe in hoc ſalutifero nomine ſic firmamur, ſic viribus augemur, quaſi in populoſiſsima ciuitate ſimus.

§. XII.

Principis nomen præclaris, & dilatari, & æternari debet facinoribus.

STo adhuc à ſententia Serarij deducentis Nun nomen à filiatione, vt dicatur Ioſue filius Nun, hoc eſt, *Ioſue filius filiatus*, vt vidimus §. præcedenti. Etenim nomen eius ſic facinoribus filiabatur, vt in illis, quaſi in multis clariſsimiſque filijs dilataretur, & extenderetur. Quod maximè requirendum eſt in viri principis nomine.
Pſal. 71. De ſummi Dei nomine aiebat Pſalm. 71.

Sit nomen eius benedictum in ſæcula; ante Solem permanet nomen eius. Vbi noſter legit *Permanet*, eſt Hebraice *Iinnon*, ex quo Heb. Lec. Burgenſis legit, *Filiabitur nomen eius.* Quippe hoc habet ſummi Imperatoris Dei nomen, vt cum Sole filietur, hoc eſt, his laudabilibus operibus vigeat quotidie, vt in illis, quaſi in filijs nomen æternetur. Sic explicant apud Serarium ſupra: Rabbi Serar. Emanuel, & Rabbi Dauid dicentes: *Firmabitur, & permanebit nominis eius memoria, & laus, non ſecus quam ſi ſemper filiaretur, id eſt, ſilys augeretur.* Non ſic filij nomẽ patris æternant, vt nomen Dei ſummi Principis crebra facinora augent, & faciunt vo litare per terras. Vnde Prouerb. cap. 18. Pron. 18. dicit: *Turris fortiſsima nomen Domini.* Et Græci legunt: *Ex magnitudine operum nomen Domini.* Opera ſunt pro filijs Deo, & Principibus, quæ nomina faciant, & æternent. Imò filij proprij Principum, qui eorum nomen ferant, non alij ſunt, quam facinora, quam opera egregia. In 2. Reg. 18. 2. Re. 18. *Porrò Abſalon erexerat ſibi, cum adhuc viueret titulum, qui eſt in Valle Regis. Dixerat enim; Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei.* Ecce tibi pro cauſa quærẽdi fulcrum nominis dixit modo Abſalon: *Non habeo filium.* At ſupra cap. 14. dicit textus: *Nati ſunt autem Abſalon filij tres, & filia vna.* Et quando quatuor filios natos habebat, cur ait, Non habeo filios? Meditabatur ſui nominis extenſionem, & æternitatem, ad quam non tam filijs carnis ſe orbũ lugebat, quam præclaris operibus. Verè in hoc ſapuit iſte Princeps, qui non æſtimat alios filios, quam rectè geſtà, & facinora illuſtria conducere poſſe ad æternandũ, & dilatandum nomen Regum. Qui Principes patres fuerunt, reliquerũtque filios; innumeri ſunt, prorſus ignoti populis, & nationibus, imò, & ſuis hæredibus. Illorum tantum nomina implent orbem, & per omnia ora volitant, qui præclarè geſtis innotuerunt. Ex quo cõmendabat Venantius Fortun. lib. 11. Poemat. in principio Ven. Fort. ſuum Chilpericum Regem, fatus:

Quidquid habet mũdus peragraſti nomine Princeps
Curris & illud iter, quod rota Solis agit.
Cognite iam Ponto, & rubro pelagoq; ſub Inde
Tranſit, & Occeanum fulgida fama tui.
Nomen vt hoc reſonet, non impedit aura, nec vnda
Sic tibi, & vnda ſimul terra, vel aſtra fauẽt;

Hoc curent vniuerſi Principes præclaris operũ factis; quę ſi deſint, eorum nomina in gymnæceis puellarum ſepulta iacent.

Exod. 17. Dixitque Moyses ad Iosue: Elige tibi viros, & egressus pugna contra Amalech cras. Ego stabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea. Fecit Iosue, vt locutus fuerat Moyses, & pugnauit contra Amalech, &c.

§. XIII.

Non humanæ, sed diuinæ potestatis est sibi ministros aptos eligere.

NVnc primum Iosue nominatur, nunc primum eius exprimuntur facinora; qui huc vsque sub nomine Osee delitescebat, nunc Iosue, ideſt Iesus à Moyse dicitur, & dux eligitur aduersus Amalechitas. Quippe ait: *Dixit Moyses ad Iosue; Elige tibi viros, &c.* Et cur necessum fuit tãti sacramenti nomen illi modo imponere, vt qui antea Osee, modo Iesus vocetur? Non ne, & sub Osee nomine posset ire in bellum? Cur illi ad hoc datur nomen Iesu diuinissimum? Non solum committebatur illi præliũ, sed & quod milites, ducesq; ipse eligeret, dũ dicitur: *Elige tibi viros, &c.* Quod vt diuinæ potestatis est, sic ad hoc insignitur nomine diuino. A solo enim diuino Principe eliguntur apti in dignitates ministri; in mundialibus enim principibus, qui sese ingerunt, ij dignitates habẽt præcipuas. Quo spectans Theodor. quæst. 34. in Exod. ait: *Iesus cum saluatore nostro eognominis trophæum seruauit, tam in eo, quod appellationem hanc sortitus est, quam ob id, quod vsus est operæ delectorum virorum, sicut Christus sacrorum Apostolorum vsus est ministerio.* Itaque cognomen commune cũ Saluatore habuit, quia & opus cum illo commune tenuit in electione ministrorũ. Hæc fuit gloria singularis nostri diuinissimi Iesu; de qua dicit ad suos Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Non equidem ministri Iesu sese ingesserunt muneribus, non ipsi Regem adierunt cum schedulis, non designarunt sibi ministeria. Sed ipse Rex, & Princeps omnium eos introspexit, trutinauit, elegit. Sanè hoc faciũt Principes, qui cum Deo aliquid commune habent. Longè aliter apud Principes prorsus terrenos, & mundiales; ij nõ ipsi eligunt, sed ipsi subditi sibi assignant munera; ea negotiantur, ea petunt, & continuis schedulis, & ambitibus ea extorquent, & sibi comparant. Deus daturus virum, qui regeret Israel, nihil tale cogitantem designat Saulem: de quo ait 1. Reg. 10. *Ecce absconditus est domi. Cucurrerunt itaque, & tulerunt eum inde.* Ecce tibi Saul non de dignitate cogitabat, nec illius datorem requirebat, nec gradum faciebat, quin potius domi abscõditus latebat. Adhuc tamen mittit Deus, & illum quærit, & extrahit ad regiam. At Matth. 2. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Icrosolymam dicentes: Vbi est, qui natus est rex Iudæorum?* Mirabar ego, quòd Deus, qui Saulem requirebat, & vt illum requireret, locutus fuerat ad Samuelem, & ad populum locutus fuerat, & latibulum eius aperuerat; Modo respectu Magorum sic ipse deliteſcat, sic videatur tacere, & sic faciat se inquiri clamantibus cunctis, *Vbi est, qui natus est Rex?* Ante ipse inquirebat, vbi esset Saul; modo se inquiri facit: cur hæc? Anteà se ostendebat diuinum Principem; modò adhuc habebatur vt Princeps, & rex terrenus. Quandò autem specialiter agit diuinũ Principem, seque Deum prouisorem suorum ostendit, ipse inquirit, & eligit, cui dignitatum insulas donet. Quandò autem terreni Regis speciem induit, potius illum inquirunt ambitores bonorum eius. Ait D. Maxim. ser. 6. de Epiph. *Hodie gentilitas edocta de cœlo, Redemptorem mũdi inquirit vt Regẽ, muneratur vt fortem, adorat vt Deum.* Dimitto aliò duas extremas propositiones, & pro nũc tantum pondero illam, nimirum: *Inquirit vt Regem:* quandò enim puerum illũ vt regem spectãt Magi, illum dicuntur quærere. Nihil enim magis proprium est regum mundialium, quã quòd reges non quærant, non inquirãt ministros; sed quod subditi, & ministeriorum ambitores regem quærant, illi se sistant, & sibi dignitates eligant.

Theod.

Ioann. 15

1. Reg. 10

Matth. 2.

D. Max.

§. XIIII.

Fidelium principum vexilla non committenda nisi fideli duci.

NEmo negat multos fuisse in Israelitico exercitu viros præcellentissimos, ex omnibus tamẽ vnũ Iosue elegit in ducem Moyses, cui ait: *Egressus pugna con-*

tra Amalech. Et cur ex omnibus vnũ Ioſue in ducem elegit? Ait Ioſephus lib. 3. cap. 2. *Selectis è reliqua multitudine ad pugnã idoneis, Ieſum præfecit Naueſi filium, è tribu Ephramitide, virum manu, & conſilio promptũ, & pietate inſignem, & à Moyſe præceptore hac parte non degenere.* Erat Ioſue in pietate non degener à Moyſe, ſed eiuſdem cum illo pietatis erga Deum, & ideò meritò debuit eligi in exercitus ducem. Eſt hoc ſapientiſsimum, & prudentiſsimum principibus conſilium, ne tradant exercitus ſuos duci in religione, & pietate erga Deum degeneri ab illis. Tempore D. Ambroſij comes quidã, exercitus Imperialis dux fauerat Iudæis, de quo ſcribẽs ſanctus vir Theodoſio epiſt. 29. ait: *Habebis Imperator comitem prænaricatorẽ, & huic vexilla committẽs victricia, huic labarũ, hoc eſt, Chriſti ſacratum nomine, quiſynagogam inſtauret, quæ Chriſtum neſciat?* Meritò Ambroſius periculoſum reputat, quod vexilla fidelis imperij tradantur homini, qui faueat infidelibus, eorum curanti inſtaurare perfidiam. Quis rex fidelis non metuat huic ſuæ victoriæ ſpem committere? Procul dubio non bene conueniunt ad victoriã rex fidelis, & degeneres in religione, & pietate duces. Hinc cum poſt mortem Iuliani Apoſtatæ duces eius exercitus imperium deferrent ad ſtrenuum quendam militem Iouinianum nomine; is duces, & milites à vera religione alienos deteſtans, malebat ſine imperio eſſe, quam talibus ſui imperij vexilla credere. Rẽ pulchrè narrat Theodor. lib. 4. Hiſtor. cap. 1. dicens: Itaque duces cõſenſum exercitus velut ſuffragationem diuinam arbitrati, producunt in medium præſtantiſsimum illum virum, celerrimè primũ ſuggeſto cõſtructo, in eo collocant. Deinde cum omnia, quæ ſunt Imperatorum propria ei attribuiſſent, & Auguſtum, & Cæſarem appellaſſent, vir ille admirabilis ſuã conſueta loquendi vſus libertate, & neque magiſtratus, neque milites, vt ad deteriorem partem deflecterẽt, omnino veritus: *Non poſſum, inquit, cum ſim Chriſtianus eiuſmodi hominibus imperare, neque regere Iuliani exercitum, qui tam peſtiferæ doctrinæ præceptis imbutus ſit. Nam qui ſunt ita inſtituti, hi diuina deſtituti prouidentia, tum ab hoſtibus facilè expugnari, tum eiſdem materiam lætitiæ præbere ſolent.* Quibus verbis auditis, milites conclamauere vno ore, ac dixerunt: Ne animus tibi, O Imperator, vlla æſtuet dubitatione, neque noſtri imperium tanquam improbum detrectes. Nam & Chriſtianis hominibus, & diſciplina vetuſtiſsimæ pietatis educatis imperabis, &c. Quid tunc? Pergit Theodor. cap. 2. Hac militũ oratione vehementer delectatus Imperator, concilium deinceps init de ſalute Reipub. & quomodo exercitum hoſtili è regione poſsit incolumen reducere. Verum non multo egebat conſilio, quippe cum fructus ex pietatis ſeminibus perceptus, ei ſubſidio eſſet. Nam extemplò rerum vniuerſarum gubernator Deus, ſe illius curam ſuſcepiſſe declarauit, & dubitationem, in qua verſari videbatur, penitus extinxit. Etenim rex Perſarum, ſimul vt intellexit eum creatum Imperatorem, primum legatos de pace ad eum mittit, deinde imperat cibaria eius militibus deferri. Itaque pacto ad triginta annorum ſpatium fœdere Iouinianus exercitum iam confirmatum, & robuſtum hoſtili è regione eduxit. Quid diuinius? Sic triumphat Princeps, qui refugit ſuas curas infidelibus ducibus, & militibus committere. Duo autem incommoda ſequũtur infideles miniſtros; alterum, quòd ij à Dei prouidentiã deſtituti facile ab hoſtibus ſoleant expugnari: alterum, quòd vel ſi vincant materiam lætitiæ præbeant impijs, qui de impietate putant victoriam oriri.

Ioſeph. Theodoſ. Theodor. Theod.

§. XV.

Non ſufficit ducis fortitudo ad victoriam, niſi concurrat & Principis pietas.

STrenuum ducem Ioſue mittit Moyſes in pugnam, interea tamen ipſe in vertice collis ſtans vacat diuinis. Quippe ait: *Egreſſus pugna contra Amalech cras. Ego autem ſtabo in vertice collis, habens virgã Dei in manu meâ.* Moyſes Princeps populi nõ iuit in certamen; ſed miſit ducem validiſsimum: at ipſe manſit non lecto ſtertens, ſed Dei virgam tenens, manibuſque in cælum erectis, & religionem, & pietatem oſtendens ſubditis. Coniungantur enim neceſſe eſt, & pietas Principis, & ducis fortitudo, vt ſperetur victoriã poſſe venire. Id obiecit ſtrenuiſsimus dux Chriſtianus Trajanus nomine Valenti Imperatori impiiſsimo. Rem narrat Theodoret. lib. 4. Hiſtor. cap. 29. Valens quoniam bellum extimiſcebat, longo tempore Conſtantinopoli commoratus eſt. Trajanumque ducem contrà

Theodoret.

contra barbaros miſit cum exercitu. At poſtquàm Trajanus ab hoſtibus ſuperatus reuertit, Valens illum conuitijs valde laceratè, & mollitiem, ignauiamque ei obijcere cœpit. At ille liberè, vti virum generoſum decebat: *Non ego, inquit, ò Imperator victus ſum, ſed tu ipſe prodidiſti victoriam, qui contra Deum aciem inſtituere non deſinis, & ita eius auxilium barbaris concilias. Nam abs te oppugnatus ſe illis adiungit. Atque Deum ſemper ſequitur victoria, & ad eos accedit, quibus Deus ſe ducem præbet. Non noſti, inquit, quos viros Eccleſijs expuleris, & quibus eas tradideris? Iſta quidem ita ſe habere, & Arintheus, & Victor, qui duces quoque erant, ingenuè confeſi ſunt, Imperatoremque hortati, ne reprehenſiones cum veritate coniunctas iniquo animo ferret.* Sic ſtrenui duces Imperatoris impietati, & irreligioſitati tribuunt validiſsimi exercitus ruinam; & oſtendunt, quam verum ſit, quòd non ſufficiat ſtrenuitas ducum, vbi Princeps nec pietatem, nec religionem curat. Quid intereſt, quòd dux validiſsimè ſe gerat aduerſus hoſtes regni, ſi ipſe Princeps religionem poſthabeat ſuis cupedijs? Nec prætextus iuſtitiæ preſeferat Princeps, vbi videt pietatẽ, & religionem perire. Huius enim debet eſſe prima, & vnica cura principibus, qui velint ſplendere triumphis. Pro quo accipite ſententiam maximi Eccleſiæ doctoris S. Ambroſij, & in ciuilibus, & in diuinis ſapiẽtiſsimi. Permittebãtur Iudæi Imperatorio edicto, & fœdere facto, ſuis ritibus viuere, & Synagogas habere ſuas. Chriſtiani autem quidam zelo incenſi Synagogam cuiuſdam villulæ incenderunt; queruntur Iudæi de damno ſibi illato contra imperatoris edictum, & fœdus iuratum. Imperator ergo Theodoſius iubet, vt Epiſcopi, & Chriſtianorũ impẽſis reparetur Synagoga diruta. Rem deteſtandam reuocari ſuadet D. Amb. epiſt. 29. inquiens: *Sed diſciplinæ ratio te Imperator mouet. Quid igitur eſt amplius, diſciplinæ ſpecies, an cauſa religionis? Cedat oportet cenſura deuotioni: : : Non ne propterea Maximus deſtitutus eſt, quia ante ipſos expeditionis dies, cum audiſſet Romæ Synagogam incenſam, edictum Romam miſerat, quaſi vindex diſciplinæ publicæ? Vnde populus Chriſtianus ait: Nihil boni huic imminet: Rex iſte Iudæus factus eſt, defenſorem iſtius diſciplinæ audiuimus. Quem mox Chriſtus probauit, qui pro peccatoribus mortuus eſt. Illeigitur ſtatim a Francis, & a Saxonum gente, in Sicilia, Sicia, Patauione vbique denique terrarum victus eſt.* Sic Ambroſius conficit principum prætextus iuſtitiæ ciuilis, vbi religionis, pietatiſque dedecus appãret. Sanè Imperatoris erat ſubditos Iudæos ab iniurijs hominibus defendere, eorumque offenſores caſtigare; ſed quia magis eſt Imperatoris, & Principis religionem, pietatemque curare; vbi huius dedecus imminet, omnia alia iura contemni debent à principibus Chriſtianis. Quod quia non fecit Maximus, ſed diſciplinæ publicæ prætextu inſidelibus Iudæis fauit, ſtatim illa vox inſonuit, illa vox popularis: *Nil huic imminet boni: Rex iſte Iudæus factus eſt.* nec vox nuda fuit, ſed cum rerum euentu, quandò miſsis ſtrenuis exercituũ multorũ ducibus vbique terrarum victus apparuit. Et vbi non pereant duces illius Principis, qui ciuilia iura præponit religionis pietatiſq; dãnis?

§. XVI.

Princeps eos ad dignitates promoueat, quos in facinorum, virtutumque exercitijs ſodales diu expertus eſt.

QVàm meritò Ioſue dicitur vt eligat milites, quos ipſe in prælium ducat. Quippe: *Dixit Moyſes ad Ioſue: Elige tibi viros, & egreſſus pugna, &c.* Nec alteri, quam Ioſue debuit ducatum exercitus ſui bonus Princeps Moyſes committere; ſemper enim hunc ſodalem, & lateronem habuit in facinoribus, in virtutibus. Ait enim Abbulen. quæſt. 4. in cap. 17. Exod. *Erat Ioſue vir robuſtus, & valens, & animoſitatis nimiæ, atque magnæ prudentiæ, & ſeruus Dei, atque Moyſi continuus miniſter, vt patet infra cap. 33. Ideò tanquam ſtrenuum inter omnes Hebræos elegit eum Moyſes ad opera belli.* Abbul. Ioſue miniſter Moyſi, illique continuus comes, & individuus ſodalis in omnibus rectè factis, in ducem eligitur; talibus enim debent Principes magnarum rerum adminiſtrationes committere. Quod ab Alexandro Magno factum ponderat textus diuinus 1. Machab. 1. de quo ait: *Et vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à iuuentute, & diuiſit illis regnum ſuũ, cum adhuc viueret.* 1. Mac. 1. Expende, quos promoueat prudens Princeps; nimirum eos, *qui ſecum erãt nutriti*: quos in ſuis virtutibus ſodales, & laterones expertus fuerat, hos in regnũ extollit. Non equidem apud Principes aliud valere debet, vt dignitates largiantur, niſi ſodali-

ſodalitas probata in virtutibus. Hinc gra-
Sid. Apo. tulabatur Sidonius Appol. amico ſuo ad dignitatem euecto inquiens lib. 1. epiſt. 4. *Macte eſto, vir ampliſſimè, faſcibus partis dote meritorum; quorum vt titulis, apicibuſque potiare, non maternos reditus, non auitas largitiones, nõ vxorias gemmas, non paternas pecunias numerauiſti. Quia tibi è contrario apud Principis domũ inſpecta ſynceritas, ſpectata ſedulitas, admiſſa ſodalitas laudi fuerunt.* Expẽ de illud: *Admiſſa ſodalitas laudi fuerunt*; quippe inde præſtantis Principis, inde debent manare promotiones ad dignitates, & regia munera obeunda; ex eo quod in admiſſa ſodalitate laudabilis quis inuenia tur & ſedulus, & prõptus ad omnes virtutes. Quos Princeps ſodales admiſit ad virtutes, in illiſque ſedulos, & promptos, & alacres expertus eſt, hos promoueat ad reg ni culmina. Vbi magnus ille Daniel Perſarum Princeps factus eſt, dicitur de illo
Dan. 2. Dan. cap. 2. *Daniel autem poſtulauit à Rege, & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis Sidrach, Miſach, & Abdenago.* Innumeri erant in Babylonis regno Iudæi, & clariſſimi, & Danielis affines, ex quibus omnibus ſolos hos tres iuuenes promouit ad reg ni gubernaculum. Et cur hos, & nõ alios?
D. Hier. Ait D. Hieron. ibi: *Non obliuiſcitur eorum, cum quibus Dominum deprecatus eſt, & quiſecum periclitati fuerant. Itaque facit eos Iudices prouinciarum.* Quos ſocios expertus fue rat in virtutibus, in diſcriminibus; hos curat promoueri in præfecturas.

§. XVII.

Principis virtus in miniſtris pacatis animos bellicoſiſſimos gignit. Vbi, quod præſtantis regis cubicula faciant duces validos.

HOc mirum eſt, quod iuuenis, qui nulla certamina viderat, exercitum elegit, in campum proſilit, inimicos detriũphat. Dicit enim: *Fecit Ioſue, ſicut locutus fuerat Moyſes, & pugnauit contra Amalech,* imò glorioſum reportauit triumphum. Vnde tantus dux ſubito fit Ioſue, tam pugnax, tam triumphator? Pro huius cauſa repeto paulò ante ex Abbul. dictum: Erat
Abbul. Ioſue *Moyſi continuus miniſter*, vt habet
Exod. 33. Exod. 33. Et in pacifico obſequio tali Principi exhibito non miror, quod nobilis iuuenis fiat, & pugnaciſsimus, & feliciſsimus. De Tolonico ſub Athalarici Regis obſequio, innutrito ait Caſsiodor. lib. 8. var. 10. *Mox vt inter parentes infantiã reliquit, ſtatim rudes annos ad ſacri cubiculi ſecreta portauit, agens nõ vt ætas, ſed vt locus poſtulabat. Cuius vt cœpit ætas adoleſcere, tenerique anni in robuſtam gentis audaciam cõdurari, ad expeditionem directus eſt Sirmienſem; vt quod ab illo Marcio viro didicerat verbis, in camporum libertate monſtraret. Egit de Hunnis inter alios triumphum, & emeritam laudem primis cõgreſsibus auſpicatus, neci dedit Bulgaros toto orbe terribiles. Tales mittunt noſtra cunabula bellatores, ſic paratæ ſunt manus, vbi exercetur animus. Nutritus in otio ſo ſeruitio, laborioſa ſubegit, & quod exercitatione non didicit, virtus manu propria compleuit. Redyt ſubito ad Principem veteranus, egreſſus primæuus; vt non pacatis obſequijs, ſed armis ſemper ſtuduiſſe crederetur.* Caſsiod. Quid pulchrius? Quis hæc ſine viri nomine audiens non credat dicta de Ioſue? Is continuus miniſter Moyſi Regij cubiculi ſecreta portauit, agens, non vt ætas, ſed vt locus petebat. Inde directus in campum Amalechitas fudit, & nutritus in otioſo manſueti Principis obſequio labores belli ſuperauit, & egreſſus primæuus, ſubito redijt ad Principem veteranus. In quo glorioſa ſunt illa cantatiſsimi regis verba nimirum: *Tales mittunt noſtra cunabula bellatores*: quippe quorum apud religioſi Regis cubiculum cunabula ſunt, talibus ibi nutriũtur diſciplinis, vt in pacatis obſequijs bellicam ebibant dexteritatem, & fortitudinem. Admittit regium cubile nobilium iuuentutem, imo, & pueritiam, quæ efformetur ibi, non vt petit ætas, ſed vt petit locus. Et in ipſis pacificis, & otioſis officijs, nil molle, nil effæminatum ſentiant, ſed quod bellum ſonet, quod robur ſpiret, vt egreſsi inde, quod verbis diſcunt, in campo demonſtrent, & ante norint victorias obtinere, quam ſciuerint armorum exercitium. Hos ſemper referunt bellatores cunabula apud optimum Principem. Ea enim ſunt verba, quæ in regij cubilis penetrali tractantur, audiuntur, quibus iuuenes ſic exerceantur animis, vt inde ad certamina prodeant validiſsimi. Ad Saulis animum leniendum quærebatur pſaltes, & perductus eſt ad illum puer Dauid filius Iſai, ait enim 1. Reg. 16. *Miſitque Saul ad Iſai dicẽs:* 1. Re. 16.
Stet Dauid in conſpectu meo; inuenit enim gratia in oculis meis. Igitur quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tol-

lebat

lebat citharam, & percutiebat manu ſua, &c. Iamtunc Dauid erat vnctus in regem, qui hoſtes Iſraelis comprimeret; & mirabar ego prouidentiam diuinam, quæ puerum electum in regem bellicoſiſsimum, adducat in cubiculum Saulis, vt ibi operā nauet pulſandæ citharæ. Sidon. Apollin. dū Sid. Apo. licoſiſsimum Imperatorem effingit in Panegyr. Anthemij car. 2. ſapienter ait

At poſtquam primos infans exegerat annos
Reptabat ſuper arma patris; quanquam arcta terrebat
Lumina cerulcem, gemina complexus ab vlna
Liuida laxatis intrabat adoſcula criſtis.
Ludus erat puero raptas ex hoſte ſagittas
Feſtina tractare manu, &c.

Sic puer futurus pugnaciſsimus Imperator nutriebatur inter arma, in ludo ſagittarum; at noſter puer Dauid in palatinis luſibus nutritur, in cantu, in plectro, in choreis palatij. Cur Domine in palatinis muſicis detines puerum, qui mox deſcenſurus eſt in arenam aduerſus Philiſthæum? Cur plectris palatinis occupas illas manus, quę confeſtim opprobrium Iſraelitas debebāt exſufflare? Quid hæc educatio cū pugnaciſsimo rege? Multum ſane erat enim Saul in diuinis negligens, & ideò Deo reprobatus; at in politicis præſtantiſsimus erat, magnanimus, nihil præſeferens molle, nihil effæminatum, ſed ſemper fortia cogitans. In huius autem cubiculo puer Dauid licet palatinis plectis intentus, tamen maximè exercitabatur animo, vt nullum hoſtium congreſſum refutaret. Sunt equidem regis præſtantis cubicula pro pugnaciſsimorum virorum cunabulis. Hinc de moribundo Alexandro locutus 1. Machab. 2. 1. Mac. 1 ait: *Vocauit pueros ſuos qui ſecum erant nutriti â iuuentute, & diuiſit illis regnum ſuum.* Ecce tibi nobilis Princeps facturus pugnaciſsimos reges, qui regna ſemel parta defenderent, hoſtes propulſarent, ad vnū hoc reſpicit, nimirum, *Qui ſecum erant nutriti a iuuentute.* Cur nō placuit illos magis ab alijs facinoribus commendare? Non ne ij ſtrenui erant duces? Non ne in multis triūphis probati, in periculoſis certaminibus noti? Cur trophæa illorum, & victorias prætexiens textus ſacer, vnum ſolum de illis affirmauit, quod cum Alexandro à iuuentute fuerant nutriti? Equidem vnum hoc erat omnium facinorum præconium ſingulare, quando in cubiculo tanti Principis etiam inter ipſos palatinos ludos, non poterant non eſſe pugnaciſsimorum ducum cunabula.

Ex Exod. 24. Surrexerūnt Moyſes, & miniſter eius: Aſcendenſque Moyſes in montem Dei, ſenioribus ait: Expectate hic donec reuertamur ad vos, &c.

§. XVIII.

Ille regij miniſtri munus perfectè adimplet, qui primus in rectè factis Principis eſt, in male autem factis nullus.

NOta eſt appellatio Ioſue, qua paſsim dicitur Moyſi miniſter, & ſi enim alijs etiam vteretur Moyſes miniſtris, vt docet Serarius lib. 1. in Ioſue cap. 4. queſt. Serar. 1. tamen ſolus Ioſue illius vocatur miniſter, dum in præſenti ait: *Surrexerunt Moyſes, & miniſter eius.* Imò, & Dominus ipſe eundem hac appellatione inſignit Deuth. Deuth. 1 1. inquiens ad Moyſem: *Ioſue filius Nun, miniſter tuus.* Cur ergo vnus hic vocatur paſsim, & cenſetur à Deo miniſter Moyſis? An quia ipſe omnium primus, & præcipuus, & familiariſsimus erat Principi? Hoc crediderim, ſi tantum illum vocari miniſtrum Moyſis à popularibus audirem: at cū etiā à Deo ſic cēſeatur, inſuper putarim, quod ſic fuerit familiaris, & præcipuus Moyſi miniſter, vt in omnib⁹ rectè eius factis inueniatur primus, & vnicus; in malis autem nullus, in quo conſiſtit tota perfectio regij miniſtri. Vbi enim Amalechitæ expugnandi erant Exod. 17. ibi Ioſue adeſt Exod. 17 Moyſi; vbi in montem aſcendit Moyſes accepturus legem, ibi Ioſue; vbi in tabernaculo eſt, ſemper in ijs, & primus, & vnicus Ioſue. Vbi autem Moyſes offenſam incurrit ad aquas cōtradictionis, & priuatur à Deo ingreſſu terræ promiſsionis, ibi nulla mentio Ioſue. Num. 20. *Dixitque Dominus ad Moyſem, & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, &c.* Et cur qui nunquam à latere Moyſis diſcedebat Ioſue; in præſenti nō memoratur? In præſenti nō credebat Moyſes Deo, ſed infidelis erat; ad ſuamque infidelitatem rapuit Aaronem fratrem; ſed nō rapuit Ioſue; qui vt in præclare geſtis primus, & vnicus ei aſsidebat, in maleactis minimè inuentus eſt. Pulchrè D. Ambr. Ambr. lib. 2. Offic. 20. Inde tantus Ieſus Naue, quo⁹

quod eum non solum erudiuit ad legis scie-
tiam Moysis copula, verum etiam sanctificauit ad gratiam. *Denique cum in eius tabernaculo diuina refulgeret præsentia, & videretur maiestas Domini, solus erat in tabernaculo Iesus Naue: Moyses cum Deo loquebatur, Iesus pariter nube tegebatur sacra: Presbyteri, & populus deorsum stabant, Iesus cum Moyse ad accipiendam legem ascendebat. Cum columna nubis descenderet, & loqueretur cum Moyse, quasi fidus adstabat minister. Vbique igitur, inter admiranda opera sancto Moysi indiuiduus adhærebat. Vnde factum est, vt quod Moysi negatum est, solus eligeretur, vt populum introduceret in terram promissionis.* Expende illud: *Quod Moysi negatum est, solus &c.* Quippe Moyses mulctatus est negatione ingredie dæ terræ promissimissionis; quam mulctã Iosue euasit. Præclarus sanè minister, qui nunquam non Moysem secutus fuit, nisi vbi Moyses deliquit, & meruit repulsam. In tabernaculo, in oraculo, in mõte, in nube, vbi quid Dei, & virtutis agebatur, fidissimus Iosue ministrabat Moysi, eiusque lateri adhærebat. Vbi autem ventum est ad aquas contradictionis, propter quas Moyses incurrit offensam; & negatum est illi, vt cum populo pergeret. Ibi aliâ viâ iuit Iosue, & solus sine Moyse in via Domini stetit. Huc veniant vniuersi Principum ministri, vniuersi potentium serui; & sciant perfectissime ministrorum munus impleri, dum suos dominos in bonis sequũ
3. *Re.* 18. tur, in malis deserunt. Sic 3. Reg. 18. *Vocauit Achab Abdiam dispensatorem domus suæ: Abdias autem timebat Dominum valde. Nam cum interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane, & aqua. Dixit ergo Achab ad Abdiam, Vade in terrã ad vniuersos fontes aquarum, & in cunctas valles, si fortè possimus inuenire herbam, & saluare equos, & mulos, & nõ penitus iumenta intereant.* Vidisti, vt bonus minister Regi adest; vocatus Abdias à rege, præsto est, mãdatum velociter exequitur, omnia percurrit; vt regi morem gerat. At is tantus minister Regis, tam sedulus in mandatis eius exequendis; vbi prophetarum interfectio, & persecutio mandabatur, longissimè abfuit à regis decretis, quin potius ipse protegebat, & sustentabat prophetas. Aiebat enim Theodor. serm. 8. de
Theod. Prouid. *Regibus Abdias seruiens, & officium quoddam ab illis commissum administrans, nõ modo herilia vestigia non secutus est, sed longè aliam ab ys viam est ingressus. Nam illi contra Dei Prophetas insanientes omnes mactari præ-*

ceperant. Hic vero prophanos dominorum conatus oppugnabat, centumque Prophetas in speluncis abditos alebat. Et in ijs quidem, quibus Deus oppugnabatur, nequaquam debitum officium heris suis detulit. Verus hic minister Regum, vt multus erat in iustis præceptis, officijsque exequẽdis, sic nullus erat in impijs, & pessimis. Dũ bona peragenda erãt, & iusta; ipse primus, ipse obsequentissimus inueniebatur, etiam si vniuersa fuissent peragrãda terra. Vbi autem iniustitia apparebat, nec dominos reuerebatur, nec agnoscebat. Vtinam sic se gererent vniuersi ministri Regum, & vtinam sic liceret ministris se gerere per Reges, & dominos suos; prorsus replerentur aulæ, & domus optimis ministerijs. Ex quo extollebat Teloni cum ministrum, & Athalaricum regẽ Cas-
Cassiod. siodor. 8. var. 9. aiens: *Tecum pacis certa, tecum belli dubia conferebat rex; & quod apud sapientes reges singulare munus est, ille solicitus ad omnia secure tibi pectoris pãdebat arcana. Tu tamẽ nullos responsis fallebas ambiguis. Amasti in audiendo patientiam, in suggestione veritatem: sæpe quæ ad eum falso peruenerant, recti studio corrigebas, & quod rarum confidentiæ genus est, interdum resistebas contra vota principis, sed pro opinione rectoris. Patiebatur enim ille inuictus prælijs pro sua fama superari, & dulcis erat iusto Principi rationabilis contrarietas obsequentis.* Nullis alijs possit describi optimus rex, & optimus eius minister. Rex optimus ille est, cui dulcis est rationabilis contrarietas obsequentis, per quem licet ministro repugnare ijs, quę cõtra famam regis faciunt. Optimus autẽ minister ille est, qui in omnibus prõptè obsequens, in erroribus oblectatur.

§. XIX.

Minister bonus vni studet laudi Principis sui, nõ sibi.

DIcit textus, *Surrexerunt Moyses, & minister eius, &c.* Non dicitur nomen, nec exprimitur persona ministri, sed solũ dicitur *Minister eius*; quasi in illo nihil particulare, nihil suum proprium suum esset. Alias sæpe dicebatur *Iosue filius Nun minister Moysis*; nũc nomen Iosue tacetur, nec nomen patris eius auditur, sed solũ dicitur Moysis minister. Et cur prætermissis Iosue, patrisque eius nominibus, solũmodo vocatur minister Moysis? Crediderim in

hoc oſtendi præſtantiam tanti miniſtri, qui nihil ſibi arrogabat in miniſterio exhibito, ſed totum ſe effundebat in laudē Domini ſui, vt laudaretur, & commendaretur
Pſal. 135 Princeps. Pſalm. 135. locutus de miniſterio aſtrorū dicebat, *Qui fecit luminaria magna; quoniā in æternum miſericordia eius. Solem in poteſtatē diei. Lunam, & ſtellas in poteſtatē noctis, &c.* Quæ verba Manichæi legentes indignè ferebāt, quòd pulcherrimus orbis Sol inter alias creaturas annumeraretur; multumque iniuriæ eius pulchritudini inferri putabant, niſi ſolitariè vt numen coleretur. Nonne adeò benefico, & ſplendido iubari iniurius eſt, qui illi ſupra omnes creaturas aliquid diuinū non aſſerit? Abſit hoc à mente rationali, vt enim Sol creatus in miniſterium fuit, nihil ſibi Domini arrogat, ſed ſolum amat ſui Principis laudem.
D. Aug. Pulchrè ad hæc D. Auguſt. lib. 14. aduerſus Fauſtum cap. 11. ait: *Solem, & Lunam vera laude laudauit, & in cœleſti ordine ad peragenda opera collocatos ita narrauit, Solem in poteſtate diei, Lunam in poteſtate noctis. Falſis autem veſtris laudibus Sol, & luna non gaudent. Diabolus nouit falſa laude gaudere, prævaricatrix creatura. Poteſtates vero cœlorum, quæ peccato non lapſæ ſunt, artificem ſuum in ſe laudari volunt; quarum illa vera laus eſt, qua creatori illarum non ſit iniuria. Fit autē, cum dicitur, quòd partes eius ſint, aut membra eius, aut aliquid ſubſtantiæ eius.* Quid pulchrius? Conueniant hùc ambitioſi principum mūdialium miniſtri; qui cum miniſtri ſolummodo ſint, amant haberi veri Principes: ſic amant prædicari, quaſi ipſi à ſe verè potentes vel ſupra Dominos ſint, ſanè hoc diabolus facit, prævaricatrix creatura; nō enim miniſtri, ſed prævaricatoris eſt, quod Domini proprium tibi aſſumas. Cœleſtes autem animi, & qui à bono ſunt, nihil magis amant, quā ea facere, quæ laudētur in Principe; & eo nituntur, vt nihil in ſe Principis oſtendant, ſed vt quidquid poſſunt, illius ſit. Prævaricatrix illa diaboli natura, vbi in miniſteriū creata eſt, ſtatim audet,
Iſai. 14. & dicit Iſaiæ 14. *Super aſtra exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo,* vt iam nō miniſter, ſed aptiſsimus cenſeretur princeps. Bo
Apoc. 19 nus autem ille ſpiritus Apocal. 19. adoratorem repellit dicens: *Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum.* Sic nihil Principis ſibi arrogat, & in conſeruorum recenſet numero. Proh Deus, quam longè inter ſe differunt, & natura cœleſtis, & prævaricatrix natura! Quæ prævaricatrix eſt, alienis inhians eò tendit, vt ipſa videatur dominari per ſe, non per alium ipſa. Cœleſtis autem natura adeò ſe intra ſui miniſterij metas colligit, vt in ſe tantum velit apparere, & gloriā, & laudē ſui Principis. Primus ille homo, cui rerum adminiſtratio cōmiſſa fuit tanquā Dei miniſtro, vt audiuit Gen. 2. *Eritis ſicut Dij*, miniſteriū detrectauit, & voluit cenſeri ipſe abſolutus Princeps. Non ſic Putipharis famulus Ioſeph, qui vocatus ad torū domini ſui, tāquā à certiſsima ruina aufugit etiam pallio relicto,
Gen. 39. Cur fugis adoleſcens? Ait Theod. *Geneſ. 39*
ſer. 8. de Prouid. *Quæ à mei officij iure excepta ſunt, nō tāgo; nec Adamū progenitorē imitor, qui cū omniū plātarū principatum accepiſſet, in eā tamē manū extēdit, quæ ſui iuris, & dominij nō erat.* Fideliſsimus miniſter cœleſti plenus ſpiritu, miniſtri metas noluit tranſilire; nihil proprium Domini voluit aſſumere: in hoc ab Adamo diſpar, qui affectauit non ſua, & in throno Principis ſui ſplēdere cōcupiuit. Sed in hoc erat prævaricatrix natura, in illo inſederat cœleſtis ſpiritus. *Theodore.*

§. XX.

Qui Dei ſpiritu agitur mandata ſolet prævenire operibus.

ADhùc nota illa verba textus: *Surrexerunt Moyſes, & miniſter eius, &c.* Ex quibus ſupponimus, quòd Moyſes ſimul, & miniſter eius aſcenderint in montem. Sed ſupra Exod. 24. in principio di-
Exod. 24. cebat Dominus ad Moyſem: *Aſcende ad Dominum tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta ſenes ex Iſrael.* Dicitur Moyſi, vt aſcendat in mōtē cū Aaron, cū Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta ſenioribus; nulla ibi mentio Ioſue. Et quando Ioſue etiam aſcendit, cur non memoratur inter aſcenſuros? Cur non dicitur Moyſi, vt & Ioſue aſcendat? Is erat Ioſue, qui non egeret mādatis, vt ardua montis aſcendat, ipſe enim guſtans diuinū ſpiritū, ſuapte perficit quę Dominus illi iniungeret. Hinc extollebat
Caſsiod. 8. var. 10. Tolonicum familiarem *Caſsiod.*
regis Athalarici inquiens: *Cum ipſo prælia, cum ipſo negotiorum æquabilia diſponebat Rex, & in tantā ſe ſimilitudinē eius cogitationis Tolonicus adiūxerat, vt cauſis recognitis, quod ille velle poterat, iſte ſua ſpōte peragebat.* Sic bonus ſeſe inſinuarat regis ſui præcordijs, vt mandata operibus præueniret, & ipſe ſpōte ageret ea, quæ ille mādare potuiſſet. Sic Dei noſtri familiares, qui illius ducuntur ſpiritu, non expectant mandata; ſed vel antequàm Deus vocē emittat, mandata euuliget, iam ipſi ſponte efficiunt, quæ alij man-

datis

datis conſtricti. De Iobo cap. 1. dicitur:
Iob 1. *Conſurgensque diluculo offerebat holocauſta per ſingulos. Dicebat enim, Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* Duo faciebat vir ſanctiſsimus, quæ nõ videbãtur eſſe illius temporis; alterum, dum holocauſtum offerebat, quod fuit legis Moſaycæ inuentum; alterum, dum præcauebat in ſuis peccata cordis intrinſeca, quod magis pertinebat ad legem Euangelicam: dicebat enim Matth. 5.
Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Ecce tibi vt Ieſus Dominus vſque ad concupiſcentiam cordis declarat extendendam legem. Cur ergo Iob facit ea, de quibus externam legem non habet, nec traditã ſcriptis, nec voce externa declarat? Equidem vt familiaris erat Deo, plenuſque diuino ſpiritu, ſic ſe inſinuarat cordi diuino, vt ſponte perageret, quæ ille volebat externa, & mandata eius operibus præueniret. Quippe qui in corde digito Dei ſcripta habebat quæ Deus exterius alijs erat imperaturus. Ait Chryſoſt. hom. de Iob, & Abraham:
Chryſoſto. *Iob apparet Spiritu Sancto edoctus: Nondum erat lex, & longè ante Euangelij prædicationem præceſſit: Et legem ſeruant ſacrificando, & Euangelium cum cogitationibus certando. Vitulum enim ſacrificabat, quaſi legem videns, & de internis cogitationibus ſolicitus erat quaſi Euangelium ſpectans: Dicebat enim Iob: Ne forte filij mei mala cogitarint in corde ſuo. Quis enim legem poſuit cordi, niſi qui dicit alibi: Qui viderit mulierẽ, vt concupiſcat, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo?* Sic vir Deo familiariſsimus, edoctus à diuino ſpiritu ante vllius legis externam auditionem, ſpõte ſua faciebat omnia, quæ poterat Dominus præcipere: & oſtendebat mundo, quàm parum egeant legum vocibus ij, qui agũtur diuino ſpiritu, & in diuinam familiaritatem ingrediuntur.

§. XXI.

Principes malè gradientes, & hypocritæ exitiales ſunt Ieſu.

AScenderunt itaque Moyſes, & Ioſuè in montem iuxta illud: *Aſcendensque Moyſes in montem Dei, &c.* Qui mons dicebatur Horeb ob ſiccitatem, & ariditatem, & ob rubos, & ſentes, quibus horrebat, Sinai dictus eſt. Et cur Moyſes Ieſum filiũ Nun ducit in mõtem ſentibus, & ſpinis horrentem? Ibat Moyſes excepturus legem, adumbrans eos, qui legis obſeruandæ duriori zelo proximos in afflictiones impellunt; & vbi ſic lex prætenditur, nõ miror, quòd Ieſus in tribulos, & ſpinas eat. Sic Serarius noſter lib. 1. Ioſue cap. 4. quæſtione 5. prope finem putat, ibi diuiniſsimi Ieſu afflictiones denotari, vt à Principibus Sacerdotum, prætextu obſeruãtiæ legalis, ſpinis obſitus fuit in caluariæ monte tractus, atque raptatus. Proh Deus immortalis, vbi ferales Principes perſonam induunt obſeruantiæ legalis, quàm per tribulos, & ſpinas Ieſus reptatur! Numer. 22. *Videsne* Num. 22.
rem Balac filius Sephor, omnia, quæ fecerat Iſrael Amorrhæo::: Miſit ergo nuntios ad Balaan filium Beor ariolum, qui habitabat ſuper flumen terræ filiorum Ammon, vt vocarent eum, & dicerent: Ecce egreſſus eſt populus ex Ægypto, qui operuit ſuperficiem terræ ſedens contrà me. Veni igitur, & maledic populo, &c. Ecce tibi Balac rex, vt perdat populum Iſrael, non mittit ad duces, nõ conuocat militarium principum auxilia, ſed ad principem mittit ariolum, qui maledictionibus impetat Iſraelem. Cur non magis arma petit, falcatos currus, militũ manum? Cur ijs demiſsis amat Principem vocare ariolum, qui nõ ſtricto gladio, ſed religione benedictionis vtatur? Sciolus homo vt perdat populũ Ieſu, ipſumque Ieſum perdat in populo ſuo; Principes quærit, qui non ſtrictis gladijs, ſed ſimulata vtantur religione, ij enim validiſsimi ſunt, vt Ieſu populum perdant funditus. Ait Orig. hom. 14. in Num. Origen.
Balac, qui excluſio, & deuoratio interpretatur, & ipſe perſonam habere intelligendus eſt vnius alicuius ſpiritum mundi contrariæ poteſtatis, quæ excludere, & deuorare cupiat Iſrael, non eũ, qui ſecundũ carnem eſt, ſed eũ, qui ſecundũ ſpiritũ. Volens ergo poteſtas iſta cõtrariã deleri, & penitus extingui ſpirituale Iſrael, non alys vtitur miniſtris niſi Pontificibus, & Phariſæis, ij ſos inuitat, ipſis mercedẽ promittit. Illi vero, ſicut iſte Balaan facit, ſimulãt ſe cuncta ad Deũ referre, & zelo Dei agere. Dicũt enim: Nos legẽ habemus, & ſecundũ legẽ debet mori. Sic vt perdat filiũ Dei, vt perdat Iſraelẽ, vt perdat Ieſum, ad Principes cõfugit, qui in faciebus ſuis, legũ iuſtitieque obſeruãtiã prætendãt; ij enim eas perſecutiones mouẽt in populũ Dei, in ipſum Ieſum, quę lõge ſuperãt illas, quas feraliſsimi tyranni mouerunt. Hinc Mat. 24. locutus de vltimis tẽporibus ait: *Erit tũc tribulatio magna, qualis nõ fuit ab initio mũdi, vſq; modo, neq; fiet.* Cui tribulationis magnitudinẽ explicas Iauenus in ſuo Matt. 24. Iauenus

opere aureo ad Euang. ser. 1. ait: *Erit maior præsura, quàm unquàm fuerit in mundo; maior quàm tyrannorum, & hæreticorum fideles persequentium, & quàm hypocritarum: & hæc erit persecutio Antichristi.* Ad tria genera reducit vniuersas fidelium persecutiones; nimirum, quæ excitatæ sunt à tyrannis, & hæreticis, & quæ excitæ sunt ab hypocritis, & quæ excitabuntur ab Antichristo. Hę proculdubio super omnes persecutiones erunt. Sed quæ ijs proximæ sunt, hæ sunt quæ ab hypocritis excitantur. Ab ijs vincuntur quæ à Nerone, Domitiano, Caligula, & feralissimis hæreticis excitatæ sunt. Non equidem Nero, non Caligula, non furor hæreticus sic exitiales sunt populo Dei; vt est exitialis hypocrita Princeps, qui sub religionis prætextu machinatur perditionem fidelium. Vnde minabatur Iob cap. 34. *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Vbi enim Deus sese armat aduersus impudẽtissimos peccatores, non Turcam illis permittit, nõ Saporem, Non Caligulam, non Neronem, sed Principem hypocritam; hic feralior omnibus est, & aptior ad explicãdum Dei furorem. Ait Nicetas in cat. Græca: *Diuina est prouidentia, eum, qui aspectu, atque specie ementitur virtutem, permittere, vt rex declaretur; idque propter populi, cui animaduersione, & disciplina opus est, improbitatem. Quẽadmodum alibi dixit: Dedi eis regem in ira furoris mei.* Quippe cum Deus in ira furoris sui parat carnificem, & exterminatorem rebelli populo, illi permittit Principem hypocritam.

Iob 34.

Nicet.

§. XXII.

Legalis rigor nisi leniatur benignitate, & mansuetudine Principis, non durabit Respublica.

DVm ait textus: *Ascendensque Moyses in montem Dei, &c.* Sic id intelligendum est, vt non solus, sed cum Iosue ascenderit. Cum autem nihil sit dictum à Deo de Iosue ascensu, cur Moyses illum secum fecit ascendere? Sapienter vbi ascendebat montem excepturus legem, secum ducit Iesum Naue, in cuius nomine suauitatis vnguentum parabat rigoribus legalibus; nisi enim rigor legum, benignitate mansuetudineque Principis condiatur, vix poterit Respublica durare. Solemne est apud omnes expositores scripturæ per aquas multas intelligi populos multos, de quarũ congregatione locutus Psal. 103. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus.* Nec enim otiosæ manus attribuuntur mari, sed vt illis recipiat, quo viuat, perseueretque in rerum natura. Sed quæ vocantur maris manus? Sunt maris manus, & brachia, quæ per flumina extenduntur, eorumque dulces aquas recipiunt. Vt inde appareat, quàm necessaria est dulcedo, & benignitas multitudini, vt possit consistere. Ait Theophilus Anthiochenus lib. 2. ad Autolicũ: *Cæterùm mũdus comparatur, verissima ratione, mari. Quemadmodum mare, ni subinde scaturiret, & experiretur fontium, fluminumque secundum influxum, & alimentum caperet ex salsugine sua vsque dulcibus aquis diluta, iam dudum intercidisset: Sic, & mundus, ni haberet leges, & Prophetas manantes, & scaturiẽtes dulcedinem, misericordiam, iustitiam, & doctrinam sanctorum Dei præceptorum, propter peccatum, & malitiam, quæ duo in eo potenter, & copiosè regnant, certè iam dudum interyisset.* Itaq; vt mare sale suo nõ arescat & ceteretur, faciunt aquæ fluminum dulces, quotidie dilapsæ in illud; sic ne mundus, & ne Republicarum politia legũ suarum rigore pereat, facit etiam dulcedo, & mansuetudo Principis. Quæ extaret Respublica, si legum rigor non molliretur, & misericordia, & mansuetudine? Vt flumina dulcia influentia in mare, illud seruant, ne arescat sale suo: sic in Republica necessarij sunt siue Prophetæ, siue Sacerdotes, siue fontes alij clemẽtiæ, qui scaturiant dulcedinem, qua emolliatur legum rigor. Halat equidẽ dulcedo, & mãsuetudo vitam regnis, vrbibus, principibus. De Moyse ait Deuth. 34. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino, & sepeliuit eũ in valle Terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrũ eius vsque in præsentẽ diẽ.* Sepelit Dominus Moysem in vallis Moab certa & determinata parte, nimirũ in ea, quæ est contra Phogor; & nihilominus homines eius sepulchrũ cognoscere minimè potuerũt. Sed vnde fieri potuit, quòd audientes sepulturæ locum, illũ nõ inueniãt, nec cognoscãt? Erat Moyses adeò mãsuetus, tã taq; dulcedine tẽperabat legis, supplicioruũque rigores, vt mansuetudo eius prorsus obliteraret in eo vestigia mortis. Ait de illo D. Ambr. lib. 2. offic. cap. 7. *Meritò æstimatus est supra homines, & vt vultũ eius nõ possent intẽdere, & sepulturã eius nõ repertã crederẽt, quia sic sibi totius plebis mentes deuinxerat, vt plus eũ pro mãsuetudine diligerent, quã pro factis admirarentur.* Expende illa: *Et sepulturam eius non repertam crederent, &c.*

Psal. 103.

Theoph.

Deuth. 34.

D. Ambr.

Rapti

rapti enim viri dulcedine, & manſuetudine, non habebant mentem, quæ ad eius ſepelturam attenderent, & ægrè credebant ſepultum, ſed ſemper reputabant viuentẽ. Eſt enim hoc manſuetudinis proprium; quod regna, & Principes æternet. Nec valet Principi eſſe damnoſum, quod illũ clementem oſtendit, & facit. Putabant Hæretici iniuriam irrogari Deo, ſi crederetur mortuus, & ſepultus. Aduerſus quos ait Theodotus homil. de Natiuit. in Append. 5. Concil. Epheſ. cap. 2. *Nihil horum, quæ liberant hominem, iniuriam Deo facit. Quæ oſtendunt non paſsibilem, ſed clementem.* Et claui, & lancea, & crux, & mors ipſa vbi oſtẽdunt clementem Deum, putantur à Theodoto illum minus gloriosè paſsibilem non oſtendere. Clementia namque potius facit Principes impatibiles, immortales.

Theodot.

§. XXIII.

Non excedit ſanctorum hominum vires, quod ſuperent famem amore virtutis.

ABijt in montem Moyſes, vt dicitur ibi: *Aſcendensque Moyſes in montem Dei, &c.* Et cum illo noſter Ioſue, vterque Deo intentus, vterque immemor commeatus, & potus, cibi ve prorſus curam abijciens, ne deſinant Dei vocationem ſectari. Eſt enim hoc proprium ſanctorum virorum, quod, & vitam, & victũ virtutis, Deique amore ſciant ſuperare. Matth. 4. etiam noſter Ieſus quadraginta diebus ieiunauit, & poſtea eſurijt, vt autem eſurientẽ vidit diabolus accedens ait: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant, &c.* Non miror quod impudẽtiſsima bellua diaboli in eſurientem audeat, vt tentet, an ibi diuinitas lateat. Sed illud valde miror, quod cum ſe videat repulſum ab eſuriente, adhuc molliatur aliam tentationem, aiens: *Si filius Dei es, mitte te deorſum?* Cur adhuc quæris, ſi filius Dei ſis? Cur non magis conuinceris illum Deum eſſe, a quo eſuriente victus iaces? Siquidem te eſuriẽs deuicit, nec ceſſit fami, iam non ſe filium Dei oſtendit in eo; cur adhuc inſtat quærens de eius diuinitate? Vidit equidem ſe ab eſuriente victum, ſed inde non ſatis colliget illum eſſe Deum, quãdo, & ſanctus homo ex Dei gratia id etiam habere debeat, vt minimè famicedat, ſed illam ſuperet pro virtute, & Deo. Ait D. Thom. in cat. ex Chryſoſtom. *Cum ex præmiſſo Chriſti reſponſo nihil certum diſcere diabolus potuiſſet, vtrum Chriſtus Deus eſſet, an homo, aſſumpſit eum ad aliam tentationem dicens apud ſe: Iſte qui fame non vincitur, & ſi filius Dei non eſt, tamen ſanctus eſt: valent enim homines ſancti fame non vinci.* Duriſsimum quidem eſt famis bellum, & quod plurimos perdit; ſed haud dubium, quin in illo, & Chriſti ſectatores emineant, dum minimè fami cedunt, ſed in fame, & ſiti, in tormentis, & morte fortiter pro Deo ſe gerãt. Pauper erat Ieſus, & cum piſcatores vocat Matth. 4. *Illi relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Cur relictis retibus? Retia inſtrumenta erant pro victu quotidiano parando. Cur ergo ſecuti Ieſum nõ magis victum neceſſarium memorant? Cur demittunt artem, quæ neceſſarios parabat cibos? Iam virtute Chriſti imbuti, parati accedunt, & ipſam famem contemnere; dimiſſuri namque vitam pro Deo, non durum reputant, quod, & victum depellant. Pro quo eleganter Tertul. lib. de Idololatria fatur: *Nemo eorum, quos Dominus adlegit, Non habeo dixit, quo viuam. Fides famem non timet. Scit etiam famem non minus ſibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus. Didicit non reſpicere vitam, quanto magis victum?* Vt ſanctorum eſt hominum pro Deo vitam contemnere, ſic illorum eſt victum deſpicere, fami non cedere. Huc conueniant fœminæ, virique qui prætextu depellendæ famis ſeſe luxuriæ tradunt. Quanta eſt malitia, quæ non parcit victui propter Deum, quando tenemur, & vitæ parcere? Hinc Ieſus Matth. 4. *Ductus eſt in deſertum â ſpiritu, vt tentaretur â diabolo: & cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtea eſurijt.* Quod notans D. Chryſoſt. hom. 13. in Matth. ait: *Multos ſtultorum nunc etiã audire poſſumus, qui dicant mala propter ventrem innumera committi; ſed Chriſtus oſtendit, quod amatorem virtutis nihil tyrannus iſte indecens facere compellat. Denique, & eſurijt, & non obediit imperanti, &c.* Quippe amator virtutis nouit eſurire, & non obedire dæmoni.

Matth. 4.

D. Thom.

Tertull.

Matth. 4.

D. Chryſ.

Exod. 32. Reuerſus eſt Moyſes portans duas tabulas teſtimonij, &c. Audiens autem Ioſue tumultum populi vociferantis dixit ad Moyſem: Vlulatus pugnæ auditur in caſtris. Qui reſpon-

dit. Non eſt clamor adhortantium ad pugnam: ſed vocem cantantium ego audio.

§. XXIIII.

Temporalia feſta, & bona, & delitiæ bellum attrociſsimum in ſe continent, quo ſuos aſſeclas perimant.

QVæ verè erant Choreæ, & ludi, & cætus populares, vt Moyſes dicit; Ioſue viſi ſunt tumultus pugnæ: Ait enim; *Vlulatus pugnæ auditur in caſtris.* Dum Moyſes, & Ioſue fuerant in monte legem excipientes diuinam: populi perteſsi moræ vitulum adorant, cui feſta, & choreas, & cantus dedicant. Quorum tumultum à longè percipiens Ioſue reputat illum vlulatum eſſe pugnæ; & quidem verè; omnia enim mundi feſta, vniuerſæ mundiales delitiæ nihil magis in ſe continent, quam bellicas ſtrages, & ruinas. Loquens Ierem. cap. 5. de mundialibus hominibus dicebat: *Pertuſit eos Leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum, &c.* Singulis animalibus ſingulas appoſuit circunſtantias; vt dicat pardum vigilantem, & lupum ad veſperam, & leonem de ſylua. Quod lupus ad veſperam, & pardus vigilans nocentiores inde exprimantur, commune eſt. At in Leone cur ſolum poſuit, quod ſit de ſylua? Quid maioris dãni habet Leo, cum eſt de ſylua, quam ſi de deſerto, & ſterili ſolo eſſet? In leone, & ſylua aliquid inſidiarum metuo, quibus pereant imprudentes. Suat enim ſyluæ ad maximam hominum voluptatem; in illis enim nihil non ſuaue, & delectabile homines aſpiciunt, cum vmbris arborum fruuntur, cum frondentes viridanteſque ramos ſpectant. Sed væ miſeris, latet anguis in herba, latet Leo in ſylua; & cum amænitate raperis, & ſuauitate nemoris raperis, ecce Leo rugit, & tota illa ſpecioſitas arborum conuertitur, & vere fit mortis obſcuritas. Sicclnè ſunt vniuerſæ mundiales delitiæ, cũcti voluptatum Paradiſi, ſic apparent quaſi ſuauitates aſpirent, & ſic afficimur ad illas, quaſi ad placidiſsima nemora, quaſi ad frondoſas, & viridantes ſyluas; ſed plenæ ſunt leonibus, qui nos perdant, plenæ ſunt bellicis ſpiculis, quæ mortẽ inferant. Explico rem exemplo pulcherrimõ petito ex hiſtoria Francorum, quando validiſsimus hoſtium exercitus venit contra Clotarium regem puerum. Tunc ex parte pueruli regis obuiam itur inimico. Quid tunc? Rem narrat Aimoinus lib. 3. cap. 81. inquiens: Intempeſta nocte ſurgens Clotarij exercitus, Landerico ducente eſt ingreſſus ſyluam. Qui arrepta ſecuri ramum præcidit arboris, ſuſpenſumque tintinnabulum collo equi, cui inſidebat, ferens, hortaturque ſocios, vt ſuũ omnes ſequerentur exemplum. Qui certatim arborum præciſsis ramis, arreptiſque vna tintinnabulis, matutini, hoſtilibus adſiterum caſtris. Sed vnus hoſtium, qui cũ ſocijs prætendebat munia vigiliarum, clara necdum luce eos conſpiciens aduentare, & rem prorſus ignorans, conuerſus ad ſocium; Quænam eſt hæc, ait, quam contemplor, ſylua, cum heſterno tempore hic nulla apparerent vel minima virgulta? Cui ſocius: Tu, inquit, pridianas adhuc ructãs epulas, vinoque ſolutus obliuioni mandaſti, proxima ſaltu, & opportuna, nos equis noſtris inueniſſe paſcua: *Dum igitur vigiles hos inter ſe ſerunt, ſermones, ſylua quæ prius apparuerat condenſa, decidentibus ramis, frondequidem rariſsima, ſed armorum nitore videbatur denſiſsima. Cæſi multi, &c.* Quid pulchrius? Sic ſic prorſus omnes mũdiales delitiæ, vniuerſi voluptuoſorum ſunt Paradiſi; quos homó putas Paradiſos voluptatis, quas credis viridantes florenteſque delitias; quæ mundi bona ſeſe tibi frondoſis comis obijciunt, tandem depulſis ſolijs, erunt *fronde quidem rariſsima, ſed armorum nitore denſiſsima.* Decident rami, apparebunt ſpicula, quæ non moueant riſum, ſed vlulatum extorqueant attrociſsimæ pugnæ. Eu mundiales delitiæ, quis hæc in vobis videat, & non à vobis fugiat, & ſterilitatem amplectatur, & paupertatem Chriſti: Luc. 16. Homo quidam *induebatur purpura, & epulabatur quotidie ſplendidè.* Inde autem raptus in infernũ, cum eſſet in tormentis, vidit pauperculum Lazarum in Abrahæ ſinu, & cepit clamare, & dicere: *Pater Abraham mitte Lazarum, vt intinget extremum digiti ſui in aquã, vt refrigeret linguã meam.* Paulo ante pretioſiſsimis abundabat vinis, quibus quotie, & menſæ, & calices pleni erant; cur non magis recordatur illorum? Cur non magis ſibi petit dari de pretioſis potationibus ſuis antiquis? Cur ad vilem tantum pauperis aquam modo anhelat? Decíderant iam rami mundialis ta-

Ierem. 5.

Aimoin.

Luc. 16.

bernæ

bernæ, in qua fuerant pretiosa illa, & quotidi na vina; decisisque ramis, flammarum æternarum inde sentiebantur spicula, quæ licet sero miser refugit, & odit, & ad odiosam illam paupertatem confugit, in qua videt refrigeria æterna venire. Ait D. Zeno serm. de Resur. *Cupit mortuus vel vno digito, illis contingi manibus, quibus stipem denegauerat viuus, odit iam, quod antea sic causa amauerat, probat fœlicius esse, quod oderat.* Expende illud: *Odit iam, &c.* Et cur oderit, quę sic antea illi videbãtur amabilia? Deciderãt voluptatum rami, deciderant frondosarum comarum vmbræ; apparuerant flammantia spicula, quæ è prætereuntibus voluptatibus contorquebantur aduersus miserum. Et meritò odit ramos, qui tot ardentia iacula abscondunt; amat penuriam Christi, è qua æterna gaudia paturiuntur. D. Zen.

§. XXV.

Mundialia Idola nil nisi ruinam, & calamitates pariũt cultoribus suis.

IN vituli dedicatione, & eõuiuia, & chorææas agebant Israelitæ, quorum voces percipiens à longe, & confuse Iosue, ad Moysem dixit: *Vlulatus pugnæ auditur in castris;* sanè præclarus vultur in exercitu ludentium præsagiebat iam, imò odorabatur occisionem vicinam. Quid enim Idola mũdi citius afferant suis quam vulnerũ gemitus, quam extremam ruinam? Dauid 2. Reg. 5. vidit potentissimum exercitum Philisthinorum contra se. Quid tũc? *Consuluit autem Dauid Dominum; si ascendam cõtrà Philisthæos, & trades eos in manus meas?* Qui respondit: *Non ascendes contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum, & cum audieris sonitum clamoris gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat castra Philisthiim.* Erat ibi lucus ex pyrorum arboribus densissimus, ad quem Dauid mittitur à Deo, vt inde in prælium exeat, Philisthæos sine dubio perempturus. Et cur necessum fuit, quod à pyrorum luco exiret, vt perimeret Philisthæos? Ait Carthus. ibi: *Venies ad eos ex aduerso pyrorum, id est, arborum talium sub quibus posuerunt Philisthini Idola sua, in quibus sperabant: propter quod voluit Dominus, vt inde ab illa parte impugnarentur.* Scatebat lucus ille aris Idolorum plenis, quibus fidebant Philisthini; & meritò hostiles, & contrarios exercitus inter illas aras parari iubet Deus, & quod inde prosiliant in victorioso certamen, cum Philisthinorum strage; vt clare pateat, quid parian Idola suis cultoribus. Sanè ex Idolorum aris certius contorquentur iacula, quæ sectatores illorũ miserè mactent. Quid homo speras ab Idolis, quæ colis? Exercitus inde hostiles salient, sub quorum telis cadas. Rem explicat historia maximi ducis Decij, qui aduersus Gothos pugnabat. De cuius cõflictu agens Iordanus Episcop. Rabenæ lib. de rebus Geticis ait: *Venientes ad conflictum illico Decij filium sagitta sauciam crudeli vulnere confodit. Hostes inuadit Decius aut mortem, aut vltionem filij exposcens, venienſque ab arrupto Masiæ ciuitatem circũseptus à Gothis, & ipse extinguitur, imperij finem vitæque terminum faciens. Qui locus hodie Decy Ara dicitur, eo quod ibi antepugnam miserabiliter Idolis sacrificarat.* Itaque locus, vbi perditur funditus Decius Ara Decij vocatur; quia ibi Idolis sacrificarat, vt notum sit omnibus nil propinquius quam perditionem cultorum suorum venire ab Idolorum aris. Dan. 3. incensa fuit fornax, in quam missi sunt tres Hebræorum pueri; cuius flamma *erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem; & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventũ roris flantem, & non tetigit eos, &c.* Chaldæi ignem adorabant, Hebræi talem adorationem abominabantur, nihilominus ignis Chaldæos perdit, Hebræos seruat, sic enim mundi Idola cultores suos destruũt, spretores autem honorant. Quippe ait Theodor. serm. 8. de Prouid. *Ignis ferreas vincula dissoluit, ipsos vero seruauit incolumes, nec ausus est datum sibi alimentum contingere, quin fugit, & terga dedit, ac proprios inuasit cultores, Dei vero seruos illæsos custodiuit.* Expende ab illis: *Proprios inuasit cultores;* quippe hoc primum inuenitur in mundi idolis, quod suos inuadant cultores, eosque miserè perdant; Dei autem seruos honoratos dimittãt. De Senacherib ait Isaias cap. 37. *Cũ adoraret in templo Nesroch :: filij eius percusserunt eum, &c.* De quo D. Hieron. in Naum cap. 1. *De domo Dei tui interficiam; inde punieris, vnde sperabas auxilium. Erit sculptile sepulchrum tuum, vt inter aras adorantis idola sanguis nefarius fundatur.* Sic ibi. 2. Reg. 5. Carthus. Dan. 3. Theod. Isai. 37. D. Hier.

***

§. XXVI.

A conuiuijs, & compotationibus in diſſenſiones itur, & rixas.

QVos Ioſue putauit vlulatus pugnæ, Moyſes aſſerit eſſe epulantium clamores, ait enim: *Vocem cantantium ego audio.* Septuag. legunt: *Vocem præcinentium vinum ego audio.* Serarius autem lib. 1. in Ioſue cap. 5. quæſt. 4. putat legi poſſe: *Eſt vox afflictionis.* Et miratur qualia ſint plena vino conuiuia; vt quæ afflictiones pariant, & pugnas, & rixas. Et quando non temulentorum conuiuia ſuccedunt rixæ? De Alexandro Iudæorum ante Herodem Rege locutus Egeſippus lib. 1. cap. 9. ait: *Hos debellandi ſucceſſus domeſtica ſeditio interpolauit, & orta de conuiuijs vſque ad bellum contentio proceſsit. Familiari peſte huiuſmodi Iudæorum viris, vt de epulari ludo ſeſe in arma excitent.* Hic eſt finis compotationum, & conuiuiorum, vt inde ſurgatur ad lites, ad reditiones, ad apertiſsimas pugnas & cedes mutuas. Quò reſpiciens Dominus Ierem. cap. 13. ſic minabatur populariſuis: *Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, & reges, qui ſedent de ſtirpe Dauid ſuper thronum eius, & Sacerdotes, & Prophetas, & omnes habitatores Ieruſalem, ebrietate; & diſpergam eos virum â fratre ſuo, & patres, & filios pariter, ait Dominus.* Ecce tibi vt diſſenſiones, & pugnæ introducantur inter fratres, inter patres, & filios, quid minetur Dominus; nimirum: *Implebo omnes ebrietate;* hoc eſt, me geram cum illis, quaſi cum ijs, qui currũt ad compotationes, qui currunt ad vina, vt abundanter, & ſine mẽſura bibant. Qui temulenti, & ebrij irrecõciliabiles agũt pugnas fratres aduerſus fratres, aduerſus patres filij. Sic ſic ſceleſti homines in ſupplicium ſuorum facinorũ permittuntur à Deo effrænes ire in domos cõuiuij, ibique frequenter impleri vino. Ad quid hoc? Ait D. Hieron. ibi: *Cum ebrij fuerint, diſperguntur à ſocietate ſui, patreſque à filijs, & filij a patribus ſeparantur, vt diuerſis polluantur hæreſibus, & ſub Chriſti nomine inter ſe digladientur, & dimicent contra matrẽ Eccleſiam.* Et quæ bella non naſcantur à compotationibus ſine menſura, & temulẽtorum conuiuijs.

Septuag. Serar.

Egeſipp.

Ierem. 13

D. Hier.

Exod. 33. Cum ille reuerteretur in caſtra, miniſter eius Ioſue filius Nun puer non recedebat de tabernaculo.

§. XXVII.

Iuuentus religioſa in templorum cultu virum diuiniſſimum oſtendit.

POſt deſcenſum à monte Sinai religioſiſsimus iuuenis Ioſue cuſtodiendo præficitur tabernaculo, quod Moyſes extra caſtra poſuerat pro Deo exorando. Ibi noctu, diuque conſiſtens nobilis iuuenis, & precationi aſsiduus, & totus intentus erat, vt digne ibi Deus coleretur, adeò, vt de illo dicatur, *Ioſue filius Nun puer non recedebat de tabernaculo.* Quantum hoc erat in iuuene Ioſue? Forſan inde in illo diuinam quandam, & ſuper alios homines præſtantiam poſſemus admirari. D. Auguſt. lib. 18. de ciuit. Dei cap. 3. ait de rege quodã: *Phegons tamen frater huius Phoronei iunior, cum eſſet mortuus, ad eius ſepulchrum templũ eſt conditum, in quo coleretur vt Deus, & ei boues immolarentur. Credo honore tanto ideo dignum putarunt, quia in regni ſui parte, iſte ſacellum conſtituerat ad colendos Deos: Hæc in eo noua mirantes rudes adhuc homines mõrte obita Deum eſſe factum, ſiue opinati ſunt, ſiue voluerunt.* Ecce tibi vt populi templorum cultũ in Principe ſuo mirantes, eum ſupra homines putarunt, & Deum eſſe factum. Sic tẽplorum religio nobilem iuuenem ſupra homines extollere valet. Duodenis Ieſus Luc. 2. relictis parentibus, Ieroſolymis manſit, in temploque Dei erat diſputans de lege cum doctoribus; ibique inuentus à parentibus ait illis; *Neſciebatis, quia in ijs, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe:* Quippe tanti patris filium oportebat in templi religione immorari. Ex quo ſapienter D. Epiphan. perdit Hæreticos aſſerentes Ieſum non fuiſſe Chriſtum, niſi poſtquam ſupra illum deſcendit Spiritus Sanctus in Iordane. Ait enim in cat. Græca D. Luc. *Audiat, & Ebion, quod ab anno duodecimo, non tãtum poſt trigeſimum Chriſtus reperiatur mirabilis in ſermonibus gratiæ, adeò vt nefas ſit dicere, quod ex quo ſuperuenit in eo Spiritus Sanctus, factus ſit Chriſtus. Etenim cum ab infantia ſua, & templum, & patrem cognouerit, nõ vtique merus homo fuit, nec poſt delapſam in eum columbam Chriſtus eſt appellatus.* Expende ab illis: *Cum ab infantia ſua, & templum, &c.* Qua-

D. Aug.

Luc. 2.

D. Epiph.

&c. Quaſi inde efficax argumentum ſumatur, non fuiſſe à pueris merum hominem Ieſum, ſed ſuper omne ſe ſuſtuliſſe humanum, qui ab infantia templo immorabatur, eiuſque religionem docendo curabat. Nunquàm enim iuuentus ſic religioſa templis, non oſtendit in viro aliquid ſupra homines eximium, & Deo vicinum. Sic 1. Reg. 2. *Samuel autem miniſtrabat anteſaciem Domini puer accinctus Ephod lineo, &c.* Aquila putat, Ephod fuiſſe veſtimentum quoddam eximium, quo quidem ſoli vtebantur Sacerdotes, cum explorare vellent voluntatem diuinam. Sed cum Samuel puer eſſet, & minimè de genere Sacerdotali, ſed Leuitico, vt multis probat D. Aug. in Gloſſa, cur datum eſt illi veſtimentum eximiũ, Sacerdotum proprium, eorum qui Deo approximabant? Ad hanc quæſtionem reſpõdet Theodor. ſua 8. inquiens: *Eſt veriſimile, quòd Heli cum in Samuele florentem diuinã vidiſſet gratiam, eſſetque natus admirabiliter, & intus aleretur in tabernaculo, tanquam ſanctum, & Nazaraum, & a Deo petitum etiã admodum iuuenem eo honore impertiuiſſe.* Vel ſi mauis transferre verba Theodoreti cum Gloſſa dicit: *Heli videns in eo florentem diuinam gratiam, natum admirabiliter, tabernaculo deſeruientem, tanquam ſanctum, & Nazaraum eo honore illũ impertyt.* Quid enim aut eximium, aut ſanctum, aut Deo proximum non credatur de iuuene, qui tabernaculo, temploque inſeruiendo inſiſtit? De Nepotiano dicebat D. Hier. in eius epitaph. *Erat ergo ſolicitus, ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pauimenta terſa, ſi ianitor creber in porta, ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta, & in omnes ceremonias pia ſolicitudo diſpoſita, non minus, non maius negligebat officium. Vbicumque enim quæreres, in Eccleſia inuenires. Qui baſilicas Eccleſia, & martyrum conciliabula diuerſis floribus, & arborum comis, vitumque pampinis adumbrarit: vt quidquid placebat in Eccleſia tam diſpoſitione, quã viſu præsbyteri laborem, & ſtudium teſtaretur. Macte virtute cuius talia principia, qualis finis erit?* Nihil non magnum ſperetur de iuuene, qui ſic templo ſeruiendo erat aſſiduus.

1. Reg. 2.

D. Aug.

Theod.

Theodore.

D. Hier.

§. XXVIII.

Templorum cura, & religionũ quam non auſpicatiſſima imperaturis.

Accipit Ioſue tabernaculi cura, cui excubabat, ne prophanaretur, vt enim ait textus: *Non recedebat de tabernaculo*, ne miremur, ſi inde imperium populi acquirat. Illud enim mihi valde mirãdum venit, quod ſciens Moyſes Ioſue ducem, & Imperatorem populi futurum, cui iam exercitũ aduerſus Amalechitas commendarat, illum patiatur modo in tabernaculo eſſe diu, no etuquè, quaſi eſſet eius ædituus. Nõne de imperatore futuro gratius audiremus, quod non recedebat, ab arena, ab armorũ tractatibus? Cur iis omiſsis placuit dicere, quod non recedebat à tabernaculo? Plane nullares auſpicatior poteſt eſſe imperaturo, quam templorũ obſeruantia, & religio. Titus Liuius lib. 26. locutus de magno illo, & triumphatore Scipione ait: *Ex quo togam virilem ſumpſit, nullo die prius, vllam publicam priuatamque rem egit, quam in capitolium iret, ingreſſuſque eadem conſideret, & plerumque tempus ſolus in ſecreto ibi tereret. Atque hoc illi ad hominum commendationem, & imperia maxima valuit.* Hæc ethnicus de ethnico iudicat, cui putat profuiſſe ad imperiũ, quod ſacris ædibus eſſet aſſiduus. Nec falleretur, ſi religio illæ exhibita eſſet templis Dei veri, & viui: cuius eſt cultores ſacrorũ ad imperia extollere; incurios autem malis perimere. Nota eſt hiſtoria illa de arca Dei, quando fuit captiua apud Philiſthæos, de quibus triumphãs veniebat curru vectã ad populum ſuum. Quid tunc? Ait 1. Reg. 6. *Arca erat vſque in die illa in agro Ioſue Bethſamitis. Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent arcam Domini; & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Veniebat arca ab hoſtibus ad populares ſuos, quibus vt appropinquauit, ſeptuaginta viros Principes occidit, de plebeis autem quinquaginta millia. Et cur arca ſic venit exitialis, & principibus, & populatibus ſuis? Non miror, nam ſeptem menſibus relicta fuerat captiua apud hoſtes; nec vllus Iſraelita tot diebus curauit de reductione, & religione illius, nec deſiderauit eius præſentiam, ne miremur, quod talibus exitialis ſit. Ait Theodor. quæſt. 14. *Populus fuit caſtigatus, vt qui noluerit pro arca adire periculum, & ſeptem menſes eam reliquerit apud alienigenas, & pro ea bellum non ſuſciperet.* Sic pereant, qui ſacrorum prophanationem ſuſtinent, nec æſtimant diu ab eſſe à ſacris. Maximus dux Maſcezil dum ſacrorũ religioni fauit, in cructam victoriam obtinuit; poſtquam elatus non veritus templi religionẽ, inde iuſsit educi quoſdam ad ſupplicium. Quid inde? Ait Paulus

Tit. Liu.

1. Reg. 6.

Theod.

lus Oros. lib. 7. cap. 36. *Sanè idem Mascezil elatus rerum secundarum insolentia, posthabito sanctorum consortio, cum quibus antea Deo militans vicerat, etiam Ecclesiam temerare ausus est, atque ex ea quosdam non dubitauit extrahere. Secuta est pœna sacrilegium. Nam eisdem superstitibus, atque insultantibus quos ab Ecclesia ad pœnam protraxerat, post aliquantũ tempus solus, & ipse punitus est: probauitque in se vno, ad vtrumque semper vigilare iudicium; quando, & cum peruenit admissus, & cum contempsit, occisus est.* Venit equidem de templi prophanatione ad extremam ruinam, qui de eius obseruantia venerat ad triumphum.

Paul. Or.

Ex Num. 11. Statimque Iosue filius Nun minister Moysis, & electus è pluribus ait: Domine mi Moyses prohibe eos, &c.

§. XXIX.

A vera virtute, & humilitate deuiat, qui amat solus esse in diuinis.

SEptuaginta viri per manum Moysi Deo offerendi erant, vt eius spiritu implerentur; quorũ duo nõ accesserunt ad Moysem, sed cũ in castris essent, ibi prophetare cęperunt Dei spiritu correpti. Id vbi resciuit Iosue, viditque illos prophetare nõ per manum Moysis, zelo motus aiebat: *Domine mi Moyses prohibe eos.* Vir alioquin præclarus, & electus è pluribus, in hoc pauliſper caligauit nõ sustinet alios à sua schola clarere donis diuinis. Crede mihi, licet multis clarus existas, dũ alios in diuinis claros non patiaris, ab humilitate deuias, & virtute. Ait Nazianzen. orat. 26. *Ego certe humilitatis, ac modestiæ laudem huic demum tribuerim, non qui de se ipso pauca, idque apud paucos, & rarò commemorat, nec qui inferiorẽ humiliter affatur, sed qui parcè, ac moderatè de Deo loquitur, ac quædam proloqui, quædã premere, & retinere, quorundam etiam insciitiam fateri nouit, atque ei sermone cedit, cui loquendi munus commissum est, ac nonnullos vberiore spiritus gratia præditos, & contemplatione altius prouectos esse æquo animo patiatur. Turpe est profecto in veste, ac victus ratione non sublimiorem, sed viliorem eligere, ac genuũ callo, lachrymis, ieiunijs, vigilijs, chamæunijs, labore, atque omni corporis maceratione humilitatem præseferre, ac propriam infirmitatem agnoscere; in diuinis autem disputationibus principatum, & tyrannidem sibi vendicare, &c.* Expende illa veræ virtutis signa, veræque humilitatis, nimirum: *Nonnullos vberiore spiritus gratia præditos, & contemplatione altius prouectos esse æquo animo patiatur*: quippe dum non pateris, alios tibi esse in diuinis gratijs, & muneribus vel pares, vel superiores, minimè humilis es, veraque in eo virtute cares: licet alioquin ieiunijs, vigilijs, lachrymis, omnique corporis macerãtione clareas. Quis ignoret tumidi Pharisæi ieiunia, decimarum solutiones? Bis in Sabbatho ieiunabat, omnium bonorũ decimas largiebatur, & inter has virtutes reus inuenitur. Et vnde reus? Ait ipse Luc. 18. *Deus gratias ago tibi, quia non sum, sicut cæteri homines.* Circa quæ D. Bern. tract. de Gradibus humilitatis, dicit: *Gratias Deo agit, non quia bonus, sed quia solus.* Reprobus animus non æstimabat in se virtutes, quæ in alijs apparebant; non patiebatur, alios esse sui similes in diuinis donis. Hoc enim solum referebat acceptum Deo, in quo ipse esset solus. Quàm longissimè hæc affectio distat à Iesu saluatore nostro, qui in malis solitarius est, sic in bonis curat non esse solus. Matth. 3. dicit: *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam super se. Et ecce vox de cœlo dicens, Hic est filius, &c.* Ascẽdit Iesus de aqua, & illi adsunt Pater, & Spiritus Sanctus; ascendit de terrà in crucem, & ibi relictus est solus. Et cur in cruce solus, in Iordane Patrem, & Spiritum Sanctum habet socios? In Iordane totus gratiosus sanctificans aquas suam gloriam ostendebat apertis thesauris cœlorum. Inglorijs autẽ amabat non esse solus. Pulchrè ait D. Ambr. serm. 4. de Epiphan. *Adest ergo Deus Pater, cum baptizatur Dominus, adest & Spiritus Sanctus: Videre saluatoris beneuolentiam, qua solus se in passione contumelijs subdidit; in lauacro solus gratiam non quæsiuit: vult participes esse gloriæ.* Proh vera humilitas, & virtus saluatoris nostri, qui in ostensione gratiarum diuinarum amat habere consortes, & gaudẽter sustinet non esse solus!

Nazianz.

Luc. 18.

D. Bern.

Matth. 3.

D. Ambr.

***

§. XXX.

Non ita attendendum peccatis proximorum, vt eorum virtutes obliuiſcamur.

PEccauit Ioſue volẽs, prophetas à Moyſe prohiberi, vt putat Serarius lib. 1. in Ioſue cap. 7. quæſt. 6. ſed eius errorem narrans textus ait: *Ioſue miniſter Moyſis, & electus è pluribus ait: Domine mi Moyſes, prohibe eos.* Expende elogium illud Ioſue in preſenti datum, nimirum, *electus è pluribus*; ſæpè alias textus meminit Ioſue, & in magnis, clariſsimiſque eius facinoribus, nunquàm tamen illum electum è pluribus vocauit. Nunc ſolum cum oſtenditur errans dicitur electus è pluribus. Et cur non cum detriumphat Amalechitas, nec cum tabernaculo aſsidet, nec cum murmuratoribus obſiſtit, ſed cum inuidit prophetãtibus tãto, elogio debuit nominari, vt electꝰ è pluribus dicatur? Sanè diuinus ſpiritus, in recẽſendo Ioſue errore, voluit ſimul docere, nõ ita eſſe attendenda proximorũ peccata, vt non magis eorum virtutes, & merita attendantur, quibus merentur, & extorquent laudes. Sic Geneſ. 20. Abrahamus ingrediens ad Regem Geraræ, dixit de Sara vxore ſua, *Soror mea eſt.* Ob quod valde inſultat Fauſtus Manichæus in ſanctum virum, quod metu mortis mẽtitus eſt apud Regem. Contra quem ſapienter ait D. Auguſt. lib. 22. cap. 34. *Nonnulli quidem non calumnioſi, & maledici, ſicut Fauſtus, cum hoc Abrahæ factum conſiderarent, viſum eſt eis, quod à firmitate fidei ſub defecerit, atque tituba uerit, & timore mortis, ſicut Dominum Petrus, ita iſte negauerit vxorem. Quod ſi ita neceſſe eſt intelligi, peccatũ hominis agnoſcerem; nec ideò cuncta eius merita deleta, atque obliterata cenſerem.* Diabolicus Fauſti ſpiritus peccatum ſuſpicatus in Abrahamo, nihil aliud illius meminit; at ſanctus Spiritus in Auguſtino, etiam ſi peccatum Abrahami faſſus eſſet, non obliuiſceretur viri illuſtria merita; & magis eius merita miraretur, & laudaret, quàm pungeret peccatum. Monebat Eccleſiaſticus cap. 41. *Non eſt bonum omnem reuerentiam obſeruare.* Paulus de Pacios, & alij legunt: *Non eſt bonum omnem irreuerentiam obſeruare.* Pro quo ait Carthuſ. ibi: *Nõ expedit conſiderare in alio, quidquid reprehenſibile eſt, & ob id ei irreuerentiã exhibere.* Crede mihi nõ venit à Dei ſpiritu, quod tãtus ſis in-

Serar. *Geneſ. 20.* *D. Aug.* *Eccl. 41.* *Paul. de Pac.* *Carthuſ.*

notandis erroribus fratrũ, & proximorum; vt viſis ijs non memineris virtutes eorum, ob quas mereãtur laudari, & celebrari, comiterque, & reuerenter tractari. Spiritus enim Dei ſic tangit hominum infirmitates, vt totus ſit in virtutibus eorum extollendis, laudandis. Væ autem illi, qui laudabilia proximorum obliuiſcens, magis paſcit oculos ſuos in eorum infirmitatibus. Mirabar ſeueriſsimam ſententiam Dei aduerſus vxorem Loth. De qua Gen. 19. *Reſpiciens q; vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuã ſalis.* Acceperat hæc mandatum, ne ad ea, quæ poſt ſe erãt in Sodomis, reſpiceret: & Eua acceperat mandatum, ne comederet de arbore. Vtraque mandatum fregit; ſed Eua adhuc viuit poſt mandatum fractum; vxor Loth ſtatim interijt verſa in ſtatuam ſalis. Et quando Eua nõ ſtatim perijt, cur neceſſum fuit, quod vxor Loth periret ſtatim? In Sodomis nihil aliud erat, niſi Sodomorũ clades, & miſeriæ; quare meritò è viuis eradicatur illa, quæ ad Sodomam reſpiciens clãdium, & miſerarum viſu paſcebatur. Ex quo prudentiſsimè monet Prudentius in Hamartiginia. *Prud.*

Nemo memor Sodomæ, quæ mundi forma crẽmandi eſt,
Vt ſemel è muris greſſum promouerit, orẽ
Poſt tergum verſo, reſpectet funera rerum.

Et quidem exitialis affectus eſt ille, quõ quis ſemper proximorũ funereas res proſpectat, non niſi cineres, & carbones, & mãculas eorum mente tractet. Quid pernitioſius, quam illorum ingenium, quod ſemper intentum eſt in fœtidis antiquorum oſſibus euoluendis, in proximorum mãculis ſcrutandis? Fallar, niſi ij ſtatim debeant à viuis exterminari. Vide ſupra lib. 6. cap. 5. §. 15.

Ex Num. 14. At vero Ioſue filius Nun, & Caleb filius Iephone, qui & ipſi luſtrauerant terram, ſciderunt veſtimenta ſua, & ad omnem multitudinem filiorum Iſrael locuti ſunt. Terra, quam circuiuimus, valde bona eſt, ſi propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lactè, & melle manentem. Nolite rebelles eſſe contra Dominum, &c.

§. XXXI.

Nuditas, & abiectio ob fugienda vitia non opprobrio, ſed gloriæ eſt, vel principibus.

MIſſi duodecim exploratores à Moyſe in terram promiſsionis poſt reditum ſuum tanto terrore impleuerunt populum; vt minimè vellent pergere, ſed murmurantes in Deum vellent redire in Ægyptum. Quorum infidelitati ſeſe opponunt duo clariſsimi Principes Ioſue, & Caleb; de quibus ait textus: *Sciderunt veſtimenta ſua, & ad omnem multitudinem filiorum Iſrael locuti ſunt.* Ecce tibi duo clariſsimi viri ſcidunt veſtimenta ſua, & in veſtibus laceris, & ſciſsis ſeſe opponunt multitudini. Cur non magis cauent ſic laceratis veſtibus apparere coram populo? Equidem vel mediocris homo in veſtibus lacer. & ruptis non audet coram procedere; cur hi non magis verecundantur in nuditate ſua? Erat hæc nuditas in illis ob vitanda peccata, & popularem perfidiam; quæ non poterat eſſe verecundiæ, & opprobrio, ſed gloriæ, & ſplendori. Componite modo duos etiã clariſsimos viros Adamum, & Ioſephum; qui ad eam neceſsitatem deuenerunt, vt veſtibus carerent. Adamus Gen. 3. ait: *Timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me.* De Ioſeph ait Gen. 39. *Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egreſſus eſt foras.* Ille ſic verecundatur de nuditate; vt ſeſe abſconderet, ne videretur; hic audet nudus ſine pallio foras prodire. Et quando ille ſic nuditatem erubeſcebat, cur hic non veretur foras prodire nudus? In illo peccatum erat nuditatis cauſa, & ideò non miror, quod erubeſcat apparere; in hoc peccati depulſio, & fuga nuditatem cauſabant, & ideo non rubori, ſed gloriæ erat illi nuditas. Vt dicat Theodor. ſer. 8. de Prouid. *Nudus exilyt Ioſeph ſolo temperantiæ, vel caſtitatis velamento amictus, nec enim vt Adam poſt tranſgreſsionem, pudore ſuffuſus eſt, ſed qualiter hic ante peccatum circa nuditatẽ corporis affectus fuit, taliter hic quoque affectus exiuit.* Nuditas ex peccato orta Adamum pudore ſuffudit; nõ ſic Ioſephum, qui vt nuditatem amplexatus fuit, vt peccatum fugeret, ſic illum nudum gloria impleuit, non pudor. Magnus equidẽ pudor, magna ignominia eſt, quod homo nobilis nudus, & pauper ſit, quando illa nuditas, & paupertas orta venit ex vitijs, ex prodigalitate, ex luxuria. At quod vir nobilis in paupertate, & nuditate ſit ob vitia, peccataq; repulſa; id ad magnam gloriam, & commendationem facit illius. Aiebat ille ad expromendam extremam miſeriam ſuam Luc. 15. *Ego hic fame pereo.* At Dominus de ſe aiebat Luc. 9. *Filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Quid ais Domine? Cur non magis vereris tantam paupertatem oſtendere? Cur non magis refugis ab illa paupertate, quæ adeò prodigum illum infamabat? Non paupertas infamabat prodigũ, ſed paupertas orta ex luxuria, ex prodigalitate; quæ autẽ opponitur peccatis, & vitijs, hæc magis extollit Dei filios. Hinc Theodotus hom. de Nat. in Append. 5. Concil. Epheſ. cap. 2. *Vides paupertatem tantarum factam diuitiarũ matrem. Cur indignum ducis Deo, quæ tantorum bonorum facta probatur occaſio? Cur paſſionem indignam dicis Deo, quæ ſoluit diaboli tyrannidem? Cur mortem indignam dicis Deo, qua Deus nequitiam dæmonis triumphauit? Noli detrahere abiectioni, qua tyrannis diabolicæ deſtructa eſt. Noli exprobare, quia cæſſus palmis, per aquas à peccatis homines liberauit.* Quid pulchrius? Sic per omnia abiecta, & vilia, & paupera, & contumelioſa diſcurrit; nec quid horum non putat glorioſum Dei filio, quando ob exterminandã vitia deſumitur. Vna eſt enim cauſa, quæ facit indecorum homini, nimirum, quæ eſt cauſa peccati. Quæ autem peccata delet, vitia obliterat, ea, vel in ſumma nuditate, & vilitate glorioſum hominem facit.

Luc. 15.
Luc. 9.
Theodot.

§. XXXII.

In re virtutis par habere ne fugias.

QVid homo non facit vt ſit ſolus in faucinoribus, in glorijs mundialibus? Quorum conſortium nõ fugit in gloria? Etiam fratrum, etiam parentum conſortia abominatur. At vt in præſenti ventum eſt eò, vt peccatoribus, Deique rebellibus obſiſtatur, ait textus: *Ioſue filius Nun, & Caleb filius Iephone ſciderũt veſtimenta ſua, &c.* Duo inclyti iudices inſurgunt in peccantes, duo pro Deo, & virtute ſtant, neuterque eorum refugit habere ſuæ virtutis parem. Proh Deus immortalis! quam eſt hoc virtutis proprium, ne par, refugiatur. Cant. 4. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt*

Cant. 4.

derunt de lauacro omnes gemellis fœtibus. Ecce tibi christianorum gregum fœtus, vt omnes gemelli dicantur: non enim in illis primatus vllus, non primogenitorum superciliũ, quod vel fratribus primas rapit; sed omnes gemelli, hoc est, in omnibus curant esse pares. Vt dicat Gillib. Abbas ser. 27. in Cant. *Ideò dicũtur gemelli, quia fides nullis gradibus separat, quos æque regeneret. Alioquin qui nesciunt esse gemelli, effectiſsunt nulli; & locum occupantes primum, iam nec habẽt nouiſsimum.* Meritò à virtutis excluduntur aluo qui in re virtutis sic primas appetũt, vt prorsus excludant fastidiantque compares. Nihil magis tibi cauendũ, quam primas valle habere solitarius. Machabæor. lib. 2. cap. 7. sistuntur Tyranno septem frà tres validiſsimi, qui & si ætate corporis inæquales, vno ore religionem patriam profitebantur. Quid tunc tyrannus? *Iuſsit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguã, &c.* Ecce tibi vt primogenitus frater primas in martyrio fert? An quia & cæteri minores erant in re tantæ virtutis? Absit; imò & ipse omnes sibi pares putat. Sic de illo ait D. Ambr. lib. 2. de Iacob cap. 11. *Iuſsit maximum natu eligi. At ille ridens: Rectè, inquit, naturæ ordinem ſeruas. Sed cur Dei legem temerandam putas? Et pro pietate quidem omnes maximi ſumus, ſed tamen à me inchoatum gaudeo.* Expende illud: *Pro pietate omnes maximi ſumus*; in natura & ætate se primum fatebatur; at in re pietatis & virtutis omnes sibi æquales & pares admittit; nec refugit pares habere in martyrij facinore, quos minores agnoscebat in natura. Hinc Paulus Actor. 26. ait: *Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tãtum te, ſed etiam omnes, qui audiũt me, omnes fieri tales, qualis ego ſum.* Circa quæ verba D. Augustin. tract. 8. in epist. Ioann. fatur: *Audi Apoſtolum dicentem de viſceribus charitatis; vellem omnes homines eſſe ſicut me ipſum. Quomodo volebat omnes eſſe? Æquales. Ideò erat omnibus ſuperior, quia charitate optabat omnes æquales.* Inde se se maximè extollebat virtus Pauli, quòd vniuersos sibi in virtute & pietate optabat pares & æquales.

Gil. Ab.
2. Mach. 7.
D. Amb.
Act. 26.
D. Aug.

Num. 27. Dixit Dominus ad Moysem: Tolle Iosue filiũ Nun; virum, in quo est spiritus; & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis, &c.

§. XXXIII.

Valentia & animositas, aduersus iniquitatem, ad principatum ex Deo contendit.

SOlicitus Moyses de successore eligendo Deum summis precibus exorat, vt sibi idoneum principem futurum ostendat. Cui Dominus: *Tolle Iosuè filium Nun; virum, in quo eſt Spiritus, &c.* Propterea Iosue à Deo designatur in principem, quia dicitur in eo Spiritus esse. Sed quid intelligitur nomine Spiritus; quo quis aptatur ad imperiũ? Alij alia dicũt in præsenti; mihi euidentiſsimũ est, per hunc spiritũ animositatem intelligi, qua quis posthabito quouis discrimine se contra sceleratos pro Deo, & virtute ostẽdit. Quo spiritu maximè pollebat Iosue, dum aduersus decem exploratores, & concitatũ populũ scissis vestibus se opponit, nihil veritus, vt vidimus ex Num. 14. Quẽ spiritũ sic requirit Dominus in principibꝰ suis, vt à principatus desiderio amoueat carentes illo. Ait enim Ecclesiasticus c. 7. *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrũpere iniquitatẽ, ne forte extimeſcas faciẽ potentis, &c.* Ecce tibi, vt principatũ vel desiderãdũ in primis requirat Deus illos spiritus, idest, illã animositatẽ, quà nulla potẽtiũ discrimina timeãtur, quominus impietates, & iniquitates de medio tollantur. Qua animositate Iouinianus ille impetium sibi ex Deo impetrauit. Ait enim Theodor. lib. 4. Historiæ cap. 1. quod post mortem Iuliani *exercitus in vnum congregatus Iouinianum poſtulat Imperatorem, qui neque dux, neque ex eorum numero, qui ſecundas poſt duces obtinebant, fuerat; ſed tamen vir apprimè nobilis, illuſtris, & multarum rerum cauſa inſignis. Nam corpore robuſtiſsimo fuit, animoque excelſo: quin etiam in bello gerendo ſolebat, & in acrioribus certaminibus facile primas ferre. Porro contra impietatem libere loquebatur; tyranni potentiam contẽnebat, animi propẽſione cõſeruatoris martyribus cõiungebatur. Itaq; duces cõſenſum exercitus velut ſuffragationem diuinam arbitrati producunt in mediam præſtantiſsimum illum virum,*

Num. 14.
Eccles. 7.
Theod.

virum, &c. Et quādo Iouinianus, nec dux erat, nec ſecūdus à ducibus, ſed miles quidam gregalis: quæ virtus illum ad imperiū contemptis ducibus traxit? Aiūt illa: *Porrò contra impietatem liberè loquebatur, tyranni potentiam contemnebat, & c.* Itaque, gregalis miles ad imperium ſibi gradum velociſſimum fecit, illa animi magnitudine, qua tyranni potentiam contemnebat, & liberè contra impietatem loquebatur, & à parte virtutis ſemper ſtabat, quam vis hāc videret à potentiſsimis impugnari. Nec duces nobiliſsimi detrectarunt militis gregarij imperium ſubire, cuius electioni non dubitarunt diuinitatem fuiſſe ſuffragatam. Et quidem Dei eſt principatū dare ijs, qui non verentur ſpretis diſcriminibus irrumpere contra iniquitatem. Accipite alium ex tribuno Imperatorem factum eiſdē gradibus, is fuit Valentinianus, qui fuit tribunus Iuliani Apoſtatæ. De illo enim ait Theod. Theoder. lib. 3. Hiſtor. cap. 15. *Cum amens ille, ac ſtupidus tyrannus Iulianus in fanum Fortunæ choreas ducens ingrederetur, & aditui vtrimq; ad ianuas conſiſterent, vt introeūtes aqua luſtrali, vt ipſi opinabantur, expiarēt, tribunus Valentinianus Imperatorem præcedens, qui huius rei gratia vtrumque imperium conſecutus eſt, vbi videt guttam aquæ ſuæ chlamydi aſperſam, pugnis cedit adituum, ſeque inde non expiatū, ſed turpi labe pollutū ait. Quod factum execrabilis tyrannus conſpicatus, eum ad caſtellum in ſolitudine ſitum relegauit, ibiq; vitam degere iuſsit. At Valentinianus, anno & paucis menſibus interiectis imperium tanquam ſuæ confeſsionis mercedem obtinuit.* Non ſuſtinuit bonus tribunus aſpergi, vel gutula aquæ idolis ſacræ; & aſperſorem ſuum coram ipſo tyranno pugnis percuſsit; quod facinus tyrannus quidē exilio mulctauit, at Deus, qui de ſtercore eleuat ſuos pauperes, illum de exilio ad imperiū traxit. Sic Deus eleuat ad principatum eos, in quibus ſpiritus eſt, nimirum in quibus eſt animoſitas, qua valeant obſiſtere iniquitati.

§. XXXIIII.

A Dei magno fauore, & gratia venit, quod nec tu, nec tui eleuemini ad dignitatem, cui idonei non eſtis.

Non prætereunda eſt lectio Septuag. quæ vbi noſter poſuit: *Tolle Ioſue filium Nun,* Septuag. legit ipſa: *Summe ad te ipſum Ioſue filium Nun, & c.* Et ex Hebræo ait: *Tolle tibi Ioſue filium Nun*: quaſi in electione Ioſue proſpiciatur Moyſi, & familiæ eius. At Moyſes habebat filios, & habebat conſobrinos filios Aaronis fratris ſui. Qualis ergo vtilitas, aut gratia Moyſi erat: quod filij eius, & cōſobrini repellātur, & prorſus a cognatione, & tribu extraneus eligatur in principem? Nonne magis ſibi aſſumeret filios, aut cognatos in Principes? Abſit; qui enim idonei non ſunt principatui, vt certè non ſunt, qui non tales iudicantur apud Deum, à magna Dei gratia, & fauore illis, & familiæ facto venit, quod minimè principatum accipiant. Erat Samuel in domo Iſai cum olei cornu vncturus ex filijs eius regem Iſrael 1. Reg. 16. adduxit pater maiorem natu, & alios ſex præſtantes iuuenes, è quibus magna ſperabat pater, qui omnes repulſi ſunt. Quippe ait textus: *Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele; & ait Samuel ad Iſai, Non elegit Dominus ex iſtis.* Quanta hæc iniuria, quantum malum parenti, & familiæ, & filijs, quod ſeptem præſtantiſsimi iuuenes repellantur à principatu? An hoc non fuit in eorum malum? Imò in eo oſtendebatur Dei gratia, & maximus eius in familiam fauor. Accipite D. Baſil. Sel. Baſilium Seleuc. fantem orat. 14. *In omnes iacit Samuel oculos, & quo mitteretur gratia, præſtolabatur. Conſpectum hominem humanis menſus oculis mirabatur, ſed gratia, quod videbatur, repudiabat, decreti diuini gnara. Samuel cornu interuertēs reiectaneum eligere, cogebat. Sed oleum fluere recuſabat, & fluxa natura ſurſum retinebatur, gratiæ legibus abſecuta.* Expende hoc: *Gratiæ legibus obſecuta*; dum enim vnctio non properabat ad immerentes, dicitur gratiæ legibus obſecuta. Sed quæ gratia erat non vngere in reges, ſtrenuos iuuenes? Equidem quando illi in idonei putabantur ad regnum; non rigoris, ſed gratiæ, & fauoris erat, quod nō acciperent regni clauum. Benedicturus Iſaac filio ſuo Eſau ait: *In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies.* Qualis hæc benenictio, quæ maiorem natu regnō ſpoliat, & iubet ſeruire fratri ſuo? An poteſt à benedictione prouenire, quod quis principatu ſpolietur. & addicatur ſeruituti? Plane ſi Eſau tyrānici mores ſpectētur, eiuſq; inſufficiētia regno, certū erit, quod de magna benedictione, & gratia Dei veniat, quod ille maneat intra ſubditorū fortunā, & minime principatū poſsideat. Ait D. Ambr. Ambr. epiſt.

epiſt. 20. *Bonus pater ſeruauit ſeniori filio benedictionem, vt eum ſeruum faceret fratris ſui, non quo familiam ſuam degeneri vellet ſeruitute addicere, ſed quia is, qui regere ſe non poteſt, & gubernare, ſeruire debet, & ſubditus eſſe prudentiori, vt eius regatur conſilio, ne ſua ſtultitia præcipitetur. Pro benedictione igitur huiuſmodi confertur ſeruitus. Denique inter bona annumeratur, inter collatam terræ vbertatem, & rorem cœli â ſummo.* Non ſolum à Dei benedictione, & gratia venit; ſed inter maxima bona ei collata numeratur, quod ineptus principatui, eò ſpolietur, & relinquatur inter ſubditos. Quando enim non eſt lethalis dignitas indigno? Ait Prouerb. 26. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij: ita qui tribuit inſipienti honorem.* Quæ ſic apud Septuag. leguntur: *Sicut, qui ligat lapidem in funda; ita qui tribuit, &c.* Comparatur tribuens honorem indigno cum eo, qui lapidem ponit in funda ad percutiendum. Sed quid ſimile habet, quod tribuas indigno honorem cum eo, quod rotes infunda lapidem ad percutiendum? Cum lapis ſine conſideratione, & prudentia rotatur in funda, & ei, à quo mittitur, & in quē mittitur periculoſus eſt: ſic cum dignitatem, & honorem tribuis alicui nulla habita ratione meriti, & aptitudinis, & tibi, & illi rem periculoſam facis, non minus, quam ſi in illum conijceres fundà lapidem. Ait D. Ambr. epiſt. 7. *Qui deligat lapidem in fundibulo ſimilis eſt ei, qui dat inſipienti claritatem; ſe ipſum vulnerat, atque ſibi potius, dum intorquet lapidem, affert periculū. Certè ſicut tormento acerbatur, & geminatur malum ſaxi ruina, ſic inſipientis in libertate ruina vehementior eſt. Recidenda igitur inſipienti poteſtas, ſeruitus enim ei conuenit.* Caue, qui potens es, ne indignis, ne immerētibus tribuas dignitates; nō enim aliter venit honor indigno, quam ſi veniret illi iaculum contortum à validiſſimo aduerſario.

Prou. 26.

Septuag.

D. Amb.

§. XXXV.

Ille ſuam dignitatem Deo acceptam referat, qui virtutes ad illam requiſitas adimplet.

ECce tibi quem Deus deſignat principem populi Iſraelis, nimirū illū, *in quo eſt ſpiritus.* Et qui ſpiritus? Cornelius noſter putat nomine ſpiritus deſignari vniuerſas virtutes, & dotes neceſſarias principi. Sic etiam Serarius lib. 1. in Ioſue cap. 9. quæſt. 8. Et quidem neceſſum erat illis omnibus pollere, qui à Deo eligebatur in principem; ſuamque electionem acceptam referebat Deo vni. Ait Plinius de ſuo Trajano, in Panegyr. *Enituit aliquis in bello, ſed obſoleuit in pace. Alium toga, ſed non & arma honeſtarunt. Reuerentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit. Ille quæſitam domi gloriam in publico, hic in publico portam domi perdidit. Poſtremo adhuc nemo extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. At principi noſtro, quanta concordia, quantuſque concentus omnium laudum omniſque gloriæ contigit, vt nihil ſeueritati eius hilaritate, nihil grauitati ſimplicitate, nihil maieſtati humanitate detraheretur? Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris ad hoc ætatis indeflexa maturitas, nec ſine quodam munere Deorum feſtinatis ſenectutis inſignibus ad augendam maieſtatem ornata cæſaries, nonne longè lateque Principem oſtentant? Talem eſſe oportuit, quem non bella ciuilia, nec armis oppreſſa Reſpublica, ſed pax, & adoptio, & tandem exorata terris numina dediſſent. An fas erat nihil differre inter Imperatorem, quem homines, & quem Dei feciſſent?* Hoc ethnicus homo putauit deberè eſſe inſigne eius principis, qui Deo acceptum referret principatum; nimirum quōd omnibus virtutibus, omnibus tam animi, quam corporis dotibus eſſet clarus. Dicebat Dominus ad Samuelem 1. Reg. 16. *Mittam te in Bethleem ad Iſai: Prouidi enim in filys eius mihi regem.* Et qualem regem? Cur non explicas Domine prouiſi à te regis virtutes? Repellebas à te regem Saulem ob prauos eius mores, cur non explicas, ſi rex prouiſus ſit Sauli diſſimilis? Iam explicat dicens, *prouidi mihi regē*, vbi enim Deus fatetur regem eſſe opus electionis, & proviſionis ſuæ, ſufficienter explicatum manet, quod ille reſpondere debeat omnibus regalibus dotibus, & virtutibus. Vt dicat D. Baſil. Sel. orat. 14. *Deus adoleſcentem manifeſtat, & cum propheta de propheta loquitur. Vidi, ait, animam gratiæ receptricem, vidi animam ad ſpiritus receptionem benè comparatā: ornauit figmentum meū rebus benè geſtis, adiunxit ad artē creandi mēā animi decus. Hunc prouidi mihi regem.* Expēde illud, *adoleſcētē manifeſtat*; quippe Deus tantū dixerat, quod in filijs Iſai prouiderat ſibi regē,

Plinius.

1. Re. 16.

Baſil. Sel.

qualiter ergo ijs solis verbis manifestabatur adolescens? Sanè eò solum quod diceretur vnus è filijs Isai designatus à Deo in regem, iam quasi digito demonstrabatur, qui adolescens esset, nimirum, qui omnibus tam animi, quam corporis regijs dotibus splendescebat, qui animo, & corpore diuinis gratijs, & virtutibus ornabatur. Præcedat enim in electo à Deo, necessum est, regiam coronam, & spiritus, & decus regale. Id quod in ipso Dauit patuit, de
1. Re. 16. quo ait 1. Reg. 16. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius, & directus est spiritus Domini à die illa in Dauid.*
Caietan. Caietanus ex Hebræo legit: *Et prosperatus est spiritus Iehoua in Dauid.* Quid est, Prosperatus est? Ipse explicat, dicens: *Iuternum donum diuini impulsus appellatur spiritus Iehoua prosperos habens successus in Dauide à die illa.* Itaque diuini impulsus in Dauide nulla patiebātur pro tunc repulsam, sed prosperos successus habebāt, dum ille per omnes currebat virtutes, & dotes regno dignas. Quò aspiciens Carthusian. ait: *Recte spiritum esse intelligendum de infusione Spiritus Sancti quantum ad dona, seu incrementa gratiæ gratum facientis, & gratiæ gratis datæ, per quæ Dauid de die in diem magis aptus reddebatur ad regnandum.* Itaque cùm regnum Dauidi traditur, illi vnctio datur, vbi simul illi infunduntur Spiritus Sancti dona, tam quæ ad gratiam gratum facientem pertinent, quam quæ pertinent ad gratias gratis datas, in quibus adolescens exercebatur, & dum per omnes gratias, & virtutes currit, regno ex Deo excipiendo aptatur.

§. XXXVI.

Principatum, qui sola coactus obedientia occeptat, præstātissimus est.

IVbet Deus Moysi, vt Iosue adducat coram Eleazaro, & multitudine, & tūc ait: *Dabis ei præcepta cunctis videntibus.*
Caietan. Ex Hebræo legit Caiet. *Præcipies ei in oculis eorum.* Et quid in illo casu præcipiet ei? Nō aliud, quam vt principatum accipiat. Decebat iam tunc Iesum illum Naue, & Iesuitarum exemplar, sic esse animo comparatum, vt principatus refugeret, nisi obedientia ad illos cogeretur ire. Ait enim Caiet. ibi:
Idem. *Præcepto publico compellendum Iosue ad principatum censet Deus. Nam dicendo & præcipies ei, & nihil aliud præcipiendo explicādo, ad susceptionem officij refert præceptum publicum, vt videant omnes, quod non vsurpat sibi principatum Iosue.* Sic amauit Deus, vt in Iesu Naue raderetur omnis suspitio ambitus, vt publicū illi iniungi voluerit præceptum de acceptando principatu. Hanc enim posuit normam præstantissimorum principum, qui non aduolēt ad dignitates, sed potius à illas ferantur obedientia coacti. De regalissima auium aiebat Iob cap. 39. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila?* Non enim otiose in sola Aquilæ eleuatione meminit præceptum Dei; sed vt ostendat, quam proprium debeat esse præstantissimorum principum, quod non nisi de præcepto Dei cogente ad dignitates veniant. Quod in suo Trajano extulit ethnicus homo Plinius in Paneg. aiens: *Nihil hic, vt Imperator fieret, agitauit, nihil fecit, nisi quod meruit, & paruit. Paruisti enim Cæsar, & ad principatum obsequio peruenisti; nihilque magis à te subiecti animi factū est, quam quod imperare cœpisti. Vt verò ad te fortunæ tuæ nūtius venit, malebas quidē hoc esse, quod fueras, at non erat liberum. At non obsequeris Principi ciuis, Legatus Imperatori, filius patri? Vbi deinde disciplina? Vbi à maioribus traditum, quodcumque Imperator munus iniungat, æquo animo subeundi? Eodem posse putes illum vtiure cum ad imperium reuocet, quo sit vsus cum ad exercitum miserit, nilque interesse ire Legatum, aut redire principem, nisi quod maior sit obsequij gloria, in eo quod quis minus velit. Augebat authoritatem iubentis in summum discrimen authoritas eius adducta, vtq; magis parendum imperanti putares, efficiebatur eo, quod ab alijs minus parebatur.* Sic Plinius suum commendat Trajanum, quod minime ascendisset Imperij thronum nisi coactus obedientia maioris. Iob 39. Plinius.

§. XXXVII.

Hoc in primis Principibus mādatur à Deo, quod sui obliuiscantur, vt populis prouideant.

DVm Moyses eligit Iosue in principē, iubet Deus, vt illi præcepta imponat corā omnibus, dicens: *Dabis ei præcepta cūctis videntibus.* Et vt benè notat Oleaster, mādātur dari præcepta Iosue principi futuro, sed nō dicūtur res, de quib⁹ præcepta sint. Philo eò tēdisse precepta putat, vt benè cōsuleret Reipublicę. Addiderim ego præcepta fuisse ei imposita, vt sui obliuisceretur attēdōs inferiorū suorū cōmodis, ac salu-

ſaluti. Huc enim ſpectant prima à Deo data principibus præcepta; hæc pleniſsimè obſeruauit Ioſue, adeò ſui oblitus, & ſuis attentus, vt in diuiſione terræ acquiſitæ, omnibus ditatis, nihil ſibi reſeruauit, vt videbimus infra. Et planè hoc habent vniuerſi Principes, qui præcepta diuina ſequuntur in principatu ſuo, quod nimirum ſui, ſuæque naturæ obliuiſcantur, vt ſuis prouideant. De primis illis mundi gubernatoribus locutus Geneſ. 1. ait: *Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præeſſet diei; luminare minus, vt præeſſet nocti.* Et hoc mihi ſemper magnam admirationem faciebat, quod inferiorum dominatura aſtra ignea fierent, & in altiſsimo cœlo conſtituta; quando flammantium omnium natura eſt ferri ſurſum, & ab infimis fugere. Quod videre potes in face accenſa, cuius flammas nulla vi cogere potes, vt deorſum ferantur; quin potius ſi verſus terram facem inuertas, ipſæ nihilominus flammæ reluctantur, & ſuperiora petunt, aſcendentes per pabulum ipſum. Quod cum ita ſit, cur Domine flammantia aſtra Solis, & Lunæ conſtituis, vt dominentur inferioris mundi? Eorum natura videtur ferri ſurſum, inferiora fugere, quomodo ergo poterit eſſe bonus gubernator, qui ſubiectos fugiat, & ſola quærat confectanea ſibi? Poteſt fieri vt à bono Deo ordinentur talia aſtra in præfecturas mundi relicti naturis ſuis? Abſit, imò eo ipſo, quod in præfecturas mundi fiunt, adeſt illis præceptum diuinũ, cui illa parentia ſui, ſuæq; naturæ oblita deorſum iaculant radios ſuos, vt ſuis inferioribus proficiant. Quò ſpectans Theodoret. ſerm. 1. de Prouidentia ait. *Equidem Solem, & Lunam vna cum toto illo ſtellarum cœtu cœlo terga vertiſſe, & radios ſuos deorſum demittere videmus. Creatori enim ſeruiunt, & natura illis eſt, quem creator conſtituit, terminus. Tibi equidem minimè parebit ignis natura, creatoris autem nutibus ſeſe accommodat, & cuius natura erat ſurſum tendendam in altum ferri, deorſum ferri incipit. Hic quoque Dei prouidentiam inſpice, qui Soli, & Luna, & ſtellis inſiſtit, & has ceu voce quadam hominibus faces præferre iubet. Exoriens enim Sol diei author eſt.* Non equidem aſtra præfecturas mundi accipiunt, vt propriæ naturę, & proprijs commoditatibus indulgeant; ſed vt vel naturali loco terga vertant, & ſuæ naturæ obliuiſcantur; & in cõtraria proprio appetitui ferantur, vt inferiores ſuos in viam ſalutis deducant. Huc enim ſpectant Dei præcepta inſita principibus. Nemo ignorat ſtellam illam, quæ propoſita eſt Magis, vt eorum viam regeret; & cuius illi ſequerentur ducatum. Dicunt enim Matth. 3. *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus, &c.* Ecce tibi vbi ſtella in ducem datur hominibus, ſic ipſa altitudinis ſtellarum obliuiſcitur, vt terris vicina facta determinatam viam poſſet indigitare. Sed vnde ſtella in tantam demiſsionem deuenit? Sanè qui illi dedit Deus vt ducatũ Magis præſtaret, ſimul & præceptum addidit, quo ſuæ naturæ obliuiſceretur, vt ſuos iuuaret. Ex quo ſapienter ait D. Chryſol. ſerm. 156. aiens: *Apparuit ſtella non volens, ſed iuſſa, non cœli nutu, ſed diuinitatis impulſu: non lege ſyderum, ſed nouitate ſignorum.* Equidem vbi ſtella dux facta comparuit, nihil ſuum præſefert; priuatis ſuis legibus renuntiat, in promptu habet Dei præceptum, quo ſibi mandatur ſua obliuiſci, & ſuorum vtilitatem curare. Vt ſapienter dicat ille Princeps apud Caſsiodor. 12. Var. 5. *Mihi enim propria iura dilapſa eſt, poſtquã generalem cœpi cogitare cuſtodiam.* Sic ibi.

Matth. 3.

D. Chryſ.

Caſsiod.

§. XXXVIII.

Præſtantiſsimæ virtutis eſt in ſplendore, & gloria ſuſtinere conſortes.

HOc in Moyſe, & Ioſue præſtantiſsimę eſt indicium virtutis, quod Deus imperat nimirum: *Dabis ei partem gloriæ tuæ.* De quo D. Auguſt. ait: *Sic enim accipiendum eſt, ac ſi diceret, facies eum ſocium gloriæ tuæ.* Qui ſucceſſor in imperio deſignatur, & ſocius imperij admittitur iubente Deo, antequam Moyſes diſcedat è vita. Et cur Deus voluit vt habiturus poſt mortem imperium integrum, & in vita ipſius Moyſis in partem imperij intret? Sic vtriuſque oſtendebãtur præſtantiſsimæ virtutes; quando minus eſt homini, quod relinquat imperium, quã quod partiatur illud cũ ſocio; & quod inueniatur ſocius, qui poſsit placere in regno potiũdo. Vtrũque miratur Plinius in Nerua, & in Trajano; ait enim de illo in Paneg. *Inde depoſito imperio lætus. Nã quantũ refert, deponas, an partiaris imperiũ? Niſi quod difficilius hoc eſt.* Magnũ hoc Neruę præconium fuit, quod partito imperio cũ Trajano lætus mãſit. Sed accipite aliud de Trajano ipſo ibidẽ dictũ: *Magnũ hoc tuæ moderationis indicium, quod non ſolum ſucceſſor imperij, ſed particeps etiam ſocius q; placuiſti.* Hęc magnæ

D. Aug.

Plin.

Principis commendatio, quod non solum successor, sed & socius in imperio placeat sodali suo; & quod lætus sodalem admittat. Huc spectabat Theodoaldus Rex Gothorum in societatem regni admissus à sorore sua Amalesiuntha; dicit enim apud
Cassiod. Cassiod. 10. var. 4. *Quæ cũ paruulo filio regnantis sola, nunc mecum elegit regnare sociata. In ipsa est enim decus regnorum omnium, in ipsa nostræ originis flos bonorum. Quidquid fluge mus ab eius claritate suscipimus.* Meritò decus regnorum omnium censetur esse illa, quæ fratrem regni consortio fuit dignata. Non enim nisi à magnis, & præstantibus venit, quod velint thronis possidere cum
Luc. 15. aliis. Prodigus ille filius Luc. 15. ad patrẽ clamabat: *Da mihi portionem substantiæ, quæ me cõtingit.* Et cur sic clamabat pro sua portione substantiæ? Nonne ea apud patrem secura seruabatur? Cur magis à patre illã
Chrysol. accipere optabat? Ait Chrysol. serm. 1. *Ea quæ patris erant, noluit possidere cum patre.* Oderat malus socium in bonis habere vel patrem; nihili æstimat, quod cum socio patre habet. Sed hoc faciebat filius iunior iuuentutis ignorantia occupatus; nonne senior cordatior extitit? Is veniens de agro ingẽtia gaudia in domo patris sui audit pro filio perdito recuperato: quid tunc? *Indignatus autem nolebat introire.* Et cur indignatur in fratris reditu? Cur nõ magis gaudet? Cur non intrat, fratremque receptum am-
Idem. plexatur? Ait Chrysol. ser. 4. *Frater credidit damnum, qui redisse conspicit cohæredem.* Non eò pertingit natura humana, vt facile sustineat socium in bonis; vbi conspicit cohæredem, nihil non sibi malum auguratur. Hinc sapiens illa fœmina Matth. 20. ait:
Matth. 20 *Dic, vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram, alius ad sinistram in regno tuo.* Cur non potius vnam dexteram ambobus postulabat? Cur alterum ad sinistram statuit? Non equidem sustinerent se in dexteris duo fratres, sed alter alterũ inde præcipitaret. Di-
4. Reg. 11. citur 4. Reg. 11. *Athalia verò mater Ochoziæ videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omnem semen regium.* Circa quæ ait Carthusian. *Posteros natos ex semine Dauid, quibus poterat ius regnandi competere, interfecit, quatenus ipsa sola regnaret. Ecce quanta fuit crudelitas, & ambitio impiissima huius, quæ regnandi libidine interfecit filios filij sui, cum tamen auia soleant valde diligere nepotes.* Sed thronus non veretur ius consanguinitatis, cum quisque velit solus regna-
Curt. re. Ex quo Alexander Dario rescripsit apud Curtium lib. 8. *Si secundus, & non par mihi vellet haberi, faceremforsitan, quæ petis. Cæterum nec mundus duobus solibus potest regi, nec duos summa regna salua terrarum status possunt habere.* Sic putat humana prudẽtia.

CAPVT TERTIVM.

Deus Iosue adest post Moysem.

Textus Historia.

EXCESSERAT E viuis Moyses, & Iosue ducendi populi curas susceperat solus; debebatur enim hæc illi veneratio, vt eius imperiũ esset nouissimũ Moysis opus. Quem Iosue lachrymis suis, ita vt filium decuit, mox publico totius populi luctu honestauit, imitatus ipsum, qui simili luctu triginta dierum defleuit Aaronem. Vix iustis solutis adest Dominus, qui Iosue robur indit, quo ardua quæque superare possit, vel in Iordanis transitu, vel in promissæ terræ expugnatione. Semel, & ter iubet hominem confirmari, & accingi, cui nullus obsistet hostis; dum diuina lex ei, populoque sit cordi. Non moratus ille, vbi Dei oraculum detonuit: iubet principibus, vt multitudinem moneãt parare cõmeatus, quibus die tertio Iordanem transire possint. Insuper Rubenitas, Gaditas, & dimidiam tribũ Manasse hortatur, vt iuxta fidem datam Moysi armati præcedant fratres suos vsque dum in terræ veniant possessionem. Nemo non annuit loquenti; cui etiam omnes eandem quam Moysi habuerant, promittunt fidem in posterum.

MORALIA CIRCA textus literam.

ABsoluimus, quæ de Iosue extra eius librum scripta sunt, & quæ in eius libro possent desiderari; nunc iam gradum facimus ad ipsius libri textum, cuius ponderationem futuram puto haud ingratam.

Cap. 1. Iosue: Et factum est post mortem Moysi serui Domini, vt loqueretur Dominus ad Iosue filium Nun, ministrum Moysi, &

si,& diceret ei : Moyses seruus meus mortuus est,surge,& transi Iordanem istum tu, & omnes populi tecum, in terram, quam ego dabo filijs Israel. Omnem locum,quem calcauerit vestigiũ pedis vestri,vobis tradam, sicut locutus sum Moysi. A deserto,& Libano,&c.

§. I.

Principibus habenda sunt ob oculos manifesta nouissima.

CVm primum post Moysem principatum hæreditasset Iosue: hæc facta sunt illi à Deo verba, *Moyses seruus meus mortuus est,surge,&c.* Aliter Iesus dicebat de Lazaro Ioan. 11. *Lazarus amicus noster dormit,sed vado.&c.* Ad Iosue locutus de Moyse defuncto,illum clarissime mortuũ ostendit; ad discipulos autem locutus de defuncto Lazaro,non mortuum dicit, sed dormientem.Et cur in Lazaro somnum, in Moyse mortem vocat? In Lazaro loquebatur cum pauperibus discipulis suis,quibus potius conuenit, vt in morte somnum contemplentur, & quietem, vt qui minus egeant nouissimorũ terribilitate coerceri, cũ ea facilius ipsis occurrat. In Moyse autem loquebatur cum Iosue Imperatore, & duce ingentis populi,cui maximè opus est aperta mortis,nouissimorumque terribilia continuo ob oculos ferre. Est equidẽ maximè optandũ principibus,quod apertis nominibus considerent suorum nouissimorum extrema. Prouerb. 31. *Noli Regibus,ò Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est,vbi regnat ebrietas.* Itaque à regibus vinum aufertur, ne inebriati perdant suum secretum. Sed quale est istud secretũ, quod sic procuratur,ne perdatur in regibus? Secretum istud optatissimum in aulis principũ,& regum,est quidquid pertinet ad mortis extrema. Quid ibi magis secretum? Et quid illis magis optandum,quam quod frequentes sint in isto secreto? Ruper. lib. 2. de Processi. Spirit. Sancti cap. 13. *Quale enim secretum exoptat? Nimirum vt homo iugum portans ab adolescentia sua solitarius sedeat,& lugeat, præsentem ante oculos habens causam,cur lugere debeat, videlicet,quia mortalis in peccatis, aut in peccatorũ periculis viuit, rationem redditurus ante tribunal tremendi iudicis.* Hoc secretum maximè curandũ est,ne vnquam desit principibus, potentibusque hominibus; sed quod illis apertissima sint eorum nouissima, nimirũ mors imminens,& iudicium. Est enim maximè regibus, principibusque salutare, quod illis mors ob oculos versetur apertissimè. Hinc notãda est quam diuersa extitit mortis notificatio dicta Sauli regi, vel dicta Ezechiæ. Cum enim 1. Reg. 28. apparuisset Samuel Sauli,ait illi: *Cras tu, & filij tui eritis mecum.* Non apertis verbis explicat illum vna cum filijs die sequenti moriturum; quod fecit Isaias 4. Reg. 20. dicens ad Ezechiam: *Hæc dicit Dominus; Præcipe domui tuæ, Morieris enim tu,& nõ vives.* Quid explicatius? Quid apertius? Et quando Samuel non apertis verbis, sed ambagibus vsus proponit Sauli instantem finem; cur similiter Isaias non magis dissimulat sententiam mortis, sed illam proponit Ezechiæ verbis apertissimis, rigorosissimis, inquiens: *Morieris tu,& non vives?* Planè Samuel loquebatur cum rege à Deo reprobato,& deplorato; cuius saluti non studet,& ideò mortis rigorem verborum phrasi obnubilat, vt solum dicat; *tu & filij tui mecum eritis.* At Isaias loquebatur cum rege, cuius saluti,& medelæ operã nauabat; propter quod ambages vniuersas depellit, clarisque verbis,& nominibus mortem instãtem denuntiat. Est enim salutare principibus, quod clarissime extrema mortis perciant. Quo crediderim spectasse illud Ezechielis cap. 21. cum Deus ad potentes Israelis dicit: *Dedi conturbationem gladij acuti,& limati ad fulgendum, amicti ad necem.* Quis enim non miretur, quod gladius amictus, tectusque proponatur ad necem; strictus autem, & limatus non ad necem, sed ad solos splendores emittendos? Et cur dicitur gladius amictus,& tectus magis pertinere ad necem? Rem explico ex eo, quod accidit carnificibus, dũ reos puniũt: quibus illam extremam suauitatem,& misericordiam præstant, vt ab eorum oculos abscondant gladios, quibus sunt interficiẽdi. Exit carnifex decollaturus nobilem adolescentem, qui in eius oculis quam longissime iecit strictum gladium, quem palam ferebat. Tunc quasi sine gladio esset, accedit misero, obuelat oculos de more,& dum non putatur recedere, vt gladium asserat, è sinu occultum gladiolum exerit, quo miserum nihil tale cogitantem perimit. Itaque

Ioann. 11

Prou. 31.

Rupert.

Ezech. 21

ſtrictus gladius aliqualem ſpem vitæ fouebat, tectus & occultus hominem perdidit. Sic Deus damnatis, deploratiſque principibus mortis gladium immittit; ſed tectũ, ſed multis opertum, quod eſt duriſsimum ſupplicium. Verum bonis, & fœlicibus ſtrictum mortis gladium proponit, & apertum, vt inde non perditionis tenebras, ſed vitæ ſplendores metant. Vt meritò clamet Iob 19. Iob 19. *Fugite ergo â facie gladij.* Vbi Septuag. in rem præſentem: *Fugite ab integumẽto.* Et meritò rem exitialem debes putare, quòd tibi mortis gladius imminens obtegatur, obnubiletur. Ea enim miſericordia carnificis eſt, volentis perimere; non medici ſanare volentis.

§. II.

Duce Ieſu aſpera quæque ſuauiantur.

MOrtuo Moyſe, dicitur Ioſuè, quòd ducat populum per Iordanem: ait enim: *Moyſes ſeruus meus mortuus eſt, ſurge, & tranſi Iordanem iſtum, tu & omnes populi tecum.* Viuente ducenteque Moyſe mare tranſitur; poſt mortem autem Moyſi ducente Ieſu, non amplius mare, ſed dulciſsimum Iordanis flumen ſuperatur. Crede mihi dulceſcent amariſsima quæque, ſi ducem Ieſum ſequaris. Origen. Ait Orig. hom. 1. in Ioſue: *Cum Moyſes educeret populum de Ægypto: Tranſeũt aquam maris, aquam ſalſam, nequicquam in ſe dulcedinis continentem. Hæc Moyſe duce geſta cognoſcimus. Cum vero Dominus meus ducit exercitum: Nuſquam iam mare, nuſquam ſalſus fluctus occurrit, ſed duce Domino meo Ieſu venio ad Iordanem.* Sanè, & ſub Moyſe, & ſub Ieſu gradientem exercitum fluctus excipiunt; ſed in Moyſe fluctus amariſsimi maris, in Ieſu fluctus dulciſsimi Iordanis. Solenne namque eſt ſectatoribus Ieſu vel tumentes difficultatũ fluctus inuenire ſuaues. Ionas in mare præcipitatus, à ceto voratus aiebat cap. 2. Ion. 2. *Proieciſti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me.* Dum in corde, & maris profundo eſſet, ſic erat, quaſi dulciſsimo flumine eſſet circundatus. Sed vnde fieri poterat, quòd homo in medio maris ſalſiſsimi inueniret flumina dulcis aquæ? D. Hieron. ibi id non ſolum in perſona Ionæ, ſed maximè in perſona Chriſti Ieſu putat factum. Ait enim: *Quantum ad Dominum ſaluatorem ſexageſimi octaui pſalmi ſumamus exemplũ, in quo ait: Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia; veni in altitudinem maris:: Et tamen cum inter amaras aquas fuerit, tentatus per omnia abſque peccato, non ſenſit amaras aquas, ſed flumine circundatus eſt: de quo in alio loco: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: alijs bibentibus ſalſos fluctus, ego in medijs tentationibus dulciſsima fluenta ſorbebam.* Hæc ſibi, & ſuis facit Ieſus meus, cui militat vniuerſa ſuauitas, & dulcedo; vt qui eius veſtigia ſequũtur, vel medijs amarorum, pænarumque fluctibus ſuauitatem ſentiant. De illuſtri Chriſti martyre Theodoro ait Theodoret. lib. 3. hiſt. c. 10. Rogatus à quibuſdam, ecquid doloris acerba illa, & crudelia tormenta paſſus ſenſiſſet; reſpondit, ſe initio aliquantulum doloris ſenſiſſe: at poſtea, ei apparuiſſe quendam, qui linteo molli, & frigido faciem ſudore manantem tergebat, iubebatque bono animo eſſe. Et propterea cũ carnifices à cruciando ceſſarent, ſe non voluptatem, ſed afflictationẽ ideò ſenſiſſe, quod is, qui eius leuaſſet cruciatum, diſceſsiſſet. Sic ibi; vt videas, quam dulcia flumina excipiãt eos, qui ad ducem Ieſum ſpectant, illumque ſequuntur per aſpera quæque. Sic Dan. 3. *Angelus Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius in fornacem, & excuſsit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris, &c.* Mirabaris, quod medijs fluctibus maris dulcia flumina eſſent; ſed maius eſt, quod medijs fornacis flammis rorantes auræ inuenirentur. Et qui Angelus deſcendens cum ijs pueris in fornacem, ibi rorem effecit? Ait D. Chryſoſt. epiſt. ad Cyriacum exulem: *Tũc denique Chriſtus verax Deus repentè mirabili operè diſperſit ignem. Ignis enim non ferens iuſtorum virtutem exiliit foras, & Chaldæos incẽdit, fuitque illis poſtea caminus pro Eccleſia.* Et quid ſuauitatis non fieret fornax pueris, qui ſecum Chriſtum habebant? Sanè vbi Chriſtus eſt vel in medijs tormentis, & periculis; ibi, & refrigerium, & ſuauitas, & malorum medela. Quę ſine Ieſu inueniuntur, non ad ſuauitatem conferunt, ſed ad pœnam. Sic Eliſæus 4. Reg. 4. audita morte pueri miſit ſeruum ſuum, vt illum ad vitam traheret, dicens: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade.* Baculum ſuum mittit, vt ſalutẽ reddat puero, ſed minimè id præſtitit. Et cur baculus nihil præſtitit? Ait D. Auguſt. ſerm. 206. de Temp. *Puer iſte typum habuit Moyſis. Miſit eum cum baculo in Ægyptum: ſed baculus ſine Chriſto flagellare Ægyptios potuit; de peccato liberare, aut reſuſcitare nõ potuit.* Et baculus, & virga, vbi inueniun-

Tob 19.

Origen.

Ion. 2.

D. Hier.

Dan. 3.

D. Chryſ.

4. Reg. 4.

D. Aug.

ueniuntur ſine Chriſto Ieſu, nihil ſalutare nouerunt, affligere homines, & flagellare tantum poſſunt. At vbi illis Ieſus adiungitur, fallar niſi vitam halēt, reſurrectionem promant. Caue tibi homo, ne ad te veniat baculus, veniat dolor, veniat, calamitas ſine Ieſu; ingentes enim tibi pariet dolores; at ſi cum Ieſu ad pęnas, ad dolores, ad tempeſtates pergas, tibi ſuauia buntur, & dulceſcent omnia.

§. III.

Illud præſtantius cenſetur, quod pluribus proficit.

PRęſtantia tanti ducis non in eo ſita eſt, quod ipſe Iordanem ſuperet: ſed quod plures inde traducat in terram promiſſam. Sic ibi dicitur: *Surge, & tranſi Iordanem iſtum, tu, & omnes populi tecum, in Terram, &c.* Quid magnum indicitur Ioſue circa Iordanis tranſitum; quando, & 1. Paral. 12. de alijs fortiſsimis dicitur, quod & ipſi Iordanem tranſiſſent pugnaturi? Sic enim habes ibi: *Iſti ſunt, qui tranſierunt Iordanem menſe primo, quando inundare conſuevit ſupra ripas ſuas, & omnes fugauerunt, qui morabantur in vallibus, &c.* Et quando iſti validiſsimi ſic etiam exundantem tranſeūt Iordanem, vt fugēt inimicos; quid magnū commendatur Ioſue de Iordane ſuperando? Aut vnde Ioſue gloria adeò decantata eſt pro tranſitu Iordanis, quando, & alij poſtea ſine vllo miraculo tranſuadarunt illum? Planè potuiſſent fortiſsimi viri ipſi per ſe ſuperare Iordanē, ſed quod id faceret cum ingenti populorum multitudine, fœminis, pueris, ſenibus, id ſolum fuit Ioſue, cui dictum eſt: *Tranſi Iordanem iſtum tu, & omnes populi tecum.* Præſtantia autem & excellentia viri inde extollitur, quod extendatur ad plures, pluribuſque ſit profi cua. Dicebatur Mariæ Luc. 1. *Concipies, & paries filium, vocabis nomen eius Ieſum:* & vt modum ſciret, additur illi: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, &c.* Quanta hæc Mariæ gloria? Sed & Luc. 3. de Iordane dicitur: *Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, & orante apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus Sanctus, &c.* Ecce tibi è Maria naſcitur Ieſus, & ex aquis Iordanis quaſi renaſcitur in Baptiſmo; in vtraque natiuitate interuenit ſpiritus diuinus. Vtra ergo præſtantior natiuitas? Ait D. Auguſt. hom. 7. de Epiph. *Penè maiori munere, quam Maria, vnda ditata eſt. Illa enim ſibi tantū meruit caſtitate, iſta nobis contulit ſanctificationem. Illa meruit ne peccaret, iſta vt peccata purgaret. Illa vnum procreauit, & pura eſt; iſta genauit plures, & virgo eſt. Illa præter Chriſtum, neſcit alium filiū; iſta cum Chriſto mater eſt populorum.* Ecce vn de Auguſtinus putat penè exaltari natalē Chriſti ex vndis ſuper natalem ex Maria, quia è Maria naturali origine natus vnus Ieſus, ab vndis autem, & cum Ieſu renaſcuntur populi multi, & maximè ad præſtātiā facit, quod ſis proficuus multis. Paul. 1. ad Corinth. 13. ait: *Nunc autem manent, Fides, Spes, & Charitas; tria hæc, maior autem horum eſt Charitas.* Et vnde Charitas maior eſt Fide, & Spe? Nonne, & Fides Deum attingit? Cur Charitas maior Fide eſt? Ait D. Zeno ſerm. de ijs virtutibus: *Triumphet licet, quibus vult virtutibus fides; ac ſpes multa, & magna proponat, Charitas ſua ingerit fortiora, quæ eſt ita rebus omnibus prædita, vt ſit omniū iure ipſa regina. Quod fides ſibi ſoli prodeſt, Charitas omnibus.* Expē de vnde Charitas ſe extollat ſupra fidem, nimirum: *Quod fides ſibi ſoli prodeſt, Charitas omnibus*: fides ſic Deo nititur, quaſi velit eum ſoli ſibi; non curat de cęteris; at Charitas ſic ad Deū tendit, vt ſimul vellet omnes Deo, & alijs omnibus Deum. Ne dubites maiorem eſſe virtutibus cęteris, quæ ſic omnibus eſt benefica. Nunquam enim non maximè extollitur, qui pluribus proficit. Sic Loth Gen. 18. iuſſu Dei fugiens ad montem, veritus ſolitudinem clamabat ad Deum. *Eſt ciuitas hæc iuxta, ad quam poſſum fugere, parua, & ſaluabor in ea, nunquid non modica eſt, & viuet anima mea? Dixit ad eum, etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, vt non ſubuertam vrbem, pro qua locutus es.* Conceſſum illi erat, quod ſaluaretur in ſolitudine montis; at ipſe magis petit ſaluari in ciuitate, vt ſic ſalus non pertingeret ipſum ſolū, ſed ad vniuerſam extenderetur ciuitatem; ex quo nō parum ſibi glorię contraxit. Vt dicat Claudius Marius lib. 3. in Gen.

Conceſſumque ſibi donum ſpeciale ſalutis
Pluribus impertit, meritūque de munere fecit.

Sic merita extulit, vbi ſibi conceſſum donum ſalutis ſpeciale; fecit, vt pluribus poſſet communicari.

1. Par. 12
Luc. 1.
Luc. 3.
D. Aug.
1. Cor. 13.
D. Zen.
Gen. 18.
Cla. Mar.

§. IIII.

Creaturarum auxilia, & progreſſus multis impediuntur; vnus Ieſus nulla non ſuperat impedimenta, vt faueat.

POtentiæ Iſraeliticæ terminos ſic Deus ſtatuit: *Omnem locum, quem calcauerit veſtigiũ pedis veſtri, vobis tradam, ſicut locutus ſum Moyſi. A deſerto, & Libano vſque ad fluuium magnum Euphraten: omnis terra Hethæorum vſque ad mare magnum cõtra Solis Occaſum, erit terminus veſter.* Sed illud notandum, quod vbi mare magnum, & fluuium Euphraten ſtatuit terminum potentiæ Iſraeliticæ, non cum Ioſue loquitur in particulari; ait enim: *Locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, & c.* Immediatè ante locutus cum Ioſue de trãſitu Iordanis, Ioſue à populo ſeparabat, aiens: *Surge, & tranſi Iordanem iſtum, tu, & omnes populi tecum*; modo illum commiſcet, & cõfundit cum populo, dicens: *veſtigium pedis veſtri, & vobis tradam.* Cur, vt ſupra dixit ſeparatim, *trãſi tu, & omnes populi tecum*; modo etiam non dicit, *veſtigium pedis tui, & omnis populi*; imò, & *tibi, & omni populo tradam*? Cur in primò ſeparat Ioſue à populo, in ſecundo autem illum confundit cum popularibus? Meritò vbi flumen magnum, & mare magnum poſiturus erat terminos, quos minimè tranſgredi poſſet poteſtas Iſraelitica, non Ieſum meminit; ſed ſolius Moyſis mentionem particularẽ facit: cuius, vt cæterarum creaturarũ, proprium eſt, multis impedimentis detineri, & coerceri, ne vllos progreſſus faciant in auxiliando. At vbi Iordanis fluuius ſiccãdus erat, ne gradientibus impedimentũ oponeret, ibi non meminit Moyſem; ſed in particulari ſpectat Ieſum Naue, fatus: *Surge, & tranſi Iordanem iſtum, tu, & omnes populi iſtum.* A Ieſu enim ſolo Domino noſtro venit, quòd nulla impedimenta ſentiãtur, quòd omnia ſuperet, vt ſuos protegat, & in ſalutem afferat. Quò ſpectans ipſe Ieſus meus Iſaiæ cap. 43. ait: *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.* Septuaginta legunt. *Et flumina non concludent te.* Ecce tibi vt redemptor, atque ſaluator noſter Ieſus omnem à nobis pellẽt timori, facturus vt nullis fluminibus concludamur, nullis difficultatibus implicemur, quo minus ipſe ad nos non poſſit trãſire. Siquidem dum ſub hoſtibus, ſub neceſsitatibus premimur; ipſe omnia tranſit, omnia ſuperat, vt ferat auxilium. Adulator ille Principis ſui Plinius in Paneg. Trajani dicebat: *Quòd ſi quis barbarus rex eo inſolentiæ furoriſque proceſſerit, vt iram tuam indignationemq; mereatur, nec ille ſiue infuſo mari, ſeu fluminibus immenſis, ſeu præcipiti monte defenditur? Omnia hæc tam prona, tamque cedentia viribus tuis ſentiet, vt ſubſediſſe montes, flumina exaruiſſe, interceptum mare, illataſque non claſſes noſtras, ſed terras ipſas arbitretur.* Hæc vanè de vano effluebat ille: quæ veriſsima in noſtro Ieſu experiri poſſumus quotidie. Vbi enim hoſtis humani generis Ieſu indignationem ſolicitet, ſub eiuſque tyrannide gemant populi; nequaquàm ille ſecurus erit, ſiue interfuſo mari, ſiue fluminibus immẽſis, ſiue præcipitibus montibus. Sic enim bonus Ieſus prouidit ſuis etiam in mundo extremo conſtitutis, vt videantur illi ſubſediſſe montes, interceptum mare, immenſa flumina exaruiſſe. Non immeritò illa conculcata quondam à tenebrarum poteſtatibus dicebat de Ieſu meo Cant. 2. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloq; cernorum.* Ne ſentiat impedimẽta montium, fluminumvè in adiuuandis ſuis ceruo ſeſe oſtendit ſimilem Ieſus meus. Et cur ceruo? Erat ingens lacuna Mæotides nomine, cuius ad ripas habitabant Gothorum populi perſuaſi lacunam immeabilem eſſe, & tantæ vaſtitatis, vt poſt illam, nullus ali genti maneret locus. Quid tunc? Ait Iordanus Epiſcop. Rabenæ lib. de rebus Geticis: *Ergo, vt aſſolẽt venatores, dũ in vlterioris Mæotidis ripa venationes inquirũt Gothi, animaduertũt quomodo ex improuiſo cerua ſe illis obtulit, ingreſſaque paludem, nunc progrediens, nũc ſubſiſtens, indicem ſe viæ tribuit. Quam ſecuti venatores, Paludem Mæotidem, quam imperuiam vt pelagus exiſtimabant, pedibus tranſire. Moxque vt Scythica terra apparuit, cerua diſparuit, & c.* Itaque ſuperatis paludis immenſis aquis duce cerua, apparuerũt Scytharum populi, tractique fuerũt in mores ciuiles, & ebiberunt Chriſtianam religionem. Quid diuinius? Equidem noſtro diuiniſsimo ceruorum hinnulo Ieſu ſubſidunt montes, exarent immenſa flumina, & maria exarent, vt ſuis ferat opem. Quis ad eum pertinens infuſo mari, ſiue fluminibus immenſis, ſiue præcipitibus montibus occluſus, ſic teneri potuit ab hoſte; ne ad

Iſai. 43.

Plinius.

Cant. 2.

Iord. Epiſ.

illum

illum duceret Ieſus, qui vitæ, ſalutiſque æternæ ferrent opem? Erant ſanè altiſsimi, præruptiſsimique montes, profundiſsimæ valles, flumina immeſa, vaſtiſsima maria, quæ nudis Indis Euangelicæ prædicationis additum occluderent. Sed ecce venit Ieſus verus hinnulus ceruorũ, & indicem ſe viæ præbẽs omnia fecit ſuperari, & duxit populos, qui remotiſsimos receſſus excrutarẽtur orbis, vt ſalutẽ miſerrimis proponerent. Fœlices nos, qui ſub Ieſu viuimus; nulla enim impedimenta non vincet, vt nobis afferat ſpem vitæ.

Ioſue 1. Nullus poterit vobis reſiſtere cunctis diebus vitæ tuę, ſicut fui cum Moyſe, ita ero tecum; non dimittam, neque derelinquam te. Confortare, & eſto robuſtus: Tu enim ſorte diuides populo huic Terram pro qua iuraui patribus ſuis, vt traderem eam illis.

§. V.

Tunc homo ſecurior, quando non ſibi, ſed Deo creditur.

NVllam reſiſtentiam obuiaturam Ioſue promittit Dominus, ad quã promiſsionem confirmandam multis explicat, vt illi inſeparabiliter aſsiſtet. *Nullus, ait, poterit vobis reſiſtere.* Et cur nullus reſiſtet? An quia validus, & fortis ſupra omnes Ioſue? Nihil de Ioſue valore memi nit, ſed illud pro victoriæ confirmationẽ ſubdit: *Sicut fui cum Moyſe, ero tecum; nõ dimittam te, neque derelinquam.* Vbi dixit; *Sicut fui cum Moyſe ero tecum*, cur addidit illud: *Non dimittã te, neque derelinquam?* Nõ ne hæc duo erant idem cum primo? Minimè. Aliud eſt enim, quòd Deus illi aſsiſtat, aliud quod illum non deſerat. Aſsiſtentiã enim promiſſam explicat, quòd non derelinquet eum tanquam ſocius indiuiduus, & perpetuus latero; & quod non dimittet, ſed manibus prehenſum habebit, nec hominem ſibi permittet. Quid ſecurius, quã quod homo non permittatur ſibi? Ait Caietan. in præſenti: *Non dimittam te, neque derelinquam te. Non ſunt hæc ſynonima, ſed alterum ſignificat retentionem, alterum aſſotionem. Promittit ſiquidem Deus, & quod velut comes indiuiduus non derelinquet eum, & quod tanquam retinẽs eum deuictum ſibi Deo, non dimittet eum ſibi ipſi Ioſue.* Et plane in eò maximè confirmatur Ioſue, de ſuperanda reſiſtentia, quod non relinquetur ſibi ipſi; nunquam enim certius homo aſſeritur habiturus ſecum Deum ad vincẽda omnia aduerſa, quam dum ipſe ſibi nihil putat relictum, ſed omnia Deo refert. Aiebat Apoſtol. 1. ad Corinth. 15. *Abundantius illis omnibus laborani, nõ ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Ecce firmitudinem ſuorum laborum, nimirum illud: *Non ego autem*: vbi ſolas ſuas vires, ſuam efficẽtiam ſolam clarius negat, certius cooperatorem aſſerit Deum, cum quo aduerſa omnia debellet. Vt dicat Paul. Oroſ. Apolog. de libero arbitrio: *Non ego, ſed gratia Dei mecũ, inter duo hæc verba; Non ego, & mecum, gratia Dei mẽdia eſt: Vnde, & ille confiſus, vt diceret mecũ, quia dixerat, Non ego.* Inde conſortium Dei ad omnia ſuperanda certius ſibi aſſerebat, quia dixerat, Non ego, quia ſe nullum putabat in facinoribus, qui nihil ſibi permittebat, ſed omnia Deo credebat. Sibi autem relictus homo præter ruinã, quid aliud ſperet? Dixerat Petrus Matth. 26. *Ego non ſcãdalizabor, etiam ſi oportuerit me mori tecum.* Verum vbi ad rem ventum eſt audita vocẽ puellæ ter Dominum negat. Vnde tantus cecidit? Putabat ſe aliquid poſſe ad Deum, & ideò ſibi relictus eſt, vt videret ſe nihil eſſe. Dicit enim Aug. ſer. 24. de Tempore. *Petrus non addito adiutorio Dei promiſſerat ſe pro Domino moriturũ. Sed quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus, cum negaret Chriſtum? Et ideò Petrum paulum Dominus ſubdeſeruit, vt in illo totum humanum genus poſſet agnoſcere, nihil ſe ſine Dei gratia prauale re.* Caueat homo, ne ſibi committat ſalutem; in extremam enim ægritudinem deueniet.

Caietan.

1. Cor. 15.

Paul. Oroſ.

Matt. 26.

Auguſt.

§. VI.

Semel guſtatis Dei bonis, ægrè, & difficulter ab illo auellimur.

EXpende ordinem, ait enim: *Sicut fui cũ Moyſe, ero tecum, nõ dimittam, neque derelinquam te.* Quid eſt: non dimittam te, &c? Ait Caietanus: *Non dimittet tanquã retinens eum deuictum ſibi Deo.* Et quidem, vbi bona à Dei conſortio, & aſsiſtentia ve

nien-

nientia gustauit homo, sic Deo solet adhærere, illique deuinciri, vt ægre, inde queat auelli. Felix illa peccatrix Luc. 7. cucurrit ad Iesum, *& stans retrò, secus pedes eius cœpit lauare, &c.* Sed, quod mirere magis, post quam lauit Christi pedes, & terſit capillis, adhuc stat retro secus pedes eius. Imò Iesum pro se loqui audit ad Pharisæum, suaque singillatim explicare obsequia, suam charitatem præferre, & adhuc pedibus hæret: insuper sibi audit peccata dimitti: intereaque dicit ei Dominus: *Vade in pace, fides tua te saluam fecit.* Mirabar, quòd sancta iã fœmina post finitum obsequium prę stitum Deum, post veniam peccatorum acceptam adhuc ibi maneret, adeò vt necessum fuerit, quòd Dominus illã inde abire iuberet. Et cur non magis ipsa præoccupauit abeundi imperium? Cur non prius ipsa abiuit? Caietan. Ait Caiet. ibi: *Sentiebat intus mulier fructum magnum ex præsentia Iesu: & propterea percepta venia peccatorum, & commendata eius fide non recedebat, nisi Iesus suaui præcepto recessum imperasset.* Sic adhærēt, & reuinciuntur Deo, qui eius consortium gustare meruerunt. Dicebat illa Cant. 3. Cant. 3. *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Ex quo enim semel adhęsit Deo, sic illi agglutinatur, quasi nequeat inde separari. Gill. Ab. Ait Gillib. Abb. serm. 13. in Cant. *Tenui, nec dimittam illum. Tenuit, quia non timuit, dum turbaretur omnis terra, & maiores huius mundi potestates transferrentur aduersus illam in cor amaritudinis. Adglutinata est sponsa funiculo, qui rumpi non potest.* Equidem quæ manibus suis tenuerat Iesum, quæ fructum salutiferi, diuinissimique arboris attigerat, non vereor, quòd illi agglutinata firmiter, ægrè & difficulter posset separari ab illo. Sic illæ fœminæ, quæ Iesum rediuiuum sibi viderunt occurrere, *Accesserũt,* Matt. 28 *& tenuerunt pedes eius.* Matth. 28. Vbi D. D. Thom. Thomas: *Quia firmiter adhærere Christo debemus, ideo dicitur tenuerunt pedes eius.* Itaque non solum tangunt pedes Iesu, sed ita firmiter tenent illos, vt nolint, imò vt maximè metuant separari ab illis. Ex quo D. D. Amb. Amb. lib. de Isaac cap. 5. ait: *Denique habes, quia tenentibus & adorãtibus dixit, Nolite timere. Tene ergo & tu anima, sicut tenebãt & Mariæ, & dic: tenui eum, & non dimittã: cum dicebant ambæ: teneamus te; vade ad patrem, sed non relinquas Euam, ne iterum labatur. Tecum eam ducito iam non errantem, sed arborem vitæ tenentem: tecum rape tuis pedibus inhærentem. Tecum ascendam, noli me dimittere, ne iterum serpens venena diffundat.* Quæ pedes tenebant Iesu, sic in eo firmabantur, vt nihil magis metuant, quàm ab illo separari; sic quantum est ex se inseparabiliter illi amant hærere, vt omnia sine illo metuant.

§. VII.

Distributio bonorum in egentes maximè hominem roborat & confortat, ne incidat in manus hostium.

MVnus distribuendi terram in populã res mandatur Iosue, & simul illi dicitur, vt roboretur, confirmetur: Ait enim: *Cõfortare, & esto robustus, tu enim sorte diuides populo huic Terram, &c.* Et sane vbi quis in hoc opus accingitur, vt populis egentibus terrenas diuidat substantias, nõ potest inde non magnum robur, & fortitudinem aduersus hostes assumere. Aiebat enim Psal. 40. *Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eũ dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* Hæc vltima sic ponit Appollinaris: *Custodem habeat regem vitæ, & simul curatorem. Neque eum hostilibus prædã manibus permittat.* Qui beneficum partitorem agit substantiæ in egenos, eòque dirigit mẽtem suam, pro validissima custodia, munimentoque habet cœlestem regem, qui sic hominem protegit, atque corroborat, vt nullum ad illum hostibus aditum relinquat. Et quis numeret exercitum, cum quo Rex cœlestis custodit, & roborat hominem beneficum? Ait D. Chrysost. hom. 33. ad Pop. *Sunt & hic castra pauperũ: est bellũ, in quo pro te pauperes pugnant. Cum enim stipendiũ acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium; propitiũ autem facientes pro Barbaris dæmonum insidias repellunt, neque sinunt vehementer infestũ esse malignum, neque semper irruere, sed ipsius soluunt potentiam.* Habet beneficus homo pro se custodem cœlestem regem, cum ingenti exercitu pauperum, qui totum occludunt hostibus aditum. Qui rursus sic te muniunt, sic roborãt, vt in te maligniſsimi hostes irruere non valeãt, nec aduersus te aliquid possint in certamine. Mirabar aliquã do è decẽ virginibus, quas memorat Matt. 25. quinque eo miseriæ deuenisse, vt prædã forent hostibus suis, alias verò quinque de hostibus triumphasse? Et vnde natum

est,

eſt, quod quinque illarum ab hoſtibus cal carentur, quando alię de illis triũpharunt? Ait textus de miſeris: *Nõ ſumpſerunt oleum ſecum.* Strenuorum luctatorum eſt ante luctam corpus oleo inungere, quo membra maximè roborantur, & lubrica fiunt, ne poſsit teneri hoſtilibus manibus. At miſeræ hæ puellæ dum in mundi huius certamina audent intrare ſine hac olei roboratione, miſere cadunt. Triumphãt autem, quæ de hoc oleo roboratæ in hoſtes audẽt. Sed quale hoc oleum eſt, quod ſic corda humana roborat, vt triumphent, & ſine quo perduntur, quæ veniunt ad certamina? Sum à communi ſentẽtia Patrum, qui in oleo hoc intelligũt miſericordiam in pauperes, qua ſic roboramur, vt glorioſiſsimas victorias de hoſtibus poſsimus reportare. Ait elegãter D. Chryſoſt. homil. 65. in Matth. *Non ſic oleum corpus hominis roborat, vt animam miſericordia ſtabilit, adeòque confirmat, v: ſuperari à diabolo nequeat, lubricumque eleemò ſinæ oleum corpus hominis conſtituit, ita vt diaboli manus facile propter lubricitatem conſlituat.* Proh beneficentiæ robur! Crede mihi Chriſtiane, ſi ad luctas vocaris, ſi arenate ſpectat, ſumme de miſericordiæ in pauperes oleo, quo inungaris, ſic inde roboraberis, vt prorſus triũphes de omnibus aduerſarijs. Cãtatiſsimus ille Nehemias, qui in manu valida, & potenti reædificauit tẽplum, & muros Ieruſalem renuentibus, & repugnantibus hoſtibus tam domeſticis, quam extraneis, vnde tantam obtinuit valentiam? Ipſe ait 2. Æſdræ cap. 5. *A die autem illa qua præceperat mihi rex, vt eſſem dux in terra Iuda:: ego, & pueri mei annonas, quæ iudicibus debebantur, non comedimus:: Iudæi quoque, & magiſtratus centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus, quæ in circuitu noſtro ſunt, in menſa mea erant. Parabatur autem mihi per dies ſingulos bos vnus, arietes ſex electi, exceptis volatilibus, & inter dies decem vina diuerſa, & alia multa tribuebam:: Memẽto mei Deus meus in bonum, &c.* Ecce tibi ſtrenuiſsimus dux, cui pugnandum erat cum infenſiſsimis hoſtibus, vt ducatum accepit, qualia ſibi parat munimenta, nimirum menſam proponit populo indigenti. Quo ſic confirmatur, vt vel repugnantibus hoſtibus reædificet Dei templũ. Fallar niſi huic menſæ animũ intendebat, qui dicebat Pſal. 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant nos.* Maximè enim muniris ex mẽſa exhibita pauperibus, vt hoſtiles auſus cõfringas, & funditus perdas. Et addit: *& impinguaſti in oleo caput meum.* Cui enim Deus dat vt menſam ponat pauperibus, ſimul, & oleum præbet, quo roboretur, vt in luctas deſcendat, glorioſoſque de hoſtibus triumphos peragat.

D. Chryſ.

Æſd. 5

Pſal. 22.

§. VIII.

Primum obtineat à Deo, quod peccatum fugiat, qui cupit bona ex eius manu obtinere.

EIigitur Ioſue, vt diuidat populo terrã promiſsionis, dicit enim: *Diuides populo huic Terram, pro qua iurauí patribus ſuis, vt traderẽ eam illi.* Sed de facto nec Ioſue, nec alius dux poſſedit integram terram patribus promiſſam, vt ait Maſius in præſenti. Cur ergo Iſraelitæ de facto non acceperunt terram illam integram, quam Deus promiſerat illis, & pro qua danda tãtus dux eligitur? Peccarunt miſeri contrà Deum, & dum non acceperunt, quod non peccarent, non miror, quod nõ acceperint ex Deo bona promiſſa. Hoc enim ſolet præſupponi prius, nimirum, quod quis accipiat; ne peccet, vt deinde bona ex Deo accipiat. Aiebat in præſenti Theodor. quæſt. 1. *Iſraelitæ ergo mox delinquẽtes, quod promiſſum erat, non plene ſunt adepti. Diuini autem Apoſtoli non ſolum obtinerunt ea loca, quæ calcauerunt, ſed etiam illa, in quibus eorũ docte ſcripta lecta ſunt: & deſertum olim, paradiſum diuinum reddiderunt.* Expende differentiam Apoſtolorum, & Iſraelitarum; Apoſtoli vniuerſum mundum peragrarunt vel pedibus, vel doctrina, & vniuerſum mundũ Chriſto ſubiecerunt; Iſraelitæ paruam regionem pedibus ſæpe calcarunt, nec illam acquiſierunt ſibi, vt erat illis promiſſum. Vnde hoc? Ait ibi: *Iſraelitæ mox delinquentes. &c.* Vbi Iſraelitę non acceperunt, ne à peccatis fugerent; etiam non acceperunt bona à Deo promiſſa. Illis enim ſolet Deus dare bona ſua, quibus prius dedit, ne peccatis ſeruirent. Dan. 13. clariſsima illa Suſanna ſolicitata ad adulterium, peccatum effugit; noluit peccato conſentire, etiam ſi pro eo veniendum eſſet in periculum vitæ. Quid tunc? Falſo accuſatur à ſenibus, adducitur à populo interficienda, quę tamen inter ipſa pericula non perdidit ſpem vitæ accipiendæ à Deo. *Et cum duceretur ad mortem, ſuſcitauit Dominus Spiritũ Sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel:: & ſaluatus eſt ſanguis innoxius in die illa.*

Theod.

Dan. 13.

Ecce tibi vt accepit Susanna ex Deo vitã, quam sperabat ab illo etiam in summo vitæ discrimine. Et vnde accepit tantam ex Deo salutem in periculis, nisi quia prius ab illo acceperat, ne in peccatum iret? Ait
D. Chrys. D. Chrysost. hom. de Susanna: *In illis ventis, & fluctibus naufragium castitas non fecit, quia Dominus gubernabat; affuit precanti, & exaudiuit, quam nouerat; nec deseruit, ne moreretur; cui subuenit, ne adulteraretur.* Quid diuinius? Expende hanc sententiam aureã; *Nec deseruit, ne moreretur, cui subuenit ne adulteraretur.* Quippe vbi affuit Deus, ne peccaret, vbi dedit, ne adultero consentiret, iam inde parabatur, vt daret vitã speratam, & vt periculis euaderet. Conueniãt huc mulieres, conueniant huc viri, & videant medium efficacissimum, seu pignus clarissimum consequendi à Deo sibi bona necessaria, nimirum si prius cõsequantur, quod immunes à peccatis maneant. Promissum est tibi à Deo, imò prouisum tibi, & filijs coruorum alimentum; & cur tibi non datur, quod illis infabiliter datur? Videlicet, quia tibi prius non fuit datum, vt non peccares; vtinã acciperes à Deo, quod non peccares, quod non consentires adultero, & fallar, nisi ex Deo acciperes, quæcumque tibi essent, & vitæ, & saluti necessaria. Præcedat vitæ innocentia, vitæ sanctitas, & non dubitem, quod bona ex Deo sequantur. Ioann. 2. in nuptijs Cana Galilææ cepit Iesus suam gloriam manifestare, cœpit suam magnificentiam explicare, & sex hydrias aquæ plenas, in totidem plenas vino mutauit. Ait enim: *Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factã, &c.* Et cur in aquis cœpit Iesus suam gloriam,
D. Max. & magnificentiam ostendere? Ait D. Maxim. hom. 6. de Epiph. *Aquas, inquam, vertit in vinũ, & quas sanctificauit in baptismo, nobilitauit in nuptijs.* Planè vt prius aquas in baptismo sanctificauit, sic consequenter illis dedit in nuptijs vini nobilitatem. Est pignus accipiendi à Deo quæuis magna, si prius ab illo accipias sanctitatẽ, qua fugias peccata.

Iosue 1. Confortare igitur, & esto robustus valde, vt custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus, ne declines ab ea ad dexteram, vel sinistram, vt intelligas cuncta, quæ agis. Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaueris in eo diebus, ac noctibus, vt custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo; tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Ecce præcipio tibi, confortare, & esto robustus. Noli metuere, noli timere, quoniam tecum est Dominus, &c.

§. IX.

Diuinarum legum meditatio nos certissime dirigit in salutis viam.

QVam certum est illud à Deo Iosue dictum nimirum: *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaueris in eo, diebus, ac noctibus, vt custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo: Tunc diriges viã tuam, &c.* Quippe vbi quis assiduus est in euoluendis diuinarum legum voluminibus, eisque meditandis, vt sequatur ea, quę ibi inuenerit; nolo credere, quin recta via tendat ad salutem. Aiebat Philo lib. de Abraham: *Abdit se bonus in rusculum solitarium, suauius victurus cum viris præstantissimis, quorum tempus aboleuit corpora, solis virtutibus superstitibus, quæ in literis prodita ad meliorem frugem reducunt animam.* Habent hoc magnorum virorum scriptæ virtutes, quod vel præcipites, vel funditus perditas animas ad meliorem frugem reducant. Vis homo à præcipitijs reuocari? Vis nec ad sinistram, nec ad dexteram declinare, sed in rectum dirigi? Pete magnorũ virorũ scriptas virtutes, pete volumina diuinarum legum, & aliquod tempus cum ijs insumme, & citissime te inuenies in rectam salutis viam. Hinc Dauid clamat Psal. 118. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Incola ego sum in terra, non abscondas à me mandata tua. Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, &c.* Ne erronũ more in terra viuat, sed directè ad Deũ tendat, hoc petit ex Deo Dauid nimirũ: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua;* dum enim quis habeat oculos, qui virtutũ scripturarum miracula videat; nihil sibi putat deficere, vt inoffense curret viam salutis. Ex quo D. Ephrem in Parænes. de Patientia, & consummat. sæ-

Philo.

Ps. 118.

culi

D. Ephr. culi monet: *Idcirco, mi frater, vide, ne negligas animam tuam, sed lectioni, ac præcibus sedulo incumbe, vt mens tua illuminetur, fiasque perfectus, & integer, in nullo deficiens. Gloriantur alij de magnatum, principum ve, ac Regum familiaritate, atque colloquio; ac tu coram Angelis Dei gloriare, colloquens, & cũ Spiritu Sancto per sacras literas conferens. Nã Spiritus Sanctus est, qui loquitur per eas. Da operam igitur, vt diuinarum scripturarum lectionem familiarem tibi reddas. Quoties cumq; enim per eas Dominum interpellas, toties tibi corpus sanctificatur, & anima, & spiritus.* Et quid requirat, qui præ manibus habet diuinas scripturas? Suauissime sanè viuet non solum cum viris præstantissimis, quorum virtutes manent scriptæ; sed etiam cũ Deo ipso, qui sese literis scriptis immiscet, indeque perpetuo halat vitam, ad quam prospere tendat quisquis scrutatur diuina volu-

Psalm. 1. mina. Vt dicat Psal. 1. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum:: Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege Domini meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum, quod plãtatum est secus decursus aquarum, quod fructũ suũ dabit in tẽpore suo, & foliũ eius nõ defluit, & omnia, quæcumq; faciet, prosperabuntur.* A lectione, & meditatione scripturarum, nunquam non proſperaberis in via; nunquam non prestantissimos afferes fructus; omnia tibi affluent, vt nihil deficiat. Ex

Cassiod. quo aiebat Cassiodor. 9. var. 25. extollẽs regium ministrum: *Ad remissiones irarum non perdurat austerus, suarum rerum distributor egregius; & dũ nescit aliena quærere, nouit propria largus offerre. Hos mores lectio diuina solidauit:: Hinc enim virtutum omnium sumitur manifesta cogitatio: hinc sapientia veritatis sapore conditur. Sic ad omnia redditur humilis, quem imbuit doctrina cœlestis.* Sic ibi: Huc refero dicta tom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 16. §. 33. & tom. 1. & alibi.

§. X.

Sapiens lectio maximè ornat Principem, & gubernatorem.

BEllicosissimo duci Iosue, id mandatur in primis, nimirum, *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, in eo meditaberis, &c.* Quid liber cum duce? Nõne Iosue fiebat Princeps vt exturbaret hostes, expugnaret vrbes, armato exercitu potiretur regnis? Ad hæc quid liber? Cur nõ potius datur gladius, arma dantur; quã liber? Crede mihi magnis, & præstantissimis ducibus, & principibus maximè iuuit docta lectio; & literarum studium. Hinc commẽdans Gothorum Regem Theodohadum ait Cassiod. 10. var. 3. *Accessit his bonis desiderabilis notitia literarum, quæ naturam laudabilem eximie reddit ornatam. Ibi prudẽs inuenit, vnde sapientior sit. Ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur. Inde Princeps accipit, quemadmodum populos sub æquitate componat. Nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam literarum non augeat gloriosa notitia. Accipite, quod maius generalitatis vota meruerunt. Præceps vester etiam Ecclesiasticis literis est eruditus, a quibus semper quidquid est pro honore commonemur iudicare recte, bonũ sapere, diuina venerari, futura cogitare iudicia. Viderim, quæ lectio acuat ingenium, diuina efficere nititur pium.* Illa est maximè seruãda sententia nimirum: *Nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam literarum non augeat gloriosa notitia*: nunquam non augetur hominis fortuna siue in pace; siue in bellis, quam sapiens lectio, & studium iuuat. Vt dicat Prouerb. 24. *Vir sa-* Prou. 24.
piens, fortis est, & vir doctus, robustus, & validus. Quò adducenda sunt dicta tom. 3. in Euangel. lib. 14. cap. 10. §. 7. circa medium.

Cassiod.

§. XI.

Præcepta diuina mentem illuminant.

EXpende illa verba: *Custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo; tunc diriges viam tuam, & intelliges eam*: quippe, vt intelligat viam suam, iubetur custodire, & facere omnia, quæ scripta sunt in lege. Demandatis enim diuinis venit, quod illuminemur ad ea, quæ saluti, & vitæ conueniũt. aiebat Psal. 26. *Legem pone mihi Domine in* Psal. 26.
via tua. Simmachus ponit: *Ostẽde mihi Domine viam tuam.* Theodotion autem legit: Simmach.
Illumina mihi Domine, &c. Quasi ponere legem idem sit, ac illuminare mentem, & viam salutis ostendere. Et quis nesciat de lege Dei, de diuinis præceptis lucem venire, qua in salutis viam illuminemur? Exod. 20. dum lex à Deo dabatur, Exod. 20.
populus videbat voces, & lampades, & sonitum, &c. Ecce tibi inter voces præceptorũ lampades signis coruscabãt. Et cur

Theodot.

lãpades inter voces? Ait Philo lib. de Decal. *Siquidem pro dignitate rei dicitur è flamma vox procedere. Probata sunt enim Dei præcepta, velut aurum igne examinatum. Nec careret hæc figura mysterio. Quoniam ignis habet vim geminam illustrandi vrendique, præcepta hæc obedientibus erunt per totam vitam pro lumine, legibus seu syderibus animæ prælucentibus.* Quot præcepta obseruaueris, tot sydera, tot lampades nascentur tuæ menti, quibus illustreris, & illumineris, vt intelligas quæcumque tibi ad salutem conueniant. Et adhuc expendendum est illud, quod dicit nimirum: *Populus videbat vocẽ, &c.* Vox quidẽ auditur, nõ videtur, percipitur aure, non visu. Quomodo ergo fieri poterat, vt vox videretur? Erat vox legis, vox diuini præcepti, quę vt simũl sunt lumina illustrantia mentem, sic possunt videri. Ait D. Basil. in Psal. 28. orat. 2. *Vox vero illa quæ ad populũ facta est, & visio erat, hoc est, cognoscibilis, & omnibus intellecta comprehensibilis. Non enim colore aliquo colorata erat, & circũscripta erat vox ista, vt ore prolata vox percipi posset oculis, sed videbat populus vocem: propterea quod præceptum Domini lucidum est illuminans oculos.* Quæ præcepti vox est, & paret auribus, & paret oculis, quia simul lux: nunquam enim non venit cum diuinis præceptis ea lux, quæ illustret, & illuminet homines. Hinc Cant. 1. *O pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum:: Equitatui meo assimilaui te, &c.* Amb. legit: *Equæ meæ assimulaui te, &c.* Pulcherrimam vocat, & similẽ dicit equę sub iugo triumphalis cũrrus gradienti. Quid potest habere sponsæ pulchritudo commune cum equa sub iugo gradiẽte? Appositè equidem dicitur talis spõsa similis equæ, vt quæ totum splendorem suũ, & lumina trahat ex iugo diuini præcepti. D. Amb. lib. de Isaac cap. 4. *Ideo laudatur anima, quod cœlesti sibi illuminante præcepto, tam speciosa, tam pulchra sit, quæ vultu præferat castitatis decorem, & rediviecula cervicis attollat, &c.* Expẽde illud: *cœlesti sibi illuminante præcepto*, quidquid enim splendentis pulchritudinis habebat, à lumine oriebatur veniente ex iugo præcepti.

Phil.

D. Basil.

Cant. 1.

D. Amb.

Iosue 1. Præcepitque Iosue principibus populi dicens: Transite per medium castrorum, & imperate populo, ac dicite: Præparate vobis cibaria: quoniam post diem tertium transibitis Iordanem, & intrabitis ad possidendam terram, quã Dominus Deus vester daturus est vobis.

§. XII.

Infœlix, & deploratus, qui sacris epulis abstinet.

NOn immerito ad superandum Iordanem, possidendamque terram promissam iubet Iosue præparari cibaria, dum ait: *Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertiũ transibitis Iordanem, & intrabitis ad possidendam terram, &c.* Cum autem cibaria iubet præparari, de manna loquitur, quod licet singulis diebus deplueret, tamen in die, quo superandum erat flumen Iordanis forsan non possent illud colligere; vel si colligerent, non possent præparare illud de more ad prãdium. Ideòque meritò ex Dei instinctu iubet Iosue, vt ex illo diebus antecedentibus colligant, & præparent, quantum sufficere posset ad diẽ transitus, vt communiter fiebat sexta feria pro Sabbatho. Sic Procopius in præsenti, quem sequitur Serarius lib. 2. in Iosue cap. 1. par. 2. quæst. 1. Nec otiosè ante transitũ Iordanis, & ingressum terræ promissionis hæc cœlestis cibi præparatio, & prouisio prædicatur; sed innuit Deus, quam maneat ab æternæ promissionis ingressu exclusus, qui vacuus fuerit cœlestis Eucharistię panis. Nota est parabola ex D. Luc. cap. 14. vbi Deus parauit cœnam magnam, ad quã aliquos inuitauit, qui sese excusauerunt; alij prætextu villæ emptæ, alij boum prætextu, alij vxorum, siue spõsarum, de quibus ait Dominus: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam:* Sanè illi non aliud faciunt dicuntur fecisse in Dominum, præterid, quod se à conuiuio excusarunt; & inde deuenerunt eo miseriæ, & infœlicitatis, quod à cœlesti regno excluſi maneant. Quò respiciens Nazianzen. Carmine de Præceptis ad Virgines fatur:

Serar.

Luc. 14.

Nazianz.

Nati connubiũ celebrat pater, atq; superbas,
Regalesque omnino epulas festinus adornat.
His vtinã interfim, cũctisque accũbere detur
Queis mea chara salus. Ille excludatur ab aula
Qui villã, geminosq; bobes, thalamũq; iugalẽ,
Non epulis stultus dubitat præponere sacris.

Expende ab illis. *Ille excludatur ab aula, &c.* Satis namque meretur æternum à cœlesti regno exilium pati, qui temporalibus

libus occupatus à diuinis Eucharistiæ epu
Ierem. 2. lis longè se facit. Ierem. cap. 2. *Audiens audi-*
Theodor. *ui Ephrain transmigrantem.* Theodor. legit: *Lugentem.* Lugebat equidem Ephrain, & lugens dicebat: *Castigasti me, & eruditus sum, & quasi iuuenculus indomitus.* Theodo
Theod. retus legit. *Erudisti me Domine, & non sum eruditus, tanquam vitulus non sum edoctus.* Quid est, quod tanquam vitulus non edoctus? Vitulus huc, illuc saliens, & totus lusibus lasciuiens nõ meminit præsepe, quo sæpe sit, vt careat cibo. Sic Ephraim vt vitulus se se saltibus dabat, nihil curans præsepe domini sui, nihili æstimans diuinum conuiuium, vnde non miror, quo decidat in æternum luctum. Ait D. Ambr. lib. 2.
D. Amb. de Pœnit. cap. 5. *Audiens audiui Effrem lachrymantem. Et ipsa verba lamentantis dicit: Castigasti me, & castigatus sum, sicut vitulus non sum edoctus. Vitulus enim ludit, & præsepe deserit, & ideò Effrem sicut vitulus non est edoctus, quia præsepe domini deseruit.* Inde ortum habuit stultitia Ephrem, propter quam æterno erat in luctu, nimirum, qui vt vitulus, se totum dederat lusibus, adeò vt nec meminerit dominicum conuiuium. Eu quantis se lachrymis tradit, qui se arcet à contactu diuini epuli? Flentem Mag
dalenam ad Iesu sepulchrum, videns Ie-
Ioann. 20 sus Ioann. 20. ait illi: *Mulier quid ploras?* Sic eius lachrymas abstergere volebat. *Cõuersa est illa, dicit ei Rabboni, (quod dicitur magister:) Dicit ei Iesus; Noli me tãgere, &c.* Compone modo primam lenitatem cum hoc rigore; primo volebat, ne se fletui dederet, modo iubet ne tangat sacros pedes
Pet. Bles. eius. Quod põderat sapienter Petrus Bles sens. serm. de Magdal. fatus: *Si dicturus eras, noli me tangere, cur dixisti, Noli flere? Cur, inquam, prohibita est â fletu, si prohibenda fuit â contactu?* Planè, quæ minime admittenda erat ad diuinissimi panis contactum; non erat reuocanda à fletu, nequit enim fieri, quod in fletum non eat, qui minime tangit panem viuificum, & cœlestem, qui in Christi corpore exhibetur. Quis enim sine hoc diuinissimo pane sustinere posset tot hominum inimicorum impetus? Scitũ
Veget. est illud Vegetij assertum, qui ait lib. 3. c. 3. *In omni expeditione vnum est, & maximum consilium, vt tibi sufficiat victus, hostes frangat inopia. Sæpius enim penuria, quam pugna consumit exercitum, & ferro sæuior fames est. Reliquis casibus potest in tempore subueniri, populatio, & annona in necessitate remedium non habent, nisi antea condantur.* Expende illud: *Sæpius penuria, quam purgna consumit exercitum, &c.* quod in rem nostram translatum est verissimum; plures enim crediderim perire, ob cœlestis panis defectum, quam ob tentationum impetum. Quò spectant Psalmi 2. illæ minæ: *Tanquam vas figulicõ-* *Psalm. 2.*
fringet eos. Quid est tanquam vas figuli perire? Planè figulus vas illud perdit, quod perforatum sic videt, vt liquorem, nec accipere, nec retinere valeat. Sic Deus perdit eos, à quibus non capitur sanguinis sui pretiosus liquor. Ait Andræas Cæsar. in Apo *And. Cæ-*
calyps. cap. 33. *Gentes, quæ propter infirmitatem, & infidelitatem, mysticum illud & nouum vinum, non capiunt, vt ferrum vas fictilia, & infirma solet, conteret.* Væ qui expuit hoc virgineum vinum!

Iosue 1. Rubenitis quoque & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse ait: Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens: Dominus vester dedit vobis requiem, omnem terram, vxores vestræ, & filij, ac iumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moyses trans Iordanem: vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut & vobis dedit, & possideant ipsi quoque terram, quã Dominus Deus vester daturus est eis, & sic reuertimini in terram, &c.

§. XIII.

Etiam sapientissimi ex verbis exhortatorijs multum vtilitatis recipiunt.

POst præparatas vniuersas tribus sermonem suũ speciatim ad duas, & dimidias dirigit, ait enim text. *Rubenitis quoque & Gaditis, & dimidiæ tribui Manassæ, ait: Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses, &c.* Et cur accuratius has tribus monet officij sui? An quia hæ pigriores redditæ sunt ex quo terram ante Iordanem

danem possederant? Non mihi placet Masius, qui sine fundamento putat adeò iam tæduisse belli has tribus, vt egerent adhortatione multa ad progrediendum. Magis placet Serarius noster in præsenti, qui etsi putat has tribus memores esse pacti Moysi exhibiti, multūque alacres esse ad illius impletionem; moneri tamen debuisse asserit à Iosue, vt etiam si per se iam alacres, & erecti essent, alacriores tamen, & erectiores fierent. Nunquàm enim non vtilitatem magnam ab exortatione audita percipiunt etiam promptissimi, & sapientissimi. Pro quo sapienter, & piè ait Abbulens. in hoc cap. quæst. 29. *Nimis falli eos patet: qui cum viri sapientes erga sacras scripturas sint, sermones verborum Dei à prædicantibus audire nolunt, dicentes se hæc præcognouisse, quæ à prædicantibus audituri sunt. Nam non est sola vtilitas prædicantis, vt doceat, vt nescientes erudiātur; sed & adhuc potissima est, vt scientes secūdum habitum tepidum, audito verbo Dei ad feruorem quēdam reddant, & meditatio ex nouo auditu, eos firmiores ad resistendum vitijs efficiat, qui fortè secundum habitum cognoscentes tentationi succubituri erant.* Vtinam hæc tā eleganter dicta fuissent, vt sunt sapienter dicta. Est enim magna fallacia, qua se innumeri viri docti deludunt, vt cōtemnāt prędicatorum vocē audire, eo prætextu, quòd omnia dicenda sciant. Ingenuè fatebor illis omnia dicēda patuisse; sed & certo scio, si audiant, multum roboris ex dictis ad illos venturum, quo alacrius in opera exurgant. Quis magis sciuit omnia sibi dicenda, quam Iesus Dominus? Is tamen Dominus, vt voluit ab alimētis robur accipere, ita etiam à voce adhortantis Angeli, vt doceret etiam sapientissimis hominibus posse ex adhortatoria voce robur venire. Ex Deuth. 32. versi. 43. legunt Septuag. apud D. Epiphanium: *Adorabunt ipsum omnes filij Dei, & confortent ipsum omnes Angeli Dei.* Quò spectauit Angelus, de quo Luc. cap. 22. *Apparuit autem eum Angelus de cœlo cōfortans eum.* Minime sanè putandum est, quòd Angelus ei aliquid diceret, quod nō sciret Iesus; sciebat enim omnia, nec ab aliquo poterat doceri. Quomodo ergo credēdus est Angelus confortasse Iesum, quando nihil illi poterat dicere, quod ipse non sciret? Confortabat eum voce, quæ licet nota proponeret, tamē in sensitiua parte excitabat species, quibus sacra illa natura alacrior, & robustior redderetur. Licet enim ipse ex se roborari posset, tamen robur illud accipere maluit à voce Angeli, quia illo modo sapientissimi quique homines roborari consueuerunt. Ex quo aiebat D. Epiphan. hæresi 69. *Admiratione ductus Angelus dicebat ad ipsum, glorificans & bene dicens proprium dominum in stadio consistentem. Tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo. Vt impleret id, quod à Moyse scriptum est: Confortent ipsum omnes Angeli Dei.* Ecce tibi Angelus accingitur, vt confortet Iesum, & nihil illi dicit, quod Iesus non sciret; sciebat enim Iesus, suum esse dominiū, suam esse fortitudinem, suam esse adorationē, & omnia sua esse. Cur ergo Angelus confortaturus eum non alia occultiora proponit? At si occultiora non habet, cur assumit munus confortandi? Nulla sanè erant occulta, quæ euidentissima Iesu non essent; ad hoc autem, vt quis cōfortetur ad facinus præstandum, non necesse est, quod ignota sibi audiat, sufficit quod vel trita audiat; noua enim illa auditio species excitat, quibus quis alacrior, & confirmatior redditur.

Abbul.

Deut. 32. Septuag.

Luc. 22.

D. Epiph.

§. XIIII.

Apud Deum nihili æstimatur prærogatiua antiquioris ætatis.

PEtitur ab aijs tribubus vt armati præcēdant, & pugnent, non vt ipsi sub Iosue accipiant terram, quam iam sub Moyse habuerant. Sic enim ait: *Vxores vestræ, & filij, ac iumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moyses trans Iordanem.* Itaque Rubenitæ, & Gaditæ, & dimidia tribus Manasse de manu Moysis terræ sortes acceperant, nihil receperunt de manu Iesu. Et cur hi non expectant Iosue diuisionem, sed de manu Moysis ditari festinant? Ruben, Gad, & Manasses erant primogeniti matribus suis, quæ ætatis prærogatiua potuit apud Moysem valere, non apud verum Iesum Dei filium. Ait Origen. citatus apud Glossam: *Qui per Moysem acceperunt portionem, omnes primogeniti sunt. Ruben namque primogenitus est ex Lia, Gad ex Zelpha, Manasses ex filia sacerdotis Heliopolos vxore Ioseph.* Non miror, quod apud aliquos, prerogatiua ætatis æstimetur pluris, vt in antiquiores cōferātur beneficia. Verū vbi accedit Iesus, vbi adest Dei filius, nō ætatis antiquitas, sed plus arridet virtutis splēdor nouitius. Nato Domino clamabāt Magis Matt. 2. *Vidimus stellā tuam in Oriēte, &c.* Sic stella cœlestis

Origen.

Matth. 2.

leſtis prædicatur, & publicatur medijs Ieroſolymis; at moriẽte Ieſu, & omnia ad per-
Luc. 23. fectũ reducẽte, ait Luc. cap. 23. *Et obſcuratus eſt Sol, &c.* Et quãdo in natiuitate Ieſu ſtella ignota adhuc publicatur, & prædicatur, cur in morte eiuſdẽ Sol notiſsimus mũdo, & omni alio ſydere antiquior abſconditur, nec apparere permittitur? Sanè vt à cruce incipiebat apparere regnum Chriſti, ſic ſordeſcere viſa ſunt lumina, quæ antiquitatis gloriarentur prærogatiua. Plus enim apud Deum Ieſum valet ſplendor in virtute nouitius, quam tota ſordens antiquitas. Pulchrè ait D. Auguſt. hom. 5. de
Auguſt. Epiphan. *Ieſu naſcente lux noua in ſtella reuelata eſt, quo moriente lux antiqua in ſole velata.* Ecce tibi in regno Ieſu, in regno veri Dei velatur antiquitas, iubentur abſcõdi quæ longa antiquitate gloriabãtur; & illa reuelantur, quæ nouitijs radijs effulgẽt. Vis Chriſtiane magni haberi apud Ieſum, apud Dei filium? Non multum deſudes in euoluendis veterum ſcrinijs, vt inde antiquitatis trahas prærogatiuam; ſed magis ſatage vt nouis in dies radijs effulgeas virtutum. Hinc enim commendaberis apud Dei filium: apud quem nunquam non contempta eſt ætatis prærogatiua ſine virtute. Iacob cum duos nepotes ſuos Manaſſen, & Ephrain haberet iuxta ſe, illum ad dexteram, hunc ad ſiniſtram, benedicturus illos manus commutauit, & dexteram poſuit ſuper iuniorem, ſiniſtram ſuper maiorẽ. Ait
Geneſ. 48 enim Gen. 48. *Extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris; ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat, commutans manus.* Poſſet pueros commutare, vt maior poneretur ad ſiniſtram, minor ad dexteram; ſed maluit nõ pueros, ſed manus ſuper illos commutare, vt dextera iret ad minorem, qui erat in ſiniſtra, & ſiniſtra tranſuerſis brachijs veniret ad maiorem, qui erat in dextera. Et cur in eo facinore non pueros, ſed manus commutauit? In manuum illa commutatione, & tranſpoſitione crux efformabatur, & ſimul demonſtrabatur, vt prærogatiua ætatis contemnenda erat, vbi regnum crucifi-
Rupert. xi clareat. Ait Rup. lib. 9. in Gen. cap. 24. *Igitur tanquàm Propheta ſimul, & Patriarcha, quomodo verbis verum prophetare potuit dicendo, & iſte quidem erit in populos, ſed frater eius iunior maior erit illo; ſic & manuum poſitione crucem Chriſti præfigurare ſciuit, per quam priori iunior, id eſt, Iudaico populo præferendus erat populus gentilis.* Itaque verbis, & actionibus prophetabat ſimul; verbis dicens vt iunior præferendus erat ſeniori; actionibus formans trãſuerſis manibus crucem, vt oſtenderet inde, nimirum ex regno crucifixi euenturum, quod non valeat ætatis prærogatiua, ſed virtus, vt ſi hæc inueniatur in minimo, non obſit ætas, quo minus maior fiat. Hinc Paul. 2. ad Co-
2. Cor. 12 rinth. 12. *Nihil enim minus fui ab his, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli.* Sed Paulus tempore poſterior erat, cæteris Apoſtolis, & recentior in ſchola Chriſti: ſed non inde ſe
D. Anſel. minorem putat. D. Anſel. ibi: *Non fui vobis in actione minor, quam Petrus, vel Ioannes ſine Iacobus, qui ſuni ſupra modum meum Apoſtoli, non dignitate, ſed tempore, cum ego plus illis laborauerim. Nam ſi de tempore mihi præſcribendum putatis, ante cæpit Ioannes prædicare, quam Chriſtus, & nõ Chriſtus Ioannem, ſed Ioannes Chriſtum baptizauit. Andreas quoq; prior ſecutus eſt Chriſtum quam Petrus; nec tamen primatum accepit Andreas, ſed Petrus.* Sic temporis prærogatiua ſolet deſpici in ſchola Chriſtiana.

§. XV.

In pugna ſub Ieſu excluduntur ſoli immaturi, & adhuc luxuriantes animi.

EXpende quos Ioſuè excludat ab exercitu, ait enim: *Vxores veſtræ, & filij, ac iumenta manebunt in terra: vos antè trãſite armati.* De vxoribus, filijſque parumlis, & iumentis monet, vt extra exercitum maneant, cur idem non ſenibus monet ſexagenarijs? Nonne apud omnes gentes excluduntur ſenes à bellatorum cathalogo? Cur ergo Ioſue, qui ſic cauit, ne fœminæ, nec pueri, nec iumenta irent cum bellatoribus, non etiam expreſſe cauit, ne ſenes irent? Crediderim non ſine myſterio id factum, vt nihil dictum ſit de ſenibus, ſed de pueris, & fœminis, & iumentis; vt nimirum innuatur, quod verus Ieſus à pugnis ſuis ſolum excludit eos, in quibus mores immaturi, & adhuc luxuriantes reprãſentantur, vt in pueris, & fœminis. Quò ſpectans Paul. Philemonem exhortans, illum videns pro Chriſto deſcẽdere in certamen ait: *Propter charitatem magis obſecro, cum ſis talis, vt Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Ieſu Chriſti.* Ecce tibi cum ad Chriſti vocat certamina, obſecrat Philemonẽ, vt ſit talis, vt Paulus ſenex. Quid habent ſenes commune cum certamine, & bello? Qui ſenex eſt, magis deponat arma, declĩ-

net arenam, hoſtium inſultus caueat; hæc ſanè minimè ſenibus quadrant. Cur ergo Paulus, quem Chriſti militem ordinat, ſuę non iuuentutis, ſed ſenectutis æmulum facit? Cur non magis à ſenio militem Chriſti liberat? Sapiẽs Chriſtiani exercitus dux non annos, ſed immaturos, & luxuriantes animos excludit à militia Chriſti. Ait D. Amb. lib. de Ioſeph cap. 10. *Iunior dicitur Paulus, qui nondum maturam canæ fidei gerebat ætatem, nondum in virum perfectum excreuerat, in illam menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Denique adoleſcens legitur tantum ibi, vbi lapidantium Stephanum veſtimenta ſeruabat. Et ideo Philemonem non adoleſcentiæ ſuæ, ſed ſenectutis ſimilem eſſe cupit. Ideo adoleſcentulas viduas prædicat eſſe deuitandas, non propter ætatem, ſed propter quandam pubeſcentium delictorum laſciuiam, immaturitatemque virtutis.* Expende ab illis: *Non propter ætatem, &c.* Non quippe cauet Apoſtolus in militia Chriſtiana annos ætatis, ſed immaturitatem, & acerbitatem animorum, quæ in puerilibus, & fœmineis repręſentatur. Vtinam ſenex ſis, vtinam maturam mentẽ habeas, & plenitudinem teneas ætatis Chriſtianæ; inde nõ excluderis à Chriſti militia, à fortium exercitu; à quo ſoli, & fœminæ, & pueri & iumenta excluduntur, nimirum qui immaturam, laſciuientemque mentem habent. Crede mihi, non ætas annorum, ſed immaturi, acerbique mores faciunt te à Deo excludi. Abraham Geneſ. 21. excluſurus Agarem, & filium dicitur, quod *tollens panem, & vtrem aquæ impoſuit ſcapulæ Agaris, tradiditque puerum, & dimiſit eam.* Ecce, & fœmina, & puer dicuntur excluſi ab Abrahamo; ſed Iſmael tunc temporis vigeſimum annum attigerat, cur vocatur puer? Vocat puerum meritò, quẽ excludit, non annos ætatis reſpiciens, ſed mores, ſi cum Iſaac conferatur. Ait Philo in lib. Reſipuit Noe: *Non reſpicit annorum numerum, aut tempus breue, longum ve, ſed potentias animæ, quæ mouetur melius, aut deterius. Iſmaelem pene vigeſimum annum agentem, cũ virtutibus perfecto Iſaaco collatum, nominat puerulum. Sumpſit, inquit, panem, & vtrẽ aquæ & dedit Agar, & puerulum, quando eos è domo ablegauit.* Quo etiam adduco illud Cantici Deuth. 32. *Peccauerunt ei, & nõ filij eius inſordibus, generatio praua, atq; peruerſa. Hæc cine reddis Domino populeſtulte?* Philo legit: *Peccauerunt ei pueri eius, &c.* Et quidem qui peccarũt, & viri, & ſenes fuerunt. Cur ergo nihil de ſenibus, nihil de viris locutus ſolos mordet pueros? Ait Philo vbi ſupra: *Apte alloquitur homines probrum habẽtes in anima, per ſtultitiã, ac dementiã ſemper labentes in rectæ vitæ actionibus, non puerilem ætatẽ corporis aſpiciens, ſed ad mentis infantiam expertem rationis ac veritatis.* Cum mordit pueros, non annos reſpicit ętatis, ſed mẽtis infantiam, & immaturos, luxuriãteſque eius fœtus, qui mulctam ſemper: & eiectionem merentur ex Deo.

Ambr.

Geneſ. 21

Philo.

Deut. 32.

Philo.

§. XVI.

Apud quos charitas fraterna viget, nõ neceſſarius eſt iudex, nec vllus magiſtratus.

NVnquam non miror Ioſue, qui cũ hæ rum duarum tribuum, & dimidiæ viros in bellũ emittat, & nominet eos, qui remanſuri ſunt in terris eorum, nullam memoriam faciat iudicũ, aut magiſtratuũ. Quippe ait: *Vxores veſtræ, & filij, ac iumenta manebunt in terra: vos autem tranſite armati ante fratres veſtros, omnes forte manu, & pugnate pro eis, &c.* Solas nominat fœminas remanſuras; & filios earum paruulos; & ſi vis cum noſtro Serario, ibi etiam intelligantur ſexagenarij ſenes, qui cum eſſent pauciſſimi, nõ nominantur expreſſe. Sed cur non nominat iudices, & magiſtratus, qui videbantur neceſſario manſuri in populis? Vbi enim manebant familiæ cum matribus, & filijs paruulis, neceſſarij videbantur præpoſiti aliqui, & magiſtratus, qui commune attenderent bonum. Cur ergo de his nullam facit mentionem? An tot populi familiæ pleni nõ indigerent Præpoſitis? Credi derim eos non multum requiri in populis, quorum ciues adeò fraterna charitate tenebantur, vt non dubitarent ſua relinquere, vt pro fratribus decertarent. Inter familias tantæ charitatis in fratres, & in proximos, otioſus eſſet iudex, & Præpoſitus. Geneſ. 44. Iudicem agebat Ioſeph in Ægypto, imò ſeueriſsimum agebat iudicem erga fratres ſuos, quos coram ſe habebat afflictos propter furtum Beniamino fratri impoſitum. Accuſabatur à famulis Beniaminus furti, iudex ſeuerus in mulctã procedebat, fratres turbabantur omnes, nec erat qui pro Beniamino periculum non ſubiret, & eius ſuccederet vinculis. Quid tunc? Interea Ioſeph Geneſ. 45. ait: *Ego ſum Ioſeph frater veſter, &c.* Quantum hoc? Modò iudicem ſeuerum agebat, modo ſe amabilem fra-

Geneſ. 44

Geneſ. 45

fratrem prodit: Cur modo fratrem, qui antea iudicem ostendebat? Ait Theodor. quæst. 105. *Experiri volens animum fratrum, & liquido nosse, an Beniamin calumniam passum defenderet, ob id in eius saccum scyphum abscondit. At vbi non tantum patrocinari, sed, & pro eo certare illos prospexit, persona eius, quæ imperaret deposita, fraternum vultum exhibuit.* Quid pulchrius? Dū dubitat, an sit in illis fraterna charitas, qua se pro fratre exponerent, iudicem agit, & imperiose loquitur. At vbi vidit illos sic pro fratre ltare, vt ligari pro illo vellent; tunc *persona eius, qui imperaret, deposita*, hoc est, imperialem vultum deposuit, iudicem exuit, & fratrē se ostendit. Non enim necessaria iudicis facies erat; vbi cunctos tenebat tanta charitas in fratrem, & proximū. Quippe magistratus pro impijs in fratres inuenti sunt: Exod. 2. egressus Moyses, *Conspexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei, qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum? Qui respondit; Quis te constituit principem, & iudicem super nos?* Eo solum, quod percussionem fratris carpeperet, reijcitur quasi munus iudicis, aut Principis vsurparet; nec immeritò quia ex nullo magis ostenditur necessarius iudex, quam ex impietate in fratres. Ex quo ait Lyppom. in presenti: *Impy neminem habere volunt iudicem, nec magistratum. Cum hi soli egeant magistro, quibus libertas pernicies est tam ipsis, quam alys; iustis enim non est posita lex, & magistratu non indigent vindicante, sed protegente. Omnino enim commistio piorū, cum impys exigit in hac vita magistratum, & gladium.* Ecce tibi vt impietas in fratres, pernitiesque proximorum exegit magistratus; vt vbi nulla pernicies timeatur, iam ibi superflui iudices, magistratusque videantur. Quo spectans D. Zeno serm. 2. de Fide, Spe, & Charitate, ait: *Nō immeritò Dominus Deus proximi dilectionem commendat, quoniam sola præsumit seruare posse, quod præcipit.* Expende illud: *Quoniam sola, &c.* Cetere namque virtutes multis indigent, vt sua custodiri iura valeant. Indigent inter alios, vindicibus, Præfectis, magistratibus; at dilectio proximi vbi sit, vbi regnet, ipsa sola sufficit, necessitatē tollit custodum, magistratuum, præfectorum.

Theodor.

Exod. 2.

Lyppom.

D. Zeno

Iosue 1. Omnia, quæ præcepisti nobis faciemus; & quocumque miseris, ibimus. Sicut obediuimus in cunctis Moysi, ita obediemus, & tibi, tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cū Moyse. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus, quos præceperis ei, moriatur, tu tamen confortare, & viriliter age.

§. XVII.

Nemo se alterius committit prudenter voluntati, nisi cuius virtutem, sanctitatēque probauerit.

VIde obedientissimorum hominū prudentiam, se in omnibus parituros Iosue affirmant, dum eius mādata à Deo non absint. Ait enim: *Sicut obediuimus in cunctis Moysi, sic obediuimus, & tibi, tantum sit Dominus Deus tuus tecum.* Displicet in præsenti Serarius, qui putat absurdū, quod homines isti exprimant exceptionem illā obedientiæ, nimirum; *Tantum sit Dominus tecum*; quæ, ait, magis debet intelligi, quā explicari. Fallitur sanè Serarius, nam vbi homo alterius se credit volūtati deffectibili, non absurdum est, sed valde conueniēs, quod expresse, ostendat se non staturū voluntati vtcumque, sed illi, quæ fuerit Deo conformis, & sancta. Nec derogat perfectioni obedientiæ, quod vt subditus debet esse cęcus, vt obediat ijs, quæ nihil præsefe runt peccati; sic oculatissimus sit in excipiendis ijs, quæ Deo sunt contraria. Vnde D. Ignatius meus parēs perfectissimæ obe dientię assertor non refugit similem excep tionem ponere; ait enim in summario Constit. 31. *Verum etiam conetur interius resignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis, & iudicij habere, voluntatem, & iudicium suum cum eo, quod superior vult; & sentit, in omnibus rebus (vbi peccatum non cerneretur) omnino conformantes.* Ecce tibi, vt non refugit perfectissimæ obedictiæ assertor illam exceptionem expresse ponere, videlicet, *vbi peccatum non cerneretur;* Licet enim hæc debet in omni contractu, & fędere intelligi, tamen non est absurdū, sed maximè conueniens vt expresse attendatur ab illo, qui sese alterius cōmittit deffectibili voluntati. Idem rursus dicit idem

D. Ignat.

Patet

Pater in epiſt. de Obed. fatus ex D. Bernardo: *Siue Deus, ſiue homo vicarius Dei mãdatum quodcumque tradiderit, pari profecto obſequendum eſt cura, pari reuerẽtia deferendum; vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Nunquam ſapientiſsimus, ſanctiſsimuſque magiſter in re obedictiæ exhibendæ homini detrectat exceptionẽ ponere, qua caueatur à Deo per peccatũ declinare. Nec in ea re decet obedientem eſſe cæcum, ſed oculatum; cum ſe committit humanæ, & defectibili voluntati? Audiuerat enim Adamus, ſiue ſciuerat ſibi dari Euam in vitæ adiutorium; ait Gen. 2. *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Et quando homo audiuit dari ſibi fœminam à Deo in adiutorium, quod bonum non ſperaret ab illa, quod malum timeret in illa? Non mirarer, ſi cęce ſe illi committeret, quam ſciebat ſibi à Deo datam in adiutorium? Sed accipite D. Amb. lib. de Parad. cap. 4. *Ille autem, qui adiumentum vxoris habiturum ſe credebat, lapſus eſt per vxorem. Vnde nemo debet facile alteri ſe credere, niſi cuius virtutẽ probauerit.* Nemo quidem facile ſe debet alterius volũtati mancipare, niſi cuius ſanctitatem, & virtutem ſciuerit. Nemo debet alterius ductum ſequi, niſi videns nihil Deo eſſe cõtrarium ibi. Nõ derogat perfectioni obedientiæ, quod te non committas prælato ſine expreſſa exceptione hac; imò valde conueniens eſt, vt oculatus ſis, ne in errorem declines, dum labilis voluntatis ſequeris ductum. Pro quo adducoD. Bernardum totius perfectionis magiſtrum, qui epiſt. 7. carpit Monachum, qui ſtatuta iurata deſſerens in ſui excuſationem afferebat, quod ſecutus fuerit in eo Abbatis ſui imperium, & ductum. Sic ibi: *Quid ad me? Inquis, Ille viderit, cui mihi cõtradicere fas non erat. Nõ eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Docendus, non docturus eius lateri adhærebam. Sequi debui, non præire præceptorem auditor.* Cui excuſationi ſubditi ſtatim reſpõdit Ber. ſubdens: *O iſtorum temporum Paule ſimplex, ſi tamen, & ille alterum ſe tibi exhibuiſſet Antonium, vt quidquid vel leuiter de labijs eius procederet, neceſſe non haberes diſcutere, ſed ſine cunctatione ad omnia nihil hæſitans obedires. O monachum obedientiſsimum, cui ex quibuslibet ſeniorum verbulis, ne vnum quidem iota prætervolet. Non attendit, quale ſit, quod præcipitur. Et hæc eſt obedientia ſine mora. Si ita oportet, ſine cauſa legitur in Eccleſia: Omnia probate, quod bonũ eſt, tenete. Si ita oportet, deleamus iam de libro Euangely: Eſtote prudentes ſicut ſerpẽtes, ſufficiente quippe, quod ſequitur, & ſimplices ſicut columbæ. Nec dico à ſubditis mandata præpoſitorum eſſe diiudicanda, vbi nihil iuberi deprehenditur diuinis contrarium inſtitutis, ſed neceſſariam aſſero, & prudentiam, qua aduerſatur, ſiquid aduerſatur, & libertatem, qua, & ingenue contemnatur.* Quid ſapientius? Quid moralius? Nihil requirendum in hac materia reliquit doctor præſtantiſsimus; docens vt non licet, quod quis ſe cæce committat voluntati eius, qui non probatus fuerit Antonius, quin potius homo paſsionibus carnalibus agitatus viſitur. Rurſus cęcam obedientiam commendat, vbi nihil iuberi deprehenditur diuinis contrarium ſtatutis; ſed ſemper prudentiam, & libertatem requirit in obediente, illam vt attendat errores, hanc, vt ingenuè contemnat præcipientem illos.

D. Bern. Gen. 2. D. Amb. D. Bern. Idem.

§. XVIII.

A ſeruili animo venit ſeueritas, & rigor, ab ingenuo, & nobili humanitas, & miſericordia.

QVàm ſeuerà ij ſententia ſe multant, dicunt enim: *Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cũctis ſermonibus, quos præceperis ei, moriatur.* Vnam mortis pœnam decernunt aduerſus tranſgreſſores mandatorum Ioſue. Et quidem Dominus in lege Moyſi data, non vnam mortis pœnam ſtatuit tranſgreſſoribus, ſed varias alias, & leuiores proponit, iuxta qualitatem tranſgreſsionum, & per pauca delicta morte caſtigat. Cum ergo in Dei lege paucis reis mors decernatur, pluribuſque detur pœna benignior; cur iſti vna pœnam mortis omnibus indiſcriminatim decernunt? Non miror, quod à nobiliſsimo Domino Deo veniat benignitas in reos ipſos, ab his autem ſeruilibus hominibus veniat ſeueritas, & rigor. Matth. 18. præſtantiſsimo Regi oblatus eſt vnus, qui debebat ei decem millia talenta; *Miſertus autem Dominus ſerui illius dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Quid tunc? Egreſſus ſeruus ille inuenit alium, qui ſibi debebat centum denarios, & tenens ſuffocabat eum, donec redderet. Debitor ſupplicabat, petebat inducias, nec vllum miſericordiæ locum inuenit apud illum. Vnde illi tam cito remiſit decem millia talenta; hic autem nec centũ denarios volębat remittere? Ille Dominus

Matt. 28

nus erat, hic seruus; & vt à nobili regioque corde humanitas, sic à seruili animo nõ venit nisi seueritas, & rigor. Quò spectans

Nazian. Naz. ait orat. 16. *Vides quemadmodã quidam multorum talentorum debitor adducatur, ac debito liberetur, ad bonum enim, & facilem Dominum accesserat. At non vt ei remissum fuerat, ita, & ipse quoque remittit, nã animi etiam inductione seruus erat, nec misericordiam, quam in maiori pecuniæ summa consecutus fuerat, in minori cõseruo suo impertit.* Hinc regalem animorum facile distingues à seruili; vt enim regium est, ac nobile ad benignitatem, & misericordiam esse procliuẽ; sic seruile est, & abiectum benignitatem nescire. Ad Eliam tenendum bis missi sunt quinquagenarij duces 4. Reg. 1. in quos Elias cœlestes flammas immittit, quibus consumuntur. *Descendit ergo ignis de cœlo; & deuorauit illum, & quinquaginta eius.* Hinc Luc. 9. dum Samaritæ despiciũt

Luc. 9. Iesum, discipuli eius voluerũt similiter cẽlestes flammas adducere, quibus Samaritanos percusserunt. Renuit Dominus, quin imò *conuersus increpauit illos dicens: Nescitis, cuius spiritus sitis.* Et cur milites Eliam offensuri cœlesti comburuntur igne; Samaritæ autem offendentes Iesum nulla pœna afficiuntur? Dominus erat Iesus, seruus Elias; & ideo ab illo misericordia venit, & benignitas, ab hoc seueritas, & rigor. Ait

Titus. Titus in cat. Græca D. Luc. *Bis quinquaginta eorum, qui missi fuerant ad Eliam seruum duntaxat, repullerant. Samaritani autem nunc Dominum non admittunt. Verum Dominus cum mansuetudine, ac benignitate in nos sit incomparabili, eos increpat, quod vidẽtes eum non potentia ad puniendum, sed clementia mã suetudineque vtentem conarentur ipsi ignem è cœlo deducere.* Pereunt milites, qui pergũt ad Eliam, quia cum seruo agebant, à quo non poterat non venire seueritas, & rigor; euadunt Samaritani, quia cum Domino agunt, qui adeò benignus est, vt etiam increpet eos, qui miseros reos volebant flammis adurere. Semper enim in Domino benignitas, in seruis rigor. Quò spectans Na-

Naziãz. zian. epist. 81. ait: *Sodomiticum ignẽ aduersus eum, qui Iesum abducunt, discipuli postulãt, at Dominus vltionẽ recusat. Malchi vnius ex petulantibus illis, & contumelijs aurem Petrus amputat, Iesus autem restituit. Benignitatis seriem vides. & c.* Planè benignitatis series semper à Domino, semper à Iesu; à seruis autem, & rigor, & percussio.

***

CAPVT QVARTVM

Exploratores ad Ierichò mittuntur.

Textus Historiæ.

VIX A Moysis luctu leuatus Iosue nihil prius ostẽdit, quã hæreditatas cũ principatu curas; statim præstantissimi Imperatoris animum affectus subit noscendi hostiũ, & munitiones, & studia. Cuius rei gratia duos è validissimis, prudentissimisque seligit viros, qui rustico habitu, sub fabrorum specie vrbem contemplentur Iericuntinam, turres, mœnia, bellica tormẽta, eorumque situs lustrẽt, intimosque odorẽtur animos hostiles. Haud impigre omnia exploratores perficiunt, & vt erant validi sic Iordanis vadis gradientes se committunt, vel natantes fluctibus; quibus superatis, sub obscura luce vrbem ingrediuntur. Quam primam domum patentẽ vident muris coniunctam intrant; nec detrectant meretricis fœminæ Raab nomine hospitium, vt quod apertius pateat ignotis etiam viris, & minimè suspitiosum ibi sit, quærere latibula, & olitores fugere. Inde egressi mane nullum recessum vrbis inuestigatũ relinquũt, nec hominum curiositas potuit non esse suspecta pluribus; quorum suspitio nota fuit exploratoribus ipsis adeò, vt repetentes domum ad diei vesperam, contẽderent ab hospita latibulum. Iubet illa, in sublime tectum ascẽdant, ibique stratis lectis secure decumbant, circa quos multis appositis lini fascibus prorsus reddidit homines occultos. Interea regij satellites domus terebant lumina, qui fœminam conuenientes quærunt de hospitibus, quos dicunt esse exploratores, & ab infestissimis hostibus venisse in extremam perditionẽ totius vrbis. Adstupet mulier ad satellitũ dicta, fatetur ibi duos viros ignotos fuisse hospitatos, & paulò ante cœnasse, sed post cœnam, cum vrgeret hora claudendæ vrbis, domo excessisse. Nec dubium, quin si pergant satellites, illos abeuntes comprehendant quam citissime. Quem hæc verba conciuis fœminæ non deluderent? Delusi ergo satellites magna celeritate arripiunt Iordanis viam, qua credebant exploratores ad suos redire; at mulier festinãs ad latibulum, viros vigilantes inuenit, cum illisque

illisque sermonem instituit de sua in Deũ Israelis fide. Vt nouerit mirabilia eius in mari rubro, in perdendis regibus vicinis. Vt senserit lãguentia corda suorum ciuiũ ad eorum aduentum. Vt sibi persuaserit Deum Israelis esse solum verum Deum, à quo non dubitat tradendam vniuersam regionem illam populo suo. Insuper homines iuramẽto adstringit, quod in vrbis expugnatione, meminerint illius hospitij, reddantque hospitæ suæ gratiam, quã modo accipiunt ex illa. Simul dicit, & simul accepto fune coccineo illos è fenestra, quę in muro erat, dimittit, monens ne recta ad suos contendant, sed contraria via ad montana festinent, ibique deliteſcant diebus tribus.

Nox erat intempesta, & ipsi in campũ dimissi, iubent fœminæ vt coccineum funem resumat, illumque fenestrę appendat, quo tempore redierint demoliturí vrbem; viso enim funiculi signo, & domui parcẽt, & vniuersæ eius cognitioni latenti intrinsecus. His dictis mulier funiculum ad fenestram ligauit, & illi contendunt in montana; vnde post tres dies redeunt incolumes ad suos, Iosueque dilatãt animos, eiusque fouent fiduciam, quod languentes iam præ metu hostes facile vincet, eorumque regionem quam cito percurret.

PARS MORALIS *circa textus literam.*

§. I.

Nunquam prætermittẽda opera, quæ recta postulat ratio, etiam si diuinum auxilium certò speretur.

IN meretricis domo euadunt Iosue nuntij viui, ne miremur quod meretrices apud verum Iesum inueniant vitam, diuinissimum enim est par pari referri in acceptis officijs.

Iosue 2. Misit igitur Iosue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, & dixit eis: Ite, & cõsiderate terram, vrbemque Iericho; qui pergentes ingressi sunt domũ mulieris meretricis nomine Rahab, & quieuerunt apud eam.

HAbebat Iosue diuinum auxilium sibi certissime affuturum, non tamen prætermittit aliquid, quod ad prudentem Imperatorem spectat faciendum. Ideoque ante Iordanis transitum mittit exploratores, qui hostium munimenta scrutentur, & sibi renuntient. Sic enim ait text. *Misit igitur Iosue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, & dixit eis: Ite, & considerate terram, &c.* Sapientissimus Dux licet Deum pro se habebat, non tamen totũ credit auxilio diuino absque cooperatione cũ illo, sed ad omnia strenui ducis opera se accingit. Ait Rupert. lib. 1. in Iosue cap. 10. *Cum quo Dominus erat, & cui dixerat, nullus vobis poterit resistere cunctis diebus vitæ tuæ: ipse exploratores mittit ad considerandam terram, vrbemque Iericho. Non ergo quispiam vllo in negotio tantum de cœlestibus præsumat auxilijs, vt non etiam ipse sibi prior adsit vigilando pro facultate ingenij, laborando proportione virili. Namsicut minimæ fidei est de diuinis dubitare promissis, sic nimiæ temeritatis, vel præsumptionis est cœlestem per miracula præstolari opem otiose sedendo.* Nunquam sanum est, quod sic te committas Deo, vt quæ tu posses facere, negligas. Licet enim certissime sit Deus affuturus, idque tu euidentissime scias, semper illa, quæ in tua potestate sunt, aggredi debes. Iosepho Mariæ sponso, cui dictum fuerat Mariam de Spiritu sancto concepisse; modo dicitur Matth. 2. *Surge, accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum:: Futurum est enim, vt Herodes quærat animam pueri ad perdendum eum.* At Iesus is erat, qui inter hostiles rabies securus poterat, degere; cui nulla potestas inferre malum posset, vsque dum tenebrarum potestati permissus esset. Qui inter lapidantium manus transibat illæsus, cur ergo talis, & tantus fugiat regẽ? Hanc salutis viam homini infirmo prudẽtia ostendit, quam arripuit Deus, vt ostendat hominibus, qua semper debeant facere quod in ipsis est, vt à malis liberentur. Ait D. Aug. lib. 22. contra Faustũ cap. 36. *Qui ergo palã docendo, & arguendo, & tamẽ inimi-*

Rupert.

Matth. 2.

D. Aug.

inimicorum rabiem valere in se aliquid nõ sinendo, Dei demonstrabat potestatem: idem tamen fugiendo, & latendo hominis instruebat infirmitatem, vt Deum tentare non audeat, quando habet, quod faciat, vt quod cauere oportet, euadat. Nec enim Paulus desperauerat adiutorium, protectionemque diuinam, quando per murum in sporta submissus est, vt inimicorum manus effugeret. Non ergo in Deum nõ credendo sic fugit, sed Deum tentaret, si fugere noluisset, cum sic fugere potuisset. Nihil, quod ad nos pertinet, prætermittendum est, etiã si Dei auxilium speremus, nisi velimus tentare Deum; qui maximè offenditur, si nos videt, ab humanæ diligentiæ operibus supersedentes, & de diuino auxilio præsumẽtes. Hinc Abrahamus, qui protectionem Dei in omnibus expertus fuerat, vbi ethnici, lasciuique regis attigit terram, ait vxori
Genes. 12 suæ Gen. 12. *Dic obsecro, quod soror mea es.* Et cur magis voluit haberi frater, quã maritus Sarę? Si maritus haberetur, duo erant committenda Deo, & quod mariti vitæ, & quod vxoris pudicitiæ consuleret. Si frater autem putaretur, ipse illo modo suę vitæ consuleret, pudicitiam autem vxoris cõmitteret Deo. Sapientissime ergo modum elegit, in quo aliquid ipse faceret, vt in eo
D. Aug. quod nõ posset, ad esset Deus. Ait D. Aug. vbi supra: *Cum inter ignotos propter eximiã Sarę pulchritudinem, & eius pudicitia, & mariti vita esset in dubio, neque vtrumque tueri posset Abraham, verum vnum horum posset, id est, vitam; ne Deũ suum tentaret, fecit, quod potuit, quod autem non potuit, commisit Deo. Qui ergo se hominem occultare non potuit, maritum occultauit, ne occideretur; vxorem Deo credidit, ne pollueretur.* Quid diuinius? Fidei, Speique assertor, nunquam commisit vni Deo, illa, quæ ipse præstare posset, & deberet.

§. II.

Publica lasciuia prorsus absumit nomen in viris bonis.

MIsit Iosue exploratores, de quo solum dicitur in textu: *Misit igitur Iosue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, & dixit eis, &c.* At
Num. 13. qui fuerint exploratores isti, quæ eorum nomina prorsus reticentur. Non sic Num. 13. vbi Moyses exploratores duodecim misit, & cum duodecim essent, non detre-

ctauit scripto facere singula eorum nomina exprimere, vt ibi potest videri. Cur ergo illorum duodecim nomina exprimuntur, horum autem duorum reticentur? An non hi præstantes viri? An non Deo, munerique suo fideles? Et præstantes, & fideles viri credũtur esse, sed de quib⁹ nihil prius dicitur, quam quod ad domum meretricis diuerterẽt, absque culpa licet diuerterent. Dicit enim textus: *Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, &c.* Et quãdo lasciua domus non absumit nomina hominum fidelium, & præstantium? Apocal. 3. dicebat Angelus Episcopo Sardis: *Noui opera tua, quia nomen habes, quod viuas, & mortuus es.* Valde notat Angelus, quod in illo Episcopo, cum vere mortuus esset, adhuc nomen vitæ maneret. Sed mors nõ solet abradere hominum nomina? Non ne illorum etiam post mortem manent cantatissima nomina? Quid ergo nouum, & singulare de hoc Episcopo asserit Angelus, quod cum mortuus sit, habeat vitæ nomẽ? Est mors specialis animæ, quam introducit carnis concupiscentia; quę mors hoc habet singulare, quod dum publice appareat, nomina prorsus corrodat hominũ præstantium, & fidelium. Quam mortem noscens Angelus latentem in anima Episcopi, quasi miratur, quod in illo nomen aliquod vitæ perseueret, minimè perseueraturum, si mors illa publicaretur. Ait Rup. ibi: *Secretum, & occultum est opus eius, qui nomẽ habet, quod viuat, & mortuus est. Num cuius peccatũ publicum, & notum est, non hic habet nomen, quod viuat, imò si vitæ vel sanctitatis opinionem prius habuit, claresc entibus operibus mortuis, opinionem illam, vel nomen iam perdidit, & diffamatur, quod mortuus sit: Datur autem conyci, quod mortui huius, quã dicit, mors fuerit peccatum carnis.* Itaque quãdiu Prælatus hic peccatũ carnis occultum habebat; licet mortuus esset, tamen alicuius vitæ nomen exhibebat. Vbi autem mors eius pateret, lasciuia publicaretur, prorsus nomẽ eius extingueretur, & re & nomine mortuus maneret. Hinc Matth. 1. dicit: *Dauid autẽ rex genuit Salomonẽ ex ea, quæ fuit Vriæ.* Non detrectat antea nominare Raab, nec Thamarem, quæ ambæ meretritium exercuerunt; vbi autem accedit ad Salomonis matrem, eius nomẽ prætermittit. Et cur quãdo nominãtur illæ, hæc sine nomine ponitur? Illæ erant gentiles, idolorũque cultui addictæ, cũ meretricio exercuerũt, in eoque aliquomodo studuerũt insistitiæ; in gẽtilibus, idololatrisque seminis non obscurantur per lasciuiam alia earum

Rupert.

Matth. 1.

facta laudabilia. Vxor autem Vriæ fidelis erat, & inſtructa in pietate à viro pijſsimo; in ijs autem publicata laſciuia prorſus famam corrodit, & nomẽ elliterat. Ait D. Anſelm. in Matth. *Tacet nomen Berſabe, vt nominando Vriam reducat ad memoriam illud maximum ſcelus, quod fecit David in eum. Tacet etiam, quia cæteræ cum eſſent notabiles, non ſolũ nõ culpari, ſed etiam laudari meruerunt. Iſta vero adeò culpabilis eſt, quod nomine non eſt digna.* In præſtanti, fidelique perſona ſic deſæuit laſciuia, vt illi prorſus nomen eripiat cum animæ vita. Quò ſpectans Prouerb. 5. locutus de fallacijs meretricis, ait: *Longè fac ab ea domum tuam, & non appropies foribus domus eius. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.* Quę ſic conſtruenda ſunt, vt iubeatur homo fugere à domo meretricis, ne fortè accidat inde, quod honorem ſuum tradat alienis, hoc eſt, quod amittat, & perdat nomẽ ſuũ. Sic ibi Ianſenius: *Inter bona, quæ ibi pereũt, primum memorat honorem hominis, hoc eſt, bonam famam, & nomen, quod melius eſt, quam diuitiæ multæ: Hunc enim honorem commaculat adhærendo meretrici. Et fit in eo, quod dicit Pſalm. Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus.* Itaque ex bruta laſciuia id eueniet quod vel nomen hominis depereat tibi, & cenſearis merito tanquam equus, & mulus.

D. Anſ.

Prou. 5.

§. III.

In laſciuiæ ſedibus euidentiſſima ſpecula eſt, vt explorentur peritura regna.

VItio tribuãm nationis, an prudentiæ ſpeculatorum, quod nihil prius faciãt, quam ingredi in meretricis domum? Dicit enim: *Qui pergentes ingreſſi ſunt domum meretricis, &c.* Vt id vitio vertam gẽtis, impellit notiſsima eius inclinatio ad laſciuiam; impellit & illorum patriarcha Iudas, cui eunti ad tondendas oues ſe obiecit Thamar obuoluta facie, vt furaretur cõcubitum ex eo: Geneſ. 38. *Quam cum vidiſſet Iudas ſuſpicatus eſt eſſe meretricem, operuerat enim vultum ſuum, ne agnoſceretur. Ingreſſusque ad eam, &c.* Sic illius gentis proceres proni ad meretrices currebant. Quod autem prudẽtiæ vertam explor atorum, facit eorum munus, quorum erat ſpeculari, & explorare infirmiora ciuitatis, regioniſque perdendæ, & hoc omnino credẽdum. Et quidem ex nulla ſpecula clarius appareret, vnde ſit ciuitas, imò totum regnũ perdendum, quam ex laſciuiæ ſedibus. Frequẽtes enim ciuibus laſciuiæ ſedes, euidentiſſimè oſtendunt regna perdenda. Huc ſpectat Paulus Oroſius lib. 4. cap. 21. dicens: *Eodem tempore cenſores theatrum lapideum in vrbe conſtrui cenſuerunt, quod ne tunc fieret, Scipio Naſsica grauiſsimâ oratione obſtitit dicens, Inimiciſsimum hoc fore bellatori populo ad nutriendam deſidiam, laſciuiæque commentum: adeòque mouit ſenatum, vt non ſolum vendi omnia theatro comparata inſſerit, ſed etiam ſubſellia ludis poni prohibuerit. Quamobrem intelligant noſtri, (quibus quidquid extra oble ctamentum libidinis, offenſio eſt) propter hoc, quod ſe infirmiores eſſe hoſtibus ſuis ipſi ſentiũt, & fatentur, theatra incuſanda, non tempora, nec blaſphemandum Deum verum, qui vſque ad nunc ea prohibet, ſed abominandos Deos, vel dæmones ſuos, qui ita petierunt, profundo quidem ſatis malignitatis ſuæ argumento tale ſacrificium flagitantes, quo nõ magis ſuſſo cruore pr.cudum, quam profligata virtute hominũ paſcerentur.* Piaculum duxi vel verbulum prætermittere; tu decerpes illa, quæ breuius, & efficatius rem conficiant, vt illa: *Inimiciſsimum hoc fore bellatori populo, &c.* nihil enim adeò exitiale eſt bellatori populo, quam laſciuorum ludorum frequentia. Rurſus illa; *Theatra incuſanda, non tempora*: quippe infirmitatis virorum, qua trement ad hoſtium conſpectum, qua hoſtibus ſua cedunt, cauſa non ex temporum qualitatibus naſcitur, ſed ex frequentatiſsimis laſciuiæ ſedibus. Inſuper illa: *Tale ſacrificium flagitantes, &c.* quod enim de laſciuientium theatrorum ſubſellijs detur lucrum hoſpitalibus ad fouendos pauperes, nõ crediderim id veniſſe ex miſericordia inſpirata à Deo, ſed ex dæmonum profundo argumento tale ſacrificium poſtulantium, vt exilium virtutis, & laſciuiæ fomentum æternetur. Quid ruinę non protendat populo frequentatæ laſciuiæ ſedes? Fallar ſi poſsit inueniri ſpecula, vnde euidentius videantur, explorentur ruitura regna. Noſtis hiſtoriã Baalam, qui adductus à rege Balac quærebat locum, vt de aliquo malum Iſraelitici populi præſagiret, & non inueniebat. Num. 23. conſtitutus in excelſis Baal, & Iſraelem videns, ſtatim clamat: *De ſummis ſilicibus videbo eũ, & de collibus conſiderabo illum: Quis dinumerare poſſet puluerem Iacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſrael? Moriatur anima mea*

Paul. Or.

Geneſ. 38

Num. 23.

morte iustorum, fiant nouissima mea horum similia. Ecce de summis rupibus, de vallibus profundis nihil in Israele damnabile videt. Tunc Balae fecit, vt mutaret locum; duxitque illum *in montem sublimem super verticem montis Phasga.* Sed & inde in laudes Israelis se effundit; propterea cogitur alium montem ascendere, ait enim: *Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor:* nec inde malum Israelis videt. Quid tunc? Vt deficientem pene regē aliqua spe erigeret, ait illi Balaam cap. 24. *Pergens ad populum meum dabo tibi consiliū, quid populus tuus populo huic faciat, &c.* Et quale erat istud consilium? Ait Abbulensis Numer. 24. quæst. 5. *Consilium de mulieribus exponē dis in lupanari.* Quòd scilicet Moabitæ è regione Israelitarum multa lupanaria erigerent, in quibus pulcherrimæ puellæ meretricium agerēt, raperentque ad se Israelitas. Quot enim lupanaria tunc fierent apud Israelitas; tot speculæ essent, ex quibus certissime cernerentur mala vniuerso populo euentura. Non sic ab excelsis rupibus, à mōtium verticibus speculari, explorare que possent infirmiora populi, vt à lupanaribus, vt à sedibus lasciuiæ; hæ enim manifestè ostendunt populum periturum. [Abbul.]

Iosue 2. Nuntiatumque est Regi Ierichò, & dictum: Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filijs Israel, vt explorarent terrā. Misitque rex Ierichò ad Raab dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingressi sunt domum tuam: exploratores quippe sunt, & omnem terram considerare venerunt.

§. IIII.

Nullum efficacius, ac securius medium ad tenendos viros, quam fœmina.

SCiens rex Ierichò exploratores Israelitas esse in domo Raab meretricis, hoc vnum facit, vt persuadeatur mulier illos tradere, ait enim textus: *Misitque rex Ierichò ad Raab dicens: Educ viros, qui venerunt ad te: exploratores quippe sunt, &c.* Non misit, qui domum repente intrarent, & viros raperent, sed qui eos peterent, sibi tradi à fœmina. Aliter reges facere solent, & aliter fecit Saul 1. Reg. 19. volens capere Dauidē, *Misit apparitores, qui raperent Dauid, & responsum est, quod ægrotaret. Rursusque misit Saul nuntios dicens: Asserte eum mihi in lecto, vt occidatur.* Non iubet, vt petant ab aliquo sibi dari Dauidem, sed vt ipsi domū intrent, vel violenter omnia scrutētur, donec hominem inueniant, inuentum rapiat, & sibi afferant. Cur non similiter rex Ierichò mittit, qui domū intrent Raab, & insalutata hospita viros quærant, & rapiant? Cur in tanto discrimine, à vi abstinere maluit, contentus vt fœminæ dicatur: *Educ viros?* An quia nobilitati fœminæ parcebatur? Sed longe nobilior erat vxor Dauid, vtpote regis filia, & tanti ducis vxor? Cur ergo huius domum, ea insalutata intrant, vt rapiant virum; in Raab autem domum non intrant, sed ab ea petunt, vt prodat viros? Planè Rex Iericho vt mulieriosior, sic astutior earum cognitor nouerat, quā fortior omni alia vi est fœmina ad perdendos viros, & ideo nihil aliud permittit satellitibus suis, quam quod loquantur cū Raab, & ab illa petant viros exploratores; certus, quod semel hæc persuasa sufficiebat ad extremam illorum perniciem. Sic astutissimus tenebrarum Princeps, serpens antiquus, de quo ait Gen. 3. *Serpēs erat callidior cunctis animantibus terræ, qui dixit ad mulierem, &c.* Non violenter irruit in paradisum, perditurus eius colonum virum, sed serpit ad mulierem, illam alloquitur, quæ persuasa statim perdidit virum; imò perdidit omnes viros. Quò spectās Sedul. lib. 2. de Pas. ait: [1. Re. 19.] [Genes. 3.] [Secul.]

Eu noxia coniux
Noxia tu coniux magis, an draco perfidus ille?
Perfidus ille draco, sed tu quoq; noxia coniux.

Et astutissimus, & validissimus draco, & quæuis alia naturę vis, necessum est, vt cedat valentiæ fœminæ ad perdendos viros. Nouerunt id Principes Philisthinorū, quī scientes Samsonem ad mulierem diuertisse Iud. 16. ad illam etiam ipsi conuēniūt. Ait enim textus: *Veneruntque ad eam Principes Philisthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, &c.* Principum fuisset cum vno viro ad certamen descendere; vel scientes illum solum esse apud fœminam, illum multo milite aggredi, & decerpere. Cur non magis verecundantur de vnius viri cōprehensione agere cū fœmina? Nouerāt, illū nullis naturę viribus cedere, adeūtq; fœminā, certi, quòd si [Iud. 16.]

hæc persuadeatur illũ perdere, efficacissima erit. Vt dicat D. Ephren orat. aduersus improbas mulieres: *Cui neque leones, neque alienigenæ resistere quibãt, hũc propria coniux deiecit.* Locus est communissimus, & sæpissime à me ponderatus per tomos vniuersos. D. Ephr.

§. V.

Vt vilis, & procax fœmina efficax ad perdẽdum, sic nobilis, castèque educata nescit perdere.

IN regni discrimine Rex Ierichò hoc solum fecit: *Misit Rex Ierichò ad Raab dicens: Educ viros:* vt rapiat viros latentes in domo Raab; ad illam mittit rex, ab illaque petit, vt illos prodat. Saul autem sciẽs latere Dauidem domi. 1. Reg. 9. *Misit satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eũ, & interficerent mane.* Necnon, & iterum: *Misit Saul apparitores, qui raperent Dauid, & responsum est, quod ægrotaret.* Rursusque *misit Saul nuntios, vt viderent, &c.* Ter mittit satellites; qui rapiant Dauidem è domo ad eadem, & nunquam iubet, quod loquantur cum fœmina, ab illaque Dauidem perdendum petant. Et cur Saul satellites suos non mittit ad fœminam, à qua Dauidem petant; & Rex Ierichò in maiori necessitate capiendi viros, ad fœminam mittit, quæ prodat eos? Sanè, & Dauid, & exploratores illi erant sub custodia fœminæ; Dauid sub custodia Micholis, exploratores sub custodia Raab. Vnde ergo Iericunthinus rex tantum credit fœminę, vt solam ad illam mittat, & ab illa perdendus exploratores expectet; Saul autem tam parum fidit fœminæ, vt nullum cum illa faciat verbum de Dauide perdendo? Nouerat hic fœminam, & nouerat ille fœminas. Saul nouerat Micholem fœminam nobilem, filiã regis, nobiliter educatam, & ingenue, vt decet principes fœminas, & ideo prorsus desperat talem fœminam adducendam in consilium hominis perdendi. Iericunthinus rex nouerat Raab mulierem meritricẽ ab incunabulis nutritam insidiandis viris; & talem non dubitat, vel verbulo trahendã, vt genus hominum perdat. Nescit nobilis, & probe educata fœmina damnum inferre; vt male educata fœmina nescit homines non perdere. Num. 25, ait textus: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos, &c.* Rex Moab de consilio Balaami petierat à puellis, virginibus suæ aulæ, & sui regni, vt comptæ sese obijcerent Israelitis viris, illosque ad amplexus traherent, vt sic illos perditioni obnoxios redderent. Exequuntur illæ fœdissimum facinus: & mirabar ego, quod puellæ virgines vniuersæ tam facile persuaderentur, vt prostitutione suorum corporum ruinam Israelitarum emerent. Et quod mirere magis, è tot virginibus, quæ sufficerent libidini integri exercitus explendæ, nulla inuenta dicitur, quæ facinus turpissimum caueret. Quo modo id potuit accidere in natione non prorsus brutescente? Ait Philo lib. de Fortitud. *His auditis fœminæ, quæ nec persomnium quidem castitatem cognouerant, & educationem honestam nunquam gustauerant, libenter consenserunt, &c.* Proposuerat Regem ab illis Israelitarum perditionẽ petentem, quam prostitutione corporum compararent. Quid tunc? Annuũt omnes, quæ nec per somnium castitatem nouerãt, nec educationem honestam scierant. Non annuissent, quæ probe, casteque educatæ vocarẽtur; quibus enim deest nobilis, castaque educatio non miror, quod in populorum pernitiem eant. Vidisti Iosephum adamatum à fœmina, sed quod forsan incredibile putares, eundem ab eadem traditum vinculis spectas. Ait enim Genes. 39. *His auditis Dominus, & nimis credulus verbis coniugis iratus est valde. Tradiditque Ioseph in carcerem.* Fœminæ verbis adductus homo Iosephum in carcerem detrudit. Et quæ fœmina in tantum facinus venit, quo Iosephum perdat? Ait D. Ambros. lib. de Ioseph cap. 5. *Huius iniuriæ author mulier est: sed mulier Ægyptiorum, quæ procaces cum viris solita miscere sermones, lacessere verecũdos, refugientes insequi, pudentes pervrgere; cum vitam suam non posset defendere, innoxios criminabatur, perfidiam miscens perfidiæ, aliena tenens, & alios ipsa condemnans, modum nullum ponens furori.* Non equidem mulier nobilis, & generosæ nationis, sed procaciter, turpiterque educata consensit Iosephi perditioni. Hinc Gen. 6. ponẽs textus causas submersi mundi ait: *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores, &c.* Ecce tibi vt fœminæ trahũt mundum in perditionem. Sed vnde in tantũ pernitiem valuerunt fœminę? An ex aliqua fallacia ebibita? Minimè, sed ex sola educatione pessima. Ait D. August. lib. 15. de ciuitate Dei cap. 22. *Non enim cuius quam tunc etiam fallacia sedu-*

1. Reg. 19.

Num. 25

Philo.

Genes. 39

D. Amb.

Genes. 6.

D. Aug.

Et illæ fœminæ persuaserunt peccatum viris, sed ab initio, quæ prauis moribus fuerant in terrena ciuitate, amatæ sunt à filijs Dei, &c. Eua serpentis fallacia seducta virum perdidit; hæ nullius fallacia seductæ, sed ab initio prauis moribus educatæ, & sic amatæ à filijs Dei mundum perdiderunt.

§. VI.

Mundiales principes ardentius amant proprias cupiditates, quam totius regni conseruationem.

NVnquam non miror, quam lentus sit Iericunthinus rex in re tanti discriminis; imminebat penè à fronte hostilis Israelitarũ exercitus, qui iam duos, aut tres ante Iordanem debellauerat reges, nec Iericunthinus sibi consulit. Imò audit in sua iam ciuitate pernoctasse exploratores, esseque in Raab domo. Quid tunc? *Misitq; rex Iericho ad Raab dicens: Educ viros, qui venerũt ad te:: exploratores quippe sunt.* Scit exploratores esse, & venisse vt ciuitatem cõsiderent, & regnum, ad hoc vt illud expugnent, & nihilominus cõtentus est mittere satellites, qui comiter à fœmina petãt, vt tradat eos. Non sic lentus erat Saul, vbi cognouit Dauidem domi esse, sed mittit satellites, qui totam domum cingant, & custodiant, imò qui domum intrent, & rapiãt eum ad necem, & tandem 1. Reg. 19. *Misit rursus Saul nuntios, dicens: Afferte eũ mihi in lecto, vt occidatur.* Quid vehementius? Vt capiat Dauidem Saul nihil non facit, & domum eius circuit, & custodit eam satellitibus, & scrutatur; & iubet, vt intrantes satellites per vim rapiant hominem, & vel in lecto decumbentem afferant in ipso lecto. Et Iericunthinus rex, vt capiat exploratores venientes in perditionem sui regni, nihil horum mandat, sed solum petit à fœmina, quod tradat eos. Cur hic non vehementius irruit in inuasores regni; & ille non lenior ostenditur in generum? Nõ miror: Iericunthinum regem mouebat bonum regni; Saulem agebat malus affectus: reges autem mundiales non sic feruntur ad bonum totius regni, vt ad propriarum cupiditatum complementum. Res euidentissime ostenditur in ipso Dauide, qui adulterij reus mortem Vriæ maxime cupiebat. Interea venit ad eum nũtius missus a Ioabo 2. Reg. 11. qui ait Regi: *Prævaluerunt aduersus nos viri, & egressi sunt ad nos in agrum; nos autem facto impetu persequti eos sumus vsque ad portam ciuitatis. Et direxerunt iacula sagitarij ad seruos tuos ex muro desuper, mortuique sunt de seruis regis, quin etiam seruus tuus Vrias Ethæus mortuus est. Et dicit Dauid ad nuntium, hæc dices Ioab, Non te frangat istud res, &c.* Ecce tibi vt rex audit exercitus sui cladem, nec dolet, nec tristatur tali nuntio, quin & ducem victum confortat, nec sinit frangi internetione exercitus. Et quis dux non frangatur corde in Marte aduerso? Sane de Iuda Machabæo dicitur 1. Machabæor. 9. *Vidit Iudas, quod defluxit exercitus suus, & bellum perurgebat eum, & confractus est corde.* Vbi Carthusian. in 2. Reg. 11. ait: *Confractus est corde, quoniam non habuit spem triumphi.* Iudas Machabæus frangitur corde, vbi odoratur suorum exitium; Dauid autem etiam visa clade suorum non immutatur, nec dolet, nec sinit dolere duces. Vnde hoc? An quia Dauid Iuda Machabæo præstantior? Minime, sed quia regalior, qui vbi audit mortem Vriæ, quam amabat, nõ æstimat cladem regni totius. Ait in præsenti Caietan. *Nihili pendit Dauid stragem suorum effectus voti compos.* Quæ in optatis habent reges, ad ea inardescunt, cætera omnia aut nihili, aut parui æstimant.

2. Re. 11.

1. Mach. 9.

Caiet.

Iosue 2. Tollensque mulier viros, abscondit, & ait: Fateor, venerunt ad me; sed nesciebam, vnde essent: cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt; nescio, quo abierunt; persequimini cito, & comprehendetis eos. Ipsa autem fecit ascẽdere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini, quæ ibi erat. Hi autem, qui missi fuerant, secuti sunt eos per viã, quæ ducit ad vadum Iordanis; illisque egressis statim porta clausa est.

§. VII.

Mendacium annexum impudicitiæ.

QVot verba, tot pene dicit mulier mendacia; ait enim: *Fateor, venerunt ad me viri; sed nesciebam, vnde essent: cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio quo abierunt: persequimini cito, & comprehendetis eos.* Vnum verum dicit, nimirum quod ad se venerint, cætera omnia mendacia sunt. Nec miror, in ore meretricis mendacia esse, quæ semper impudicitiæ sunt quasi necessario annexa. Nec est, cur, quæ non excusatur à meretricatu, excusetur à mendacio. Hinc Tobias iunior videns in septem Saræ sponsis Luxuriem morte mulctatam, dum & ipse Saræ nubit, antequam conuenirent, surgens ad
Tob. 8. orationem, ait cap. 8. *Domine Deus patrum nostrorum :: Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adiutorium Euam. Et nunc Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum, &c.* Apud D. August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 18. sic hæc verba sonant:
D. Aug. *Tu fecisti Adam, & dedisti illi adiutorium Euam. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuria causa accipio sororem meam, sed ipsa veritate, vt miserearis nostri Domine.* Expende, quid opponat luxuriæ, nimirum veritatem, quippe ait, *Non luxuria causa, sed ipsa veritate accipio, &c.* quasi luxuriæ prorsus aduersetur veritas; & luxuria sit totius aduersaria veritatis. In quo non mendacium, sed veritatem videris, puta in eo iam non regnare luxuriam, quæ est clara veritatis inimica. Cantatissima est mulier illa in ciuitate peccatrix, tota dedita lasciuiæ, eiusque fœcibus obuoluta. De hac asserit Iesus
Luc. 7. Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ecce tibi vt teste Deo à fœmina lasciuissima aufugerũt maculæ vniuersæ lasciuiæ, ideò solũ quia dilexit multum. Et miror, quod non explicet Dominus, quem dilexerit, aut quid dilexerit hęc mulier, vt sic maculas lasciuiæ fugeret. Solum ait: *Dilexit multum*, non dicit, quid diligat. Sed ò Domine, indica nobis quid dilexerit hæc mulier, vt in tantam mundiciem lasciuarum sordium posset venire?
D. Greg. Ait D. Gregor. hom. 25. in Euang. Ioann. *Maria Magdalena, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem lauit lachrymis maculas criminis.* Expende illud: *amando veritatem, &c.* ex quo se se tradidit veritati indagandæ, ex quo ambulare cæpit in veritate, illamque in Iesu adamauit, statim lasciuiæ macula penitus disparuit. Non potuit lasciuia manere, vbi veritas amabatur. Vt dicat etiã D. Bern. in serm. de hac pectrice: *Hodie misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, & multitudo miserationum Domini in peccatricem refusa est.* Fuit sanè in Raab misericordia erga exploratores, sed nõ fuit veritas in illa, sed mendacia multa fuerũt: at in Magdalena fuit misericordia, & veritas, ideòque in illam multitudo miserationum diuinarum est refusa, ne maneret in ea vel vestigium lasciuorum criminum. Huc trahe dicta 1. tom. de Christo figur. lib. 2. cap. 4. §. 28.
D. Bern.

§. VIII.

Vera virtus, vel mundi salutem, & vitam postponit veritati.

DVos exploratores vt seruet domi absconditos Raab, multa cõfingit mendacia dicens regijs ministris: *Fateor, venerunt ad me viri, sed nesciebam vnde essent: cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio, quo abierunt, persequimini cito, & comprehendetis eos.* Sic mulier fatetur, apud se homines fuisse, sed fingit abijsse iam, & cætera, quæ mendacia erant, vt sic satellites deluderet, & exploratores in salutem assereret. In simili misericordiæ duello erat Loth pro seruandis etiam duobus hospitibus, quos domi receperat. Clamantique rabidissimo populo, & penè in domum irruenti, vt sibi hospites in malum darentur, ait Loth Genes. 19. *Nolite, quaso, fratres, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt viros, educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dum modo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei.* Ecce vt Loth pro hospitibus se opponit populo furenti, sed tamen fatetur illos sub vmbra sui culminis esse. Cur non etiam fingit illos iam abijsse, penitus domo excessisse, & in via esse quam primum comprehendendos, vt sic furentes diuertat? Nonne Raab hoc astu suos hospites defendit? Cur Loth non simili vsus est commento? Cur maluit fateri hospites domi esse, qui ex hac confessione possent comprimi
Genes. 19

à po-

à populo furente, quin posset bonus illos defendere? In hoc apparuit euidentissimè Raab, & Lothi differentia; vt illa erat meretrix, peccatis innutrita, cum virtuti hospitalitatis studet, in aliquo modum excedit, vel mendacijs, curas hospites suos tueri. Loth autem vt sanctè educatus apud Abrahamum, sic sciuit, vel hospitum vitam, vel totius mundi salutem non esse mendacijs emendam, sed prorsus veritati postponendam. Virtutis enim est, nec vitam mundi mendacijs emere. Ait D. Aug. lib. contrà mendacium cap. 17. *Vir iustus in causa omnino similima pro suis hospitibus mentiri noluit, quos esse angelos nesciebat, & vim morte priorem ne paterentur, timebat. Et certe poterat talia respondere quærentibus, qualia in Iericho mulier illa respondit. Nam prorsus similiter illi interrogando quæsierant. Sed homo iustus noluit pro corporibus hospitum animam suam mendacio suo maculari. Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum salute, quod potest. Cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, vt tali saluti consulere nisi peccando non possit, iam se existimet non habere, quid faciat.* Sic peccatum, vel leuissimum mendacij fugiendum est etiam cum totius mundi dispendio. Quo respiciens dicebat anima iusta Ecclesiastici cap. 51. *Inuocaui Dominũ, patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborũ sine adiutorio. Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione.* Id mirandum erat in martyribus, quod cum immanissimè torquerentur, ne confiterẽtur nomen Domini, illi inter ipsa tormenta non cessabant Dominum confiteri. De quo locutus D. Iustinus Mar. in Apolog. 2. ait: *Quandoquidem nobis in promptu est negare, dũ examinamur, sed nolumus tueri vitam mendacio. Cum enim aternæ, pulchræque vitæ desiderio teneamur, damus operam, vt cum Deo cunctorum patre degamus, &c.* Expende illud, & maximè rationale, & Christianum, nimirum *nolumus tueri vitam mendacio*; nec salus, nec vita mendacio tuenda est, sed omnia sunt pro fundenda, ne vnum mendacium dicatur.

D. Aug.

Eccl. 51.

Iust. M.

§. IX.

Iesus inter sublimia petentes, non sic inter ad terram deiectos.

NOn in subterraneis abscondit Raab exploratores, sed in solario domus; dicit enim: *Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula ligni, &c.* Et merito, qui à Iesu filio Naue veniebant exploratores, nõ in subterraneis, sed in solario domus abscondũtur. Iesus enim non gaudet, nisi eis, qui tendunt ad sublimia, & terrena fugiunt. Ait Orig. hom. 4. in Iosue: *Exploratores suscepit Iesu, susceptos eos in superioribus collocauit, atq; in editis, & excelsis fidei constituit sacramẽtis. Nemo enim, qui à Iesu mittitur, inuenitur deorsum, & humi iacens, sed in superioribus permanet.* Quomodo Iesus secum vt familiares acciperet, & sibi fidos mitteret, qui iacẽtes possent inueniri, & non in sublimibus? Non se fallat quis, si ex ijs, qui sunt Iesu velit esse, curet terrena despicere, & tendere ad sublimia; Iesus enim non gaudet humi dejectis, sed valde afficitur ad eos, qui amant sublimia. Cauebat lex de agno edendo Exod. 12. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni.* Vbi enim diuinus agniculus sese nobis dat in esum, maximè cauet aqua coequi, aquâ condiri, sed solo igni. Et cur sic refugit aquę coctionem? Aqua elementum est deorsum vergens; ignis autem semper tendit ad sublimia. Nec miror, quod cœlestis agniculus Iesus nequeat condiri in illis, qui deorsum tẽdunt, in terramque inclinant, sed in ijs, qui toto animi nixu petunt sublimia. Ait D. Gaudent. serm. 2. de Pasc. *Has igitur immaculati agni carnes, id est, doctrina eius viscera, neque cruda sine interpretatione sumi oportet; neque cocta in aqua, id est eorum dissertione dissoluta, atque decocta, qui velut aqua deorsum fluunt, nihil supernum sentientes; sed assata igni, id est, spiritu Dei solidata. Ignis enim sursum versus tendit.* Nihil Iesu gaudet inueniri in ijs, qui deorsum fluunt, qui sese totos in terrena præcipitant. Fœlix animus qui de cœlestis ignis virtute hæc humiliã dimittit, & totus supernis inhiat. O quàm in eo conditur, saporatur agnus diuinus, vt maximos illi profectus attribuat. Cãt. 30. mirantes Angeli felicem animam clamant: *Quæ est ista, quæ ascẽdit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Illud præ omnibus mirabãtur, quod super dilectum suum innixa ascenderet, quod ascenderet ad dilectum hoc commune magis videbatur; at illud mirabile, quod sic iam haberet sibi Iesum familiarem, vt illi ascendens inniteretur. Et vnde hoc euenit, quod Iesus sic animæ adsit, sic illam sustentet, & roboret, vt progrediatur? De illâ præmiserant cap. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus?* Sic se ipsa accen-

Origen.

Exod. 12.

D. Gaud.

Cant. 30.

accenderat, ſic ignea fuerat facta, vt in illa non aſpiceretur niſi aut lenta flamma, aut fumus, qualis ſolet aſcendere ex aromatibus concrematis. Animæ autem ignis more ſurſum ſemper tendenti non mirum eſt, quod Ieſus adhæreat, illique fiat familiaris, illamque ſuſtētet, vt progrediatur. Ait Amb. lib. de Iſaac cap. 5. *Mirantes videlicet, quod anima, quæ in inferno relinquebatur, inhæreat Dei verbo, & aſcendat ſicut vitis propago, in ſuperiora ſe ſubrigens, velut fumus natus ex igne, atque alta petens, tum præterea bonis odoribus flagret: Hanc igitur aſcendentē, & non reſiſtentem videntes comitatu ſedulo proſequūtur, vſque ad lectulū Salomonis, eo quod ei vera in Chriſto requies debeatur.* Ad Ieſu familiaritatem pertinet, qui inſtar ignis ad ſuperna tendit, nec verſus terram grauitat; ſicque Angeli quem vident igneum, aſcendentemque, illum ad Chriſtum deducunt, vt qui eius mereatur gaudere ſocietate.

Ambr.

§. X.

Vt vilis ſpecies hominem abſcondit potentiſsimis, ſic pretioſa ſpecies abſconditū tradit.

PRudens fœmina vt exploratores ſeruaret, aſcēdere eos fecit in ſolariū domus ſuæ, *operuitque eos ſtipula lini, &c.* Ecce tibi quos muros oppoſuit, ſub quibus latērent illi tuti, nimirum ſtipulam lini ſuper illos coaceruauit. Et cur non aliud fortius latibulum, & magis inexpugnabile quæſiuit? Crede mihi nullum eſt latibulum adeo forte, quòd homines latere melius faciat, quam vilis, pauperque ſpecies; quam ſi ſub vilibus ſtipulis tegatur. Qui nihil præfefert, præter viles ſtipulas lini, præter rudes, & laceras veſtes, vel in medio foro potentum hominum oculos latet; vt qui pretioſitatem præfefert, vel in cauernis terræ ſepultus minimè latet. Erat homo potens, & diues, cuius ad ianuam pauperculus iacebat pannoſus, & vilis; ſed licet hic ad ianuam diuitis iaceret nō dicitur, quod vnquam ab illo videretur. Accipe rē ex Luc. cap. 16. *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam diuitis vlceribus plenus cupiens ſaturari de micis, quæ cadebāt de mēſa diuitis, ſed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Factū eſt autem vt moreretur mendicus, & portatus eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus in inferno. Eleuans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in ſinu eius, &c.* Erat Abrahæ ſinus in abſtruſiſsima terræ cauerna, vbi ſanctorum animę quietē deliteſcebant expectantes ſaluatoris aduentum. Et nihilominus oculi diuitis illam abſtruſam, & remotam cauernam penetrat, ibique Lazarum videt, quem minimè viderat in ianuæ ſuæ limine iacentem. Et vnde factum eſt, quod Lazarus in abſtruſiſsima terræ cauerna latitans nihil hominus inueniretur ibi, & videretur à diuite; & palam poſitus in medio ianuæ minimè videretur? Cū in ianua poſitus iacebat, vilibus pannis opertus erat, ſtipulis, palleiſque obſitus, ſub quibus potētium oculos prorſus latebat. At in ſinu Abrahæ, in ſplendenti fœlicitatis futura ſpe fulgebat, ſi non glorioſa ſtola, tamen pretioſo amictu ſplendens; ſub pretioſa autem ſpecie nunquam nō patebis potentibus, etiam ſi in cauernis terræ deliteſcas. Quò ſpectat illud D. Chryſol. ſer. 124. *Reſpicit ibi ſurſum, quem deſpexerat hic deorſum: & videt eum de inferno in ſinu Abrahæ, quem iacentem ſe coram ſuperbo de ſtigmate non videbat.* Nūquam vident potentes illos, qui in vilibus iacent, etiam ſi ob oculos ſint; vbi autem pretioſitas ſplēdet, etiam ſi longe, etiam ſi in abditis, etiā ſi in abſtruſiſsimis terræ cauernis eo oculi potentium facile penetrāt. De illorum aliquo locutus Iob aiebat cap. 28. *Omne pretioſum vidit oculus eius. Profunda quoque fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem producit.* Proh Deus immortalis! quam male ſe abſcondit, qui ſe ſub pretioſo aliquo operimento tegit; ſanè vbi pretioſum ſpectat mūdialium potentium oculus, omnia ſcrutatur, & fluuiorum ſinus, & montium receſſus, & ipſa terræ fundamenta euoluit, & tandem ibi abſcondita in lucem defert. Vbi terra cēpit auri fulgore niteſcere, quī receſſus, quæ maria, quæ flumina, quæ cauernæ, qui mundi exitus, quæ loca etiam gehennæ proxima non ſcrutata ſunt ab hominibus, inde eructibus quæ à natura abſcondita erant? Huc traho hiſtoriam aurei velleris, quam ad caput 12. lib. 18. de ciuitate Dei refert Ludouicus Viues. In Cholcos Inſula rex occidit hominem, qui Aries vocabatur; cuius pellem Appollini in templo appendit. Deinde reſpōſo accepto tādiu victurū, quādiu pellis illa inde nō tolleretur; vt pellis maneret occulta illā deaurauit. Quid tunc? vbi tegumentum aureū cœpit ſplendeſcere; potentiſsimorum claſſes

Luc. 16.

D. Chryſ.

Iob 28.

ſes conſtructi ſunt, quæ ſuperata maria pene immenſa pellem quærerent, illamque inuenirent, & raperent de templo cum morte Regis. Hæccine ſunt pretioſa operimenta, quæ abſcondita produnt, quæ ſub vilibus prorſus laterent.

§. XI.

Vilis ornatus homines hoſtibus eripit.

IN re tanti diſcriminis, vbi exploratorũ ab hoſtilibus ſatellitum turmis quærebãtur ad mortem, ſapienter recurrit fœmina ad ſtipularum operimentum; ait enim: *Operuitque eos ſtipula lini.* Et quos hoſtes non laterent, qui vilibus liniſtipulis erant operti? S. Ennodius in Paneg. Theodorici Regis, vbi regalem animum patere hoſtibus volentem depingit, ſic illum proponit aientem. *Vos tamen elaboratas veſtes, & lino rum ornamenta deuehite. Cultiorem me acies ſuſcipiat, quam feſtum conſuenerunt. Qui me de impetu non cognorit, eſtimet de nitore. Habeat laboris ſolatium, cui iugulum meum fortuna præſtiterit. Inhient ſplendori, quos non contigerit videre pugnantem.* Sic ſe pretioſis operimentis ornabat, qui in ſe hoſtiles amabat excitare turmas. Qui enim refugit hoſtes, magis deliteſcit ſub vilibus. Achab, & Ioſaphat reges conuenerunt in bellum aduerſus Syros. 3. Reg. 22. vbi autem ad certamen ventum eſt: *Dixit rex Iſrael ad Ioſaphath; Sume arma, & ingredere prælium, & induere veſtibus tuis. Porrò rex Iſrael mutauit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum, &c.* Itaque Achab fecit, quod Ioſaphat intraret bellum in cultu regio, vndique ſplendenti purpurà, ipſe autem regalia ornamẽta exuit, & priuatu amictu acceſsit ad pugnam. Et cur Achab pugnaturus veſtes regias exuit, & fecit, vt Ioſaphat in veſtibus regijs certamen iniret? Aſtutus homo volebat totum inimicorum impetum aduerſum Ioſaphat inclinari, & ideò illũ regijs, ſplendentibuſque veſtibus induit, ipſe autẽ deliteſcit in habitu communi, vt ſic maneat hoſtibus occultus. Ait Carthuſ. ibi: *Hæc Achab locutus eſt, ne ipſe Achab cognoſceretur à Syris, minuſque impugnaretur ab illis, vel vt pondus belli ſuper Ioſaphat immineret.* Haud dubium, quin pretioſa, regaliaque operimẽta raperent ad ſe maiorem hoſtiũ impetũ; adeò vt vix eſſet, qui priuatum, & cõmunem ornatũ velit aſpicere. Id quod vtinam ſolum in temporalibus accideret; at multo certius in ſpiritualibus euenit. Cultioribus enim veſtibus, & operimentis pretioſis totam hoſtium animarum malitiam in ſe ſolicitant, quam depellũt prorſus in veſte humili, & vili. Zachar. cap. 3. *Oſtẽdit mihi Dominus Ieſum ſacerdotẽ magnum ſtantem coram Angelo Domini; & Satan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei. Et dixit Dominus ad Satan; Increpet Dominus in te, qui elegit Ieruſalem, numquid non iſte torris eſt, erutus de igne? Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis, & c.* Ieſus ſacerdos veſtitus ſordidis adſtat coram Angelo Domini, à quo habet tutelam, & defenſionem. Longè aliter accidit Herodi, de quo dicit Actor. 12. *Statuto die Herodes veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos: populus autem acclamabat, Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſsit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet gloriam Deo, & conſumptus à vermibus expirauit.* Compone modò illum Ieſum, & hunc Herodem; ille patiebatur Satan aduerſarium, hic habebat populum acclamantem; ille defenſus eſt ab Angelo, hic ab Angelo lethale vulnus accipit. Et cur Ieſus inter Satanæ impugnationes inuenit protectionem Angeli, Herodes autem inter acclamationes populares, iram Angeli traxit; qua percuſſus euanuit? Fallar, niſi ſordida veſtis fecit, quod Ieſus protegeretur ab Angelo; & veſtium nitor, & cultus regius hoſtilem Angeli iram excitauit? Ait D. Petrus Damian. lib. 6. epiſt. 14. *Herodes dum indutus veſte regia, conſpicuus cernitur, dum ei Dei voces habere, non hominis acclamatur, protinus Angelo feriente percutitur:: Sic nimirum, ſic diuino dignus eſt iudicio deiosi, qui coram oculis hominum de nitore cultioris habitus ambit arroganter extolli:: Nõ leuis quippe lãguor eſt animæ, de ſuperfluo corporalis amictus nitore gaudere. Gratiam ſiquidem ſancti Spiritus, in qua delectetur, excluſit; qui ſemper exterioris ornatus deſiderium ſpargit.* Caueat veſtium cultarum ornatum, qui amat in gratia diuini ſpiritus confirmari, & ſe eripere incurſionibus malis. Ait enim D. Ephren in Prouerbijs de timore Dei. *Qui ornatu veſtimentorum ſuorũ delectatur, & repletioni ventris ſui ſtudet, varie oppugnabitur.* Vnde D. Hieron. epiſt. 1. ad Furiam ait: *Legimus Iudit viduam confectam ieiunijs, & habitu lugubri ſordidatam; quæ nõ lugebat mortuum virum, ſed ſquallore corporis ſponſi quærebat aduentum. Video armatam gladio manum, cruentam dexterã, recognoſco caput Holoferni de medijs hoſtibus repor-*

S. Ennod. 3. Re. 22. Carthuſ. Zach. 3. P. Dam. D. Ephr. D. Hier.

reportatum. Vincit viros fœmina, & castitas truncat libidinem, habituque repente mutato, ad victrices sordes redit omnibus sæculi cultibus mundiores.

§. XII.

Non sub vili, sed sub cultiori operimento sunt doli, & fallaciæ.

Fœmina vt seruaret exploratores, *operuit eos stipula lini.* Et mirabar, quod ipsi viri præstantes, & electi ad tale munus crederẽt se tam vili, & abiecto tutamini. Cur nõ magis metuebant dolum, & fallaciam fœminæ illos sub lini stipulis seruãtis? Cur non credebant sub stipulis abscõdi à fœmina, vt maiori irrisione inde illos traderet? Sanè de meretrice locutus Spiritus Sãctus Prouerb. 7. ait: *Ecce occurrit illi ornata meritricio, præparata ad decipiendas animas, garrula, & vaga:: Apprehẽsam deosculatur iuuenem, & procaci vultu blãditur dicens:: Intexui funibus lectulum meum, stratapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meũ myrrha, & aloe, & cinnamomo. Veni, &c.* Vt de meretricem, & meretricem: illa stipulas lini offert exploratoribus; hæc pretiosa tapeta, picta opertoria offert iuueni decipiendo. Cur ergo exploratores non magis caueant dolum, & irrisionem à meretrice offerente stipulas lini; quando, & ab offerente pretiosa tapeta, picta opertoria, flagrantes aromatibus accubitus, decipiũtur iuuenes? Vt exploratores agebantur Dei Spiritu, sic vt viliora opercula subeũt, minus suspicantur de fallacijs; & dolis, quibus nõ vilia ornamenta, sed pretiosa subduntur. Quis in vilibus, & abiectis operculis latere dolos putet? Quis non magis in pretiosis ornatibus fallacias timeat? Dicitur 3. Reg. 22. *Rex Israel, & Iosaphath rex Iuda sedebant vnusquisque in solio suo vestiti cultu regio in area iuxta ostium portæ Samariæ, & vniuersi Prophetæ prophetabant in cõspectu eorum. Fecit quoque Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus; His ventilabis Syriam donec deleas eam, &c.* Certum est ex eodem capite, quod ij prophetæ congregati sint ab spiritu malo & mẽdaci, vt Achab deciperetur, & deceptus iret in bellum, à quo periret. Et notandum maximè quando congregati sunt ij ad decipiendum miserum regem, nimirũ quãdo ipse vestitus cultu regio sedens in solio magis splẽdebat. Nõ fuit quãdo post audita Dei verba cap. 21. *Achab ipse scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam.* Quod videns Dominus ait: *Non inducam malum in diebus eius.* Dum abijcit vestes regias, & cilicium induit Achab, fugit ruinam, Deumque sibi fauorabilem nanciscitur. Vbi autem splẽdet in veste regia, misere à pseudoprophetis deluditur, & in extremum rapitur periculum. Quid certius? Pulchrè ait D. Petrus Dam. lib. 6. epist. 14. *Ecce Achab imperiali purpura decoratur, & reprobo spiritu fallente decipitur; cilicium induit, & gladium diuini furoris auertit: regalibus infulis redimitus, laqueo deceptionis impingitur; sacco cõtectus, dilatæ vltionis indulgentiam promeretur.* Et quando rex fulgenti sub veste, deceptioni fallatiæque submittitur; religiosus animus quid de simili veste sibi præsumit? Pergit ipse: *Eat ergo monachus vanagloriæ deditus, & toga radiante conspicuus, nitore vestium adspectantiũ pascat illecebras oculorum: sed dum vestibus fulget, iniquorum spirituum deceptionibus patet; diuinæ præterea indignationis aduersus se sententiam prouocat.* Nunquam non patet decipiẽtibus spiritibus, qui fulget in veste pretiosa; quę sanè mille gignit seductionis, dolique pericula; quorum expers est prorsus vestis abiecta, & vilis. Et quid mali non pariat nimia ornatus cultura? Marc. 6. Saltauit puella coram Herode, & post saltationem à Rege impetrauit caput Ioãnis Baptistæ: *Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis.* Quantũ hoc facinus? Quantum quod puella id audeat? & quod rex, & principes assentiantur illi? Et meritò D. Paulinus totum id tribuit ornatus culturæ, ait enim in Epithalam. Iuliani.

Vnde nefas tãtum meruit nisi ab indice cultu,
Impia saltatrix filia digna patre?
Nam nisi fulua leuis texisset Bractea plantas,
Culcibus vt pictis luderet improbius:
Et fluidam crispo duxisset Syrmate vestem,
Fronte micans gemis pone refussa comam:
Nõ ita corruptis spectantum mentibus intrãs,
Callida ad infandum præualuisset opus.

Sic cultus extorsit facinus nefariissimum. Et quid non faciat nimius cultus? De impiorum filijs aiebat Psalm. 143. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi.* Et quid, quod ornentur puellæ, vt similitudo templi? Creditur Dauid respexisse ad templa Idolorum, quæ auro multo, varijsque & pretiosissimis tapetibus ornabãtur, vt ornatus splendore cultum, & adorationem extorquerent, & homines in Idololatriæ errores traherent. Sic fœminæ malè ornan-

P. Dam.

Prou. 7.

3. Re. 22.

Marc. 6.

D. Paul.

Psal. 143.

ornantur, vt se coli, & adorari faciãt, & miseros multis erroribus infament. Quo respiciens D. Zeno lib. ser. 15. ait: *Ancilla Christi falsum idolum respuis; mihi crede, in te colis, cuius ornatum, cuius imaginem non deponis. Ad Ecclesiam Dei opere vario totũ inaurata corpus execrabili metallo procedis onusta; vbiq; delicata, sub mollibus fortis: denique ipso cultus rigore in oratione non flecteris; tumidum monilibus pectus prosternere dedignaris. Sanè cervicem curuas non religione, sed pondere; quando exhomologesim facies, quæ plus pro ornatu es, quam pro salute solicita? Quid à Deo impetrare te posse credis, quæ cũ, per id, per quod irascitur, deprecaris?* Omnia dixi, tu pondera prima, vt in ornatu imbibatur idololatria.

D. Zeno.

§. XIII.

Fortitudo non virilis, sed muliebris est quæ vitam postponat deformitati speciei.

MIrabar, quod fœmina stipulis lini operiret exploratores, ait enim *operuitque eos stipula lini*, & magis mirabar; quod ipsi validissimi, & præstantissimi viri paterentur in se talem deformitatẽ, & fœditatem, quod lini stipulis fœdarentur. Nonne fœdissimum esset, quod vir è latibulis prodiret totus stipulis lini obsitus? Cur viri fortes non magis eligunt præliantes mori, quam talem in se admittere fœditatem, deformitatem? Erant viri fortes, non fœminæ, quarum solum est vitam, patriamque, & omnia postponere speciei fœditati, deformitati vitandæ. Has pungit Prudentius in Amartigenia inquiens:

Pruden.

Tædet sacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dei quæ plasmata fuco
Inficiunt, vt pigmentis cutis illita perdat,
Quod fuerat, falso non agnoscenda colore.
Hæc sexus male fortis agit, &c.

Expende illud: *Male fortis*, quæ enim fortia non aggrediatur fœmina pro vitanda, vel cultus, vel faciei fœditate. Si dolores subeundi, si sectiones patiẽdæ sunt, si mortes sustinendæ; omnia hæc male fortes vorant, ne talem incurrant fœditatem. De mala enim semper, & muliebri fortitudine venit, quod tormenta, quod mortes posthabeantur speciei fœditati vitãdæ. Huc traho historiam, quam meminit Paul. Oros. lib. 5. cap. 16. agens enim de bello Cimbrico ait: *Mulieres grauiorem pene excitauerũt pugnam, quæ plaustris in modum castrorũ circum instructis, ipsæ autem desuper propugnantes diu repulere Romanos. Sed cum ab vsnouo cædis genere terrerentur (abscisis enim cũ crine verticibus, inhoneſto satis vulnere turpes relinquebantur) ferrũ, quod in hostes sumpserant, in se suosque verterunt. Namque aliæ concursu mutuo iugulatæ, aliæ apprehẽsis inuicem faucibus strangulatæ, aliæ laqueo de subrectis plaustrorum temonibus pepẽderunt.* Quid feralius? Ecce vobis tota fortitudo mulierum quo peruenit; plane adeò fortes erant, vt cõstructis plaustris ferratis in Romanos auderent, illosque diu fugarẽt. Astvbi Romani illarum aliquas, abscisis cum crine verticibus, inhoneſto vulnere interfecerunt, & sic reliquis obiecerunt. Adtur pis vulneris spectaculum sic validissimæ illæ conturbantur, vt sese mutuo perimerent, ne si à Romanis caperentur, iacerent mortuæ abscisis cum crine verticibus, fœdata facie. Hanc fœmineam fortitudinem in voranda morte, vt cauerent cultus fœditatem, noscens Dominus ait Isaiæ cap. 32. *Obstupescite opulentæ, conturbamini confidentes, exuite vos, & confundimini, accingite lũbos vestros.* Ad audaces, & confidentes fœminas loquitur, quibus stuporem, & cõturbationem minatur. Sed mulier audax, & confidens in quo obstupescet, & conturbabitur? An in morte? An in ferali decerptione membrorum? Minimè, sed iam explicat in quo, aiens: *Exuite vos, accingite lumbos vestros.* Erit, cum exutæ, nudateque omni splendenti appareant vestimento; imò tota illa vestium amplitudo, quæ à cingulo tumens vsque ad terram mirum in modum dilatatur, in angustũ arctabitur. Quæ fœminea audacia, & fortitudo ad hæc non obstupescat, & conturbetur, & prorsus frãgatur? Quæ fœmina aduersus tormenta, aduersus mortem audet, ad cultus, faciei ve fœditatem prorsus elanguet. Dicebat illa apud Venusinum lib. 3. Odẽ. 27. vt refert Tiraquellus in 2. leg. connub. num. 51.

Paul. Oro.

Isai. 32.

Venusin.

Tiraq.

O Deorum
Si quis hæc audis, vtinam inter errem
Nuda leones
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneræque succus
Defluat præda, speciosa quæro
Pascere tygres.

Quanta fortitudo fœminæ, quæ nec leones, nec tygrides expauet, sed inter eorum vngues non refugit volutari? Sed quam mala fortitudo, & quam fœminea, quæ

amat

amat in tygrides, & leones venire, magis quam in faciei fœditatem?

Ioſue 2. Necdum obdormierant, qui latuerant, & ecce mulier aſcendit ad eos, & ait: Noui, quod Dominus tradiderit vobis terram; etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores Terræ. Audiuimus, quod ſiccaueric Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis ex Ægypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erāt trans Iordanem, Sehon, & Og, quos interfeciſtis. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum: Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in cęlo ſurſum, & in terra deorſum.

§. XIIII.

Nihil tam vile, & abiectum eſt, quod diuinis facinoribus in bonum electorum nō valeat ſeruire.

DEpulſis regijs ſacrilitibus aſcendit mulier ad latentes exploratores, quos cōmonefacit depulſi periculi, dicit enim; *Necdum obdormierant, qui latuerant, & ecce mulier aſcendit ad eos, & ait, &c.* Nec immerito ſacer ſcriptor adiecit particulā illam ecce, dicens: *Et ecce mulier aſcendit*, ſed vt aduertatur, quæ, & qualis erat mulier, quæ viris præſtantiſsimis offerebat ſalutē. Mulier, inquam, meretrix, mulier viliſsima, ſex populi, animarum laqueus eo aſcēdit, vt nobiliſsimi exploratores, validiſsimi duces per illam vitæ nuntium acciperēt. Sanè à tali, miret, ſi candidiſsimi Iſraelitæ vel vitam accipere non refugiant. Mar. 7. Herodes adulter miſſo ſpiculatore Baptiſtæ caput iubet abſcindi, de quo agens D. Amb. lib. 3. de Virg. ait: *Rapitur ad pœnam Propheta conuiuiali tempore, conuiuiali præcepto, quo non cuperet, vel abſolui.* Sic putat indignum, quod Baptiſta ab adultero rege, conuiuijs, ebrietatique aſsidente, vel vitam reciperet. Et non indignū putent præſtātiſsimi duces, electi Iſraelitæ videre mulierculam vilem, cantatiſsimam meretricē ſibi ſpem offerre ſalutis? At vt illi Dei nitebantur auxilio, ſic nec Deo indignum, nec inſolitum putant viliſsima, & abiectiſsima quæque ordinare in ſuorum electorum vitam. Exod. 4. dum Moyſes in Iſraelis liberatorem eligitur, iubet Deus, vt manum in ſinum mittat: miſit ille, *Quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis.* Liberatoris manus, cui tradenda erat virga, quę mira operaretur, in lepram abire permittitur. Et cur Domine lepra inficis manum, quæ operatura eſt tantam ſalutem? Leproſos ex lege abominabantur Hebræi, illoſque à ſe longiſsime arcebant. Cur ergo liberatoris manum tali morbo reples, quem abominaturi Hebræi nec inde ament ſalutem accipere? Ait Theodor. quæſt. 10. *Legislatoris manum infecit lepra, docens eos, qui plenius inſtructi ſunt, horum nihil eſſe immundum. Nam dextera, quæ admiranda illa perpetrarat, cum prius fuiſſet leproſa, ſignis diuinis inſeruiuit, & elementa mutauit.* Caueant ſibi imperiti ab immunditijs materialibus, at qui à Deo inſtructi ſunt, nihil reputarit immundum, nihil reijciunt vile, & abiectum, ſcientes abiectiſsima quæque, & maximè vilia diuinis inſeruire, vt vel mundū euoluant, & electis parturiant ſalutem. Aiebat Pſal. 67. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ; & infirmata eſt: tu vero perfeciſti eam. Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Dominus dabit verbum euangelizantibus.* Loquebatur de animalibus, quæ in Dominica hæreditate inhabitabant, vt pluuiam de cœlo ſuggerent, & hæreditatem electis pauperibus excolant. Et quę vocabat animalia, de eiſdem pergens ait: *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.* Quid animalia cum euangelizātibus? Ait ibi Theodor. *Quos ſuperius animalia appellauit, hoc in loco euangelij præcones vocat, & quoniam piſcatores erant, & publicani, & corarij, electi ſunt autem præceptores Philoſophorum, & rhetorum, & eorum, qui obdicendi facultatem ſe ipſos efferebant; meritò edocet vt de haurientes doctrinæ flumina irrigationem afferant.* Itaque vt diſſertiſsimis, nobiliſsimiſque hominibus vilia animalia obiecit, piſcatores, publicanos, corarioſque oppoſui,

Mar. 7.

D. Amb.

Theod.

Pſal. 67.

ſuit, vt doceret, vnde poſsit Deus educere doctrinæ ſalutis que fontes, qui vel Paradiſos irrigent, & èmortuas plantas in vitã conuertant. Quid mirum? Nota eſt Samſonis hiſtoria, Iud. 15. cui, & aſini maxilla arma dedit aduerſus potentiſsimos hoſtes, & aquæ riuum, quo vita ſuſtentaretur. Et aſinus lege immundus erat, & oſſa mortuorum nec contrectari licebat; ſed Deo annuente, nihil eſt tam vile, & abiectum, à quo in electorum bonum viuidiſsimi ſucci, ſalutiferique non ſtillentur. Actor. 17. Paulus in Areopago conſtitus aiebat: *Præteriens, & videns ſimulacra veſtra, inueni, & Aram, in qua ſcriptum erat, Ignoto Deo, &c.* Mirabar, quod prædicator veræ ſalutis Paulus ethnicorum templa luſtraret, illiſque eorum Aras proponeret. Cur Paulus non magis caues coram ethnicis Idolorum æras nominare? Cur non caues Idola videre, & lingua pronuntiare? Is erat Paulus, cui vel ipſa Idola, & dæmoniorum aræ ſalutem, & ſanctitatem inſtillarent. Ait enim D. Cyril. Alex. lib. 12. in Leuit. *Nec in locis ſancta quærenda ſunt, ſed in actibus, vita, & moribus, quæ ſi ſecundum Dominum ſint, etiam ſi in domo Dei non ſis, etiamſi in foro ſis, & quid dico, in foro? Etiam ſi in theatro inueniaris, verbo Dei deſeruiens, in ſanctis te eſſe non dubites. An non tibi videtur Paulus, cum ingreſſus eſt theatrum, & ingreſſus eſſ Areopagum, & prædicauit Athenienſibus Chriſtum in ſanctis fuiſſe? Sed & cũ perambularet aras, & Idola Athenienſium, vbi inuenit ſcriptum, ignoto Deo, & ex hoc verbo ſumpſit prædicationis exordium, &c.* Ecce tibi præſtanti Chriſti ſectatori vel Idola, vel aræ dæmonum ſalutiferos ſuccos inſtillabant, quibus orbem rigaret, & èmortuas animas viuificaret. Is eſt ſpiritus, qui de immundiſsimis; & viliſsimis fontes ſalutis trahat.

Iud. 15.

Acta 27

Cyr. Ale.

§. XV.

Quæ Deus facienda decernit, quaſi iam facta putentur,

AIebat Raab ad exploratores: *Noui, quod Dominus tradiderit vobis terrã.* Hebraice dicitur: *Scini, quod Dominus tradidit vobis terrã.* Abbul. explicat cũ Lyrano per futurũ, nimirũ; *Ego cognoui reuelante Deo tradendam eſſe in manus veſtras totam terram hanc.* Et quidem in re nondum tradita erat, ſed tradenda ſperabatur. Cur ergo, quando nondum tradita erat terra, iam dicit, Noui, quod Dominus tradidit vobis terram? Cur non magis de futuro loquitur, quam de præterito? Meritò quæ Deus futura pollicebatur, non ſolum præſentia, ſed & quaſi iam præterita dicuntur. Tãta enim eſt certitudo in diuinis. Regulo ſupplicãti pro filio pene emortuo Ioan. 4. Reſpõdit Ieſus: *Vade, filius tuus viuit.* Circa quæ Sedul. lib. 3. Paſcal. cap. 2. ait: *Ita namque reſpondit, Vade, filius tuus viuit. Quam imperioſa Domini poteſtas eſt, quamque magnifica, nõ victurum annuit, ſed iam viuere deſignauit. Hoc enim diuinitatis eſt ſingulare, vt omne cernat præteritum, quidquid decreuerit affuturam.* Sic certa ſunt Dei promiſſa, vt dum futura promittantur, meritò aut præterita reputentur, aut præſentia. Huc ſpectat illa Gen. 22. *Appellauit que nomen loci illius, Dominus videt. Vnde vſque hodie dicitur, in monte Dominus videbit.* Quæ Hebraice ſonant. *Appellauit nomen loci illius, Dominus videbit. Vnde vſque hodie dicitur, in monte Dominus videbitur.* Verum D. Aug. lib. 16. cap. 32. ex Septuaginta legit: *Vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit, vt dicant hodie in monte Dominus apparuit.* Ecce tibi, quæ dicta ſunt Hebraice de futuro, Noſter poſuit de præſenti, Auguſt. autem cum Septuag. de præterito, nec id otioſe; ſed vt innueretur iuxta Delrium noſtrũ in Adagijs, quã certò, & feſtinatò Deus ſuis ſubueniat, vt eius auxilia promiſſa, eum promittuntur præſtanda, iam cenſeantur præſtita. Abrahamo item Gen. 15. dicebat Dominus: *Qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebis hæredem.* Sic ſenibus, & ſterilibus parentibus Deus promittebat futurũ filium. Quid inde? Pulchrè D. Baſil. Sel. orat. 7. ait: *Accepta promiſsione habuit filiũ, ante fily partum, & ſpes ipſa prius Iſaac peperit, quam aluus. Eum Deus dedit, qui antequã naſceretur, erat in deſiderio. Abrahamus accepit, gauiſus eſt, donum amplexus eſt.* Expẽde illa: *Accepta promiſsione habuit filium ante fily partum.* Non aliud expectauit bonus; ſed vbi futuri filij promiſsionem à Deo nouit, iam gaudebat quaſi filio habito; nondum concipiebatur filius, & iam pater quaſi filio nato ſecurus erat, & in accepto dono confirmatus.

Abbul.

Lyran.

Ioann. 4.

Sedul.

Gen. 22.

D. Aug.

Aug. Septuag.

Gen. 15.

Baſil. Sel.

§. XVI.

Fœlix ille eſt, cui is timor accidit, quo poteſt proficere in ſalutem.

Omnes Iericunthini magnõ timore affi-

ciuntur, sed de omnibus vni Raab fuit salutaris ille timor, cui locum confitendi Deũ reliquit. Ait enim ibi: *Hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum, Dominus enim Deus vester ipse est Deus, &c.* Cũ omnes pertimescerent, vna Raab sic tacet, vt agnoscat, & confiteatur Deum, qua facta est, vt sola adipiscatur salutem. Sic Caiet. Caiet. *Vide in muliere ista nõ solum timorem, sed fidem, ac manifestam confessionem, quod Iehoua ipse est Deus in cœlo, & in terra, & propterea non est mirum, si seruata est.* Cui accidit timor non solitarius, non nudus, sed iunctus fidei, innctus confessioni, ille proculdubio videtur spectare ad salutem. Salutaris enim timor est, qui ad confessionẽ, & medelam ducit. At timor solitarius, qui locum confessioni occludit, nullique virtuti aditum relinquit, is non timor est, sed pœna, sed horrendum supplicium. De deploratis enim dicit Psal. 13. Psal. 13. *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Et si ipsi trepidabant timore, si vehementer ibi timebant, quomodo non erat ibi timor? An fieri potest, vt alibi timor sit, & timor nõ sit? Est timor, qui absolute, & simpliciter potest dici timor, qui locum parat confessioni, & saluti; est autem timor, qui non tam dici debet timor, quam pœna, quam supplicium, qui confessione, & salutari diligentiæ aditum occludit. Et sanè iste timor datur miseris impijs, vt crucientur timore; quando non potest timor causare salutem. Sedul. De quo sapienter Sedul. ait lib. 5. Pascal. cap. 8. *Quid ergo poterit securitati conferre trepidatio mortis ibi concepta, nullus vbi timor consequitur iam medelam, secundum psalmi continentiam proloquentis: Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor, hoc est, in ipso iudicio, vbi correctionis tempus, & spatia non habet infructuosa formido, Aut in inferri iam faucibus constituto, quæ poterit opitulari confessio, cum legatur, in inferno quis confitebitur tibi?* Infœlix ille, cui timor venit, quando spatium confessionis eripitur, quando iam adest iudex, imò carnifex instat, vt in æternas flammas præcipitet. Ibi solitarius timor diu exat miserum, non sanat. Ille felix, cui datur, vt timeat, & inde ad confessionem deueniat, non mirum si talis negotietur salutem. Tolle à timore harum societatem virtutum, & te magis in perditionem ducet. Vt dicat D. Greg. lib. 1. in Iob D. Greg. cap. 16. *Timor ipse nisi has virtutes habuerit, ad nullum opus bonæ actionis surgit; quia dum ad cuncta trepidat, ipsa sua formidine à bonis omnibus torpens vacat.* Væ tibi, vbi timore solo, & nudo corriperis, vndique teneberis, ne vllum inuenias effugium. Quò spectans Iob cap. 15. ait: *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum.* Iob 15. Miser, qui eo terrore corripitur, qui nullum aditum relinquit operandæ virtuti. Hoc tenebatur Herodes, de quo ait Matth. 2. *Audiens Herodes, rex turbatus est, &c.* Matth. 2 Circa quæ verba D. Aug. ait Psal. 47. *Miser timuit Herodes, & pro paruulo occidit paruulos. Timens antẽ regnum amittere, non meruit regem cognoscere.* Psalm. 2. Inde iste miser, quia correptus timore nullum salutis lucrum accepit, sed in euidentius præcipitium deuenit.

Iosue 2. Nunc ergo iurate mihi per Dominum, vt quomodo ergo misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei, detisque mihi verum signum, vt saluetis patrem meum, & matrem, fratres, ac soroles meas, & omnia quæ illorum sunt, & eruatis animas nostras à morte. Qui respondetur ei: Anima nostra sit pro vobis in mortẽ, si tamen non prodideris nos. Cũque tradiderit Dominus terram: faciemus in te misericordiam, & veritatem.

§. XVII.

Spiritus Dei est cognatis prospicere salutem.

IAm Dei spiritu plena Raab post confessionem potestatis diuinæ, illud in primis attendit, vt cognationi suæ comparet salutem inquiens: *Iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei, detisque mihi verum signum, vt saluetis patrem meum, matrem, fratres, ac sorores, &c.* Sic Spiritus diuinus imbuit suos alumnos, vt post Deum in primis cognatorũ saluti prospiciãt. Sic Dominus Iesus pẽdẽs in ligno Ioan. 20. prouidit matri suæ filium, *Mulier ecce filius tuus.* De quo pulchrè D. Cyril. Alex. lib. 11. cap. 34. ait: *Cũ igitur per legẽ ita præceperit, cũque omnis virtutis ipse fons sit, quomodo nõ oportebat ab ipso, &* Cyr. Alex.

per

per ipſum primum nos diſcere, nec quando intolerabiles imminent ærumnæ, negligendos eſſe parentes? Nulla ærumna, nullum periculũ ſic afficiat animum eius, qui diuino agitur ſpiritu, vt parentum, cognatorum ve obliuiſcatur. Quas enim Deus mentes afflat, hanc ſtatim virtutem ediſcunt, qua cognatis proſpiciant. Ab Ægypto egreſſus populus Iſraelita Numer. 20. miſit ad Edon, vt liceret per eorũ terminos tranſire? Erant Idumæi iſti progeniti ab Eſau fratre Iacob, & hinc iure cognationis tenebantur Iſraelitis bona velle. At nihil minus fecerunt, imò efferati in illos, iubent, ne fines ſuos attingant, niſi velint expelli inde ferro, & igne. Quid ad hæc Iſraelitæ? Ait textus: *Quamobrem diuertit ab eo Iſrael.* Cur non magis irruit in impios? Cur reſiſtentes non debellat, & vel renuentibus illis dirigit viam, quam ceperat? Erant Idumæi fratres, & cognati Iſraelitarum, & vt Iſraelitæ diuino ducebantur ſpiritu, ſic maluerũt cognatorum incolumitati, & vtilitati proſpicere. Ait Procop. in Gloſſa: *Cæterum Iſrael deflexit ab eo, & genus eſt reueritus, licet ab eo nullam reuerentiam conſecutus. Dei enim voluntas eſt, genus non abnegare, etiam ſi iniuriam faciat.* Expende ab illis: *Dei enim eſt voluntas genus non abnegare*; quippe vbi ſplendet ſpiritus, & voluntas Dei in id ſuos inclinat, vt cognationem reuereantur, & cognatis proſpiciant. Nihil enim ſub cœlo eſt, quod iuxta Dei ſpiritũ non contemnendum ſit, & poſtponendum cognationis ſaluti. Quò ſpectans Philo lib. de Abraham ait: *Quod ſiquis amore gloriæ filium prodit, vel filiam, vituperio magis, quam laude dignus eſt, morte chariſsimorum parans ſibi honorem, quem etiam ſi ante habuiſſet, pro incolumitate filiorum abycere debuerat.* Sapientiſsime traducit cantatiſsimos illos Ethnicorum Torquatos, & poſtponit illos Abrahamo, licet videantur ſimiles in facinore. Torquatus non dubitauit morti tradere filium, quod & fecit Abrahamus, & cognationi valere iuſsit, ex qua ingentem ſibi laudem acquiſiuit. Ergo & ſimiliter Torquatus. Abſit; imò ille magno debet cenſeri vituperio dignus, qui ſub cœlo inuenit aliquid, cui poſtponeret cognationem, & filium. Abrahamus vni Deo poſtpoſuit filium; alioquin omnibus alijs commodis, ſiue incommodis renuntiaturus, vt parceret, & cognationi, & filio. Hinc Gen. 22. dicitur: *Vocauit Angelus Domini Abraham ſecundo de cœlo, dicens: Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo propter me, &c.* Et quis angelus poteſt dicere, quod ſibi fecerit gratum Abrahamus non parcens filio? Sapientiſsime Eucher. lib. 2. in Gen. putat non Angelum, ſed filium Dei fuiſſe ſub Angelo ſignificatum, qui ea verba daret; non enim credendus erat Abrahamus alteri, quam Dei filio poſtpoſiturus filium. Ait enim: *Nunquid Abrahamus propter Angelum non pepercit filio ſuo, & non potius propter Deum? Ergo Angeli nomine Dominus Ieſus Chriſtus ſignificatus eſt, &c.* Non credas Angelum eſſe, ſed Dei filium, cui Abrahamus ſuum filium poſtponit; tantus namque vir, diuino plenus ſpiritu, nec Angelo, nec creaturæ vlli cederet amorem ſui filij. Conueniant huc mundiales Principes, qui regijs fauoribus habẽdis, & filios, & parentes, & totam cognationem ſacrificant. Adſtupeo in hoc virtutem B. Franciſci de Borgia, qui & cognationem, & chariſsimos filios dereliquit, ſed vni Deo poſtpoſuit illos.

Num. 20.

Procop.

Philo.

Geneſ. 22

Eucher.

§. XVIII.

Quam ſalubre facit, qui ſuis prius, quam ſibi conſulit in temporalibus.

HInc iam bona Raab ordinabatur ad ſalutem, quæ in ſummo periculo primò ſuis, quam ſibi conſulebat. Ait enim: *Iurate ergo mihi per Dominum, vt quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei: vt ſaluetis patrem meum, & matrem, fratres, ac ſorores meas, & omnia, quæ illorum ſunt, & eruatis animas noſtras à morte.* In ijs omnibus nullam ſui memoriam fecit Raab, vt putat Maſius, ſed tota intenta erat in ſaluandis ſuis; aut ſi fecit ſui memoriam, vt mauult Serarius, illam fecit poſt omnes in illis vltimis verbis, *vt eruatis animas noſtras*, quibus & ſe videtur includere. Quo oſtendebatur, quam maximè hæc pertineret ad ſalutem, quæ ſuis prius nopit, quam ſibi conſulere. Apud 4. Reg. cap. 24. dũ Ioachim rex Iuda vidiſſet exercitũ Babylonis, qui miſere arctabat Ieruſalẽ; ne patriæ malũ accideret, ipſe egreſſus vrbe ſeſe tradit Babylonio tyranno, dicit enim: *Egreſſus eſt rex Ioachim rex Iuda ad regẽ Babylonis, &c.* At ſequẽti cap. 25. in ſimili cõflictu conſtitutus eius ſucceſſor, ſibi potius, quã vrbi conſulens fugit in tenebris. *Fugit itaque Sedecias per viam, quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis. Et perſecutus eſt exercitus Chaldæorum*

4. Reg. 24.

regem, comprehenditque eum in planitie Iericho, &c. Compone modo duos hos reges: ambo obsidionem patiuntur; sed Ioachim suam libertatem postponens vrbis saluti, se tradidit captiuum, vt patria stet. Sedecias autem sibi prius consulens, quam suis, fugam arripit, & in fuga comprehenditur in Ierichò planicie, & perijt ipse cum filijs. Nec immerito perditur in Ierichò planitie princeps, qui sibi prius, quam suis cõsulerat, quãdo, & in Ierichò meretrix Raab prius suis, quam sibi cõsulens mercata fuerat salutem. Vt enim exitiali est Principi, quod sibi prius, quam suis consulat; sic salutare est cuiquam, quod prius cõsulat suis, quam sibi. Egesipp. Quò spectans Egesipp. lib. 5. cap. 32. aiebat: *Quantum doluit Iechonias; licet tempore malorum vrgentium minus felix imperio, melior tamen filio? Pater enim sibi minus fœlix esse, quam patriæ licet miserabiliter, pie tamen maluit. Itaque se cum sua prosapia egressus vrbem Babylonis obsidentibus in seruitium dedit, ne cuersam patriam, ne populũ Dei captiuum videret. Filius autem ærumna pari, sed affectu impari; dum sibi metuit, & se in exilium, & vrbem in excidium deduxit.* Duo errat bonus author, & quod Ioachim; vocat Iechoniam; & quod successorem eius putat filium; in cæteris sapienter notat, quam calamitosior extitit, qui vni sibi consulens salutem comparabat fuga. Hic enim vt vni sibi consulebat, sic, & se cum omnibus alijs perdidit. Vtinam suis potius consuleret, fallar, nisi inde veniret in abundantiorem salutem. Cui enim non abundat bonum, quod suis maluit, quam sibi? Sic 4. Reg. 4. 4. Reg. 4. Dum Elisæus cum non paruo populo haberet penuriam panis: *Venit vir de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordaceos, & frumentũ nouum in pera sua. At ille dixit, Da populo, vt comedat. Respondit que ei minister, Quantum est hoc, vt apponam coram centum viris? Rursum ille ait, Da populo, vt comedat; hæc enim dicit Dominus, Comedent, & supererit.* Bis iubet, vt pauci illi panes populo dentur, certus, quod pauci panes populo ingenti sufficerent. Sed vnde tam pauci panes in tantum excrescerent, quod populum saturarent, & supererint? Sic bonus famescenti populo consulebat, vt prorsus videretur sui oblitus; qui autem aliorum occurrebat necessitati, nõ mirum quod omnibus esset D. Amb. abundantissimus. Ait D. Ambr. lib. 6. Exam. 2. *Elisæus, qui sibi nihil reliquit, omnibus abundauit.* Hic est fructus eorum, qui suis prouident, vt abũdet omnibus. Quod 3. Reg. 17. nouerat Elias 3. Reg. 17. dum ab egenti vidua petit panem, illam panibus ditaturus; ait enim. *Mihi primum fac de ipsa farinula subcineritium panem paruulum, & affer ad me; tibi autem, & filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel, Hydria farinæ non deficiet, &c.* Expende ordinem seruandum ab ea, quæ indefectibilem panem negotiatur, nimirum: *Tibi, & filio tuo facies postea.* Dum non prius, & magis sibi consulat in necessitatibus, indefectibilem metet segetem bonorum.

§. XIX.

Veritas apud pacificos magistratus ignotior est.

VIri bellatores, qui sperabant expugnãdam vrbem, inter ipsos bellicos tumultus promittunt misericordiam, & veritatem, dicunt enim: *Cum tradiderit Dominus terram, faciemus in te misericordiam, & veritatem.* Ecce tibi vt viri bellatores inter spoliandas prouincias meminerunt veritatem. At 1. Æsd. 7. aiebat Æsdras de Deo: 1. Æsd. 7. *In me inclinauit misericordiam suam coram rege, & consiliatoribus eius, & vniuersis principibus regis potentibus, &c.* Putat sapienter noster Sanchez in hoc cap. istos consillarios, & Principes regis, fuisse senatum, siue concilium constans ex septem principibus, qui iura regno darent. Cui accinit illud Æsteris 1. vbi de Assuero ait: *Interrogauit sapientes, qui ex more regio semper ei adeerant, & illorum faciebat cuncta consilia scientium legem, ac iura maiorum.* Esth. 1. Coram ijs consiliaribus, iudicibusque regni agitata est causa de restitutione Hebræorum in patriam suam, & ijs annuentibus, fauentibusque dicit Æsdras se à Deo misericordiã accepisse. Cur etiam non dicit se accepisse veritatem? Et quidem in misericordia illa simul ostẽdebatur Dei veracitas, vt suis promissis stabat. Cur ergo sicut viri illi exploratores, & misericordiam, & veritatem expresse faciendam meminerunt; Æsdras reminiscens misericordiam Dei sibi factam, non etiam meminit veritatem? Meminerat Æsdras misericordiam factam coram rege, & consiliatoribus eius, nimirum, principibus, & magistratibus iura regno dantibus, ante quos causidicorum, & latigantium astutijs solet veritas obũbrari. Inter arma, inter bellicos tumultus non semel splẽdet veritas; at in foris iudicialibus, inter subsellia magistratuum, vbi iura ciuium, legũ

scita

Icita agitantur, veritatis difficilè agnoſcitur facies. In tribunali erat Pilatus, vbi de Ieſu iudicia agebantur Ioan. 18. & audito nomine veritatis, quaſi in rē nouam inauditamque ſcandet: & interrogat, *Quid eſt veritas?* Quod notans putatus Hieron. epiſt. ad filias Geruntij, vt eas à magiſtratuum tribunalibus arceret, ait: *Quomodo vobis illos licet adire, qui etiam ſuo iudicio neſciunt veritatem? Quandoquidem Pilatus ex ipſorum curia ſic loquitur ad Dominum; Quid eſt veritas? Nempe hic iudex erat, & negotia cauſaſque litigantium ſoluebat.* Ecce tibi, vt iſte iudex erat; negotia, cauſaſque litigantium ſoluebat: ſic prorſus ignorabat veritatem, in ijs enim nec vmbra veritatis appâret. Quod vt bene notum habebat D. Ber. ſic aiebat lib. 2. de conſid. ad Eugenium: *Miror, quemadmodum aures tuæ audire ſuſtinent diſputationes aduocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad ſubuerſionem, quam ad inuentionem proficiunt veritatis. Hi ſunt, qui docuerunt linguas ſuas loqui mendacium, eruditi pro falſitate:* Et quidem quiſquis attenderit totum illum forenſem ſtrepitum cauſarum, quæ apud iudices agitantur, cernet ibi frequenter ſubuerſionem tractari veritatis, & triumphum mendacij. Hinc Matth. 2 Matth. 2. Magis interrogantibus de loco natiuitatis Chriſti, Herodes conuocat legis doctores & ſapientes, diligenterque dicit ab eis vbi Chriſtus naſceretur. Qui productam Michęæ prophetia oſtendunt, locum natiuitatis Dominicæ eſſe Bethleem. Illo doctorum regiſque ductu Magi dirigebantur, & vix Ieroſolymis excedunt, & ſtella iterum illis appâret: qua viſa: *Gauiſi ſunt gaudio magno valde.* Et quando habebāt doctores legis, & regem, à quibus ducebantur in locum natiuitatis, cur ſic gaudent in ſtella? Ait Euthymius ibi: *Gauiſi ſunt, vtpote reperto duce nequaquam fallaci.* In tota Herodis Regia, in toto concilio doctorum, & ſapientum Ieroſolymorum non gaudent, ſuſpectos habētes omnes mendacij; viſa ſtella tunc gaudent, tunc ſolum ſe curi à ductore fallaci.

Hieron.

D. Bern.

Euthym.

Ioſue 2. Demiſit ergo eos per funem de feneſtra: domus enim eius hærebat muro. Dixitque ad eos: Ad montana conſcendite, ne forte occurrant vobis reuertenter: ibique latitate tribus diebus, donec redeant, & ſic ibitis viam veſtram.

§. XX.

Diutina cum viris conuerſatio, & commoratio cauenda honeſtæ fœminæ, ne ſibi, aut illis officiat.

VT Dei ſpiritus in Raab intrauit, cum primum licet viros à ſe dimittit, quippe ait: *Demiſit ergo eos per funem de feneſtra.* Sed non erat illis tunc ſecurus ad ſuos reditus, quando dimiſſi monētur vt ad mōtium latibula confugiant, ibique diebus tribus lateant. Cur non potius apud ſe abſconditos detinet? Cur mittit illos erraturos in montibus, & non magis quietos, & ſecuros domi ſeruat? Radiabat iam diuiniſſimi Ieſu ſpiritus in animo, & mente fœminæ, quo non patitur diutius commorari cū ſeruis, diutius viros apud ſe retinere. Apud D. Ephrem tom. 3. eſt homilia D. Chryſoſt. in peccatricem, vbi peccatrix ad pedes Ieſu proiecta, illoſque manu tenēs aiebat: *Raab a ſe dimiſit exploratores, ego vero retinere eum cogor, quem deſiderani, &c.* Incidit Raab in exploratores Ieſu; incidit Magdalena in ipſum Ieſum; ambæ antea peccatrices, ambæ modo ad virtutem conuerſæ. Et vt in ambabus regnabat Ieſus, ſic illis inſpirabat, quid facerent melius; nimirum Magdalenæ, quod totis viribus ſuis conaretur Ieſum ſecū retinere; Raab, quod exploratores quā primum à ſe putaret dimittendos. Veniant huc, quæ pudicitię ſtudent fœminæ, conueniant quæ vniuerſim Deo ſe dedicant habendo. Et diſcant, vt ſolus Deus apud ſe retinendus eſt, & orādus ne prætereat; cæteri alij quicumque ſint, quam primum dimittendi, nec diutinam putent cum illis commorationem, aut conuerſationem habendā vllo prætextu. Spōſa Ieſu Cant. 3. dicebat: *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. Quæſiui illum, & nō inueni. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea, vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni, &c:* Dū quærit ſponſum, & regē in ſeruis eius vigiles, & cuſtodes ciuitatis incurrit, ab illiſque in tranſitu ſciſcitatur de ſponſo inueniendo, & poſt factum vnicum verbū ſtatim ab illis tranſit. Cur magis non moratis cum vigilibus, & cuſtodibus? Cur cum illis longiores non miſces ſermones, vt vel de ſponſo inueniendo acceptis clarioribus ſignis informeris? Quæ ab ſponſo ad ſponſum ferebatur, iam ſciebat non diu commo-

D. Ephr.

Cā. 3. n. 3.

tari cum famulis, ſed ab illis ſeſe citiſsime expedire debere. Ex quo ſapienter mo
Gil. Ab. nebat Gilliber. Abb. ſer. 7. in Cant. *Bonũ eſt, vt ſis ad quærendum ſedulus, nõ tamen aſſiduus. Nam, & ſponſa non tam ex ſtudio, quã occaſione cuſtodes interrogat, & id in trãſitu. Trahebat enim illa vlterius amor dilecti, nec vacuum eſſe ſinebat ex ocio conferre cum illis. Currebat in cordis ſui hauſto forſan de ſpõſi vicinia ſpiritu, & ideo minus intendebat in his, qui benedicebãt ore, tendens ad illum, qui benedicebat in ſpiritu.* Nihil pulchrius, vt oſtendatur, quam caute, & quam in tranſitu conueniendi ſint etiam magiſtri à fœminis. Vt non aſsiduæ ſint illorum conuerſationi: vt non debet illis vocare longos ſermones texere, vt cito illos dimittere debent, vt vni ſe ſiſtant Deo. De infirma ſanguinis fluxu fœmina dicit Luc. ca. 8. *Acceſsit retro, & tetigit fimbriam veſtimẽti eius, &c.* Mirabar audaciam fœminæ, quæ non contenta videre Ieſum, vt Zachæus, nec verbi imperium expectare vt Centurio, audet, & manibus tangere, & tractare virum Ieſum, & maximè cum lege prohiberetur tangere quemquam, ne pollueret illum. Quis in lege tactus fuit à muliere talem infirmitatem patiente, & non fuit pollutus? Cum ergo mulier ſcias ad tactum tuũ pollui viros cur non magis abſtines à conuictu virorum? Cur non refugis approximari viris? Cur magis amas, & retinere, & cõtrectare virum hunc ſanctiſsimum? Caueret prudens fœmina virum, ſeſeque ab illo maximè arceret, quem ſciret poſſe aliqua immunditia inficí; at quæ viros alios cautiſsima fugeret, vnum amat tenere Ieſum, quem fidei oculis nouit intaminabilẽ Dei
Tertul. filium. Ait Tertul. lib. 4. in Mar. *Fides huius fuit primo, qua Deum ſuũ confidebat miſericordiam malle, quam ſacrificium, qua eũ Deum certa erat operari in Chriſto, qua ſic eũ tetigit non vt hominem ſanctum, nec vt prophetam; quem contaminabilem pro humana ſubſtantia ſciret; ſed vt ipſum Deum, qui nulla ſpurcitia pollui poſſe præſumpſerat.* Expende ab illis: *Sic eum tetigit non vt hominem ſanctum, &c.* Quippe prudẽtiſsima, & ſanctiſsima fœmina quemcumque hominem putaret licet ſanctiſsimum, licet Prophetam: vt talem ſciret contaminari, & pollui eius tactu poſſe, ſic ab illo maximè caueret: & quæ vel à ſanctis, & Prophetis fugiſſet, quem nouit Deum Ieſum, & manibus prẽdere, & ſecum ardebat retinere, vt ſalua fieret. Sic bona fœmina vnum Deũ retineat, & quam primum à ſe dimittat cæteros.

§. XXI.

Nomẽ Ieſu efficaciſsimum ad rapiendos humanos affectus.

QVos exploratores nouerat, quos populi ſui hoſtes ſciebat, tamen illos dimittit liberos Raab, & de periculis præmonitos, ait enim: *Dimiſit ergo eos per funem de feneſtra, &c.* Cur ſic dimittis liberos patriæ tuæ hoſtes? Cur ſinis abire, qui veniant perdere vicinos tuos, & amicos tuos? Quæ tanta rès ſic te rapit, vt non magis tuæ patriæ conſulas? Nouerat, credo, fœmina illos à Ieſu miſſos, ad Ieſum redire; quod nomen adeò illam rapuit, vt vel obliuiſceretur ſuorũ. De illa ait D. Amb. *D. Amb.* in Pſal. 37. *Exploratores Ieſu Naue ciuibus ſuis quærentibus denegauit, & hoſtes patriæ, legatos tamẽ fidei, maluit occultare, quã perdere. Non eam mina ciuium, non bellorum pericula, non incendia patriæ, non ſuorum diſcrimina terruerunt. Diſce vir, diſce Chriſtiane quomodo verum Ieſum ſequi debeas, quando fœmina cõtempſit omnia ſua, & Ieſum in figura propter ſimilitudinem nominis eſt ſecuta.* Vbi diuiniſsimi nominis vel vmbra emicuit, ſic rapta ad illum eſt bona fœmina, vt præ illo omnia ſua contemneret. Et quem non rapiat tanti nominis potentia? Samaritanæ detractanti Ieſum tanquam Iudæũ reſpondit ipſe Ioan. 4. *Siſcires donum Dei,* *Ioan. 4.* *& quis eſt, qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forſan petiſſes ab eo, &c.* Hoc pro certo aſſerit Dominus, quod mulier non contemneret petentem aquã, ſi ſciret, quis eſſet, quin potius illum toto conatu ſequeretur. Sed, & Iudæi cognouerunt eum, & nihilominus occiderunt Matth. 21. quando dicunt; *Matt. 21* *Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, &c.* Cur ergo mulier etiam ſi cognoſceret, quis eſſet, non ſimiliter detrectaret eum, atque deſpiceret? In eo quod cognoſceret, quis eſſet, non ſolum cognoſceret diuinitatem eius, ſed & ſanctiſsimum nomen eius, cognoſceret plane quis eſſet, & qui vocaretur, nec poſſet non rapi à diuiniſsimi Ieſu nominis potentia. Ait Ruper. *Siſcires, qui eſt,* *Ruper.* *qui dicit tibi, da mihi bibere, id eſt, qualis eſt eſſentia eius, quantum à cæteris mortalibus differt, quia non filius hominis tantum, ſed filius Dei eſt, Et eſt ſenſus: ſi ſcires patrem, & filium, & Spiritum Sanctum, ſi audiſſes nominis eius Euangelium, tu forſan credéres in eũ, & petiſſes aquam viuam, hoc eſt baptizaveris,*

ris, &c. Expende ab illis: *Si audisses nominis eius Euangelium*; si suauissimum Iesu nomen, quod proprium Euangelij est, & cœpit de Christo audiri in Euangelio, tu audisses, non dubium, quin curreres post eũ. Tantum enim nomen auditum quem non rapiat, quem non teneat? Meritò dicebat
Gil. Ab. Gilliber. Abbas ser. 20. in Cant. *Verè efficax est, & violenta visio tua bone Iesu, quæ intuentium in se rapit affectus.* Non sinitur alio detrahi affectus illius, qui hoc Sanctissimum Iesu nomen spectat. Et felicissimus est, qui illi toto animi adhæret affe-
Idem. ctu. Vt dicat ipse Gellib. Abb. ser. 5. in Cant. *Quæstuosa res nomen est Christi. Nihil pensius, nihil optatius. Fœlix tamen qui nominis huius virtutem sectatur. Apud illos tractetur, disceptetur, disputetur super hoc nomine, Nobis satis est, si nostris in claustris saltim adametur* Dum enim nomen diuinissimũ amatur, illi nos cũ omnibus nostris facile sub-
Isai. 56. demus. Quò spectans Isaias cap. 56. ait: *Et diligant nomen eius. vt sint ei in seruos.* Circa quæ verba D. Cyril. Alexand. ait: *Nomẽ Dei ita diligunt, vt iugum regni eius cum omni obedientia subeant, nec amplius Deos alienos sequantur.* Quis non euolet ad suauissimum iugum Christi, tractus amore nominis sanctissimi?

Ios. 2. Qui dixerunt ad eam: Innoxij erimus à iuramento hoc, quo adiurasti nos; si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaueris illum in fenestra, per quam dimisisti nos, & patrem tuum, ac matrem, fratresque, & omnem cognationem tuam congregaueris in domum tuam. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput eius, & nos erimus alieni.

§. XXII.

Et locus, & instrumentum beneficij, viuidissimi stimuli sunt ad gratiam referendam, & similem sperandam.

ARdenter amant beneficio par referre, qui petunt sibi ob oculos poni funiculum, & fenestram, per quam dimittebãtur. Dicunt enim: *Si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaueris eum in fenestra, per quam dimisisti nos, &c.* Ecce vt petunt sibi obijci, & funiculum coccineum, quo dimittebantur, & fenestram, per quã dimittebantur, ijs enim vt medijs beneficij accepti vehementer excitarentur ad gratiam reddẽdam, & similẽ sperandam. Mihi crede nullo stimulo magis quis incitatur ad reddendam gratiam, quam si locum, aut instrumentum beneficij præoculis habeat. Aiebat sponsa Cant. *Cant. 33*
3. *Surgam, & circuibo ciuitatem, &c.* Hoc mirandum in sanctissima; & cautissima spõsa, quod sic decernat deambulare ciuitatẽ. Paulò ante dicebat cap. 1. *Indica mihi, quẽ diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges, &c.* Cauta, & pudicâ virgo timebat vagari, vel in agro; quo timore repente sublato amat totam circuire, & perambulare ciuitatem. Et quæ antea timebat vagari in agro, cur non magis timet vagari in ciuitate? Erat ciuitas, in qua dilectus eius beneuolentiæ suæ construxerat teatra; in qua perfecerat salutem orbis terrarum. A loco ergo tanti boni accepti nihil sibi timet; imò illum præ oculis habere satagit, vt similia inde semper sperans simul excitetur ad reddendas
Gil. Ab. gratias. Ait Gilliber. Abb. ser. 4. in Cant. *Circuibo ciuitatem. Et quantum putatis fratres, quantum solatium confert inuisere interim, & crebro conterere gressu loca in quibus stare solebant pedes eius, quem diligit? Nescio, quo pacto loca, in quibus aliquid boni experti sumus, expressius id ipsum imprimunt memoriæ, & ex ordine ante mentis depingunt oculos; & quod iam experti sumus in ipsis, iterato speramus.* Sanè beneficij accepti locus sic illud, & oculis obijcit, & memoriæ imprimit, vt nequeamus illud obliuiscj; & gratis speremus semper inde simile. Vt memor, & gratus salutis acceptæ quis locum, vbi eam accepit, intuetur, sic inde sperat posse semper eandem obuenire. Iudith post victoriam reuersa ad populum suũ cap. 13: *Iudit 13.*
Proferens de pera caput Holofernis ostendit illis dicens: Ecce caput Holofernis Principis militiæ Assyriorum, & ecce conopæum illius in quo recumbebat in ebrietate sua, vbi percussit illum Dominus Deus noster. Esto quod caput Holofernis afferret in testationem facinoris, & vt ostensum hostibus, illis metum incuteret, & pauorem; Sic victores solent metu

hoſtibus ineutere, vt Virgil. lib. 9.

Virgil. *Quin ipſa arrectis, viſu miſerabile, in haſtis*
Præſigũt capita, & multo clamore ſequũtur,
Euriali, & Niſi, &c.

Sic Iudith caput Holofernis attulit, & oſtendit in teſtationem facinoris, & in pauorem hoſtium. At Conopæum ad quid attulit, ad quid populo oſtendit? Duo viri Prin

2. Reg. 4. cipes 2. Reg. 4. ingreſsi cubiculum Isboſeth, quẽ dormientes inuenerũt ſuper ſtratum ſuum meridie: *& percutientes interfecerunt eum; ſublatoque capite eius, abierunt per viam deſerti tota nocte, & tulerunt caput Iſboſeth ad Dauid.* Facile cum capite & lecti operimentum afferre potuiſſent, ſed nihil attulerunt de ſtrato, & refugientes ſarcinã, vt expediores fugerent, & quia ad nihil poterat conducere, cõtenti ſi hoſtis caput Regi obtuliſſent. Cur ergo ſimiliter Iudith contenta non fuit Holofernis capite allato? Cur & addidit Conopæi onus, quo grauarentur fœminæ in via? Ipſa rationem indicat illis verbis: *Ecce Conopæum, in quo recumbebat in ebrietate ſua, vbi per manum fœminæ percuſsit eum Dominus.* Pertinebat Conopæus ad ſtratum, in quo occiſione Holofernis ſalus populi Iſraelitæ fuerat exorta, & ex Deo comparata: volens autẽ prudens fœmina facere, quod populus redderetur Deo gratus, ab illoque ſperaret ſalutis inceptæ perfectionem, ſapientiſsime Conopæum reſeruauit, eorumque propoſuit oculis. Semper enim illa, in quibus experti ſumus aliquid boni, expreſsius id imprimũt memoriæ, & faciunt, quod iterato ſperemus, quæ in illis iam experti ſumus.

§. XXIII.

Dei ſpiritus, & poteſtatis eſt hoſtilia arma in ſalutaria conuertere.

ECce aiunt: *Si ingredientibus nobis terrã, ſignum fuerit funiculus iſte coccineus. &c.* Cum funiculum vocant coccineum, tincturam in eo ſuſpicor; nec facile adducor, vt credam funiculum fuiſſe de communibus illis funiculis, qui vulgo circumferũtur ad ſeruilia, & mechanica miniſteria, v. g. vt ſarcinæ ligẽtur, vt aqua de puteis extrahatur, & ſimilia fiant. Quid enim cum vilibus ijs funiculis coccinea tinctura? Citius credam, funiculum talem ſumptum de lectorum ornatibus; cum & meretrix Prouerb. 7. in lecti ornatu funiculorum memi

nerit. Ait enim: *Intexui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto.* Ecce tibi & tapetibus pictis præponuntur funes in lecti meretricis ornatu, qui forſan pretioſi, vt conopæa tenerẽt, hinc inde integebantur. Nec vacat myſterio, quod de meretricis lecto coccineus ſumeretur funis, qui exploratoribus dimittendis ſeruiret, imò & illis ſeruiret pro ſigno reddendæ ſalutis. Is eſt enim Dei ſpiritus, & potẽs ſtas, quæ ſciat de hoſtium armis facere inſtrumenta ſalutis efficaciſsima. Sic meretrix Iericunthina, quibus intexuerat lectulum, funibus, vt viros caperet & alligaret, perdendoſque teneret; eos adduxit, vt viros liberaret, ſibique ſalutem compararet. Non longe abeſt, quod in Conſtantino Imperatore extollit Panegyris 6. qui cum innumeros hoſtes caperet, nec funes ſuppeterent ad eos ligãdos, iuſsit vt ex illorum enſibus vincula fierent, quibus ligati poſſent in vitam ſeruari. De quo ait Panegyris dicta: *O pulcherrimum, & qui omnium oculis ſubijci debuiſſet triumphum virtutis, & clementiæ tuæ? Cuius enim potentiæ fuit hoſtibus arma diripere, eius fuit humanitatis deditos adimpunitatẽ ſuis armis alligare, atque etiam vincire, vt eos ferri illius, quod contra te geſſerant quotidie pœniteret. Gladius ille, quem in te diſtrinxerant hoſtes infeſti, ipſo Domini ſui manus tenuit, & paratus ad cædem, cuſtos factus eſt ad ſalutem. Triſte tempus id, cum inſtrumenta cultui pecudum præparata in cædem hominum verterentur. At nunc rigidi illi mortiferique mucrones in ſalutaria vincula curuantur, deditoſque hoſtes gladij ſui colliſi obtunſique tutantur, qui nihil illis prodeſſe integri acutique potuerunt.* Quid pulchrius? Fallar, niſi in rem preſentẽ optime hæc veniant. Iericũthina fœmina intexuerat funibus lectum ſuum, vt viros iretiret, traheretque, & bellum cruentiſsimum eorum cum animis ageret: de quo Pſalm. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos; ignis, & ſulphur, &c.* At Deus fœminam capiens iubet, vt illis ipſa funibus vtatur in ſalutem; & dum Iſraelitas liberat, ipſa ſeſe populo fideli alliget. Quo funiculus paratus ad cædem, fit iam cuſtos ſalutis; & inſtrumenta mortifera aptantur in ſalutaria vincula; vt meliori euentu tutentur dominam ſuam. O pulcherrimum Dei triumphum, qui de mortiferis vinculis nouit remedia libertatis, & ſalutis educere. Quo reſpiciens Iſaias cap. 2. aiebat: *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.* Gladij, qui in perditionem fuerant ſtricti conuertuntur in inſtrumenta vitæ alẽ-

Pſalm. 10.

Iſai. 2.

dæ; &

dæ; & quando accidit, quod lethales gladij fiant aratra, & falces pro colendis, metendisque alimentis vitæ? Pulchrè id in persecutoribus Ecclesiæ factum ponderat Tertul. lib. aduers. Gnosticos, & in Paulo præcipue ait: *Paulus Apostolus de persecutore, qui prius Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, & conuertens machæram in aratrum, lupus rapax Beniamin, deinde afferens etiam ipse escam.* Quis acutiores gladios in fideles strinxerat, quam Paulus? Sanè ait Actor. 9. *Paulus adhuc spirans minarũ, & cædis in discipulos Domini, &c.* Totus quantus erat spirabat gladios, sub quibus caderent discipuli Christi, & lupo rabidior vniuersos vorare nititur. Quid tunc? Gladius ille mutatur in stylum, qui epistolas condat, non populatrices, sed Christianitatis fundatrices. Machæra eius necem spirans facta est aratrum, quod mirifice colat agrum Christi: & de voraci lupo fit vitalis alimenti destributor. Nihil fuit in Paulo aduersarium Christi, quod non versum sit in instrumentum humanæ salutis.

Tertull.

Actor. 9.

§. XXIIII.

Vbi Christi mortis vel vmbra, ibi omnia fœlicia.

INter bellicos furores vnus funiculus coccineus petitur apparere, vt sub illo omnia tuta fiant, dum aiunt; *si ingredientibus nobis terram signum fuerit funiculus iste coccineus, &c.* Et vnde funiculus coccineus tantam virtutem habeat, quæ furentes exercitus, & sæuientes in vniuersos ciues, arceat ab vna domo? Erat in illo funiculo coccineo iuxta omnes Ecclesiæ patres passio Christi signata. Vbi autem est vel vmbra Christi passi, eo non appropinquat malum, & omnia fœlicia plaudunt. Armaturus Dominus Moysem aduersus omnia mala populo occurrentia ait illi Exod. 4. *Virgam quoque hanc sume in manu tua in qua facturus es signa.* Et cur virgam sumi mandat? Nonne, & sine virga poterat mala fugare, & bona trahere? Cur ergo necessum fuit, vt Moyses virga vteretur, vt viam faceret populo salutarem? Ait D. Aug. Augustin. serm. 101. de Tempore: *Non vtique Deus virgæ auxilio indigebat, sed erigebatur, vt scire possimus, quantum esset illud futuri ligni mysterium, cuius fuerat vmbra figuratum virgæ illius sacramentum. Forte si rubrũ mare diuidendum est, iubetur Moyses elevare virgam, & rarare cognoscens venturi ligni figuram, mox iter populo pandit insuetum. Si ad aquam Merrhæ amaram venitur, nisi lignum in se susceperit, non dulcescit.* Sic vbique sub passionis Christi mysterio, imò eius vel vmbra visa fugiunt aduersa, & prospera appropinquant. Tanta enim est diuinissimi Iesu potestas, vt vel mortuus, & crucifixus halet omnibus salutem, & vitam. Post quam spiritum in cruce emiserat. Ioann. 19. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua.* Quando totum se pro hominibus effuderat, & animam effuderat, quid adhuc ab illo requirens miles latus eius aperit? Quid expectat à mortuo posse venire? Cæteri in morte omnem suam beneficentiam finiunt, nõ sic Christus, sed mortuus adhuc habet, quod præstet, adhuc aquam, & sanguinem mittit in mundi salutem. Ait D. Hypolithus Martyr epist. ad Reginam citatus à Theodoreto Dialog. 3. inquiens: *Atque etiam cum sit corpus mortuum humano more, magnam vitæ in se habet facultatẽ. Quæ enim ex mortuis corporibus non profluunt, ea ex ipso profluxerunt, sanguis, & aqua; vt sciamus, quantum ad vitam valeat potestas, quæ in corpore habitauit, vt nec ipsum corpus mortuum alys simile appareat, nobis autem ea, quæ sunt vitæ causa, possit profundere.* Proh diuinissi mi Iesu profusissimam beneficentiam, validissimam potestatem! Mortuus est, & nõ sicut cæteri mortui, exaret; sed quod nullus mortuorum potuit, ipse mortuus vitã, & salutem halat, sub qua securi, & prosperi viuamus. Hinc Ioan. 20. audientes discipuli non esse diuinum cadauer in sepulchro, illuc conuolarunt, vident sepulchrũ inane. Quid tunc? *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Viso sepulchro Iesu vacuo Apostoli abierunt ad sua; Maria sola mansit iuxta sepulchrum. Et cur Apostolis abeuntibus, & Maria non abijt? Cur quando videt Iesum ablatum à se pulchrò non magis illa recedit? Cauebat prudens fœmina ne vt Iesum putabat amissum, sic dum abiret, & sepulchrum eius sepulti signum simul perderet; & ideo maluit in amissione Iesu, eiusdem mortis signis adhærere, sub quibus sperabat omnia sibi integra reseruari. Pulchrè apud Orig. hom. vlt. de diuersis ipsa introducitur, dicens: *Melius est mihi sepulchrum Domini mei custodire, quam ab illo longius ire. Si enim longius abiero, forte cum rediero ipsum sublatum inueniam, & sepulchrum destructum. Stabo igitur, & hic moriar, quam beatum corpus meum.*

Ioann. 19.

Hyp. M.

Ioann. 20.

Origen.

meum, ſi fuerit ſepultum prope magiſtrũ meũ. Corpus meum ſemper fuit animæ meæ labor, & dolor, ſepulchrum Domini mei erit mihi requies, & honor. Hoc ergo ſepulchrum non deſeram, quia ita mori erit conſolatio mea, & in morte mea erit requies mea. Dum putat ablatum Ieſum, maximè cauet, quod vel ſepulchrum eius etiam tollatur è medio; ſperat enim quod ſi vel ſepulchrum Ieſu retineat, inde & honorem, & requiem, & cõſolationem, & ſecuritatem inueniat. Caue tibi Chriſtiane, ne Ieſum perdas; quod ſi in eam miſeriam deueneris, vt illum propter infirmitatem tuam amiſeris; conare vel ad lapidem ſepulchri eius, vel ad vmbram paſſionis eius confugere, vt inde tibi vniuerſa inſtaurentur.

Ioſue 2. Cunctorum autem ſanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput noſtrũ, ſi eos aliquis tetigerit. Quid ſi nos prodere volueris, & ſermonem iſtum proferre in medium, erimus mundi ab hoc iuramento, quo adiuraſti nos. Et illa reſpondit, ſicut locuti eſtis ita fiat, dimittenſque eos vt pergerent, appendit funiculum coccineum in feneſtra. Illi verò ambulantes peruenerunt ad montana, & manſerunt ibi tres dies, &c.

§. XXV.

Virtus Chriſtiana ſe ad proditores etiam extendit, & inde proficit.

ECce quam ſtrictos limites ſuæ beneficentiæ exploratores iſti conſtituunt; dicunt enim: *Quod ſi nos prodere volueris, & ſermonem iſtum proferre in medium, erimus mundi ab hoc iuramento, quo adiuraſti nos.* In tantum ſe adſtrictos ſaluti Raab procurandæ putant, in quantum illa illotum proditrix non fiat. Quod ſi fiat, ſi illos prodat; iam liberos ſe putant à procuranda proditricis ſalute. Quid ſtrictius? Antiqua hæc erat Hebræorum virtus, quæ vt veteris erat teſtamẽti, ſic rugata, & curuata non pertingebat eo, vt glorioſam euangelij beneficentiam hoſtibus impenderet. Quam latior Chriſtiana virtus? Nouitio ſplendore, non ſolum benefactoribus, & protectoribus, ſed & proditoribus, & hoſtibus beneficentiam impendens inde dilatatur in infinitum. Aſtat in primis nouellus ille palmes Chriſti Stephanus, qui Actorum 7. lapidibus furentium fratrum petitus clamabat dicens: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatũ.* Quid inde? Perijt nouellus palmes oppreſſus lapidum multitudine? Perijt homo Dei proditus à fratribus rabidiſsimis? Quin, vt etiam proditoribus, lapidatoribuſque fauebat, non ſolum creſcebat ipſe, ſed & euidentiſsime monſtrabat, vnde creſcat, & augeatur vinea Chriſti. Ait ibi Arat. lib. 1. in Act. *Act. 7.* *Arat.*

Saua iacis, parat ille preces, nec reſpicit vnde
Grando nefanda cadat, qui tempore mortis amicè.

Pro populo peccante rogat; licet omnia tecum
Tela feras, ſiliceſque graues, ac põdera libres,
Quem perimis, victurus erit; qui ſine colono
Seminat exemplum, quo ſurgat vinea Chriſti,
Et calicem Domini conuiuia feſta coronent.

Planè nullis tempeſtatibus cadit, nullis telis perimitur, qui inter hoſtium rabies, inter proditorum iniurias orat pro illis; imò hac oratione beneficentiſsima pro hoſtibus, præclare oſtendit, quo ſurgat vinea Chriſti, & quo dominicus calix coronetur in electorum ſuorum feſtiuiſsimis conuiuijs. Fateor vineas communiter grandinatis lapidibus funditus perire; at mors Stephani dum inter grandinum, ſaxorumque tempeſtates pro hoſtibus orat, & proditoribus benedicit, tali exemplo oſtendit mũdo, quo ſurgat vinea Chriſti; ſaxa, tela, hoſtium rabies ſi excipiãtur à Chriſtiano ita, vt beneficum ſe oſtẽdat in eos, qui illa mittunt, non ad ruinam, ſed ad prouentum faciunt Chriſtianæ vineæ. Sumit enim inde Chriſtianus, quo viuat, quo triumphet, quo delicietur in cœleſti conuiuio, non quo ruinã incurrat. Hinc monebat Paul. ad Epheſios 6. *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.* Et quando in Dei armamentario quot virtutes, tot ſunt arma aduerſus hoſtiles phalãges, qua iubemur indui in particulari armatura, vt non ſolum aduerſus apertos impetus, ſed & aduerſus inſidias hoſtis vaferrimi poſsimus ſtare? Sapienter D. Athanaſius putat hanc validiſsimam armaturam conſiſtere in eo, quod vel ipſis hoſtibus benefaciamus. Ait enim hom. in Euang. de Paſ. *Cæterum vbi iniuriam, ſicuti Dominus* *Ad Epheſios 6.* *D. Athan.*

fecit,

fecit, toleramus, & conuiuiatoribus patientiam opponimus, & minantibus impauidum pectus, & morti spem immortalitatis, prorsus istius modi rebus discruciamus inimicum; sub istius modi panoplia succumbentem, quo genere armorum Paulus nos communiens inquit, Induite armaturam Dei, vt possitis resistere diaboli insidijs. Proh validissimam armaturam Dei! Proh firmissimam panopliam, qua Christianus obsirmatur aduersus, & impetus, & insidias diaboli! Indue homo hanc virtutem tolerantiæ, imò beneficentiæ in hostes; & ride spicula, ride tela, ride sagittas diaboli, quæ siue in aperte, siue in obscuro iaculantur. Hoc erat consilium summi saluatoris suos armantis Matth. 5. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite vis, qui oderant vos, &c.* Et qualia hæc arma? Ait D. Athanas. supra: *Primo quidem docuit, verberanti maxillã alteram esse obuertendam; neque metuendos eos, qui corpus occiderent: & tunicam auferenti non esse eam reposcendam, & persecutoribus benedicendum. Sic enim facilius de diabolo, omnique malitia victoria obtinetur, quam si nos ipsi vindicemus.* Nullis facilius armis de diabolo, eiusque assectis victoriam reportabimus, quàm in hostes beneficentia ex præstantissima charitate proueniente. His armatus Dauid ingressus est tẽtorium Saulis infensissimi hostis, inuenitque illũ dormientem 1. Reg. 26. *Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quisque, qui videret, & c.* Per media castra hostilia ingrediuntur, & egrediuntur, & nemo officit. Vnde hoc? Ait Caiet. ibi: *Vide assistentiam diuinam benignitati Dauid.* Vt Dauid erat in hostes benignus, sic habuit assistentem Deum, ne læderetur ab inimicis.

Matth. 5

D. Atha.

1. Re. 26.

Caiet.

§. XXVI.

Fœminea facies fugienda strenuo bellatori.

EXpende illa verba exploratorum: *Cũ eloru ante sanguis, qui tecũ in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, &c.* Posito ad fenestram exterius coccineo fune, iubetur fœmina manere cum suis intra domum. Et cur non magis iubetur ipsa vel ad fenestram exire; vel domo se surripiens venire in castra Israelis, obuiareque bellatoribus, vt illos introducat; vel saltẽ extra domus suæ portam expectare illos? Cur magis petunt, vt posito ad fenestram fune, ipsa intus deliteſcat cum suis? Cur dicunt, *Qui tecum in domo fuerint*, & non potius, qui tecum è domo egressi obuiauerint nobis? Equidem prudentissimi bellatores cauent maximè implicari facie fœminea, illámque longe ab oculis suis faciunt deliteſcere domi intrinsecus. Quo spectans aiebat D. Venantius in lib. 3. de vita sancti Martini.

D. Venan.

Belligeratori valeat ne fœmina iungi
Sola aciem melius componit masculavirtus,
Debilior teneat murorum castra caterua
Et sexus fragilis sese intra septa recondat
Hoc satis vt mulier timeat res, ipsa timori;
Miles ad arma potens pergat galeatus in agmen.

Mulier enim vel apparens, vel iuncta bellatoribus, magis ipsa timori deseruit, quã fortitudini. Sapienter illud fuit dictum: *Hoc satis est, mulier timeat res, ipsa timori.* Deliteſcat timens mulier, dum visa ipsa potius timori est. Quid aliud mulier egressa domo, bellatoribus obuia, illis inferat, quam rem maximi timoris? Egressa è domo sua Iudith ad bellicosissimi Imperatoris castra venit. Quid tunc? Ait cap. 10. *Cumque intrasset ante faciem eius, statim captus est in suis oculis Holofernes.* Vbi ait Carthus. *Mox vt eam vidit Holofernis, vulneratus est concupiscentia, quæ fuit deceptionis, & mortis occasio.* Nec bellatoribus viris felicior potest esse mulieris facies. Multũ fere semper detrahit gloriæ præstantibus ducibus occursus fœminarum. Id quod patet in cantatissimo Baraco, cui reseruata erat glorioſissima victoria de hostibus; quam vt ipse magis sibi cõfirmaret, nisus fuit secum ferre Debboram Iudic. 4. cui illa. *Ibi quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi.* Ex Hebræo autem: *Eundo ibo tecum; verumtamen non erit gloria tua in via.* Sic bellicosissima duci fœminæ comitatus, si non vitam, tamen non minimam gloriæ abstulit partem. Ne vnquam fortes viri glorioſos euentus sperent, dum fœminarum conspectibus implicantur. Ex quo Prudentius maximè mordet Romanos, qui Victoriam sub specie candidissimæ puellæ adorabant. Ait enim lib. 2. in Symachum:

Iudith 13

Carthus.

Iud. 4.

Heb. Lect.

Prudent.

Quid miles propriis diffisus viribus aptas
Irrita fœmineæ tibimet solatia formæ?
Nunquam penniger am legio ferrata puellam
Vidit, anhelantum regeret, quæ castra virorũ.
Vincendi quæris dominam, sua cuique dextera est,
Et Deus omnipotens; non pexo crine virago

A page fœmina, & longe te fac à pugnatorum oculis; minimè videat legio ferrata puellam, nisi velit sicut cera liquescere. Non quærat bellicus labor solatia fœmineæ formæ, non enim hinc conciliatur, sed prorsus victoria fugit.

§. XXVII.

Cum fœminis seueritatem vultus, & verborum præseferat vir sapiens.

NOtabam, quod exploratores de salute sua agentes cum Raab; illi etiam faciant verba minacia, dum aiunt: *Si nos prodere volueris; & sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc iuramento, &c.* Iurauerant se consulturos vitæ eius, & cognatorum; at nunc minitantur minimè id præstituros, si prodantur. Quæ minæ prorsus stultæ, & ineptæ viderẽtur alicui, cum si proderentur, continuo perimerentur à Rege Iericũthino, & sic nec bonum, nec malũ possent præstare. Vnde Dauid in simile discrimine constitutus cũ Ionatha, nihil illi minatur, sed tantum blandissimis verbis eius misericordiam deprecatur. Ait enim 1. Reg. 20. *Fac ergo misericordiam in seruum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti, &c.* Vix verbum promit, quin blanditiam addat, vt illam, in me seruum tuum, & me famulum tuum; quod autem minas sonet, aut asperitatem nec vllum verbum facit. Et quidem æque debebat Dauid esse securus de Dei promissione, quod regno Saulis potiturus erat, & nihilominus, sic petit à Ionatha, ne eum patri prodat, vt ab omnibus minis abstineat, nullique verbo blãdo parcat. Cur ergo Exploratores illi in simili discrimine, & in simili confidentia de Deo, non similiter se gerunt cum Raab, quam nec semel dominam vocant, nec se eius dicunt famulos, imò ab omni blandiciei verbo abstinentes, hoc agunt vt minas intentent, vt mulierem timore quatiant? Cur non magis abstinentes à minis, verbis blãdis fœminam deliniunt, in cuius videbantur esse potestate? An fortiores, & sapientiores erant quam Dauid, vt pericula contemnerent, aut vitarent? Minimè, sed Dauidi res erat cum viro Principe filio regis: exploratoribus autem res erat cum fœmina; cui sapienter cauent blanda verba insusurrare, quin imò ad illa cõfugiunt verba, quæ non blanditiem, sed præseferant seueritatem, & minacem vultum, qui metum afferat. Proh hominũ bellicosorum sapiẽtia! Vtinam, & viri religiosi hunc semper assumerent vultum minacem, quando cum fœminis colloquantur, nec vllum facerent verbulum blandum. Samsonis mater narrans marito suo visitationem, quam habuerat à viro Dei, ait illi Iudic. 13. *Vir Dei venit ad me habens vultum Angelicum, terribilis nimis, &c.* Putabat fœmina virum, qui re vera erat Angelus sub viri forma, & specie; & Angelus afferens bonum, & optatissimum nuntium de Samsonis conceptione. Sed illud maximè ponderandum, quod ait, *Terribilis nimis*, quando Angelus veniebat daturus lætum nũtium in forma virili, cur formam, quæ terreret, accepit? Cur non magis in specie letitiæ apparuit, quam in terrentis habitu? Colloquendum erat illi cum fœmina, & ideò merito eligit speciem, quæ terrorem potius instillaret. Pulchrè ait Caiet. ibi: *Non apparuit, sub viri amabilis, sed timendi, quia mulieri iuueni apparebat, nec decebat eam trahere ad sui amorem, sed reuerentiam.* Hanc ebibant sapientiam viri, qui accedunt ad colloquium fœminarum, vt & verba, & speciem, qua blanditiem halent, & amabilitatem, prorsus caueant; sicque se seueros, & in gestu, & ore ostendant, vt potius timorem faciant. Ioseph Gen. 39. locutus cum vxore domini sui ait: *Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, ne quicquam est, quod in mea non sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te; quæ vxor eius es.* Si vxor domini erat, cur non vocat eam dominam suam? Cur cauens dominæ vocabulum, maluit vxorem domini vocare? Sanè fugit vocem, quæ non nihil lenocinij haberet, & comitatis; arripuitque illam, quæ seueram præseferebat grauitatem, & sic eius discrimina deuitabat. Vt dicat D. Amb. lib. 1. de Pœn. cap. 13. & 14. *Soluit vincula mulieris vox pudoris, sermo grauitatis, habena cautelæ, &c.* Crede mihi, non fugit vincula, qui cũ fœminis desecẽdit ad verba blanda oblitus seueræ grauitatis.

Re. 20.

Iud. 13.

Caietan.

Gen. 39.

D. Amb.

***

§. XXVIII.

Christi passio efficacissima est, vt faciat difficilia quæque vorari.

STo à sententia illorum, qui putant funẽ coccineum appensum fuisse à fenestra, cum primum exploratores mittebantur, vt & ipsi iam tunc viderent illũ. Quippe ait: *Dimittensque eos, vt pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.* Et cur sic maturauit funiculum coccineum appẽdere? Omnia ibi nutu Dei agebantur, qui vt per os fœminæ consuluit exploratoribus, vt pergerent ad montana, ibique tribus diebus inter montium prærupta latitarent; sic maturauit illis abeuntibus funem coccineum, in quo Christi passio figurabatur, in fenestra appendere, vt ostenderet signum, sub quo difficilia quæque arduæ viæ possent superare. Vbi enim Christi passi signum affulget, ad difficilia quæque aduolabunt fideles. De Simeone Machabæo locutus 1. Mach. 16. ait: *Vidit populũ trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretauit primus, & viderunt eum viri, & transierunt post eum.* Erat rapidissimus torrens interpositus, qui ab exercitu superandus necessario erat. Timent milites, & valde trepidant tam rapidis fluctibus se committere. Tunc Simon in trepide sese immittit torrenti; viderunt eum milites, & depositio metu ad torrentem superãdum contendunt. Proh Deus immortalis, quam efficacius est diuinissimi ducis nostri exemplum! De torrente in via ipse bibit, apparuit fluctibus passionis opertus; & qui eum sic vident, auidissime currunt post eum. De Theodorico rege aiebat D. Ennodius in Paneg. *Pallantes visi sunt mutata sorte victores. Nam tu venerabilis, qui in comitatus gustum luctaminis arripueras, vallatus militibus incedebas.* Planè in congressu primo hostes Theodorici vincebant; nullus erat è Theodorici exercitu, qui ad hostem auderet. Quid tunc? Repente mutata est victoria, nam Theodoricus solus, & incomitatus sese in medios confertissimos hostes dedit, quo in similes ausus traxit exercitum. Et qui solus, & in comitatus visus est gustum luctaminis arripuisse, statim innumeris vallatus visus est hostes perdere. Huc spectabat Dominus meus Psal. 140. *Singulariter sum ego, donec transeam.* Quæ verba pulchrè in rem præsentem expendit D. Aug. aiens: *Quid est singularis? In passione tu solus patieris. Tu solus occideris ab inimicis; singularis ergo. Sed quid est, donec transeam, nisi de hoc mundo ad patrem? Tunc enim confirmati columnas eius, id est, columnas terræ; quando in me didicerãt mortem non esse timendam. Donec ergo transeam, singularis sum; cum transiero multiplicabor, multi me imitabuntur, multi patientur pro nomine meo.* Dum incomitatus, & primus, & solus in doloribus apparuit, dũ à ligno crucis pendere visus est totus sanguine purpuratus, iam non amplius solus; ad eius enim conspectum multi in periculà, in mortem euolarunt. Ex quo in monte crucifixus visus est, quæ montium prærupta non scatent sanctis, qui pro eius nomine crucifigant suas carnes? Quæ mortes non ambiantur? Aiebat Paulus 1. Corint. 15. *Absorta est mors in victoria.* Post mortem Christi, nihil in ipsa morte non appetẽdum relinquitur. Quippe ait D. Athan. hom. de incarnat. *Homo certe naturaliter mortem, & corporis sui dissolutionem expauescit, istamen, vbi indutus est fidem Crucis, res naturales vilipendit, & mortem per Christum non exhorrescit.* Imò, & vulneribus adgaudet, quibus sibi inuristigmata Christi credit. Sic de Virguncula Eulalia canit Prudentius.

Et latus vngula virgineum
Pulsat vtrumque, & ad ossa secat;
Eulalia numerante notas.
Scriberis, ecce mi Domine
Quam iuuat hos apices legere
Quitua Christe trophæa notant;
Nomen, & ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis elliciti.
Hæc sine lachrimis, & fletibus
Læta canebat, & intrepida.

Sic inducitur virgo lætans in vulnerũ scissuris notas legens, quibus scribi Christus passus putetur. Tortorem Scribam, securim stilum habebat; quo in se scriptum crucifixum legebat.

§. XXIX.

Christi passio nos in viam deducit salutis.

Adhuc expendenda sunt illa verba: *Dimittẽsque eos appendit funiculum coccineum in fenestra. Illi vero ambulantes*

peruenerunt. &c. Non enim antea arripuerant viam, quam funiculum coccineum appensum in fenestra viderent; & merito, vt doceremur, quam secure per Christi purpureum sanguinem in viam salutis ducemur. Deuth. 10. vbi noster legit: *Dominum Deum tuum timebis, & ei seruies, ipsi adhærebis*; legit Amb. serm. 5. in Psalm. 118. *Post Dominum Deum tuum ambulabis, & ipsi adhærebis, quia ipse te deducit.* Sed quomodo te Deus deducit? Ait ibi Amb. *Quomodo deducat, audi. Nisi qui tulerit crucem suã, & post me secutus fuerit, nõ est me dignus. Præcedit ergo Christus, vt nos sequamur: ideo sapiẽtia dicit, Dominus creauit me principium viarum suarum. Creatus ergo Christus secundum susceptionem carnis, vt redimeret creaturas. Creatus vt vias mihi demõstraret æternas, quibus homo redire posset ad Dei regnum.* Itaque in hoc natus est Iesus, in hoc montis Caluarij verticem ascendit, in hoc se in Cruce posuit, vt è societate passionis æternas mihi vias demõstraret, per quas secure ad salutem tenderem. Hinc Matth. 27. cum primum Dominus in Cruce emisit spiritũ; *Velum templi scissum est in duas partes.* Obserabat enim velum viam ad sancta; vbi autem Christi caro sanguine suo purpurata in cruce visa fuit: inde, & peruia & secura via quævis salutaris apparuit. Vt dicat Anselm. in cap. 10. ad Hebræos: *Christo in Cruce moriente scissum est velum templi, significãs morte eius apertam nobis esse viam in sancta sanctorum. Per velamen, id est, per carnẽ Christi, qua velatur diuinitas, via illa manet peruia: quia sumunt fideles vt viaticum carnem Christi: & de hac vita recedentes ingrediuntur ianuam cœli.* Ostendit nobis Christus in Cruce pendens viam salutis apertam, qua ablatis obicibus festinemus, & in qua minimè deficiamus viaticum salutare accipiẽtes. Hinc merito clamat Psalm. 60. *Deduxisti me, quia factus es spes mea.* Circa quæ pulchrè D. Augustin. *Deducit tanquam dux, & in se ducit tanquam via, & ad se perducit tanquam patria. Deducit ergo nos? Vnde? Quia factus est spes nostra. Vnde factus spes nostra? Ecce si quomodo nunc audistis, quia tentatus est, quia passus est, &c.* Ex quo passus, ex quo à cruce pendens rubit, factus est spes nostra, & per securissimam nos deducit viam. Quo spectans Michæas cap. 2. ait: *Ascendet pandens iter ante eos.* Vt meritò exclamet D. Bern. serm. 1. in cap. ieiunij: *O caput glorioſum, & benedictum! Tu prius transis per angustum passionis foramen, vt latum præbeas sequentibus membris ingressum.* Dum enim Christus crucem ascendit, totusque purpureus ab illa pendet, non solum viam ostendit, sed & illam pandit, extenditque, vt latè, & sine angustia per eam ambulemus. Et Rupert. ibi: *Ascendet pandens iter ante eos. Iste pandens iter, iste rex, & Dominus transiens coram eis. Quomodo ascendit pandẽs iter? Cum, inquit, proprias oues emiserit, ante eas vadit. Quomodo ante eas? Patiendo pro illis, relinquens exemplum patiendi, & aperiens aditum Paradisi. Ascendet ergo in Crucem pastor bonus: sicque ascendit super cœlos pandens iter ante eos.* Quid pulchrius? Dum ad crucem ascendit, iter dilatatum, & expansum ad cœlos ostendit.

Deut. 10. Ambr. Idem. Matt. 27 Anselm. Psalm. 60 August. Mich. 2. D. Bern. Rupert.

Iosue 2. Descenderunt exploratores de mõte, & trãsmisso Iordane venerunt ad Iosue filium Nun, narraueruntque ei omnia, quæ acciderant sibi, atque dixerunt: Tradidit Dominus õmnem terram hãc in manus nostras, & timore prostrati sunt omnes habitatores eius.

§. XXX.

Vbi multitudo, ibi & error.

AVdi exploratores hos, quam erigant Israelitarum animos aduersus gentes; quippe ait de illis: *Narraueruntque ei omnia, atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terrã hanc in manus nostras, & timore prostrati sunt omnes habitatores, &c.* In hoc ambo conueniunt, quod terra facile sit expugnãda, quod hostes iaceant timore perterriti. Quam aliter exploratores alij loquebantur Nume. 13. ibi enim. *Alij dicebant, Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est, &c.* Compone modo exploratores cum exploratoribus, de exploratoribus à Moyse missis fuerunt, qui terram hostium prorsus inexpugnabilem dicerent; de exploratoribus missis à Iosue, nullus est, qui non asserat facile expugnandam terram. Et cur in Moysis exploratoribus sunt, qui metum populo inferant; in Iesu exploratoribus nullus inuenitur, qui populi animos non excite? Sanè illi plures erant, nimirum duodecim viri; hi tantum duo: in multitudine autem vix potest fieri, quod non inueniatur, qui erret; in paucis autem, siue in duobus tan-

Num. 13.

tantum certior, & constantior virtus solet esse. Conuerte oculos ad primos incolas paradisi, duo erant parentes primi, qui longissima gaudebant vita, multum sero morituri. At vbi dederunt operam liberis, natique sunt Abel, & Cain, quatuorque cœperunt apparere in mundo: statim Genes. 4. *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum, &c.* Ecce tibi inter duos pax erat, quietã, & pacatam agebant duo vitam; vt creuit numerus, & fuit error, & ruina. Ait sapien ter Sedul. lib. 2. Paschal. cap. 1. *Proh dolor! Duo tantum fuerant æterni. Postquam crescere cœpit origo, tunc periit, clademque parturiens à semine detrimenta suscepit.* Vix potest multitudo errorum nutrimẽta nõ producere. Quando in duobus virtus fuit, æternabaturque virtus; in pluribus statim mala, cladesque & ruinæ cæperunt scaturire. Quis non timeat mala à multitudine? Iosue 2. Iosue cap. 2. exploratores locuti cum Raab de gratia illi referenda, aiunt: *Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos.* Hebraicè legitur, *si non prodideritis verbum nostrum hoc.* Et quãdo vna Raab præsens erat, à qua tantam misericordiam experti erant, cur cauent, ne prodantur à fœmina, quæ illis salutem impertiebatur? Non cauent à fœmina, sed timent, ne illa suis cognatis nõ aperiat; vbi enim nõ vna, sed multi in re fuerint, sapientissimè timẽt proditionem fieri. Ideò dicunt, *si non prodideritis*, quasi cautela ex multorum notitia sit profecta. Ait ibi Caietanus: *Cauent nè cõmunicata notitia occultationis eorum patri, & matri, fratribus, & sororibus mulieris, manifestentur, ideò sub pacto ponunt, si non prodideritis nos.* Qui nihil cauerent à Raab sola, vbi illam audiunt meminisse parentes, fratres, & sorores, merito incipiunt timere nè tot in rei notitiam deueniant. A multitudine enim stultus est, qui non proditionem metuat. Matth. 1. *Salomon autem genuit Roboam.* Quibus ostenditur, vt Salomõ vocãuerit filium suum primogenitum Roboam: quod nomen sonat *in multitudine populi.* Et cur Salomonis filius eo nomine vocatur, quod populi multitudinem significet? Duę in eo rationes considerandę sunt; altera ex parte Salomonis, qui in filij nomine ostentabat gloriam suam, quando populi multitudo ad non paruam regni gloriam conducit. Altera ex parte Dei, qui iam inde proditionem Israelitarum aduersus Regem suum præsignabat, quando & errores, & proditiones, penè inseparabiles sunt à multitudine. Ait Imperfect. hom. 1. in Matth. *Salomon ergo cum haberet regnum valde multiplicatum, meritis patris sui Dauid, natum sibi in tempore illo filium appellauit Roboam, idest, in multitudine populi: Prouidentia autem Dei, quia fuerat peccator futurus, dispensauit, vt diceretur in multitudine populi; quoniam quod sit in multitudine populi, statim facile seditionem multitudinis patitur.* Sic seditio, & error multitudinem comitatur.

Sedul. Caietan. Matth. 1. Imperf.

CAPVT QVINTVM

Iordanis transitus.

Textus Historia.

TRIBVS Diebus tenuit Israelitas ripa Iordanis; & præconum vox illos cœpit de ordine in transitu seruando commonere. Vt spectarent Sacerdotum arcam portantium progressum, qui bis mille cubitorum spatium supergressi, commodum iter populo monstrarent, quo facilius omnis exercitus transmitteretur. Cauendum interea erat popularibus à vicinio arcæ, vt sic a longe positi omnes spectarent, & clarius singuli mirabilia per eam præstanda cognoscere valerent. Pro quorum reuerentia iubentur insuper a Iosue, sanctitati comparandæ studere. Concionem deinde conuocat maximus dux præmonitus ipse a Deo; quæ animos Israelitarum erigit, vt sperent facilem expugnationẽ totius promissæ terræ. Cuius illud euidens signum, quod Sacerdotum pedes Iordanem intrantes vndæ verebuntur, & crescentes in altum, reserata viarum strata linquent populo progredienti. Quid plura? Arripiunt Sacerdotes viam; Iordanis albeum intrant intrepidi; & vix eorum vestigia rapidissimi, præcipitesque fluctus sentiunt; & gradum reflectunt, intumescentesque non parum, prima cunabula repetunt. Medio in fluminis albeo Sacerdotes cum sacro onere hærent, donec totus quantus erat populus vlteriores ripas sicco vestigio tereret.

Sic nouit dominus suos asseclas perducere, ne viarum impedimenta sentiant, sed optata consequantur.

PARS MORALIS circa textus literam.

REseranda nobis venit arca, cuius mysteria verentes Iordanis fluctus fleterũt; ne nos gradum faciamus, quin tot mirabilium nucleum euoluamus.

Iosue 3. Igitur Iosue de nocte cõsurgens mouit castra: egredienteſque de Setim, venerunt ad Iordanem ipse, & omnes filij Israel, & morati sunt ibi tres dies. Quibus euolutis, transierunt præcones per castrorum medium, & clamare cœperunt. Quãdo videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes stirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes, sitque inter vos, & arcam spatium cubitorũ duum millium, vt procul videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulastis per eam, & cauete ne appropinquetis ad arcam.

§. I.

Periculosè à communibus procedendi modis ad singularia deflectis.

BOnus princeps vbi suos ad superandũ Iordanem promouet; rem committit præconibus, qui multitudinem moneant de tempore, & circunstantijs profectionis. Ait enim textus: *Quibus euolutis transierunt præcones per castrorum medium, & clamare cœperunt; &c.* Non signum de cœlo, aut de aere, videri mandat, sed per præcones, vt communiter principes scient, suos de profectionis tempore & modo facit certiores. Quid prudentius? Magna equidem prudentia est viri, qui communibus hæret procedendi modis; nunquam enim relictis communibus singularia assumuntur non periculosè. Huc traho profectionem illam primam Israelitarum ab Ægypto, de qua Numer. 9. dicitur: *Cumque ablata fuisset nubes; quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filij Israel; & vbi stetisset nubes, ibi castrametabantur; secundum ergo motum, vel quietem nubis, filij Israel, aut mouebant castra, aut ea figebant.* Ecce Israelitis nubis columna, aut ignis erat proficiscendi, aut manendi signum; & quo venerunt, dum hanc spectant columnam? Dicuntur Exod. 14. Israelitæ sub tali duce venisse ad ripam maris, eo tempore, quo à tergo habebant Ægyptiorum exercitus insectantes, quibus angustijs maximo mortis metu turbabantur. Sed cur, qui sub Dei protectione erant, permittuntur venire in angustias tantas, quibus de vita viderentur periclitari? Sub Iesu Naue securissimam viam arripiunt vsque ad Iordanem, nullum in ea periculum subeunt, nullo mortis pauore agitantur, ad nullius hostes aduentum pauent. At sub Moyse cum primum Ægypto egrediuntur, statim offendunt impedimenta maris, & hostium exercitus insectantes vident, & sub mortis metu clamant. Et cur sub Moysi in via tot pericula, sub Iosue tanta securitas plaudit? Cur illic permittit illos Deus sub periculis gemere, hic autem omnia pericula abigit? Ducebantur sub Iosue communibus, & vsitatis procedendi modis, vel voce præconis, vel præcedentibus religionis proceribus. At sub Moyse nouo, & extraordinario modo ducebantur motum igneæ, vel nubilæ columnæ spectantes. Voluit ergo in ijs Deus ostendere singulares incedendi modos etsi diuinos singularibus subiacere periculis. Id quod pulchrè notabat D. Zeno lib. 2. ser- D. Zeno. mon. 12. aiens: *Cum Israelis populus captiuitatis iugo depressus à Rege Pharaone duris conditionibus in Ægypto necaretur; miseratione Dei, duce Moyse, iussus est proficisci. Huic non circulus Solis, per diem; non candida Luna per noctem, sed ignis columna per noctem iter pandebant ignotum. Qui vt inter duo elementa peruenit, ibidem præsentaria exitum mortis expauit. Hinc enim persequentium Ægyptiorum infestis mucronibus premebatur, inde maris magno clausus obice, &c.* Seruo locum pulcherrimum alio statim dandum; & illud pro præsenti assumpto pondero, nimirum: *Huic non circulus Solis, non candida Luna, sed ignis columnæ iter pandebat,* commune enim est viatoribus cum nō-

bus

bus Solem per diem, & per noctem Lunã expectare, sub quorum luminibus certiores, securioresque vias capiant. Non sic Israelitæ, sed communibus ijs dimissis, ad noua, & singularia spectabant, nempe ad motum apparentium columnarum. Sub quarum ductu non miror, quod in eas angustias incautæ incedentes deueniant, vt pericula mortis hinc mare cincti, hinc hostibus expaueant. Hoc enim eueniat, necessum est illis, qui relictis communibus confugiunt ad noua, & inusitata. De quo iam dixi aliàs satis.

§. II.

Qui non potius in omnibus Deum spectat, periculosè aget.

HÆc erat præconum vox Israelitas monens: *Cum videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes stirpis Leuiticæ portant eam, vos quoque consurgite, & sequimini.* Prima verba sic ex Hebræo apud Abbul. sonant: *Cum videritis arcã Deũ vestrum, &c.* non quod velit arcã esse Deũ, sed quod doceat nec in arca, neque in aliqua creatura aliud esse aspiciendum, quam Deũ. Quasi dicat, cum sic videatis arcam, vt in illa vnum aspiciatis Deum, ad quem solum oculis dirigatis, tũc exsurgite, & sequimini. O sapientissima admonitio homines deducens in securitatem certam! Quid timeat, qui vnũ Deum in omnibus spectat? Credite, mihi, inde in metus, in pericula, in mortem deuenimus, qui oculi nostri non sunt ad Deum directi, sed creaturis hærent. Egrediebãtur Israelitæ ab Ægypto Exod. 13. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendẽdam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore.* Et quod mirandum maximè est, quod tali deductore pergentes Israelitæ ad eum locum perueniunt, quo interiectum mare viam impediebat, ne possent progredi vlterius, & si ibi manerent, necessario essent abinsequentibus hostibus perimẽdi. Proh Deus immortalis! vnde natus est tãtus error? Nonne Deus erat dux viæ? Qualiter ergo potuit fieri vt Deus duceret suos ad tale viæ, & processus impedimentum? Vicina erat via recta, & trita; qua procedentes nullum periculum viderent. An ignorauit eam Deus? An non potuit non errare ductor in via? Absit; ducebat autem Deus suos in columna nubis, & ignis; illi autem obliti Deum, toti erant positi, vt columnarum elementis intenderet, quo merito in tantum periculum deuenere. Ait D. Zeno lib. 2. serm. 12. *Israeli non circulus Solis, non candida Luna, sed ignis columna iter pandebant ignotum. Qui vt inter duo elementa peruenit, ibidem præsentaria exitum mortis expauit; hinc enim persequentium mucrombus, illic maris obice premebatur.* Expende illa: *Vt inter duo elementa peruenit, &c.* Inde namque illi tantus, tamque periculosus error obtigit, quia oculos ab elementis non eleuauerat. Non in Deo, sed in elementis inspiciendis erat totus, cur inde in angustias non veniret, metus nõ incurreret, mortem non expauerit? Hinc clamabat cap. 3. Cant. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, &c.* Illud mirabile, quod virgunculis abscõditis iubeat, quod egrediantur? Cur non magis puellæ domi abscondantur? Sanè Genes. 34. dicitur de Dina: *Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset Sichen filius Hemor Heuæi, princeps regionis illius, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem.* Ecce tibi vt virgo nobilis primo in egressu rapitur, & periclitatur. Cur ergo virgines hortaris, vt egrediantur? Cur non magis hortaris, vt domi maneant? Aiebat: *Egredimini, & videte Regem Salomonẽ*; hoc vnum egressionem excitet, vt nimirum verum Salomonem videant, & fallar, si periculum experiantur. Dina egressa est, non Deum videre, sed vt mulieres regionis aspiceret, & inde deuenit ad laqueos. Pulchrè ait Gillibert. Abb. serm. 20. in Cant. *Nolite egredi, donec Christus vos inuitet. Egressa est Dina, non educta; non vt Regem Salomonẽ, sed vt mulieres videret regionis illius. Quid inuenerit, vos nostis.* Fœlix, cui solus Christus inspiciendus datur; qui in vniuersis creaturis vnum Deũ attendit, ad vnũ Deũ adspicit, non timebit à timore nocturno, nec à dæmonio meridiano. Qui autem in egressibus suis, illud attendunt, vt creaturas videant, vt creaturis hæreant: quis numeret pericula, in quæ cadent? De solo Deo habes, vnde pericula caueas. Matth. 2. Magi ingressi Ierosolymam clamabant: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus, &c.* Mirabar homines ethnicos relictis proprijs non timuisse in aliena venisse, & vnius stellæ ductu difficilia longissimæ viæ superasse, apud Iudæosque de regis noui exortu clamasse. Quorum omnium vnum

vnam hanc asserunt causam, nimirum: *Vidimus stellam eius*, &c. Vnius stellæ radius in tantas impulit eos fœlicitates, quando tot miracula nihil salutis in Iudæis operabantur. Et vnde illi in vnius stellæ radijs ad tanta fœlicia excitãtur? Ipsi insinuant, dum aiunt, *Vidimus stellam eius*; non stellæ hærebant, sed in stella eius dominum meditabantur, & ideò non miror, quod ad tantas fœlicitates valeant excitari. Vt sapienter dicat D. Maxim. hom. 6. de Epiphan. *Quã hoc mirabile, quod exiguus stellæ radius stupentia alienigenarum corda monit; cum illum Iudaicum populum, cui mare diuisum, cui manna præbitum de nubibus, nec ignea columna, & ipsa de cœlo micans, potuerit conuertere.* Nihil salutis recipiebat Iudæus à maris diuisione, à manna, à columna fulgenti, quia hærens elementis Deum minimè aspiciebat. At vero Magus, vbi vel in stella cœpit notare Deum, ingentes ex illa vtilitates percipit.

D. Max.

§. III.

Religio sacrorũ, cultusque maxime excitat, confirmatq; regna.

VBi Iosue clauum Israeliticæ Reipublicæ accepit, arcam fœderis præferri à sacerdotibus mandat, cuius gressum sequatur populus reliquus. Ait enim: *Cum videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, & sacerdotes stirpes Leuiticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes.* Moysis tempore columna nubis præcedebat populum Exod. 13. cuius motum ipsi spectantes, cũ columna progrediente progrediebantur, & cum quiescente quiescebant. Tempore autem Iosue, non columna nubis præcedebat ab Angelo mota, sed arca fœderis à Sacerdotibus portata. Et cur cum Iosue non factum fuit, quod Moysi fiebat, vt à columna nubis per Angelũ duceretur? Cur modo ablata columna insinuatur, quod à Sacerdotibus portata arca præcedat? Modò tempore Iosue instabat iam Israelitarum regnum in terram promissionis stabiliendum, instabant hostes repellẽdi, ciuitates expugnandæ, pro quibus omnibus incipiendis, firmandisque, nulla res aptior, quam sacrorum religio, cultusque præoculis habendus. Præcedat Sacerdotum religio, & cultus circa sacra, quæ sequantur in primis populi, principesque, &

Exod. 13.

nullo melius impugnabuntur hostes, stabilientur imperia. Id notabat Egesippus lib. 1. cap. 12. in Alexandra Iudæorũ Regina, de qua ait: *Regnandi ius mulier in offense exercuit, sine vllo fœminei sexus impedimento, & acquisiuit moderandi gratiam sacræ legis obseruatione. Nam dum attentior circa templũ cura exerceretur, & dimissa ministeria fraudis, succreuit imperij vigor.* Et cui imperio vigor non succrescat, vbi circa sacra accuratior cura tenetur; & nihil magis præ oculis habetur, quam quod Religioni diuinę suus in primis locus seruetur? Crede mihi, nullis columnis sic firmantur, stabiliuntur regna; quam si in illis primum locũ veri Dei religio teneat. Superbissimus Ieroboam exercitum octingẽta millium bellatorum direxerat aduersus regnum Iuda, cui Rex Abias occurrit cum quadraginta millibus; vidensque duplò maiorem hostium exercitum, ait illis 2. Paralip. 13. *Noster Dominus Deus est, quem nõ reliquimus; Sacerdotesque, qui ministrant domino de filijs Aaron, & Leuitæ sunt in ordine suo. Holocausta quoque offerunt domino per singulos dies mane, & vespere, & thymiama iuxta legis præcepta confectũ, & proponuntur panes in mensa mundissima. Estque apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius, vt accendãtur semper ad vesperã: Ergo in exercitu nostro Deus est dux, & sacerdotes eius, qui clangũt tubis, & resonant cõtra vos.* Quid sapientius? Bellicosissimus rex, vbi in campo erat cum quadraginta millibus bellatorum validissimorum aduersus duplam hostium multitudinem, nõ iactat suorum valentiam, nec memorat suorum armorum potentiam, nec dexteritatem, & fortunam ducum; id solum proponit, vt à parte sua erat, & ordo Leuitarum, & templi cultus, & religio Sacerdotum. Sed quid Sacerdotes, & thymiama, & panes propositionis, & candelabrũ, & lucernæ ad armatos hostes, ad multitudinem cædes spirantem? Cur non magis dicit, apud se esse exercitatos milites, duces præstantes, arma insuperabilia? Cur ijs oblitis proponit ea solum, quæ sunt circa sacra? Ait Theodor. *His dictis, Iudam quidem circumdederunt hostes; ipsi vero diuinum auxilium implorarunt. Deus autem ad belli auxilium vocatus, hostium audaciam conuertit in timorem, & conuersi aufugerunt omnes, & cæsa sunt quinquaginta millia exfugientibus. Dicit enim fugæ causam; Et inualuerunt filij Iuda, quod speruerunt in Dominum.* Sed & expeditius ait Iosephus lib. 8. ca. 5. *Ad hanc regis vocem redditus est militi animus, & inuocata ope numinis, ad Sacerdotum*

2. Par. 13.

Egesipp.

Theod.

Ioseph.

classi-

classica, ingẽti clamore sublato alacritatis indice, in hostem irruunt. Nec defuit cœleste auxilium, quod hostium vigorem retudit, &c. Expende illa: *Ad Sacerdotum classica in hostem irruunt, &c.* Quippe vt rex gloriatus erat non de armorum potentia, nec de bellatorum fortitudine, sed de sacrorũ cultu, de religione Sacerdotum, sic sub Sacerdotum signis in hostem milites irruunt, & de hoste triumphant. Tunc certissimum paras triumphum de hostibus, quando circa sacra præcipuum præmittis studium. Quando quod in primis attendis, & quo præcipue duceris, est religionis cultus. Pereat enim necessum est, qui Deum oblitus totus est in temporalibus auxilijs. Huc refero quod 2. Machab. 11. dicitur de Lysia: *Nusquam recogitans Dei potestatem, sed mente effrænatus, in multitudine peditum, & in millibus equitum, & in octoginta elephantis confidebat.* Quid tunc? Occurrens illi Machabæus à Deo confortatus vniuersos in fugam verterunt, plures occiderunt, ipsumque Lysiam turpiter sefugæ tradere cõpulerunt. Horæque momento potentissimus dux ab infirmis hominibus in summas angustias redactus est. Et de illo sic facto pergit dicere text. *Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans factam erga se diminutionem, & intelligens inuictos esse Hebræos, omnipotentis Dei auxilio nitentes, misit ad eos. Promisitque se consensurum omnibus, &c.* Expende illud: *Et quia non insensatus erat, &c.* Sanè perfidus erat, & impius, & dum validissimum ducebat exercitum, nec Deum cogitabat. Sed omnia, quæ ad Deũ pertinebãt, in vltimis ponebat. De humana conditione vnum hoc habebat, quia insensatus non erat, & ex hoc factum est, vt in sui diminutione repentina agnosceret diuinam potestatem, & valentiam inuincibilem eorum, qui in primis ponunt Deum, illisque se in omnibus iungere tentat. Si primos Lysiæ huius euentus consideres; vidimus, & hoc anno, & præterito prorsus similia accidisse. Quis ignoret Sueciæ Regis expeditionem in Imperium? Sanè mente effrænatus in multitudine peditum, in millibus equitum, in potentissimorum fœdere, nusquam recogitans Dei potestatem Alemmanos inuasit, fregit, conculcauit Dei templa fere ad septem millia. Et pene ad conspectum eius contremuit terra. Sed tot prouinciarum vastator, vno ipse conflictu vastatus est, & percussus à Deo interijt, & euanuerunt vniuersi conatus eius. Scio post hunc apparuisse perduellem illũ Fresislanum, qui ambitione corruptus periculosius malum Domino suo intentat. Sed vt isti non verebantur inimicissimum sibi Deum mittere post tergum, sic cum nihil tale cogitabant, ab illo percussi prorsus euanuerunt. Collectus tandem est validissimus perfidorum exercitus, quem tradidit Dominus in manus duorum cantatissimorum iuuenum, qui tunc primum gladium nouerunt exerere. Ij sunt regalissimus Rex Vngariæ, & Ferdinandus Princeps frater Hispaniarum regis, qui hoc vno armati, quod in primis religionem, & Deum, & Sacerdotum cultum habebãt, ingens illud hostium triumphale murmur, in planctum reddiderunt. Deus bone, vnde Seleucus Rex, vnde Fresislanus perduellis, vnde tot exercitatissimi duces, tot exercitus, qui metum incusserant Catholicæ Ecclesiæ, tam inopinate periere, & intrà tres menses disparuere? Non cogitabant Deum, sed sacra omnia in vltimis ponebant, Deumque ipsum post tergum relinquebant, & inde non miror, quod perimerentur. Sanè qui insensati nõ sunt, iã hinc cauebunt, tam potentem hostem Deum non relinquere post tergum. Sed age venio ad Belgorum res gestas proximis peractas diebus. Ibi Hispaniarum hostes nusquam recogitantes Dei potestatem, mente effrænabantur in multitudine peditum, & in millibus equitum; erant omnes quinquaginta millia pugnatorum, qui sanè glutirent facile vniuersas prouincias Belgas. Impar erat tantis viribus Catholici regis exercitus; sed nobilissimus Ferdinandus Princeps assuetus vincere, nihil nouit timere. Agebantur illis diebus Chalendæ sanctissimo Sacræ Eucharistiæ mysterio, quando Catholicorum more, noui testamẽti arca circunfertur; & nobilis Ferdinandus Louanij, quasi in pace esset, sic curauit tanto mysterio interesse. E contra hostes paruum oppidum, Terlimon vocant, ingressi, quod nullus barbarorum fecit in expugnatis vrbibus, ipsi in oppidulo expugnato fecerunt. Linquo barbara, inhumana, feralia facta in viros, in fœminas, in puerulos: horreo impia, sacrilega in Sacerdotes, in virgines sacras Deo, in templa, in Eucharistiæ mysterium. Quid tunc? Totus ille validissimus exercitus incipit dissipari, intra mensem è quadraginta millibus virorum vix numerantur sex millia, cæteris dissipatis vel gladio Ferdinandi, vel peste, vel fame, vel rusticorum ferramentis. Captæ sunt à Ferdinando munitissimæ arces, redacte ad summas angustias rebelles. Vt de hæc fœlicia Ferdinando clarissimo: Vt

de hæc luctuosa hostibus eius? Ille in primis ponebat arcam testamenti, veram religionem, Sacerdotum cultum, & progressum præoculis habebat. Ij sacra omnia conculcant, Deum, religionemque in vltimis habent, & relinquunt post tergum. Et cur non pereant, qui post tergum dimittant Deum sibi hostem factum adeo infensum? Vtinam ij modo saltem Lysiam imitarentur, & secum reputarent inuincibiles esse, qui in primis Deũ eiusque religionẽ tenẽt. Sed vt hoc faceret Lysias, dicitur de eo: *Et quia non insensatus erat secum ipse reputans, &c.* At Neotherici impij, non quia impij, non quia ethæi, sed quia prorsus insensati sunt, non reputant secum, vt funditus perduntur, qui in vltimis ponunt verã religionem, & Deum. Nescit enim nõ vincere religio, etiam si arma desint. De quo supra lib. 6. cap. 10. §. 10. & alibi.

§. IIII.

Periculose quis nocumentum capit ex ijs, ex quibus alij salutem.

MIrabar quod sic arcerentur Israelitæ à propinquitate sacrorum, dicitur enim illis: *Cauete, ne appropinquetis ad arcam.* Cautus illis, & formidabilis iubetur esse accessus ad arcam. At Psal. 33. omnibus clamabat: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Quod factum in latrone beato ait Euseb. Gallican. hom. de eo fatus: *Illuminauerat, credo, nascentem fidem latronis iã credentem, in Christum proprius lateri admota diuinitas, quæ se largius sub momento illo peragenda religionis infuderat.* Quando ergo lateri admota diuinitas sic illuminabat vel latronem; cur Israelitæ ad eam cautelam excitantur, qua sanctis non appropinquent? Quid caueant in appropinquatione ad arcam', cum vel appropinquatio ad Deũ vtilis sit? Erant adhuc Israelitæ impoliti, & rudes in rebus fidei, & meritò timetur ab illis, ne accedentes aliquam irreuerentiam sanctis efficerent, quæ eo esset illis lætalior, quo ipsi maculam reciperent ex eo, ex quo alij lumen recipiunt. Quando enim non luctuosius quis trahit pœnã, ex quo alij passim lucrantur salutem? Luc. cap. 13. dicitur ficus plantata in vinea, esse, & ipsa sterilis inter fœcundissimas vites; quam Dominus propter sterilitatẽ iubet eradicari, & mitti in ignem. Ait enim: *Succidite ergo illam.* Sed, & plures alias arbores viderat Dominus extra vineã, quas minimè succindi iubet. Cur in hanc ficum adeo seuerus est, qui in alijs pariter infructiferis est benignus? Erat ficus in vinea, ex qua cæteræ arbores cumulatissimos afferebant fructus; vnde non miror, quod iram Domini incurrat, quando inde sterilitatem habet, vnde aliæ plantæ sunt fœcundissimæ. Ad hæc ait Gillib. Abb. ser. 23. in Cant. *Forsitan, & ficulneam illam sterilem, quam Dominus iussit succidi, ferules de vicino vineæ condemnabant. Per iniquum est in sancta conuersatione plantatum, nihil sanctum moliri, & excusationes prætendentem cognatis exemplis conuinci, & inde descensiones disponere in corde suo, vnde alij ascendunt.* Sic est periculosum, vt iniquum, quod quis iuxta sancta plantatus inde descensiones disponat, vnde alij ascendunt; & inde trahat sibi mortem; vnde alij vitam sibi, & salutem traxerunt. Ex quo animaduertenda est impudentia illa fœminæ, quam Spiritus Sanctus depingit Prouerb. 7. inquiens: *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens nec valens in domo consistere pedibus suis; nunc foris, nunc in plateis, nũc iuxta angulos insidians. Apprehensumque deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur dicens, Victimas pro salute deuoui, hodie reddidi vota mea, &c.* Quid lethalius? Vota præsefert, & victimas, vt iuuenem inde perimat; & quando vota, & victimæ salutem halant omnibus, ista ex votis, ex victimis id procurat lucrari, quo pereat. Ideò D. Augustin. serm. 246. de tempore, sic monet fœminas: *Ad vos enim, non vt confundam vos, hæc scribo, sed vt filias charissimas moneo. Iuuenilia desideria fugite, nuptæ Susannam, viduæ Annam, virgines Mariam cogitate. Nec in publicum propterea procedatis, vt florem fœni vestri oculis hominum ostẽtare cupientes, in domo vitæ mortem quæratis.* Audiant hæc, & maximè caueant fœminæ, quæ prætextu votorum, sacrificijque exhibendi adeunt templa, suum ibi decorem prostituentes, & de domo vitæ mortem metentes. Quod valde luctuosum est, & maxime dolendum. Quid enim luctuosius, quàm domum illam adire, ex qua vitæ fontes scaturiunt, & inde mortem trahere, & perditionem?

Gil. Ab.

Prou. 7.

D. Aug.

§. V.

Vox sapientiæ efficacissima est, vt viros perfectos penetret. Imperfectis autem aptius quãdoque flagellum.

NOlo ab hac clausula discedere, antequam illud ponderem, quod in principio dictum est, nimirum: *Quibus euolutis transierunt præcones per castrorum medium, & clamare cœperunt: Quando videritis, &c.* Vbi noster posuit *præcones*, ea est Hebraice vox, quæ Principes sonat; nec abnuam credere principum ore factum esse hoc præconium. Sed quando exeundũ erat de Ægypto, & pergendum versus mare; nulla ibi vox præconis, seu Principis fuit, quæ de gressu commoneret, sed sola columna nubis, & columna ignis motu suo gradituros, secuturosque monebat. Cur ergo ibi in columna nubis, & ignis, in præsenti autem voce principum secuturi monentur? Ibi imperfectissimi erant, & rudissimi Israelitæ vniuersi; rudes autem, & imperfectos plus mouent res ipsæ obiectæ; at sub Iosue perfectiores, & politiores inueniebantur, coram autem perfectos plurimum valet vox sapientiæ. Dum Cãt. 5. sponsa dilectum quærit, ait: *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatẽ; percusserunt me, & vulnerauerunt me.* Cum audio perfectam, pulcherrimamque Dei amatricem, & percuti, & vulnerari à custodibus; non possum non mirari illis promptũ fuisse ferrum, quod in tantam pulchritudinem auderet. Qui gladius sic perfectissimam fœminam percusit? Crediderim id venisse à gladio verbi Dei, qui solus in animas audet perfectas, illasque intimius mouet, & penetrat. Ad hæc ait Gillib. Abb. ser. 45. in Cant. *Quo quis perfectior est, vulneratur facilius, & tener affectus verborum citius sentit aculeos. O fœlicem animum! ad quem tam sublimia exhortationis iacula veniunt, quem inueniunt suis aptum vulneribus, quando non abeunt retrorsum auditorum vel duricie, vel stoliditate repulsa. Non sunt passim huiusmodi iacula fundenda, neque in omni multitudine, sed tantum vbi idoneæ mentes creduntur inueniri, quas tam excellens doctrina non effugiat. Quasi fulgura sunt hæc, summa feriunt, submissa effugiunt.* Quid pulchrius? Sunt equidem sapientiæ verba quasi fulmina, quæ depressa, & humi reptantia nec tangunt; alta, & sublimia feriunt. Inrudibus, & impolitis animis, humique repentibus, vix habent, quid faciant sapientiæ verba, ijs efficaciores sunt igneæ columnæ, quæ perterrefaciant oculos adspicientium. At in sublimibus mentibus, in animis perfectis, quis dubitet penetrabiliora esse omni gladio ancipiti sapientiæ verba? Danda ergo sunt perfectis, & ingenuis viris verba, quibus quasi clauis transfigentur, & firmabuntur; at abiectis, & imperfectis alia sæpè sunt remedia quærenda. Dicit enim Prouerb. 29. *Seruus verbis non potest erudiri.* De quo acute D. August. epist. 50. ait: *Cum dixit eum verbis non emendari, non iussit deseri, sed tacite monuit, vnde debeat emendari. Alio quoque loco dicit, non solum seruum, sed etiam filium indisciplinatũ plagis esse coercendum. Et magno fructu.* Equidem vt verbis sublimes, & ingenuos moues ad perfectionem colendam; quando agis cum imperfectis, & contumacibus, tunc abstine à verbis, & quære flagella, ijs enim magis mouentur, vt fructus edant.

Gil. Ab.

Prou. 29.
D. Aug.

Iosue 3. Dixitque Iosue ad populum: Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. Et ait ad Sacerdotes: Tollite arcam fœderis, & præcedite populum. Qui iussa complentes, tulerunt, & ambulauerunt ante eos. Dixitque Dominus ad Iosue: Hodie incipiam te exaltare coram omni Israel: vt sciãt, quod sicut cum Moyse fui, ita & tecum sim.

§. VI.

Mirabilia Dei circa nos, nouis in dies sunt sanctitatis, virtutisque operibus comitanda, & excitanda,

IN confesso est, quod Iesue petat ab Israelitis nouum aliquod sanctitatis, seu virtutis opus, quo disponantur ad excipienda Dei mirabilia, cum ait: *Sanctificamini, &c.* Non præterita, & nota sanctitate contentus est: sed modo exigit aliqua sanc-

ſanctitatis opera, & virtutis. Vt dicat Caiet. *Die nouo Ioſue monuit populum, vt mundent corda ſua, præparando ſe ad ſuſcipiendum Deum in ſtupendo miraculo.* Sic Deo mira facienti, excipiendo Ioſue nouam lucem, nouam præparationem meditabatur. Et quidem is eſt Deus, cuius mirabilia ſemper debeant coniungi cum nouis virtutum operibus eorum, apud quos mirabilia talia operantur. Quo reſpiciens aiebat D. Auguſt. hom. 5. de Epiphan. *Eo naſcente ſuperi nouo honore claruerunt, quo moriente inferi nouo timore tremuerunt, quo reſurgente diſcipuli nouo amore exarſerunt, quo aſcendente cœli nouo obſequio paruerunt.* Sic mirabilia Dei facta in natiuitate, in morte, in reſurrectione, in aſcenſione ſemper comitabantur noui virtutum actus eorum, apud quos fiebãt talia miracula. Et crede mihi Chriſtiane, dum tu minimè ceſſes in ſanctitatis operibus, ſed te in dies nouis virtutibus pares, mirabilia Dei circa te non ceſſabunt. Ait 2. Paralip. 17. *Fuit Dominus cum Ioſaphat, qui ambulauit in viis Dauid patris ſui primus, & non ſperauit in Baalim, ſed in Deo patris ſui, & perrexit in præceptis illius, &c.* Nemo ignorat mirabilia Dei facta cum Ioſaphat, quomodo eius hoſtes ſe mutuo cęciderũt, vt ingentes glorias, & diuitias acquiſiuit. Quorũ mirabilium cauſam illam inſinuat textus aiens: *Et perrexit in præceptis illius, &c.* Non ceſſabat, ſed quotidie nouas virtutum obſeruantias addebat, & ideo non ceſſauit videre circa ſe, & experiri Dei mirabilia. Ait de illo Ioſephus lib. 8. cap. 9. *Hic rex perpetuo propitium, & auxiliatorem Deum habuit, quod eſſet vir iuſtus, ac pius, & per ſingulos dies dabat operam, vt aliquid gratum Deo faceret. Quo factum eſt, vt & ipſi à circumſtantibus regibus multus honos haberetur, id quod miſſitandis ad eum muneribus declararunt, vt hinc quoque tam diuitiæ regis, quam fama non mediocre incrementum caperet.* Equidem bonus rex mirum in modum augebatur, Deumque ſemper auxiliatorẽ propitium habuit, vt mirabiliter à periculis eriperetur. Quorum illa fuit radix, & cauſa, nimirũ: *Et per ſingulos dies dabat operam, vt aliquod gratum Deo faceret:* qui enim ſingulis diebus nouum aliquod virtutis opus ſtudebat facere, quo Deo gratificaret, non miror, quod mirabilia Dei circa ſe experiri non ceſſaret. Hinc homini deducto ad Paradiſum Geneſ. 3. vbi nihil non magnum, & mirabile à Deo in ſe profectũ ſingulis diebus ſpectaret, dictum eſt, *vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Circa quæ ait D. Amb. lib. de Parad. cap. 4. *Hæc duo ab homine requiruntur, vt & operibus noua quærat, & parta cuſtodiat.* Equidem qui in Paradiſi miraculis erat, hoc in primis debebat habere, vt operaretur, nimirum ita operaretur, vt nunquam ab opere deſiſteret, ſed quotidie noua virtutis opera eliceret, quo ſe in illo pleno mirabilibus ſtatu cuſtodiret.

Caietan. Auguſt. 2. Par. 17 Ioſeph. Geneſ. 3. Ambr.

§. VII.

Vt diuinorum mirabilium percipiatur fructus, interna animi puritas requiritur.

SApienter monentur ſanctificari illi, qui mirabilia Dei erant experturi; ait enim: *Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* Et quid eſt, *Sanctificamini?* Crediderim per ſanctificationẽ peti illam animi puritatem, qua mentis oculi omni immunditia puri apti ſint excipiendis diuinis. Quod volebat Caietan. dum ait: *Vt mundent corda ſua, &c.* Vt enim externi oculi, ſi nubili ſint, ſi aliquo humore infecti nihil corporale vident, ſic animi oculi vbi vitioſo aliquo affectu ſunt turbidi, nihil in mirabilibus Dei capiũt diuinum. Vt meritò de affectu inuidiæ occupante animos Iudæorum dicat D. Orientius in carmine.

Caietan. D. Orient.

Hæc, & poſtremo dedit ad ludibria Chriſtum,
Dum peragit liuor crudelitatis opus.
Et præceps populus ſigna, & miracula rerum
obtutu cernit, pectore non recipit.

Cernebantur ſanè Dei mirabilia, quibus mortui excitabantur à tumulis, dæmones fugabantur, curabantur infirmi; ſed hæc in animis Phariſæorum erant, quaſi non fuiſſent. Nulla illorum virtus, nullus diuinitatis ſapor percipiebatur in illis, erant enim plena prauis affectibus eorum intima. Quo reſpiciens Iſaias cap. 43. aiebat: *Educ foras populum cæcum, & oculos habentem; ſurdum, & aures ei ſunt.* Populus erat habens aures, & oculos, ſed quæ præ oculis habebat mirabilia Dei, ſic non videbat, quaſi prorſus eſſet cęcus. Vnde hoc niſi ex prauis animorum affectibus? Ait Tertul. lib. 3. in Mar. *Hanc obtuſionem ſalutarium ſenſuum meruerant, labijs diligentes Deũ, corde autem longe abſiſtentes ab eo.* Dabant illi externa hæc Deo, vt ore carnali eius dicerent magnalia, & carneis oculis mirabilia eius viderent; de internis autem animi ſenſibus

Iſai. 43. Tertull.

ſibus nihil tribuebant Deo, ſed tota eorum mens prauis erat affectibus immerſa; quo omnimodam obtuſionem ſalutarium ſenſuum habebant, ne vllum fructum percipe rent de mirabilibus Dei. Aiebat Ioan. cap.
Ioann. 12 12. *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum; vt ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine quis credet auditui noſtro? Et brachium Domini, cui reuelatum eſt? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videãt oculis, &c.* Et vnde tãta cęcitas potuit obuenire miſeris, qua de tot mirabilibus coram ſe factis nihil vtilitatis perciperent? Vbi noſter legit in Iſaia, *indurauit cor eorũ*, legitur Græce: *incraſſatum eſt cor eorũ*,
Lect. Græ. Origen. pro quo ſubdit Orig. hom. 9. in Iſaiam: *Omnibus, qui in præſentis vitæ curis verſantur, cor incraſſatum eſt; haud aliter eis, qui in ſæcularibus morantur, incraſſatum eſt cor, quã ſi abſpinis enecentur. Idcirco pingueſcit cor, & non poteſt tenuioris ſpiritus ſuſcipere notiones: Fugiamus ergo à talibus iuris, vt attenuatum cor noſtrum Deo acceptabile fiat.* Itaque dum intrinſecus non purificamur, non attenuamur, excluſa vel vitiorum ſpurcitie; vel terrenorum craſsitie, Dei mirabilibus excipiẽdis apti minimè ſumus. Hinc Luc.
Luc. 17. 17. dicebat Dominus: *Si habueris fidem, vt granum ſinapis.* Et cur maluit fidem noſtrã grano ſinapis comparare? Granum ſinapis mordax eſt, & ſic creſcit, vt fiat arbor, in qua poſsint cœli aues habitare. Quando ergo fides noſtra ſic mordeat animam vt illam purificet, & inde augmentum capiat, haud dubium quin cœleſtibus excipiendis fiamus capaces. Ait Clem. Alex.
Cle. Ale. lib. 5. ſtrom. in principio: *Quæ vt granum ſinapis morderet vtiliter animam, & ipſa adeo creſceret, vt in ipſa requieſcerent de rebus ſublimibus rationes.* Dum enim corroſis morbidis affectibus anima purificatur, ſic creſcit in fide, & virtutibus, vt quæuis altilia myſteriorum diuinorum in ſe capiat.

§. VIII.

Tunc victoria, & triumphus conſtantiſsime fundantur, quãdo præſtantes viri non refugiunt opera humilitatis.

Non ad Sacerdotes pertinebat ferre arcã; ſed ad Leuitas, qui inferiores erant in mune re Sacerdotibus. Modo autem iubet Ioſue non Leuitis, ſed Sacerdotibus, vt portent arcam; ait enim textus: *Et ait ad Sacerdotes: Tollite arcam fœderis, &c.* Et cur minorum munerie fficiendo, implendoque ſubijcit maiores bonus Imperator? Cur non ſinit de more arcam à Leuitis portari, ſed magis amat Sacerdotes ad inferiorum munera trahere? In expeditione illa triũphus iam, & victoria Iſraelitis parabatur, quæ tunc certiſsime adſtat, quando præſtantes viri in eius conſecutione humilitatis opera non dedignantur. Eu quantas clades etiã magnis exercitibus attul t de primatu inter proceres diſceptatio! Tunc cladi aditum intercludunt, & certiſsimæ victoriæ aperiunt, quando præſtantes viri in inferiorum munere non detrectãt videri, ſed auide arripiunt ipſa opera humilitatis.
Ioann. 13 Ioan. 13. de ſummo rege Ieſu ait: *Sciens, quia omnia dedit ei pater in manus: & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua. Et cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe: deinde miſit aquam in peluim, & cæpit lauare pedes diſcipulorum, &c.* Quanta hæc ſummi Principis abiectio, & humiliatio, vt lauandis vilium homunciorum pedibus incumberet? Cur neceſſum tunc fuit ad tam ſeruile deſcẽdere munus? Pergebat iam ad victoriam reſurrectionis ſuæ, qua confractis inferorum portis nobilis triumphator ad patrem iret. Et vt ad victoriam pergit, ſic arripit humilitatis officium, quod minimè fugiendum eſt viro, qui certiores paret ſibi triumphos: Ait Be-
Bedã. da in præſenti: *Cum ergo illi pater omnia dediſſet in manus, cur ille diſcipulorum non manus, ſed pedes lauit? Sciebat, quia per humilitatem incarnationis à Deo exiuit, & per victoriam reſurrectionis ad Deum erat rediturus.* Quid diuinius? Vt ſciebat, quod ad Deum rediturus erat per victoriam reſurrectionis, ſic nõ detrectat humilitatis opus, quo ſe diſcipulorum pedibus ſubijciat. Hoc ſanè fundamentum eſt notiſsimum victoriarum, atque triumphorum; quorum in cõſecutione, non immorentur Principes, præſtanteſque viri in retinendis, occupandiſque primatus locis, ſed ſciant deſcendere ad humiliora, nec detrectare inferiorum, minorum ve tenere loca, vbi fuerit opus. Proh in quantam inde triumphalem magnitudinem ſeſe attollent! Matth. 18. dum
Matt. 18. petitur tributum ex Ieſu, ait ille Petro: *Da eis pro me, & te.* Quid tunc? Statim ait Matth. cap. 18. *In illa hora acceſſerunt*
Idẽ Matt. *diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis, putas, maior*

ior eſt in regno cœlorum? Inde credẽtes Petrũ iam eſſe omnibus ſuperpoſitum, iam ſibi habere ſubiectum orbem, de primatu diſputabant. Sed quid tunc viderunt in Petro, ob quod putabant illi ſubiectum orbem? Petro enim tunc mandatum eſt ſeruile, & abiectum opus, nimirum, quod tributum ſoluat. Tributi autem ſolutio ſeruile erat opus, & abiectum, quo ſe ſummitebat Petrus principibus Romanorum. Vnde ergo in ſeruilis operis exhibitione, primatus Petri habuerunt ſuſpitionem? Equidem ſapientiſsime, quem vident cum Ieſu non fugere ab humili ſubiectione, eius iam odorantur primatus, & victorias. Ait ibi D. Hieron. *Arbitrati ſunt Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus.* Non qui in primæ cathedræ occupatione, non qui in authoritatis, & gloriæ oſtentatione, ſed qui in redditione tributi, in conteſtatione, & profeſione ſeruilis operis ſe Domino comparabat, ille meritò cenſetur maior omnibus, & orbis Dominus.

D. Hier.

§. IX.

Quo nobilior, & magis ingenuus quis eſt animo, eo prõptior ad excipiendam Ieſu humilitatem.

TOta nobilitas Hebræi populi ex regno, & Sacerdotio conſtabat; & è tribu Leuitica, qui Sacerdotio fulgebant, ſuper omnes alios è ferebantur, nobilitabantur. Quod noſcens Ioſue Sacerdotibus innuit, vt ipſi ad munus deſcendant Leuitarum portantes arcam. Nec mora, ſtatim enim de illis ait: *Qui iuſſa complentes tulerunt, &c.* Non ſuam obijciunt dignitatem illi muneri ſuperiorem; nec monent Imperatorem de præcellentibus Sacerdotij inſulis, quarum non erat, quod portitores fierent arcæ. Et cur tanta nobilitas non magis cauit ad inferiora officia deſcendere? Equidem vt nobiliores erant, ſic promptius Ieſu humilitatem, & agnoſcebant, & recipiebant, quam ſoli detrectant, qui ſeruilibus animi affectibus inhærent. Acenſurus Abraham montem, vt ſacrificium litaret Deo, fecit vt Iſaac filius lignorum onera ſuſciperet, illaque ad verticem montis portaret, duobus ſeruis ad montis radices remanentibus. Ait enim Gen. 22. *Dixitque ad pueros ſuos: Expectate hic cum aſino; ego, & puer illuc peruenientes, &c.* Cur non magis ſerui ligna portare permittuntur vſque in montis verticem? Ait Eucher. lib. 2. in Gen. *Duo autem ſerui illi dimiſſi, & non perducti ad locum ſacrificij Iudæos figurabãt, qui cum ſeruiliter viuerent, non intelligebant humilitatem Chriſti, ideo non peruenerunt ad locum ſacrificij, &c.* Expende illa: *Cum ſeruiliter viuerent, non intelligebant humilitatem Chriſti*: de ſeruilibus enim animis affectibus proueniebat, ne facile ad Chriſti humilitatem deducerentur. Quo enim quis nobilior eſt, & magis ingenuus, eo promptior Ieſu humilitatem percipit, illamque amplectitur. Vbi Dei filius natus nobis eſt, ait Lucas cap. 2. *Paſtores loquebantur ad inuicem, Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt, & quod Dominus oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, &c.* Nec ſoli paſtores, ſed & ſapientiſsimi reges ſtellæ ducatu tracti venerunt Bethleem vſque, Matth. 2. *Et intrantes domum inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius, & procidentes adorauerunt eum.* Compone modo paſtores cum regibus; vtrique natum puerulum quærũt; vtrique inueniunt cum Maria matre eius. Sed reges vbi puerulum vident, humi procidunt, ſeſe vſque ad terram demittentes, & humiliantes coram eo. Paſtores autem non dicuntur procubuiſſe; non dicuntur ſe humiliaſſe coram puero. Et cur paſtores non ita ſe humiliant, quando ſe humiliant reges coram vitæ verbo? Sanè paſtores vt ſeruiliter viuebant, vt ſeruilis erant mentis, non adeo prompte Ieſu humilitatem percipiebant. Reges autem vt nobiliores, vt magis ingenui, ſic auidius Ieſu humilitatem arripiebant, in illaque excellebãt. Vt dicat D. Auguſt. ſerm. 64. de diuerſis: *Vtrique ſanè tanquam initia duorum parietũ de diuerſo venientium, circumciſionis, & præputij ad angularem lapidem cucurrerunt. Venerunt amen illi Deum, ex iis, quæ viderant, laudauerunt; iſti autem viſum Chriſtum etiam adorauerunt. In illis gratia prior; in iſtis humilitas amplior.* Et meritò in regibus humilitas amplior, nunquam enim de regio animo nõ venit, quod quidquid humilitatis Chriſtianæ eſt, auidius arripiatur.

Genes. 22

Eucher.

Luc. 2.

Matth. 2.

D. Aug.

(***)

§. X.

§. X.

Magnitudo, & præcellentia virtutis non niſi à cruce, & paſsione Ieſu.

ECce tibi ait Dominus Ioſue: *Hodie te incipiam exaltare coram omni Iſrael*: hodie, nimirum, quãdo per Iordanem Ioſue cum populo tranſit fugientibus aquis eius, incipit exaltatio Ioſue, & præcellẽtia eius nota fieri vniuerſis tribubus. Sed quãdo multa antea fecerat Ioſue mirabilia, cur in ſolo iſto Iordanis tranſitu exaltari incipit? Erat tranſitus iſte Iordanis typus baptiſmi, cuius virtus venit de paſsione, & cruce Chriſti, ne miremur, quod vbi Dominicæ crucis fructus iam percipitur, inde, & exaltatio, & præcellentia hominum incipiat. Origen. Ait Orig. hom. 4. in præſenti: *Nec enim ante myſterium baptiſmi exaltatur Ieſus, ſed exaltatio eius inde ſumit exordium. Si enim omnes, qui baptizantur, in morte ipſius baptizantur, mors autem Ieſu in crucis exaltatione completur, meritò vnicuique fidelium tunc primum Ieſus exaltatur.* Equidem quãdo tota baptiſmi virtus de exaltatione venit crucis, paſsioniſque Dominicæ, nõ miror, quod antea nõ detur exaltatio, nec vlla gloriæ magnitudo appareat; quidquid enim gloriæ, & præcellentiæ, & exaltationis eſt, in fructu paſsionis fundatur. Aiebat Pſal. 1. Pſalm. 1. *Erit ſicut lignum, quod plantatũ eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuũ dabit in tẽpore ſuo.* Ecce tibi decurſus aquarum, ſimul, & lignum fructificans, vt ſcias, quã poſsit exaltari, & ſurgere à terræ puluere ex illo fluento, quod abundat fructu viuificæ arboris. D. Aug. Ait enim D. Auguſt. ſer. 101. de Tempore. *O crux cuius talis, ac tantus decerpitur fructus! Fructus autem crucis gloriæ eſt reſurrectio. Hic fructus ligni huius, vere plantatus eſt ſecus decurſus aquarum. Semper enim cruci baptiſma iungitur.* Non ſeparatur decurſus aquarum à viuifico ligno, cuius fructus eſt gloriæ reſurrectio; quod à puluere ad gloriã ſurgamus, in illaque vehemẽter creſcamus. Nullus enim gradus in gloria fructus eſt, qui non naſcatur ab hac arbore. De aduentu Domini ad Matt. 24 iudicium locutus Matth. 24. ait: *Tunc parebit ſignum filij hominis, &c.* Hoc erit in primis in illa oſtentatione gloriæ, & maieſtatis, quod lignum crucis in omnium conſpectu appareat. Et cur tunc ſignum crucis parebit, niſi vt innoteſcat omnibus ex qua arbore, ex quo fonte natæ ſunt vniuerſæ gloriæ, & exaltationes, quibus homines augẽtur, ditãtur? Ait D. Aug. ſer. 101. de Temp. D. Aug. *Dedit hoc lignum fructum in tempore ſuo, dedit fructum interim Domini reſurrectione, dabit, & cum apparuerit de cœlis ille, qui viſus eſt ſuper terram, cum præcedente ipſo crucis ſigno iam fulgido venerit de ſupernis; tunc reſurgent corpora ſepultorum, tunc exultabunt ſancti in gloria, tunc in ſuis cubilibus lætabuntur, qui nunc de ſui regis ac Domini cruce non confunduntur, ſed potius gloriantur.* Fœlix homo, qui potes ſedere ſuper flumina non Babylonis, ſed Ieruſalẽ, ſed Paradiſi; ibique non ſalices ſpectare, è quibus organa ſuſpendas, ſed fructiferum lignum ſpectare crucis, ſub cuius vmbra requieſcas, cuius decerpas fructus, illiſque ſumptis à puluere reſurgas, in gloriam exalteris, & viuas. Quid enim augmẽti, quidquid gloriæ decerpitur, ex hoc arbore ſumitur? Regeneratis ex aqua, & Spiritu Sancto dicebat Petrus 1. epiſt. 2. 1. Petr. 2. *Quaſi modo geniti infantes rationabile, & ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis ad ſalutem.* Sapienter recenter natos ad lac inuitat, quo augmẽtũ ſalutis, gloriæque recipiant. Sed Paulus ad Rom. 6. Rom. 6. ait: *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortẽ, vt quomodo Chriſtus ſurrexit è mortuis per gloriam patris, ita & nos* Ecce tibi Petrus inuitat ad lacteum ſuccũ, vt inde creſcamus; Paulus dicit inde omne augmẽtum nobis euenturum, quod in baptiſmo mortem guſtamus Chriſti, illique conſepelimur. Quid lac cum ſanguine? Quid cum vulneribus vbera? Aliud ne creſcendi poculum propinat Petrus, aliud Paulus? Nõ id crediderim, ſed Paulus oſtendit, qui pro lacte, pro vberibus debeat eſſe renatis in Chriſto, vt multum augmenti inde percipiant. Tunc enim in immenſum creſcit aſſecla Chriſti, quando non tam de vberibus, quam de vulneribus eius ſugat cibum ſalutis. Rem explico exemplo puerorum in Thracia educatorũ, qui vt nutrimentũ recipiant, nõ illis applicãtur materna vbera; ſed equi vena ſcinditur, cui vulneri applicatur os pueruli, vt inde nutrimentum ſugat. De quo ait Sydon. Appol. in Panegyr. dicto Anthemio Auguſto. Syd. Appl.

Thracum terra tua eſt, heroum fert illis ora.
Pectore vix alitur quiſquam, ſed ad vbere tractus,
Plus potat per vulnus equum: ſic lacte relicto,
Virtutem gens tota bibit. Creuere parumper?
Mox pugnam ludũt iaculis? Hos ſuggerit illis
Nutrix plaga iocos.

Non vbera, sed plaga, sed vulnus scissæ venæ dat pueris alimentum, quo gens virtutem bibit, qua non parumper crescunt, sed festinato in Heroum glorias exurgunt. Quid pulchrius in rem præsentem? In ipso baptismi aluo, vbi renascimur, paratur nobis lac nutritiuum, non lac, quod veniat ab vbere, sed quod veniat à vulnere, vt iam inde baptizati in morte Christi de plaga nutrice bibamus virtutem, qua mirum augmentum capiamus gloriæ, & salutis.

Iosue 3. Tu autem præcipe Sacerdotibus, qui portant arcã fœderis, & dic eis: Cum ingressi fueritis partem aquæ Iordanis, state in ea. Dixitque Iosue ad filios Israel: Accedite huc, & audite verbum Domini Dei vestri. Et rursum: in hoc, inquit, scietis, quod Dominus Deus viuens in medio vestri est, & disperdet in cõspectu vestro Chananęũ, &c.

§. XI.

Tunc te Deo viuere puta, cum alijs vitam procuras spiritualem.

DVcturus iam Iosue per medium Iordanis populum, & Sacerdotes monet in aquarum prima extremitate consistere, & populum certiorem facit, quid in illo transitu vtilitatis percipiat, inquiens. *In hoc scietis, quod Dominus Deus viuens in medio vestri est.* Et cur in hoc præcipue dicitur non solum ostendi Deus, & ostendi potens, sed & singulariter dicitur ostendi Deus viuens? Refragor Masio, & Serario dicentibus viuum Deum ostendi ab operatione, & actione, dum enim quis operatur, cẽsetur viuus: vnde cum tot magnalia modo operetur Deus, meritò dicitur esse viuẽs. Refragor, inquam, ijs authoribus nitẽtibus fundamento communissimo operationum quarumlibet, quas cum sæpe Deus aliàs exerceat, nihilominus in illis non dicitur viuus. Gen. 28. ait Iacob: *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, &c.* Exod. 15. *Dominus quasi vir pugnator, omnipotẽs nomẽ eius*: & sic passim in scriptura inter magnas Dei operationes potius vocatur omnipotens, & non vocatur viuens. Cur modo in hoc Iordanis transitu specialiter dicitur viuens? In hoc transitu iam Dominus meditabatur aquas baptismi Christiani, quarum proprium est reddere homines viuos, & meritò viuens habetur, & prædicatur, qui sic per aquas vitam negotiatur hominibus. Quippe ait D. Zeno ser. 24. lib. 3. de baptismi fonte locutus: *Et cũ omniũ aquarum natura sit talis, vt cum in profundo homines susceperit vinos, euomat mortuos: aqua nostra susceptos mortuos, & euomit viuos, ex animalibus veros homines factos, ex hominibus in Angelos transituros.* Et quidem non potuit non prædicari viuens, qui eas aquas procurabat, quæ accipientes homines mortuos redderent viuos, fruentesque non animali, sed rationali, & angelica vita. Hoc enim maximè se quispiam Deo ostendit viuere, si hominum vitam spiritualem procuret. Oseas cap. 15. aiebat: *Ero quasi ros Israel: germinabit sicut liliũ, & erumpet radix eius, vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Conuertentur sedentes in vmbra eius: viuent tritico, &c.* Expende hæc vltima, nimirum: *Viuent tritico*, ex quibus sapienter argumentatur D. Cyrill. Alex. probans debere esse apud fideles triticum, quod intrinsecus in se vitã contineat, quando probatur illam largiri hominibus. Quippe ait lib. 1. in Isaiam orat. 3. *Nos qui per fidem ad sacrificationem vocati sumus, panem habemus; panem, inquã, de cœlo, hoc est Christum, seu corpus eius. Sive ro quis interroget, cuiusmodi tamen illius vis ac robur sit? Viuificum esse dicimus. Dat enim mundo vitam.* Sapienter sanè, ex eo quod panis cœlestis mundo vitam confert, qua sancte, & pure viuat; demonstrat, sub illius panis speciebus debere latere vitam. Quasi nequeat fieri, quod nõ viuat in se, qui negotiatur hominibus spiritualem, & sanctã vitam. Hinc Paul. 1. ad Timoth. 2. de fœmina locutus ait: *Saluabitur autem per filiorum generationem.* Sto enim à sententia nostri Iustiniani, qui sapienter cum Ansel. Amb. & Chrysost. per generationem, educationem intelligit, qua mater filios suos virtutis studiosos, in fideq; & castitate perseuerantes facit. Sed cur Paulus cũ spiritualem profectum spectaret filiorum in materna educatione, maluit vti generationis vocabulo? Exprimebatur equidem voce generationis filiorum, quam esset vitale matribus opus exhibitum filijs sancte educandis: generatio enim filij, iuxta communem Philosophorum definitionem, *est origo viuentis à viuente, &c.* Et tunc euidentius videtur ostendi quis viuens esse Deo, quando alijs vitam spiritualẽ tradit.

D. Zen. *Osee 15.* *D. Cyr.* *1. ad Timoth. 2.* *Ansel. Ambr. Chrysost.*

Genes. 28 *Exod. 15.*

De

De Verbo diuino locutus Ioan. cap. 1. ait:
Ioann. 1. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* E multis alijs nominibus, & attributis Dei, hoc elegit, vt Dei filium vocaret vitam. Et cur magis meminit vitæ, quam aliorum? Dicturus, vt homines diligeret erat in lucem ſpiritualem, meritò maluit vitam vocare, tunc enim quis oſtenditur viuens, quando alios vita ſpirituali donat. Ait
Theoph. Theophylact. ibi: *Vitam Euangeliſta nominat, eo quod contineat vitam omnium in ſe, & quod ſpiritualis vitæ conciliator fuerit omnibus ratione præditis.* Viuus non erit Deo, qui vitam ſpiritualem conciliare proximis nouit?

§. XII.

Gratius in viuidis cordibus, quam in manufactis lignis habitat Deus,

CVm arcam duorum millium cubitorũ ſpatio diſtantem à populo præire iubet Ioſue, rem nouam, & aſperam, duramque populo ſic mollit, inquiens: *In hoc ſcietis, quod Dominus Deus viuens in medio veſtri eſt.* Solebat antea arca, & tabernaculũ eſſe in populi medio, gaudentis, quod vt arcam, ſic Deum in medio haberet, quo muniretur. Nec mirum eſt, quod populus rudis timeret, tot diſtare Deum à ſe cubitis, quot diſtabat arca; putabat enim quod Deus cũ arca à medio ſui exierat, & quod ita hoſtibus indefenſus pateret. Cui timori aut ſuſpicioni ſapienter occurrit Ioſue ijs verbis; *In hoc ſcietis, quod Dominus Deus viuens in medio veſtri eſt, &c.* Sed quando arca à medio eorum aberat, vnde perſuaderi poterant, quod Deus erat in eorum medio? Nonne perſuaſibilius erat, quod Deus cũ arca erat? Vnde ergo probat non Deum, ſed arcã ſolam diſceſsiſſe ab eorũ medio? Ex eo quod dicit; *Dominus Deus viuens*, eo enim ipſo quod Deus viuens eſt, clare oſtẽditur gratius habitare in viuidis cordibus hominum, quam in ligneis manufactis, vel arcæ fœderis, vel templi. Quo reſpiciens
2. Cor. 6. Paul. ad Corinth. 2. cap. 6. ait. *Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus, Quoniã inhabitabo in illis, &c.* Expende illa: *Templum Dei viui.* Cur addidit illam particulã *viui*? Vt firmaret aſſertionem ſuam, Deo enim viuo non tam manufactum, quam viuum cõueniebat templum, in quo gratius eſſet. Quippe notans templi Ieroſolymitani reprobationem
D. Zen. D. Zeno lib. 2. ſerm. 24. aiebat: Reprobat ergo Deus tam immenſum, tam inſigne, tam opulens templum, quia in eo verum non erat templũ; etenim hominum conciliabulum eſt contextio iſta parietum; *fidelis autem populus Dei templum, Apoſtolo dicente. Vos eſtis templum Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis, & verũ eſt, nam ſicut idolis inſenſatis ſimilia templa cõueniunt, ita viuenti Deo viua templa ſunt neceſſaria.* Equidem non ſic Deo placent lignorum, lapidumve templa, vt viua humanorum præcordia templa. Vt enim viuens eſt Deus, ſic gratius in viuis habitat, ab illiſque neſciet ſeparari, adeo vt quicũque viua in animo ſuo altaria Deo fabricauerit, ſine dubio experietur ibi præſentiam Dei ſalutarem. Quo reſpiciens D. Petrus
1. Petr. 2. 1. piſt. cap. 2. ait: *Ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatũ, à Deo autem electum, & honorificatũ, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis, &c.* Itaque vbi acceſſum nobis quærendum proponit ad viuum lapidem, ad viuum Deum, ſtatim monet, vt fiamus domus ſpiritualis lapidibus viuis conſtans. Deus enim viuus, neceſſum eſt, vt magis gaudeat in viuis lapidibus humani cordis habitare. Quo ſpectabat D. Macharius hom. 49. fatus: *O ineffabilem pietatis affectum Dei, qui dono ſe ipſum largitur credentibus, vt intra modicum tempus hæreditatis iure Deum conſequatur; vt in corpore hominis habitet Deus, ac pro ſpecioſa domo hominem habeat Dominus! Sicut enim Deus creauit cœlũ, & terram, vt incolatur ab homine; ita etiam creauit corpus, & animam hominis in domicilium ſuum, vt habitet, & requieſcat in corpore tanquam in domo ſua, habens pro ſponſa dilectam animam factam ad imaginem ſuam.* Nũquam non afficitur Deus viuus ad viuam habitationem cordis humani. Hoc cura homo vt pares animum tuum, præcordia tua, ibique viuidis virtutũ lapidibus ædẽ Deo facias; nec dubites, quod Deus ibi habitabit, ibi aſsiſtet gratius, quam in cedrinis domibus, mortuo inſenſibilique ligno ædificatis. Vt viuus enim eſt, & viuis magis gaudet. Matth. 28. aiebat Dominus: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Sic honorabat Eccleſiam ſuam, indefectibili præſentia, qui Synagogam ſpreuerat, ait enim Pſal. 77. *Audiuit Dominus, & ſprenit, & ad nihilum redegit valde Iſrael. Et repulit tabernaculũ Silo, &c.* Quid ditius, quid pretioſius in mundo, quam tabernaculum Silo, quam templum Ieruſalem? Et nihilominus Deus hæc ſpreuit, & noluit habitare in eis; Eccle-

siam autem suam nunquam spreturus est? & cur non spreturus Ecclesiam, illa spreuit? Constabant illa mortuis, & insensibilibus instrumentis, in Ecclesia autem quid viuidum inuenit Deus, in quo, vt viuidus ipse est, sic gratius requiescit. Ait D. Zeno lib. 2. serm. 24. *In Ecclesiæ fabricæ fundamentis, non sicut in Iudææ templo plurimi, sed magnus, præclarus, ac speciosus vnus est lapis, qui quadratæ turris totam solus sustinet molem; nō æneum inhæret mare; quia illi perēnis fontis vinum inest mare; non quod naufragos faciat, sed quod naufragos ad vitā spirituālē perducat. Et quia opus est viuū, tectū nō habet nisi cælū, &c.* Quidquid in Ecclesiæ fabrica apparet viuū est, & fōs viuus, riui, qui halent vitā, & totū opus viuū; vnde nō mirādū, quod ibi placidius requiescat Deus viuus. Aiebat Luc. 1. *Sortè exijt, vt incensum poneret Zacharia ingressus in templum Domini.* Quę verba ponderans D. Chrysol. serm. 87. ait: *Benedixit ingressus in templum Domini, & nō ingressus templum, quia ipse erat Dei familiarius templum, portans in sui pectoris puritate tota legis arcana, & apponens non tam thuris, quam puræ supplicationis incensum. Gratius enim Deus in suo, quam in hominis opere requiescit, & non tam libenter odoratur Arabicæ arboris guttam, quàm sinceri cordis, & corporis sanctitatem.* Sic ibi.

D. Zen.

Luc. 1.

D. Chrys.

§. XIII.

Ex Dei viui præsentia, & coniunctione intima per fidem, & charitatem, non potest non venire ad nos vitalis halitus.

INter tot discrimina mortis constitutos Israelitas confortans Iosue sapientissime meminit Deum viuentem, aiens: *In hoc scietis, quod Dominus Deus viuens in medio vestri est.* Et cur dissimulato frequentissimo omnipotētis attributo, maluit in præsenti recordari vitæ? Erant fluctus rapidissimi fluminis superandi, qui metum mortis incuterent etiam magnanimis; erant & statim armatæ hostiles phalanges, quæ mortes minarentur, & calamitates. Maluit ergo ad viuentis Dei attributum recurrere, ostendens Deum viuum in medio esse eorum, vt hinc inter tot mortis metus, & ipsi viuere sperarent. Nam de præsentia, intimaque coniunctione cum Deo viuente, non poterat non illis vita communicari. Ioann. 6. dicebat Iesus: *Ego sum panis vitæ.* Et quid inde? Ait Cyrill. Alexandr. lib. 3. cap. 36. *His verbis subostendit sanctissimi sui corporis vitam, & gratiam, qua in nobis vnigeniti proprietas, ideſt, vita, & ingreditur, & permanet.* Ex quo enim ostenditur, vnigeniti Dei proprium esse, quod viuat, inde iam consequenter notum fit, vt ad nos, qui ei copulamur, vita transeat, & in nobis permaneat. Habet hoc singulare vitæ diuinæ quidditas, & Dei sanctitas, quod in suos coniunctos, & vnanimes trāseat. Non enim ex eo quod sapienti coniungimur, sapientes fimus; at ex eo quod viuo adunamur, iam inde vitalem virtutē capimus. Id quod amplius ostendit Dominus eodem 6. cap. Ioannis, fatus: *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, sic qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Tunc filius est missus à Patre, cum carnem induit humanam; caro autem humana ex se mortalis erat, defectibilis, & mater omnis corruptionis; ad hanc igitur corruptionum sentinam, miseriarum matrem missus est Dei filius. Et quid inde contraxit? Sanè qui in cœnagoso limo est, ibi obrui cœno solet. Obrutus ne manſit filius Dei in cæno carnis? Hæsit perpetuo in limo profundi? Imò quia ex viuo patre viuus nascebatur, habuit vt in ipsa mortis vmbra viuidas venas monstraret, persuadens cunctis, quod ex viui coniunctione semper hauriantur vitales auræ. Adhæc D. Cyrill. Alexandrin. lib. 4. in Ioann. cap. 18. ait: *Mortalem carnem assumpsi, sed quia naturaliter vita existens, habito in ipsa, totam ad vitam meam reformaui, & homo factus viuo, non enim sum victus interitu carnis, sed vt Deus omnem interitum, & mortem superaui. Vt igitur quamuis me pater misit, ideſt, homo factus sum, viuo tamen propter patrem, genitoris naturam ad vnguem cōseruo, sic qui māducatione carnis meæ me recipiet, viuet profectò totus ad me reformatus, qui viuificare possum, quoniam ex viuo patre sum.* Quid præstantius? Eo quod Iesus viuus Deus à Deo viuo processit, naturaliterque vita fuerit, vel mortali coniunctus non absorbebitur à morte, sed ipse potius faciet, vt mortales propinqui in vitā eant. Hinc Ioann. 1. locutus de Dei filio ait: *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Potuit dicere; In ipso erat sapientia, vel omnipotentia: cur ijs omissis vitam magis meminit? Ait D. Chrysostom. hom. 4. ibi: *Resurrectionis ratione iā afferre incipit, & admirāda*

Ioann. 6.

Cyr. Ale.

Ioann. 6.

Cyr. Ale.

Ioann. 1.

D. Chrys.

hac

hæc Euangelia exorditur: aduenientе autem ad nos vita, vis mortis periit; & luce nos illuminante, tenebræ euanuerunt; ſed manet ſemper in nobis vita, & mors ei dominari non poteſt. Equidem in vita Dei ad nos veniente, iam oſtendebatur, vt de morte eramus eripiendi.

Ioſue 3. Igitur egreſſus eſt populus de tabernaculis ſuis, vt tranſiret Iordanem: & Sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. Ingreſſiſque eis Iordanem, pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Iordanis autem ripas aluei ſui tempore meſsis impleuerat) ſteterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Adon, vſque ad locum Sarthan, &c.

§. XIIII.

Intrepidum pro Deo animum ipſa diſcrimina fugiunt.

ECce tibi ait: *Ingreſſiſque eis Iordanem, pedibuſque eorũ in parte aquæ tinctis, ſteterunt aquæ, &c.* Et cur non antea, ſed ſinuntur prius Sacerdotes Iordanis fluctus intrare, & tunc Iordanis ſtat, ſeu conuertitur retrorſum? Oſtendebatur tunc animus intrepidus Sacerdotum, qui voce Ioſue præmoniti, rapidos & altiſsimos fluctus Iordanis videntes, non ſtupent, non metuunt, ſed intrepidi illos intrare aggrediũtur; ad primum autem eorum in aquis gradum factum ſtupẽt fluctus, & relicto curſu feruntur ſurſum. Plane ſic accidere ſolet intrepidis animis pro Deo, & virtute, quos diſcrimina verẽtur, & fugiũt. Matth. 14. erat Ieſus ſuper ipſos maris fluctus, quẽ vident, & agnoſcunt diſcipuli, qui erant in naui. Quid tunc? *Deſcendens Petrus de naicula, ambulabat ſuper aquas, vt veniret ad Ieſum. Videns vero ventum validum, timuit, & cũ cœpiſſet mergi, &c.* Ecce tibi Petrus poſt non parum viæ confectum ſuper aquas cœpit mergi, & periclitari, illum enim fluctus vorabant; at antea cum à nauicula deſcendit, cum ſe fluctibus cõmittit, eum fluctus excipiunt, naturæque ſuæ immemores ſecurum, & pacatum hominem deferũt. Cur poſtea fluctus tam voraces in Petrum inſurgunt, qui antea tam mites, tam alieni à propria natura illi ſecurũ iter monſtrabãt? Poſtea timuit; & meticuloſum, non miror, quod fluctus aggrediantur; antea intrepidus, prorſuſque impauidus ſe ſe commiſit fluctibus, vt Ieſu frueretur ſocietate, atque in adeò intrepidum animum pro Deo nihil diſcrimina, nec fluctus audent. Ait D. Zeno lib. 3. ſerm. 10. *Petrus æſtu marino fertur, non naufragus, ſed viator. Timet profundum intercipere non timentem.* Quid ſapientius? Planè, & profundum, & rapidi fluctus, & vniuerſa mala verentur animum pro Deo impauidum. Nec ſolum animus impauidus experitur à ſe diſcrimina fugere, ſed mirũ in modũ à Deo exaltatur. Sapientia enim poſt deſcriptas plagas, quibus Ægyptij affligebantur, ait cap. 18. *Sicut enim læſiſti aduerſarios, ſic nos prouocans magnificaſti.* Mactabãtur equidem plagis Iſraelitarum aduerſarij, at Iſraelitę magnificabãtur à Deo, & exaltabantur. Sed in quo exaltabantur? Ait D. Zeno lib. 2. ſerm. 25. *Exaltatus eſt Iſrael, quando per triduum tenebræ, & caligo totam Ægyptum circũdedit. Exaltatus eſt Iſrael, quando tot & tanta tormenta Ægyptiorum ſolus ipſe nihil, aut timuit, aut ſenſit.* Ecce tibi inter ingentes Ægyptiorum plagarum timores, inter amariſsimos luctus, inter immania tormenta intrepidi ſoli agebant Iſraelitæ, & vt intrepidi ſiſtebantur Deo, ſic nihil mali ſentiebãt, ſed mirum in modum magnificabantur apud Deum. Satis repetita eſt hiſtoria trium adoleſcẽtiũ, qui Dan. 3. in fornacem ardentem ſe mitti paſsi ſunt. Erat fornax flãmas vſque in cœlum iaculans, vt timorem incuteret pueris; illi autem & vident flammas, & audiunt regem, & intrepidi malunt flammas intrare, quam Regi contra Deum placere. Quid tunc? *Ceciderunt in medio camino ignis colligati, & ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, &c.* In medio flammæ ambulãt, vbi eſt mors? In ipſa fornace laudant Deũ, vbi metus? Sanè impauidis animis & mors & metus in gloriam fuerunt verſa. D. Zeno lib. 2. ſerm. 34. *Incenſi hymnum cantant, barbarũ regem fidei tenacitate confundunt. Vindicantur de incẽſoribus ſuis, Deum vident: mors tranſit in vitam, metus in gloriam.* Sic intrepidos mala fugiunt, vt pro morte vita, & pro metu gloria ſuccedat. Fœlix ille, qui ſic neſcit timere, vbi eũ Dei cauſa vocat; fugabit diſcrimina, & vel in flãmis roſcidam viam ſentiet, multiſque à Deo magnalibus inſignietur. Gen. 22. ſiſtitur Iſaac aris ſacrificãdus, ſtringit pater gladium, vt

Matt. 14

D. Zen.

Sap. 18.

D. Zen.

Dan. 3.

D. Zen.

Gen. 22.

feriat, sed detinetur voce Angeli dicentis: *Ne extendas manum tuam super puerum.* Et
D. Zeno. cur modo puer non feriatur? Ait D. Zeno lib. 2. ser. 6. *Absolui meruit, dum humanum exse deponit timorem.* Nec miror, quod triũphet, qui nec nouit timere sub gladio.

§. XV.

Vbi manus Dei accedit, insuperabilem virtutem vel ipsi infirmitati tribuit.

QVid magis labile in creaturis, quam aqua? Et de aqua labẽti, seseque magno impetu præcipitante per alueum fluminis, dicitur modo: *Steterunt aquæ descendentes in loco vno, & instar montis intumescentes apparebant, &c.* Et vnde fieri potuit, quod labilissima natura aquarum versus astra intumescens staret firma? Putat Serarius noster ab Angelo vim quandam frigidam impressam aquis, quæ illas gelauit, in quandamque chrystallinam re-
D. Zen. degit soliditatem. Et D. Zeno lib. 2. serm. 12. in simili ait: *Aquæ gelido stupore frænatæ vitreos diriguntur in muros.* At impetus fluminis à fonte præcipitati rideret sanè murum chrystallinum, glaciali rigore duratũ. Maior ergo vis adhibenda fuit, eamque nõ Angelus, sed diuina impressit manus, quæ sola infirmæ, & labili naturæ scit insuperabilem communicare firmitatem. Quo spe-
D. Amb. ctans D. Amb. lib. 2. Examer. cap. 3. ait: *Hærere aquam, cum labitur, rursumque redire in superiora sine vllo repagulo, impossibile est. Sed quid impossibile ei, qui dedit posse quibus voluit? Dedit posse infirmis, vt infirmus dicat, omnia possunt in eo, qui me confortat.* Quod labilis natura, & proprio, & externo impetu præcipitata, medio incursu frænetur, stabiliseque fiat adeò, vt nequeat quati, nequeat superari; id sane venit à diuina manu, quæ potest vel ipsi infirmitati vires ministrare insuperabiles. Vbi aquæ in mari rubro diuisæ sunt, vt viam præberent populo, ait text. Exod. 14. *Ingressi*
Exod. 14. *sunt filij Israel per medium sicci maris. Erat enim aqua quasi murus à dextera eorum, & læua.* Potuit sanè Angelus in mari chrystallinos effingere muros, qui tenerent aquas, ne coniungerentur: at in Iordane, vbi impetuosissimi fluctus præcipitabantur; non de christalli soliditate, sed de adamantis duritie murus parabatur à Deo, cuius manus quæcumque fragilia, & infirma tangit, vertit in adamantem. Ait enim Theodor. in præsenti, *Retentus impetus aquarum, instar vtris intumescebat, & in fastigium attollebatur, quia terminus ab opifice positus quouis adamãtino muro fortius ipsam retinebat.* Vbi vides labiles, precipitesque aquas in altum stare firmas aduenientium impulsibus resistere; puta illis adamantinam duritiem, & insuperabilitatem concessam à diuina manu. Huius enim opus est, quod infirmæ, & labiles naturæ adamantinam recipiant firmitatem. Amos cap. 7. ait: *Ecce Dominus stans supra mũ litum, & in manu eius trulla cementaria.* Septuag. *Et in manu eius Adamas.* Trulla, & vilissimum, & fragillissimum instrumentum est, quo parietes liniũtur. Vnde ergo, quæ modo fragilis trulla erat, iam, & adamas esse ostenditur? Erat in manu Domini, cuius est virtutem insuperabilem imprimere ijs, quos suscipit. Ait ibi D. Cyril. Alexand. *Corroborat enim Dominus virtutum, si quos forte elegerit.* Et D. Hieron. etiã in præsenti: *Habet in manu sua adamantem, qui nisi Dei teneatur manu, omnem fortitudinem perdit, dicente Domino, Nemo potest rapere de manu patris mei.* In quantum enim quis etiam fragilissimus in manu Dei est, adamas est, qui nulli violentiæ cedat. Hinc dicebat Paul. 2. ad Hebr. *Semen Abrahæ apprehendit.* Expende illud, *apprehendit*, id est, quasi manibus prendit. Et quid inde quod Dus infirmi, & labilis hominis semen quasi manibus apprehẽderit? Ait D. Hypol. in Exortat. in magnum canticum citatus à Theodoreto in Dial. 2. *Is erat, qui fuit deuicti hominis per se auxiliator, Adamum in virgine visitans, spiritualis terrenum in matrice requirens. Qui semper viuens, eum, qui per inobediẽtiam erat mortuus, & cœlestis terrenũ ad superna vocabat. Qui cum hominem in terram solutum, & serpentis cibum effectum in adamantem vertisset, eumque in ligno suspensum victorem esse cisset, is propterea per lignum victor inuenitur.* Expẽde illud: *In adamantem vertisset*, quippe homo solutus in terram ibat, imò sicut aqua effusus in perditionem irreuocabiliter labebatur. Quid tunc? Accessit Deus, semen Abrahæ apprehendit, naturam humanam assumpsit, & ex quo diuinis quasi manibus accepta fuit, in adamantem versa est. Sic roborata est, & confirmata quasi labilem naturam exuisset, & in aliam prorsus inuẽcibilem transisset.

Theod.

Amos 7.

Cyr. Alex.

D. Hier.

Ad Heb. 2.

D. Hypol.

§. XVI.

Nullus eſt tantus malorum impetus, qui non ſuperetur à te, dum tamen tibi Deus in honore ſit.

POrtantibus Sacerdotibus arcam, intrãtibuſque ſic Iordanem ſtatim, *Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & inſtar mõtis intumeſcentes, &c.* Summus exundantiũ fluctuum impetus frænatur; vbi arcã Dei in humeris Sacerdotum portatam videt. Nec miror, nunquam enim tantus honor exhibitus arcæ Dei fuerat, vt à Sacerdotibus portaretur. Portabant namque arcam de more inferioris ordinis Leuitæ; at in hoc tranſitu maluit Imperator arcam plus ſolito honorare, & exaltare, imponẽs illam ſupremi ordinis humeris. Nec caſſo conſilio, ſed vtiliſſimo; dum nobis enim dĩuina maiori in honore ſunt, altiorique habentur loco, nullus tantus eſt, qui nõ cedat malorum impetus. Sapientiſſime ſanè Ioſue nouum honorem, nouam exaltationem arcæ Dei prouidit, illam ſupremi ordinis humeris conſtituens; quæ vbi ſic exaltata apparuit, rapidiſſimi fluminis frænauit impetus. Ait Pſalm. 92. *Eleuauerunt flumina fluctus ſuos a voce aquarũ multarũ. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Et quid cõnexionis habet, quod elationes maris mirabiles ſint, & quod Dominus ſit in altis mirabilis? Nunquid Dei altitudo comparatur cum maris elationibus? Abſit; in elatione maris, eius exprimitur furor; cum fluctus eius ingenti fremitu eleuãtur, vt abſorbeant nauigantes. Cuius furori ſedando vnus Deus opponitur, qui in altis habitat, vbi enim à nobis Deus ſublimatur, altiorique honore extollitur, non eſt, cur timeamus furentes impetus aquarum, ipſæ enim maris elationes abeunt in tranquillitatem. Hoc cura Chriſtiane, vt Deus in ſublimi honore tibi ſit, & furentes mundi rabies videbis ante te pacatas. Ait D. Aug. ibi; *Suſpendantur fluctus, quantum volunt, fremat mare, quantum vult, mirabiles quidem ſuſpenſuræ maris, mirabiles minæ, mirabiles perſecutiones. Sed vide, quid ſequitur: Mirabilis in excelſis Dominus. Cpõeſeat ſe ergo mare, & aliquãdo tranquilletur, detur pax Chriſtianis.* Poſſunt fremere, & furere fluctus ſeri maris, vſque Dum Deus in excelſis appareat, cum primũ autem facis, quod è ſublimiori honore Deus videatur, ſe malorum fluctus compeſcunt, & abeunt in tranquillitatem. Matth. 28. fœminæ à ſepulchro recedentes, agnouerunt Ieſum iã mortis victorem. *Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Ieſus, Nolite timere, &c.* Et quidem nunquam malorum inundatio rabidius fremebat in omnes Chriſti aſſeclas, vbi autem hæ ſe Ieſu ſubmittunt, eiuſque pedes tenentes adorant, iubentur eſſe ſine metu. Non ita fœlix inuenta eſt Magdalena, quæ inter lachrymas, & lamenta rediuiuum Ieſum agnoſcere meruit, ſed vbi agnouit, ſtatim audit ex illo Ioann. 20. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad patrem meũ.* Ab illis, & teneri, & contrectari patitur Ieſus, omneſque illis adimit metus hoſtiũ furentium, & tempeſtatum ingruentiũ; hanc autem à tactu repellit, nullumque illi verbum facit de metu auferendo. Et cur illas admittit, & ſecuras reddit malorũ ingruẽtium, hanc repellit? Ab illis maximè exaltabatur, & adorabatur vt Deus; ab hac deprimebatur, vt oſtenduntilla verba, *Nondum enim aſcendi ad patrem meum*, nimirũ in animo illius, nullam enim illa diuinitatis aſcenſionem, exaltationem meditabatur in eo. Ait D. Amb. ibi ſerm. 2. *Vide, ne forte ad obiurgationem Magdalenæ vox iſta pertineat: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad patrem meum. Nondum, inquit, aſcẽdi ad patrem, hoc eſt, tibi nondum aſcẽdi, quia apud fidem tuam adhuc detineor in ſepulchro. Quantum in te eſt, adhuc humilibus immoror, adhuc inhæreo terrenis: quia nondum me fides tua eleuauit in cœlũ. Quiſquis igitur vult contingere Dominum ſaluatorem, prius illum debet fide ſua ad dexteram diuinitatis imponere, & collocare in cœleſtibus.* Tunc non repulſam pateris à Deo, ſed admitteris, & iuberis eſſe ſine metu, cum obſequioſa fide tua illum in ſublimi locas, conſtituis in cœlorum excelſis. Quid enim timeat, qui honorificis obſequijs curat exaltare Deum, illũque à ſublimibus oſtendere? Ille timeat repulſam, & multam malorum congeriem, qui Deum deijcit, & humi ſinit repere. Veriſsimum eſt illud 1. Reg. 2. *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Quocumque honorem tribueris Deo exaltans illum, accipis in triumphis, in glorijs mille. Siue vt legit D. Hieron. epiſt. ad Celantiam: *Qui honorificat me, honorificabo eum, qui autẽ pro nihilo me habent, ad nihilo redigentur.* Quod dederis Deo, ipſe reddit tibi; ſi honorem, & exaltationem dederis, & ipſe tecum faciet

Pſal. 92.

D. Aug.

Matt. 28

Ioann. 20

D. Amb.

1. Reg. 2.

D. Hier.

ciet similiter. Si autem illum deieceris, exinanieris, vę tibi, etiam ibis in nihilum. Ait
Malac. 2. Malach. ca. 2. *Si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriã nomini meo, ait Dominus exercituum; mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicã illis, quoniam non posuistis super cor. Ecce ego proyciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & assumet vos secum.* Hæc vltima Grę cè leguntur: *Et suscipiam vos in id ipsum.*
Cyr. Ale. Circa quæ D. Cyril. Alex. ait: *Quoniam ipsi dedecorant altare, ideo Deus dicit: dispergam super vultum vestrum stercus, velut par pari referens. Qui enim contemnit me, contemnetur. Suscipiam itaque vos in id ipsum. Hoc est, in hoc ipso superior fiam, & impios redarguam.* Par pari respondet Deus, referetque sibi honorantibus se, siue contemnentibus; quidquid honoris detraxeris Deo, detrahetur tibi; quod illi, vel eius sacris abiectionis intuleris, tibi inferretur similiter. Pro quo lepidissimum est, id, quod refert
Theod. Theodor. lib. 3. Histor. cap. 18. Erant tunc res Christianorum in magno discrimine, propter impetum furoris, quo Iulianus Apostata curabat perdere omnes. Cõuenerant, & Christianus magister ludi, & Libanius sophista impius. Hic ridebat Iesum, ille extollebat. Quid tũc? Ait Theodor. *Libanius cum impius esset, expectaret que victoriam, & minas Iuliani ante oculos mentis statueret; à ludi magistro, quò nostra religio ni quasi per iocum irrideret, scisciatur, quid rerum gerat fabri filius. Qui diuina completus gratia, pradixit, quod erat paulo post euenturum. Nam huius, inquit, vniuersitatis opifex Deus, quem tu per risum fabri filium nominas, loculum fabricatur. Neque certe multi dies praterierunt, cum nuntius allatus est de sceleratiillius morte, qui in loculo reconditus, & ad sepulchrum elatus, so frustra minas iactasse declarauit, ex qua vna re Dei gloria fuit magnopere illustrata.* Expende illud: *Loculum fabricatur*: & fallar, si quid lepidius, & sapientius responsum excogitaueris. Quærebat impius Libanius de fabri filij occupatione inter minas Iuliani Imperatoris; nec volebat aliquid altius suspicari in Iesu, quam in filio fabri. At deijcientibus Deum vsque ad fabrilis officij dedecus, quid Deus citius faciet, quam loculũ, quam feretrum, quo ad sepulchra ducãtur? Sanè ad fabrum pertinet loculos mortuorum construere; si Deum non pluris æstimas, quam vilem fabrum, ipse iuxta vilem tuum conceptum respondebit, loculos tibi fabricando. Sic nobilis Christianus impijs respondendo, & Deum exaltando, crudelissimi Apostatæ morte vidit res Christianorum ire in fœlicitatem. Vt enim perijt, qui Deum deijcit, sic mirabilia experitur, qui Deum, quantũ est ex se superexaltat. Dubia adhuc in fide Magdalena, tota effusa in lachrymas Iesum præ oculis habet, & non agnoscit, sed putat eum hortulanum.
Ioan. 20. Ait Ioan. 20. *Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eũ, dicito mihi, vbi posuisti eum: & ego eum tollam. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa, dicit ei Rabboni, &c.* Dubia in fide resurrectionis, & hortulanum Iesum reputans, nihilominus obtinet eius reuelationem. Et vnde, quæ imperfecta tũc erat, deuenit in tantũ bonum, vt fugata ignorantia Dominum rediuiuum agnosceret? Expende eius verba dicentis: *Domine, si tu sustulisti eum, &c.* Præ ignorantia hortulanum putabat, at præ affectu Dominum vocat, eum honoratissimis verbis toto affectu prolatis extollens, & ideo tantum obtinuit bonum. Ait
Cyr. Ales. ibi D. Cyril. Alexan. *Quoniam Christũ semper Dominum appellaret, & feruentem erga ipsum amorem hoc modo ostenderet, propterea etiam ipsum videre digna iudicata est.* Quid non obtineat honor exhibitus Domino?

§. XVII.

Fœlix ille, cui obsequia Deo exhibenda honori sunt, non oneri.

NOn antea aquæ refugiunt, quam Sacerdotes portantes arcam, & populũ præcedentes, ipsius fluminis intrant terminos. Quippe ait: *Sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, præcedebant ante eũ. Ingressisque eis Iordanem, pedibus eorum in parte aquæ tinctis, steterunt aquæ, &c.* Ecce tibi vt Sacerdotes portantes arcam fœderis medijs fluctuum discriminibus viam securã, & fœlicitatis plenam inueniunt. Et vnde sic discrimina cedunt, fœlicitasque applaudit Sacerdotibus portantibus arcam fœderis? Etiam si Sacerdotes essent, altiusque munus haberent, tamen non oneri, sed honori, decorique maximo arcam portare dicebant, quo nihil non fœlix in via illa reperiebant. Sapienter ait D. Augustin. lib. 2.
D. Aug. mirabil. sacræ scripturæ cap. 1. *Cum arcato testamenti onere decorati, reliquam plebem præcedentes Sacerdotes, primas vndas ingrederẽtur; ab illa loco, vbi steterunt, vsque ad mare*

omnis

omnis fluminis alueus aquis suis confestim nudatus, &c. Expende tanti miraculi, tantæque fœlicitatis moralem causam, nimirum: *arcæ onere decorati*: non dedecus putabāt, se arcæ oneri subijcere, non sub onere gemebant; sed quod onus alij putarent, ipsi putabāt decus, quo nō miror, quod fugiētibus fluctibus, siccatā viā tot mirabilia experirentur. Video duos primos fratres portantes munera Deo, Abel agnum Deo offerendum portat, Cain portabat dē frugibus terræ. Dominus autem Gen. 4. *Genes. 4.* *Respexit ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem non respexit.* Itaque Abel fœliciſsimè munera portat Deo, Cain infœliciſsimè, vt qui inde in innumeras calamitates deueniat. Et cur Cain in portandis muneribus Deo in tot infœlitates deuenit? Miser donum exhibendum Deo putabat onus laboriosum, & quasi mulctam affligentem, dedecorātemque ducebat, ne miremur, quod inde tot calamitates orirentur. Ait D. Ba- *Basil. Sel.* sil. Sel. orat. 4. *Cainus sacrificationem mulctæ loco ducens, reiectaneis sacrificijs honorem detulit honorato, adultera mente cauponans pretium, &c.* Expende principium totius infœlicitatis in Caino, nimirum: *Sacrificationem mulctæ loco ducens*; vt mulctæ acerbitatem, & dedecus subire alij solent, sic ipse portabat dona Deo exhibenda; non honori, sed oneri, & oneri infami, quale est illud, quo rei mulctantur, tribuebat miser sacrificium, quod Deo exhibebat, & quid mirum pereat, qui sic pœnali oneri tribuit, quod Deo litat; qui autem triumphali honori ducit, quod Deo exhibet seruitium, is *Genes. 20.* fœliciſsimam agat vitam? Vide Gen. 20. vt Abraham litaturus filium ascendit montem ferens in manu ferrum, & ignem, aram struit, filium desuper ligat, gladium stringit feriturus, sed voce Angeli impeditur, qui aiebat, *Ne extendas manum super puerū.* Quid fœlicius patri, quam quod viuat vnicus filius? Sed vnde ad hanc fœlicitatē peruenit bonus senex? Sanè sic ibat portās ignem, & ferrum feriendo filio iuxta Dei præceptum, quasi inde triumphalem honorem *Zen.* reportaturus. Ait D. Zeno lib. 2. *Intantis filij casibus lætatur, & gaudet Abraham, & se Dominum promeruisse triumphat. Accepit iam præmia, quæ mereretur diuina:: vt non postulans misericordiam mereretur.* Dum ingens mæroris pondus, lætitiæ, & triumphali honori pro Deo tribuit, quam non petit fœlicitatem ex Deo solicitat.

§. XVIII.

Nulla est repletio, aut saturatio, nisi quæ venit à messe cœlestis, viuificique panis.

NOn dissimulabo id, quod attentissimè notat textus de Iordane in præsente, aiens: *Iordanis autem ripas aluei sui tempore messis impleuerat.* Ad ostentationem miraculi sufficiebat dicere, quod tunc temporis impleuerat ripas aluei sui, quando populus transiturus instabat. Cur maluit illud adijcere, nimirum, *tempore messis?* An vt aduentantis populi tempus ostenderet? Sed id satius ostendetur, vbi populi progressus, & accessus ad Iordanem explicabatur. Cur ergo vsque tunc messis tēpus explicare distulit, cum Iordanis repletionem explicaret. Voluit textus sacer exprimere, vt illa repletio Iordanis non fuerit tunc casualis, quæ frequens erat, & ordinaria quotanis, cum segetes frumenti ad messem albicabāt. Vt hinc tu animum eleuares ad veram cordis humani repletionē meditandam, quę verè venit à messe cœlestis diuinissimique panis. Magdalena tertio post Christi mortē die, eius vel defuncti conspectum esuriens pergit ad monumentum; non inuenit sanctissimum cadauer, & tota effunditur in lachrymas. Semel, & bis aspicit, & non inueniens, quem esuriebat, habenas laxat ploratui. Sed adsunt illi duo Angeli in albis, qui eius lachrymas abstergant; dicit enim Ioan. 20. *Ioann. 20.* *Vidit duos Angelos in albis, sedentes, vnū ad caput, vnum ad pedes, vbi positum erat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras?* Vnum Iesum defunctum quærebat, hunc esuriebat, & inuenit duos Angelos fulgentibus vestibus amictos, præstanti specie decoratos, qui illam nituntur cōsolari. Quid amplius cōcupiscis Maria? Quærebas corpus Christi magni consilij Angeli, inuenis duos Angelos? Quærebas mortuum, inuenis viuos? Non ne contenta eris? Non ne esuries tua, & desiderium tuum in ijs cessabit? Absit; non ab Angelis, non à creatura aliqua, sed à solo cœlesti pane Iesu humanus animus impletur, & quiescit satur. Hinc pulchrè Orig. hom. vlt. in diuers. *Orig.* *Noli, quæso, dulcis magister Magdalenæ vltrà protrahere desiderium, quia ecce iam triduo sustinet te, nec habet quid manducet, nec habet*

vnde

vndè ſatiet animam ſuam eſurientem, niſi te manifeſtando, porrigas illi panem corporis tui, & de fragmentis tui repleas cophinum cordis ſui. Et quidem licet Angeli adſint, licèt vniuerſæ creaturæ præſto ſint, non habet cor humanum, quid manducet ad ſaturitatem. Vnus eſt cæleſtis panis, vnus eſt Ieſus, qui poſsit implere humani cordis vacuitatem. Ioan. 6. poſt miraculum quinq; panum enarratum, ait: *Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis. Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos.* Ecce tibi, & comedẽtes implentur, & cophini implentur; nec tot impletiones intelligi poſſent, niſi inibi cœleſtis panis Ieſus intereſſet. Ait enim D. Cyril. Alex. *Diſcubuerunt ergo Domini iuſſu turbæ; quibus benedicti panes diſcipulorũ miniſterio appoſiti ſunt; omnibuſque iam ſaturis, duodecim cophini ex fragmentis implentur. Quid igitur hic intelligimus? Conuiuij princeps fidelium Chriſtus eſt,* &c. Et quidem vbi & comedentium exprimitur ſalubritas, & cophinorũ impletio, non poterat non ibi Chriſtus intelligi, de cuius ſuperabundantia venit vniuerſa humani cordis impletio. Chananæa mulier petens filię ſanitatem a Ieſu, dicebat illi Matth. 15. *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Domini ſui.* Cui ſtatim reſpondit Dominus: *O mulier, magna eſt fides tua!* Sed vndè magna erat fides Chananęæ petentis micas ex mẽſa Ieſu? Quod ſancti Latronis fides magna dicatur, non miror, petebat enim regnũ de manu Crucifixi. Et quis regnum odoraretur in Crucifixo, niſi magna, & acutiſsima fides? At micæ, vel de pauperis homuncionis menſa expectari potuiſſent. Vndè ergo commendatur magnitudo fidei Chananęæ petentis de Ieſu menſa, vel micas? Equidem egens mulier virtute Dæmonũ expultrice, & petens ſolas micas de menſa Ieſu, credebat non poſſe venire illas micas, quin ſimul vniuerſas vacuitates exũdantibus implerent beneficijs. Quo ſpectans Diu. Ambroſ. lib. 17. in Luc. 15. ait: *O mulier magna eſt fides tua! O vberes micæ, quæ repellitis ieiunium ſempiternum, quæ colligentem pauperem æternis expletis alimentis.* Vel cum mica diuiniſsimi illius panis, nõ poteſt ex ſe non venire ingens plenitudo, quæ repleat vacuos humanæ indigentiæ limites. Aiebat Paul. ad Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum.* Expende quando veniebat plenitudo, quãdo affluentium bonorum impetus implebat humanæ indigentiæ ripas, nimirũ quãdo mittebatur, & metebatur panis cœleſtis in horrea mundi. Ex quo ait Diu. Bernard. ſerm. 16. in Cantic. *Non venit vacue, qui non venit vacuus. Nam quomodo vacuus, in quo habitauit plenitudo? Neque ei datus eſt ad menſuram ſpiritus. Denique & venit in plenitudine temporis, plenum proinde venire ſe indicans. Bene plenum, quem vnxit pater oleo lætitiæ præ participibus ſuis; & de plenitudine eius omnes accepimus.* Sic ſemper de Ieſu cõſortio plenitudo apparet, qua eſurientes bonis repleamur.

Ioann. 6. Cyr. Ale. Matt. 15 Ambr. Ad Gal. 4. D. Bern.

§. XIX.

Duriſsima Deo ſubdita faciunt vniuerſa alia in eius obſequium venire. Vbi de D. Paulo, D. Auguſt. & Diu. Ignatio.

MIRABAR, quod ad ingreſſum ſacerdotum arcam portantiũ aquæ curſum ſuum amitterent, & contra naturam vel ſtarent, vel retrorſum irent, vt ait textus: *Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & inſtar montis intumeſcentes.* Sed quid mirum quod aquæ ſtent ad præſentiã Dei in arca fœderis oſtenſa? Numeror. 2. *Moyſes percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſsimæ.* Duriſsimus ſilex, & ficciſsimus ad ictum virgę, oblitus naturæ ſuæ, aquas euomuit; cur & aquæ ad præſentiam arcę non etiam ſuæ obliuiſcantur naturæ? Ex quo enim duriſsimæ naturæ Deo ſubduntur, non mirum eſt, quod cętera omnia trahant in Dei ſeruitium. Quo ſpectãs Pſaltes 113. aiebat: *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti: & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum? Montes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium? A facie Domini mota eſt terra, a facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Expende interrogationem, & reſponſum: interrogat ex mare, & ex Iordane, cur fugerint à conſpectu arcæ? Cur conſuetum naturæ curſum reliquerint? Et ſtatim illorum nomine reſpondens, fugæ cauſam inſinuat, nimirum præſentiam illius Dei, cui & petræ, & rupes ſeruierunt effundentes aquam contra naturam. Et quando duriſsima ſaxa, ſilices ipſi Deo contra propriam naturam famulantur, cur & flumina, & alia

Numer. 2. Pſ. 113.

lia blandiora simile Deo obsequiũ nõ præstabunt? Ex quo aiebat in præsenti Diu. Chrysost. *Chrysost. Quamnam, quæso, veniam consequentur, qui sunt duri, & non facile cedunt, cũ & petra, & rupes, quæ est dura, & resistens, cedit iussui Domini; homo autem qui est ratione ornatus, & omnibus mansuetior, illiis euadit durior?* Sic saxa, sic lapides Deo parentes cætera blandiora in simile trahunt, vt piaculum sit, quod vbi lapides, rupesque Deo cedunt, non etiam cedant alia, & homo rebellis inueniatur. Est sanè maxima vis, in eo quod rupes Deo cedunt, vt homo simile faciat. Monebat Paulus Corinthios epist. 2. *Cor. 3.* 2. cap. 3. *Manifestati, quod epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordibus carnalibus.* Sub Moyse quæ legis diuinę erant scribebantur duabus lapideis tabulis; vt res ad Christũ deducta est, iam non in lapide, sed in corde hominis melius, & firmius scribebantur. Et quando hoc certum est, quod Dei digito operante, melius, & firmius scribitur lex diuina in cordibus humanis, cur placuit Deo illam prius scribere lapideis tabulis? Equidem nõ paruam inde crediderim vim ministrari hominibus recepturis legem in corde, quando illam videbant prius receptam in lapide. Vbi enim vel lapis cedit legi; cur & homo firmius non adhæreat eidẽ legi diuinæ obseruandæ? Ait D. Orientius *Orientius* in Carmine:

Nam primum cautum veteri sub lege memẽto
Quæ dudum in solidis scripta fuit tabulis,
Quod nunc per Dominum renouat data gratia Christum
Atq; Euangelij vox veneranda sonat:
Vt quod saxa prius, modo pectora nostra tenerẽt
Esset & vberior bis repetita fides.

Quid pulchrius? Præceptum de Deo amando prius fuit insculptum marmore, deinde cordibus scriptum carnis. Et cur prius in *Ibid.* marmore? Ait sapienter Orictius: *Vt quod saxa prius, modo pectora nostra tenerent*; quod enim pectus nõ adhærescat legi, quã prius vel marmor retinuit? Vidisti Pauli saxeũ animum, lapideam mentem Augustini ad Dei vocem tenerescere, & sese Deo subdere, cur & tu non facies similia? Pactus fuit parens meus Ignatius cum doctore quodam, quod se Deo dederet, si inferior esset in calculorum ludo. Risit Doctor, & quia præstantissimus in illo ludo, quasi per iocum annuit. Sed ò res mira! Quos nunquã nouerat Ignatius, accipit calculos, eaque dexteritate mouet; vt præstantissimus ludi magister prorsus cederet digito diuino. Et cur præstantissimus Doctor è re adeo ludicra, ad Deum currit? Vel cur Ignatius calculorum motionem assumit, vt moueat Doctorem in Dei seruitium? Equidem vbi ossei calculi cernuntur parere virtuti diuinæ, meritò inde rapitur cor hominis, vt Deo etiam se subdat. Aiebat Iob capit. 19. *Iob 19.* *Quis mihi tribuat, vt scribãtur sermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Longè alia mens erat Psaltis, qui Psal. 36. ait de viro iusto: *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius.* Iob optabat, verba de diuina lege, de sacris mysterijs scribi in silice vel in plumbea lamina; iustus autem in cor de legem illam vtilius scribebat. Et cur Iob non magis amat sapientiæ verba in cordibus scribi? Cur placuit illi, quod magis scriberentur in silice? An quia magis amabat illa in lapide videre, quam in corde? Absit, iustus erat Iob, qui ardentissimè cupiebat in cordibus scribi verba vitæ; sed vt hoc fieret, amabat prius illa insculpi lapidibus, vt quod saxa prius, modo pectora nostra tenerent. Hinc Moyses Exodi 7. aquas vertit in sanguinem, lapides grandinis è cœlo traxit, & cætera omnia elementa transmutabat. Et cur acturus cum hominibus prius cum elementis agit? Ait D. Basil. Sel. *D. Basil.* orat. 25. *Totius naturæ legibus vim affert, quo mores euellat improbos.* Euellere à suis prius naturas insensibiles tentabat, quo humanas mentes à prauitate euellantur.

Iosue 3. Quæ autem inferiores erãt, in Mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt, vsque quo omnino deficerent. Populus autem incedebat contra Iericho: & Sacerdotes, qui portabant arcã fœderis Domini, stabant super siccã humum in medio Iordanis accincti, omnisq; populus per arentem alueum trãsibat.

§. XX.

Vbi Christus, omnia ibi suppetunt, defectus ibi nullus.

Vide ad conspectum arcæ, vt Iordanis aquæ

aquæ diuidũtur; ſuperiores enim ſtant, inferiores vero ad mare currunt, vſque dũ penitus deficerent: ſic enim ait: *Quæ autẽ inferiores erant, in mare ſolitudinis deſcenderunt, vſque quo omnino deficerent.* Stant ſuperiores, deficiunt inferiores, & aret alueus fluminis, & hoc ad præſentiã arcæ fæderis diuini. Sed maior arcà Ieſus Iordanẽ intrat,

Matth. 4 Matth. 4. *Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannẽ, vt baptizaretur ab eo.* Nec Iordanis ſtat, nec eius aquæ deficiunt, ſed pleno amne percurrunt. Et cur, quæ ad cõſpectũ arcæ deficiunt, conſpecto Ieſu non

D. Cypr. deficiunt aquę, ſed affluunt? Ait D. Cyprianus ſer. de Baptiſ. Chriſti: *Baptizatur Chriſtus, nec vltra Iordanis retrorſum conuertitur aruerunt vnctiones Iudaicæ, cæremoniæ putruerunt, perpetuo lapſu baptiſmi gratia emanat ad poſteros, nec vlla vetuſtate ſiccatur.* Ne mireris, quod ſub arca veteris teſtamenti ſtupeant affluentiæ gratiarum, bonorum influxus appareant ſiccati. Vnus eſt Ieſus, qui fontes indefectibiles parat, ſub quo cœleſtis roris de curſus quotidiana innouatione inſtauratur. Ingentia licet flumina bonorum à Moyſe tibi affluant, de creaturarum ad te manibus proficiſcantur, areſcẽt tãdem vel in mare mortuum dilapſæ. Quos tibi parat Ieſus latices, quos propinat fontes gratiarum, neſciunt areſcere, ſed creſcentibus in dies fluctibus nouerunt exun

Auguſt. dare. Quam verè dicebat D. Auguſtin. in lib. confeſsionum: *Da mihi te Deus meus, redde te mihi. En amo te, & ſi parum eſt, amẽ validius, hoc tantum ſcio, quia male mihi eſt, præter te, non ſolum extra me, ſed & in me ipſo, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt.* Ride copiam, rîde affluentiã, quæ Deus non eſt, quæ Ieſus non eſt; ſanè egeſtas eſt, inopia eſt. Cum ſolo Ieſu venit copia, quæ neſcit areſcere, quę nullũ admittit defectum. Cur ego non dicam Ieſu meo, quæ Francorum Regi Chilperico dixit Ve

Venant. nantius Fortun. lib. 11. Carm.

Fortior efficeris per multa pericula Princeps,
Ac per ſudores dona quietis habes.
Nil dolet amiſſum te Rege ſuperſtite mundus,
Cuiſe ſeruarunt debita regna gradu.

Dum enim adſit Ieſus, nil dolet amiſſum mundus, cum omnia nobis ſub Ieſu affluãt. Maria vbi Chriſti in ſe operationem ſenſit

Luc. 1. Luc. 1. ſic inter alia canit: *Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.* Et vndè impleuit? Ex ſolo Ieſu dato, quo præſen

Greg. Th. te nihil poterat deſiderari. Ait Diu. Greg. Thaumat. ſer. 2. de Annunt. *Humiles, qui ex gẽtibus populi exaltati ſunt, quoniã diuinæ cognitionis famẽ oſtendentes diuinũ Verbũ ſicut Cananea micas deprecabantur, & propterea diuinorũ myſteriorum repleti ſunt diuitys. Nã vniuerſorum diuinorum bonorum ſortem, qui ex Virgine natus eſt Chriſtus Deus noſter, in gẽtes tranſtulit.* Vbi Ieſus ex Maria apparuit nihil iam permiſit gentibus deſiderare, ſed fecit, vt omnibus bonis affluant. Memini primum illud Ieſu facinus in aquis etiam factum, quãdo nuptijs deficiebat vinum. De quo ait Ioan. c. 2. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorũ, capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas. Dixit eis Ieſus, implete hydrias aqua. Et impleuerũt eas vſque ad ſummum. Et dixit ei Ieſus: Haurite nunc, & ferte Architriclino. Et tulerunt. Vt autem guſtauit Architriclinus aquã vino factam,* &c. In quo miraculo duo conſideranda veniunt, & quæ offerebãthydriæ poſitæ iuxta cõſuetudinẽ, & purificationẽ Iudæorũ cõuiuis, & quæ propinabat Ieſus aſſeclis ſuis. Equidem ab hydrijs hauriebatur vinũ ex aqua factum, quod vt hauriebatur, ſimul conſumebatur; à Ieſu poculũ propinabatur ſuis, quo defectũ neſcirẽt. Neſciunt enim areſcere, quæ a Ieſu in ſuos veniunt gratiarum flumina. Pulchre ait D.

D. Amb. Amb. ſer. 2. de Epiph. *Audeo dicere illas hydrias non ſolũ illi conuiuio, ſed vniuerſo mũdo pretioſam illam miniſtrare ſubſtantiam, niſi quod nobis melius adminiſtrant. Conſtat enim ex ipſis vaſculis illos hauſiſſe ebrietatẽ, nos haurire inſtitiam: Illos percepiſſe vini poculũ, nos calicem ſalutis accipere, & ſi dici fas eſt, apud illos pertranſiſſe, quod biberant, apud nos verò permanere, quod ſumpſimus.* Quid diuiniuse? Illæ ipſæ hydriæ dabant conuiuis pocula, & ſimilia parabant Chriſtiano mundo. Ad præſentes conuiuas hauriebatur inde vinum, quod tandem deficeret, ad Chriſtianos parabatur gratia, quę ſemper affluere. Quod illis datum eſt, omnino tranſijt, & aruit, quod nobis propinatũ eſt, adhuc manet, & nunquã deficiet. Vndè hoc? Erant hydriæ poſitæ iuxta purificationem Iudeorum; ne miremur, quod deficeret, quod inde poterant Iudæi accipere. Nil enim in ijs durabile, ſicut nil durabile in creaturis. Operabatur tamen ibi virtus Chriſti, ne quid poſsit inde Chriſtianis deficere apud eos, qui ſpectant creaturas, tranſit omne, quod accipiunt. Apud nos qui ſpectamus Chriſtum, & affluit, & manet, quod ſumimus, nihilque ſuperſtite Ieſu dolemus amiſſum.

(?¿?)

§. XXI.

§. XXI.

Maior virtus oſtenditur in continendis hominibus, ne exorbitent, quam in retinendis fluminibus.

STante arca Dei in Iordane ſteterunt ſuperiores aquę, & inferiores defecerũt, interea autem populus ordinatiſsime procedebat verſus Ierichò: ſic enim dicit: *Quæ autem inferiores erant in mare ſolitudinis deſcenderunt, vſque quo omnino deficerẽt. Populus autem incedebat contra Ierichò*, &c. cum fluminis alueus ſiccus ariduſque mã ſiſſet per longiſsimum ſpatium, quod erat vſque ad mare ſolitudinis, per quod diſperſi populares poterant per varias partes trãſire; ordinem tamen procedendi nõ deſeruerũt, ſed totus quantus erat populus adunatus bono ordine, ſub ſignis, certo, determinatoque ſpatio verſus Ierichò proficiſcebatur, quin vnus exorbitaret à via. Quod Serarius noſter q. 12. in præſenti tribuit prudentiæ optimi ducis Ieſu Naue. Valuerunt ſane Sacerdotes portantes arcã detinere Iordanis impetũ; at continere tã tam populi multitudinẽ nobiliũ, ignobilium, ſenũ, iuuenũ, fœminarũ, puerorũ, ne exorbitẽt à certa via, id valuit Ioſue vnus. Et quantæ virtutis res hæc erat? Planè maioris virtutis res eſt, quod populi cõtineantur ab errore; quã ſi impetũ præcipitis fluminis retinere poſsis. Quo ſpectans D. Baſil. Sel. orat. 35. aiebat de Ieſu: *Nec enim periclitanti corpori Chriſtus opem ferebat, animam vero negligebat naufragiũ facientem, ſed contra potius. Nam quo vehementiores ſunt animæ paſsiones, tanto maiorem ad curationem ſolicitudinem afferebãt.* Vt vehementiores ſunt paſsiones animi, ſic maiori indigent vi, vt ſiſtantur. Matth. 4. venit Ieſus ad Iordanẽ, nec diuiſæ ſunt aquæ Iordanis ad eius præſentiam, ſed ait text. *Baptizatus autẽ Ieſus aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli*, &c. Non equidem illi aperta eſt aqua Iordanis, nec fluctus retroceſſerũt, vt ad præſentiã arcę factũ eſt. Et cur Domine non facis, quod aquæ tuã fugiãt præſentiã, quæ præſentiã arcæ fugerunt? Maius quid operatur Ieſus in aquis, faciẽs nimirũ, non quod aquæ, ſed quod hominum errores cedant. Ait enim S. Amb. ſer. 4. de Epiph. *Puto eſſe multo mirabilius, quod Dño Ieſu ibi poſito factũ eſt. Ante enim retrorſum aquæ conuerſa erãt, modo retrorſum peccata cõuerſa ſunt. Et ſicut tũc impetus fluminis alueũ ſui curſus perdidit: ita & nunc impetus peccatorũ dominiũ ſui erroris amiſit.* Nemo dubitabit facilius eſſe curſum retinere labẽtiũ fluminũ; quam errorũ, peccatorũque curſum mutare poſſe in genere hominũ. Non enim rapidius voluũtur flumina in mare, quã hominum vita præcipitatur in peccata, in vitia. Maius ergo facit, qui peccata, & errores tollit in hominũ multitudine, quã qui curſum eripit fluminibus, Ioan. c. 2. vt nuptiarum indigẽtiæ Dominus ſubueniret, iuſsit aquis impleri ſex hydrias, quas ſtatim conuertit in meraciſsimũ vinũ. Quid tũc? *Hoc fecit initiũ ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriã ſuã, & crediderunt in eũ diſcipuli eius.* Ecce duo ibi facta a Ieſu, & aquã mutauit in vinũ, & fecit, quod crederẽt diſcipuli. Vtrũ horũ maius fuit? Ait D. Amb. ſer. 2. de Epiph. *Hoc dignum eſt credere Dominũ operari voluiſſe, vt per hoc terrenũ ſignũ, futurum iam tunc a ſapientibus cœleſte myſteriũ videretur. Nam ſi mirabile eſt, quæ defecerant conuiuis vina ſuppleſſe, quanto eſt mirabilius vitam, quæ eſt exhauſta, hominibus reparaſſe? Et ſi glorioſum eſt aquam in vinum mutare, quãto eſt glorioſius peccata in iuſtitiã eõmutare, & mores potius temperare, quam pocula?* Sanè hoc ad præſtantiorem virtutẽ Ieſu pertinet, quod peccata tollãtur, quod errores mutentur, quod mores hominum temperẽtur. Quando videris hominem ſicut aquam effuſum in vitia, qui retrocedit, & viuidiſsimo Dei fonti, à quo venit, nitĩtur remeare. Tunc mirare Ieſu virtutem in eo valentiorem, quam ſi retrorſum ire faciat impetum Iordanis. Quando ſenſeris hominum multitudinem, ſic temperate viuere; vt nihil inſipidum, erroneumve faciant, tunc Ieſu age gratias, qui in hoc mirabilior eſt, quam ſi aquam in vina mutaret. Hinc ſapienter D. Zeno lib. 3. ſer. 24. de myſterio ſacri baptiſmatis ait: *O magna poteſtas, magna peritia, magna pietas iudicis noſtri, a quo vniuerſi generis peccatores, vt poſſint beate viuere, puniri feſtinant. Deſcendit quippe gladius pius in viſcera peccatoris, & vno eodemque ictu, incolumi corporis manente materia, interficit hominem veterem: creat nouum, ſacri gurgitis elemento ſepelit.* Hoc ad magnam pertinet Ieſu poteſtatem, quod non tam aquæ diuidantur, quam peccata in aquis agnoſcantur perire. Matth. 11. dicit Ieſus diſcipulis Ioannis: *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt*, &c. Quid hæc ad Ioanem? Ille ſciſcitabatur de aduen-

Baſil. Sel. *Matth. 4.* *Ambr.* *Ioann. 2.* *Ambr.* *D. Zeno.* *Matt. 11.*

aduentu Messiæ, vt eius notitiam, & fidem suis persuadeat. Et discipulorum fidē procurāti obijcit Iesus tota à se facta mirabilia, vt ex minoribꝰ illos ad maiora trahat, quæ consistunt, in tollenda mentis infirmitate. Basil. Ait D. Basil. orat. 25. *Miraculorum vi quasi manuducit animos ad Dei cognitionem. Inde factum est, vt paralypsi membra deuictus, viam ad cognitionē nactus sit curationem. Inde factū, vt mortuus exultaret, doctus deuictam esse mortem. Inde factum, vt plorans peccator, & eum recognoscens, qui tollit peccatum mundi, & animi pondus abiecerit. Aperiebant itaque viam ad maiora miracula.* Aperiebant miracula viam ad maiora, quando persuadebant Deo hærere; & mūdo, peccatisque renuntiare.

§. XXII.

A baptismi aquis superiores sumus hostibus.

DImissis Iordanis aquis, transit populus contra Iericho, nullum hostium pauens incursum. Ait enim: *Populus autem incedebat contra Iericho*, &c. Nec hostium occurrentium ibi mētio fit vlla: quādo nihil sit bellatoribus communius, quā occurrere exercitibus trāsmeaturis flumina 1. Machab. 5. 1. Mac. 5 *Misit Iudas speculari exercitū, & renuntiauerunt ei dicentes, quia conuenerunt ad eum omnes gentes, quæ in circuitu nostro sunt, & exercitus multus nimis, & Arabas conduxerunt in auxilium sibi, & castra posuerunt trans torrentem, parati ad te venire in prælium. Et abijt Iudas obuiam illis*, &c. Vbi audiuit Iudas aduersarios exercitus esse iuxta fluuium paratos transire per illum, Non amplius moratus, sed nactus occasionem occurrit transituris: vt enim bene notat Vegetius lib. 3. c. 7. Vegetius. *Instantes aduersary ad transitus fluminum, insidias, vel superuētus facere consueuerunt.* Quod bellatoribus consuetissimū, minime fecerunt Iericūthini. Et cū Iericho fuerit ciuitas bellicosissima, & sciret Israelitas terræ populatores castrametatos esse iuxta flumen Iordanis, paratosque ad transmeandū illud, minime ad ripas occurrūt, nec vllū hostile cōmentum opponunt transituri. Nec crediderim id factū fuisse ob langorē cordis gētibus illis immissum; vt enim hic langor nō obstitit, quominus reges vicini in bellū contra Israelitas prodirent; nec obstitisset, quominus Iericunthini illis in transitu Iordanis occurrerent. Quid ergo mysterij fuit, quod in transitu isto, sic elangueant Iericunthini, & sic molleſcant, vt nec vllū militem opposuerint trāsituris? Vt in illo trānsitu Iordanis figurabatur baptismus, meritò nō permisit dominus hostes mutire, vt ostēderet, quā exeamus ab aquis baptismi & superiores, & terribiles hostibus cunctis. Crede mihi, vbi baptismi fontes affulgent, sic cōfortaris, vt hostes corā te vel apparere fugiant. Timebat vehementer Achaz duos validissimos Syrorū exercitus cōtra se venientes, quādo minimè illis poterat resistere. Quid tūc? Isaiæ c. 7. dicitur? *Et dixit Dñs ad Isaiā: Egredere in occursum Achaz, tu, & qui relictus est Iasub filius tuus ad extremū aquæductus piscinæ superioris, in via agri fullonis. Et dices ad eum; vide vt sileas, noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium*, &c. Sic duos validissimos exercitus deprimit quasi duo essēnt titiones fumigantes, statim exufflandi de mūdo. Iubetur ergo rex sic quietus esse, & securus quasi hostes nō videat, sed duos titiones plenos fumo. Sed cur, vt hæc quiēs & securitas detur Achazo, propheta obligatur illi occurrere ad extremū aquæductus piscinæ superioris? Non id otiosum crediderim, sed vt ostenderētur, qui fontes sunt victoriarū, & securitatis in hostes, nimirū fontes baptismi figurati in illa piscina. Ait D. Cyr. Alex. lib. 1. in Isaiā orat. 4. Cyr. Alex. *Typum Dei repræsentans propheta percommode affert pollicitationem auxilij in piscina superioris viæ agri fullonis. Figura est piscina salutaris fontis sacri baptismi, quæ nos etiā in viā deducit superiorem, & fullonis, qui sordes nostras omnes detergit, & ab inquinamentis liberat. Firma est ergo hæc pollicitatio*, &c. Vbi sacri fōs affulget baptismi, ne mireris, quod validissimi exercitus dispareant, & reputē tur hostilia cornua, quasi titiones vilissimi fumigātes. Vt enim sic putētur exercitus validissimi, & bellicosissimi reges non appareāt supra duos titiones vilissimos esse, percōmode id Regi dicitur iuxta superiorē piscinā, in qua adūbratur baptismus, qui facit pollicitationes Dei aduersus hostes firmissimas. Meritò ergo mittitur Isaias sub vmbra baptismi confirmaturus Regē aduersus hostes qui dispareant instar fumi. Vbi enim baptismus est, quis hostis potest subsistere? Ait Luc. c. 4. Luc. 4. *Iesus autē plenus Spiritu Sancto regressus est à Iordane, & agebatur in Spiritu, in desertū diebus quadraginta, & tētabatur à Diabolo.* Itaque vbi post baptismā peractum ascendit Iesus ab aqua Iordanis, ad desertum ducitur, vt excipiat; & frangat hostiles impetus Diaboli. Sed cur ad hoc necessum fuit abire a Iordane, desertumque intrare? Cur non magis in ipsis

ipſis Iordanis ripis hoſtē expectauit? Cur relicto Iordane deſertum intrauit, vt hoſtē prouocaret? In ripis Iordanis, vbi baptiſmi Chriſtiani adumbrabatur gratia, nō auderet apparere hoſtis, ideò quærendus fuit locus, vbi non refugeret hoſtis appropinquare. Ait enim Chriſtianus Druthmarus in expoſitione c. 4. Matth. *Dignum fuit, vt illuc eum ſuus ſpiritus duceret, vbi hunc ad tē tandum ſpiritus malignus inueniret.* Exire ille debuit à Iordane, & in deſertum ire, vt eum malignus ſpiritus inueniret, minime enim poſſet alioquin inuadere illum.

Chriſt.

§. XXIII.

A Chriſti virtute venit, quod medijs fluctibus tentationum, calcantes ipſas ſecuri accedamus ad patriam.

ECce veteris teſtamenti arcæ miraculū, ait textus: *Et ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini ſtabant ſuper ſiccā humum in medio Iordanis accincti, omniſq; populus per arentem alueum tranſibat.* Excuſſę ſunt prius hinc inde aquæ fluminis, relicta que via ſicca, & arida, in qua ſacerdotes ſtabant, & per quam omnis populus trāſibat. Sed cur non magis placuit Deo populum deducere ſuper aquas? Ioan. c. 6. diſcipuli tempeſtate iactati: *Vident Ieſum ambulantē ſuper mare, & proximum mari fieri.* Et poſſet Deus etiam facere, quod alijs homines ſimiliter ſuper mare ambularent. Cur ergo maluit fluctus Iordanis excutere, & viam aridam populo parare, per quam vniuerſi trāſeant? Cur non magis illos duxit ſuper aquas? In omnibus ijs virtus Chriſti Ieſu ſpectabatur, per quam habituri erāt homines vt non ſolum fugatis tentationum fluctibus, ſed etiam ſuper ipſos fluctus calcatos peruenirent ad patriam. Sanctus Fructuoſus Epiſcopus Tarraconenſis religato ad collum ingenti ſaxo in flumen rapidiſſum præcipitatur, nec mergitur, ſed liber, & lætus aquas inambulat. Cuius ab ore hūc depromit hymnum Prudentius lib. de Periſtephanon hym. 7.

Ioann. 6.

Prudent.

Ieſu cuncti potens, ait
Haud quaquam tibi gloria
Hæc eſt inſolita, aut noua
Calcare & fremitum maris
Prona, & flumina ſiſtere
Iordanem quoque nouimus
Fortis vorticibus vagum,
Dum fertur rapido impetu
Ad fontem refluis retro
Confugiſſe meatibus.
Hæc miracula ſunt tuæ
Virtutis Domine, vt modò
Suſpendar, leue prænatans
Summo gurgite fluminis
Cum collo ſcopulum traham.

Expendè ab illis: *Hæc miracula ſunt tuæ*, &c. quippè antiqua ſub lege miracula in eo ſpectabantur, quod Iordanis fluctus ſuſtinerent, relinquerentque tranſituris Iſraelitis iter aridum. Verum vbi emicuit ſpecialis virtus Chriſti, & diſcunt humana corpora nullis ponderibus grauare, quin ſuper aquas inambulent, calcatiſque mundi fluctibus tendant ſecuri ad patriam. Quo ſpectans D. Aug. lib. de Cantico nouo ait: *Aſsit noſtra tutela Chriſti gratia, vt læti, & ſecuri ingrediamur ſempiternam, ac fœliciſsimā patriam. Non metuat anima mare hoc magnū ſæculum ſcilicet, cuius fluctus, ac turbines ſentimus inimicas ſæculi poteſtates. In Deo ſperātes multi iam ſancti hos fluctus ſpreuerūt, multi calcauerunt, multi ſuper eius aquas ambulātes ſecuri ad patriā peruenerūt.* Facit hoc nobis aſsiſtēs ſpecialiter Chriſtus, vt nō ſolū fugatis, ſed calcatis mundialium tēpeſtatū fluctibus ſuper ipſam procellam ſecuri ad patriam tendamus. Matth. 14. cum Apoſtoli periclitarentur in mari: *Quarta vigilia noctis venit ad eos Ieſus ambulans ſuper mare ::: Reſpondens autem Petrus dixit, Domine ſi tu es iube me venire ad te ſuper aquas. Ait ille, Veni. Et deſcēdens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquas.* Audit Petrus a Ieſu dictum illud, veni, nec dubitat in ipſis fluctibus ſoliditatem inuenire, qua ſecurus pergat ſuper illos. De quo elegāter ait Paſchaſ. ibi: *Non metuit, quod oneroſum valde eſſet humani corporis pondus, & liquida maris vnda ſolidū non portaret greſſum. Qui tantam in Dei verbo fiduciam cæperat, cum ait, veni, vt crederet inſidā veſtigijs ſuis tenuitatē ſubditam, & tanquam terrenam ſoliditatem eſſe ſubiectam.* Vbi vocantem Ieſum audiuit, nil metuit a lubrico elemento, ſed ſic committit plantas liquidis fluctibus, quaſi ſoli diſsimis terræ itineribus. Proh ingentem verbi Ieſu poteſtatem! Sic ducit ſuos per alta maris, per tempeſtuoſos ingruentium tentationum fluctus, quaſi per ſolidiſsimum firmamentum.

Auguſt.

Matt. 14.

Paſchaſ.

§. XXIIII.

Humiliatio voluntaria nõ derogat gloriæ ſe humiliantis.

STant ſacerdotes arcam Dei portantes; dicit enim: *Et ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccã humum.* Et notanter vſus eſt verbo *ſtabant*, vt oſtenderetur nõ fuiſſe ſacerdotibus res deiectionis, arcæ portatio. Quando enim ſuperior inferioris ſuſcipit munus voluntarie, vt ſacerdos Leuitę; minimè proprio derogat ſplendori, nec dignitati. Dicebat Ioan. 1. de Filio Dei: *Verbum caro factũ eſt, & habitabit in nobis.* Quanta hæc Verbi diuini humiliatio, quod ſubiuit infirmitates carnis? Sed quia voluntariè ad illas venit infirmitates, nihil ſuæ gloriæ derogauit. Ait D. Cypr. ſer. de Baptiſ. Chriſti: *Neque iniuria eſt, ſed gratia Dei, ſi quod maius eſt, minori iungatur: cum inferior natura contumeliã probrumque peccati non contrahat; nec eſt minoratio maieſtatis, prouectio paupertatis, nec altitudinem Dei in aliquo humilitas diſpenſatoria dehoneſtat.* Expende ab illis: *Neque eſt minoratio maieſtatis*, &c. Nulla vnquam minoratur maieſtas, nulla gloria eoquod lubẽs & gaudẽs ſe minoribus adæquet, vt illa promoueat. Nec humilitas, & abiectio, quæ diſpenſatoriè aſſumitur, altitudinem nobilitatis dehoneſtas. Imò vt ait Paul. ad Philip. 2. de Ieſu Domino: *Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autẽ crucis, propter quod exaltauit illũ Dominus*; &c. Ipſe ex propria volũtate, nulla vi coactus humiliationẽ Crucis amplexus eſt. An inde aliquam minorationem ſuſcepit? Abſit, ſed inde quoad nos maximè creuit, & exaltatus eſt. Vt dicat Euſeb. Gallican. hom. 2 de Symbolo: *Humiliauit itaque ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, vt ſublimior appareret, & Angelis, & hominibus inclinata ſublimitas.* Nunquam ſublimior ſublimitas apparet, quam vbi ſe inclinare nouit, vt alijs vtilis ſit. De hoc plura ſupra.

Ioann. 1.

D. Cypr.

Ad Phil. 2.

Euſ. Gal.

CAPVT SEXTVM.

Lapides eriguntur.

Textus Hiſtoria.

SVPERATO Iordane, Iſraelitarum populus vlteriora eius littora gaudens opplebat expectabatque ſacerdotũ portantiũ arcã progreſſum, qui adhuc hęrebãt medio ſiccati fluminis alueo. Tunc Ioſue à Deo doctus validiſsimos viros ſeligit, duodecim numero, viribus muneri iniũgẽdo pares; quorum ſinguli totidem ingentes lapides, de parte illa Iordanis, qua ſtabant ſacerdotes ad ripas, vſque ad Galgala deportarent. Nec minores fecit de terra in medio diũ aluei transferri; vt tam ij, quam illi, miraculi memoriam ad poſteros æternarent. Non diutius hæſerunt ſacerdotes, ſed ſigno Imperatoris capto, à flumine in littora contendunt, quorum abſentiam vt ſenſerunt aquæ, ſic precipitatis fluctibus cõſuetum curſum reſtaurant. Inſtauratur etiam conſuetus procedendi modus Iſraelitarũ, anteibant ſacerdotes arcam portantes duobus millibus paſſuum; tunc Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſes armati ante populum videbantur. Deinde quadraginta pugnatorum millia ſub ſignis militaribus plana Iericunthina occupabãt, quos tandem popularis multitudo ſequebatur. Hoc ordine caſtra fixerunt in ipſis Iericho vrbis campis, qui & ſitus pulchritudine, & aeris ſalubritate, & ſapidiſsimis ſoli fructibus maxime populum amęnabat.

PARS MORALIS circa textus literam.

RElictis Iordanis fluctibus cum populo ad ſicca pergamus; ſperãtes vel in ſiccis cœleſtis roris fluctus nobis affuturos.

Ioſue 4. Quibus tranſgreſsis dixit Dominus ad Ioſue: Elige duodecim viros ſingulos per ſingulas tribus. Et præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi ſteterũt pedes ſacerdotum, duodecim duriſsimos lapides, quos ponetis in loco caſtrorũ, vbi fixeritis hac nocte tẽtoria. Vocauitque Ioſue duodecim viros, quos elegerat de filijs Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus, & ait ad eos: Ite ante arcam Dñi Dei veſtri, ad Iordanis mediũ, & portate ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris iuxta numerũ filiorũ Iſrael, vt ſint ſignum inter vos, &c.

§. I.

Exuenda est durities ei, qui vel it mira facere in hominum animis.

NON otioſe de pedibus ſacerdotum iubet Dominus tolli duriſsimos lapides; ait enim: *Vt tollant de medio Iordanis aluco, vbi ſteterunt pedes ſacerdotũ, duodecim duriſsimos lapides*, &c. Sanè ad rei monimentũ ſtabiliendum, ſuffeciſſet dicere, vt tollerentur lapides de medio Iordanis, per quod tranſierũt populi. Sed notanter expreſsit non ſolũ lapides, ſed duriſsimos lapides tollendos de pedibus ſacerdotum. Et quid myſterij eſt, quod nõ lapides, ſed duriſsimi lapides de pedibus ſacerdotũ tolli iubeantur? Monſtrabatur iam, quam debeat tolli durities, & ſeparari ex illis, qui miniſterio ſacrantur animarum hominum mutandarũ. Et quid non faciat in hominum animis ille, cui cordi eſt omnem duritiem a ſe ablegare? Pſal. 113. ait Dauid: *Pſal. 113* *Quid eſt tibi mare, quòd fugiſti, & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum? Montes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium? A facie Domini mota eſt terra, a facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Nota eſt hiſtoria ex Exod. 17. & Num. 2. vbi Deus duriſsima ſaxa emolliuit in fontes aquarum; ex eo autem, quod Deus petrarum duritiẽ exuit, illamque conuertit in aquarum ſuauitatem, conficit Dauid reſponſum pro omni mutatione creaturarum. Qui enim montes non exultent? Qui fluuiorum impetus non ſtet? Quod mare non ſcindatur, vbi Deus lapidum duritiem in aquarum conuertit ſuauitatem? Crede mihi nullus animus adeo in mortem præcipitatur, adeo in ſuperbiam eleuatur, qui non conuertatur à via ſua praua, vbi Deus appareat quaſi duritiem exuens, & induens ſuauitatem. Acute, & ſapienter D. Aug. in præſenti: *D. Aug.* *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti, & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum? Quid eſt, ò ſæculum, quod tua impedimenta ceſſerunt? Quid eſt, ò tot millia hominum huic mundo renuntiantiũ, quod ad veſtrum dominum conuertimini? Reſpondebunt vobis hæc omnia. A facie Domini mota eſt terra; qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupes in fontes aquarum. Seipſum enim, & quandam ſuam duritiam liquefecit ad irrigandos fideles ſuos, vt fieret in eis fons aquæ ſaliẽtis in vitã æternã, quia prius, cũ ignoraretur durus videbatur.* Vbi Deus duritiem expulit, vbi rigorẽ (ſi ſic fari licet) emollijt, ſeſe ſuauians inſtar ſuauiſsimi fontis aquarum; non mireris, quod ſæculũ rideat impedimenta confugiendi ad Deũ, quod millia millium hominum recedant à via praua, & in meliorem frugem conuertantur. Quo aſpiciebat Sponſa Cant. 1. dũ *Cant. 1.* ait: *Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcẽtulæ dilexerunt te.* Qui petra erat in ſublimi conſtitutus, & vt petra de monte ſcindebatur, iuxta Danielis vaticinium; cæpit molleſcere, & ſeſe effundere in olei riuos, vt dicamus cum Iob cap. 29. *Petra fundebat* *Iob 29.* *mihi riuos olei.* Sed cur ſic ſe petra in oleum effundit? Ait: *ideò adoleſcentulæ dilexerunt te*, ætatis adoleſcentiæ lubricum ſtetit, & præcipites in mortem fecit venire ad amãdam vitam. Vt dicat D. Irinæus lib. 5. *D. Irin.* *Propterea benigne effudit ſemetipſum, vt nos colligeret in ſinu Patris*: itaque petra illa a monte ſine manibus ſciſſa inſtar olei ſe effudit vt nos colligeret in Dei Patris ſinum; fallar enim, ſi inueniatur fortior vis ad trahendos, congregandoſque homines, quam ſua uitas, & teneritudo. Qui enim homines ſuauitatis benefic entia non capiuntur, fugiendi ſunt prorſus, & fugandi ſæpè a conſortio humano. Hinc Moyſes Exod. 1. cũ *Exod. 1.* dux Iudæorum eligeretur, munus deprecabatur, aiens, *Imperitioris, & tardioris linguæ ſum.* Similiter Ierem. cap. 1. *Puer ego ſum, neſcio loqui.* Et cur ij fugiebant tanti populi ducatũ? Ait D. Baſil. Sel. orat. 31. *Baſil. Sel.* *Accuſat lentem ingenij Iudaici tarditatem, eorum, qui ad eos legabantur, deprecatio. Gens enim Deo, diuinæque beneficentiæ rebellatrix.* Itaq; gens rebellatrix diuinæ beneficentiæ, quæ non trahitur beneficijs, non ſemel fugienda eſt, & exſibilanda. De quo multa ſunt ſæpè à nobis data.

§. II.

Magnæ virtutis eſt, beneficia à te in aliquem profecta potius extenuare, quam amplificare.

INgens Iſraelitarum multitudo tranſierat per ſiccum Iordanis alueum, nec iniuſtũ eſſet, quod à ſingulis lapides tollerentur è medio fluminis, qui ingentes aceruos in teſtimonium efficerent. At Deus ſolũ duodecim lapides à totidẽ viris aſpor-

tari iubet, qui sint beneficij signũ; dũ ait: *Vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides*, &c. Et cur duodecim solos lapides a duodecim viris petit pro signo beneficij, quod fuerat innumeræ multitudini præstitum? Cur non magis ingentem aceruum cõponi mandat, lapidibus alatis, ab omnibus qui beneficium acceperant? Nonne ingens & altissimus aceruus euidentius testaretur beneficium collatum populo, quã illi pauci lapides, qui duodecimum numerum non excederent? Sanè ambitio humana non in tam paucis lapidibus magnificẽtiæ suæ me
Gen. 11. moriam insculperet, quin illi Gen. 11. clamarẽt: *Faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum.* Sunt enim pauci vniuersæ terræ lapides, vt in illis humana ambitio sculpat suæ beneficentiæ monimenta. At virtus diuina in paucis explicat beneficia sua ingentia, eò semper intendens ne amplificet, quæ præstitit, vt nos discamus nõ amplificare dona, sed potius exte-
Matth. 9. nuare Matth. 9. cũ iret Iesus in domũ principis Synagogæ curare filiã eius, dũ adhuc esset in itinere, puella è viuis excesit. Quid tunc? *Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat, recedite, nõ enim est mortua puella, sed dormit.* Et quidem omnes sciebant illam mortuam, mortemque eius clamoribus celebrabant, solus Iesus quia statim suscitaturus erat illam, dicit non mortuam esse, sed dormire. Et cur Domine nõ magis asseris mortuam, vt donum a te præstandum clarius ignotescat? Nostri medici etiam leuem morbum prædicant lethalem esse, vt inde amplificent dexteritatem suam, & curationis pretium. Tu è contra mortem veram somnum vocas, ne amplificare videaris, sed occultare, cum excitas. Est enim hoc proprium virtutis diuinæ, quod magis occultet, quam amplificet, quę
Sedul. præstat. Ait Sedul. lib. 3. Paschal. cap. 12. *Cunctis corpus videbatur extinctum. Soli Christo, qui ad vitam venerat largiendam sopor apparebat infusus. Et hoc quidem ad eius gloriã pertinuit singularem, quod defunctam dixerit dormientem, vt admirabilium facta virtutũ parentibus monstraturus, minus se donare pronuntians, quam donabat.* Ecce tibi gloria diuinæ virtutis, quod in beneficijs suis, minus se ostendat donare, quam donet. Multa præbeat absque amplificatione benefi-
Gen. 18. tij. Abraham Gen. 18. accurrẽs peregrinis ait: *Si inueni gratiã in oculis tuis, ne transeas seruum tuum; sed afferam paxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore, ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum*, &c. Planè hæc dicens Abrahã simul animo apponere parabat, quod postea apposuit, nimirũm butyrum, & lac, & vitulum optimum, cur tam lautum apposi turus conuiuium, solam meminit buccellã panis? Ait D. Chrysost. hom. 41. in Gen. *Chrysost.* *Dicit, quæ illis appositurus sit, extenuans res, & nihil esse vocans. Aquam enim tepidam ego habeo ad lauandos pedes, & panem, & tectum sub arbore.* Sic qui Dei implentur virtute extenuant res a se præstitas, & de multis vix ostendunt parua.

§. III.

Vbi Iesus interuenit, nullo alio egemus adiutorio ad ardua quæuis conficienda.

SElecti, & multarum virium sunt viri, qui præ grandes lapides ab alueo fluminis extrahant, ait enim textus. *Vocauit Iosue duodecim viros, quos elegerat de filijs Israel, singulos de singulis tribubus, & ait ad eos: ite ante arcã Domini Dei vestri ad Iordanis medium, & portate singuli singulos lapides in humeris vestris*, &c. Lapides istos ingentes fuisse ipsa res, cui seruire debebant, facile persuadet. Quando enim extrahebãtur, vt fixi in sicco posteris miraculum testarentur, non parui esse debebant ponderis, qui facile à quoquam inde dimouerentur. Erant ergo ingentes, & maximi ponderis, quales a communibus alijs hominibus non possent dimoueri. Et cur vbi tantę molis lapides erant asportandi, pro singulis eorum singuli deliguntur viri? Cur non magis permittitur cuilibet viro, quod pro suo lapide asportãdo socium, aut socios adiutores eligat secum? Cur sic vnusquisque illorum solus obligatur ad onus portandum insuetum? Veniebat id imperium immediate a Iosue, qui diuinissimi Iesu vmbra erat; qui autem sub Iesu operãtur, nullo alio indigent adiutorio, vt conficere possint ardua quæque. Vix primum hominẽ condiderat Deus perfectũ, & diuinę imagini respondẽtẽ, & statim tractat de adiutorio illi
Genes. 2. adiũgẽdo enim Gen. 2. *Faciamus ei adiutoriũ simile sibi.* Sed quãdo hæc natiuitas prima infecta est, & ad nouũ hominẽ regenerãdũ Deus accedit, audio hominẽ renasci

ex

Ioann. 3. ex aqua, & Spiritu Sancto, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* Sed nō audio, quod tunc illi adiutoriū detur. Et cur homini in regeneratione nō datur adiutorium, cui in prima illa generatione datur? Regenerationem hominis ex aqua operatur Christus, quem qui habet assistentem, nullo alio adiutorio indigere
D. Chrys. censetur. Pulchrè D. Chrysost. ait hom. 24. in Ioan. componens has duas hominis natiuitates: Tunc equidem post factam creaturam homo formatus est, hic autem contra. Siquidem ante nouam creaturam nouus homo creatur, & primus nascitur, & tunc mundus transfiguratur. *Et quemadmodum à principio totum formauit, ita nunc totum creat. Et tunc, Faciamus, inquit, ei adiutorium; hic minime. Quippe qui Spiritus Sancti gratiam accipit, nulla re indiget. Qui in Christi corpore perficitur, quonam alio ei opus est auxilio?* Audeat quæcumque velit, qui in Christi corpore perficitur, qui sub Iesu halitu viuit; nullo alio indigebit auxilio, vt maxima quęque efficiat, vt ardua, &difficilia superet. Hinc Matth. 14. videns Pe
Matt. 14. trus Iesum ambulantem super aquas, similem ipse gressum concupiscens aiebat: *Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas.* Nouum plane, & inusitatum iter arripere festinat, vt aquas conculcet: & petit à Iesu, vt id sibi liceat: sed expende: *Iube me venire ad te super aquas*; non ait absolute, iube me aquas calcare, super aquas ambulare, sed iube me ad te venire. Quod si ambulare super aquas amas, quid necessum est petere, vt ambules versus Iesum? Pete, vt ambules absolute, quo volueris, cur magis vis petere, vt ambules ad Iesum? Sapiens homo arduam rem aggressus, non vult longe esse à Iesu, sed ad illum ire, & iuxta illum ambulare, certus quod sic nullo alio indigebit, vt fœliciter viam conficiat difficilem. Ex quo aiebat D. Chrysost. hom.
D. Chrys. 51. in Matth. *Propterea nec dixit, iube, vt super aquas ambulem, sed iube, vt ad te veniā.* Vtinā in omnibus arduis; difficilibusque vijs hoc habeas, vt solum quæras ire ad Iesum, & cum Iesu esse, nec ab illo declines; fallet, si alio egeas, vt omnia feliciſsimè cōficias. Et quo egeat habens Iesum? Ait ipse
Idem. apud Chrysost. hom. 77. in Matth. *Ego ipse sum pater, ego frater, ego Dominus, ego sponsus, ego nutritor, ego vestis, ego radix, ego fundamentum. Quidquid volueris ipse sum; nulla re indigebis. Ego tuus ero minister: veni ego, nō vt mihi ministretur, sed vt alijs ego ministrem. Ipse amicus sum, membrum, caput, frater, soror, mater, vniuersa ipse sum, dum modo mihi, vt decet, afficiaris.* Quid suauius? Sic te cōpone, vt Iesum habeas, & omnia habes, nullo indigebis auxilio alio.

§. IIII.

Ingratis sic præstanda beneficia, ne possint occultari.

NEcotiosè in signum præstiti beneficij lapides ingētes super humeros asportari mandat, aiens: *Portare singuli singulos lapides in humeris vestris.* Et cur lapides in humeris in signum beneficij portare mandat? Ostendebat iam tunc ea beneficia præstanda esse ingratis, adeo conspicua, & clara, ne possint vllo modo abscondi, & occultari. Sic Ioan. 5. paralytico Ioann. 5.
ait: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Cur grabatum humeris tollat? Ait ibi Euthymius: *Non solum erigit, sed & grabatum* Euthym.
tollere iubet, vt miraculum esse credatur, & non appareat phantasia aliqua. Hoc autē pluries fecit, eorum, qui imprudentes esse vellent, ora obstruens. Nihil non agit Deus, vt in suis donis ingratorum ora obstruantur, ne possint negare, nec occultare beneficia accepta. Similiter suscitaturus Lazarum cum magno Iudęorum comitatu ad sepulchrum contendit, ibique sepulchri mandat tolli lapideum operculum. Ait enim Ioan. 11. Ioann. 11.
Tollite lapidem. Res erat haud facilis, & multorum virorum erat in eam adhibendus labor. Sed qui verbo mortuum leuare poterat, etiam verbo posset leuare à sepulchro lapidem. Cur ergo abstinuit à lapide leuando, expectans vt leuaretur à circunstantibus ministris Iudæorum? Rem explicat D. Basil. Sel. orat. 41. *Qui corruptum* Basil. Sel.
animauit, poterat multo magis suauoce lapidē elocare, cur ergo non fecit? Vt eos miraculi testes haberet, ne vē, quod olim de cœco dicerent, Hic est, hic non est. Nam manus lapidem tollentium, & aduentus ad monumentum testificabātur Lazarum esse; alias aut vmbram aliquā, aut alterum alterius loco facile opinarentur. Nunc, & eos ad sepulchrum profectos esse, & lapidem substulisse; hac, inquam, omnia abunde ingratorum miraculi testium ora poterant obturare. Sic parabantur omnia in resurrectione Lazari, ne ipsi ingratissimi Iudæi possent miraculum occultare, cum & ipsi ad sepulchrum accessissent, & lapidem ab ore monumenti asportassent. Vt enim parati sunt ingrati beneficia accepta negare, sic taliter sunt illis præstāda, vt nullis oc-

cultationis modus pateat. Hinc mittens Deus filium suum in mundum, ditansque Iudæos tanti Principis natiuitate, pro eius signo stellam in medio cœlo collocauit, quæ Magos vsque natiuitatis locũm
Matth. 2. ductaret. Aiunt enim Matth. 2. *Vidimus stellam eius in Oriente, &c.* Stellaque apparuit pro signo Dominicæ natiuitatis. Et cur stella facta est signum? Ait D. Maxim.
D. Max. hom. 6. in Epiphan. *Stella resplenduit, cuius vtique Iudæorum gens perfida nec radiũ occultare posset, nec abscondere veritatem.* Sic res tractanda est cum perfidis, & ingratis, vt beneficiorum exhibitorum signa talia ponantur, quæ minimè possint occulta ri, sed euidentissime pateant.

§. V.

Labor fœlicitatibus medijs immissus benefactoris Dei nos facit recordari.

MEdio tantæ fœlicitatis beneficio, quo Dei populus arentem superat Iordanem, selecti de singulis tribubus viri iubentur lapidum onere deprimi, atque grauàri. Sic enim ait: *Portate singuli singulos lapides in humeris vestris.* Et cur tantum pondus grauet homines; qui tanto animis ficcati miraculo extollebantur? Miscet Deus labores fœlicitatibus, vt immistus labor mentes hominũ certius in be
Ioann. 6. nefactoris memoriam trahat. Sic etiam Ioan. 6. post miraculum quinque panum, qui quinque hominum millia saturauerũt, iubet Iesus reliquias colligi, & duodecim cophinos impleri, qui à duodecim Apostolis asportantur. Ait enim: *Collegerunt ergo duodecim cophinos fragmentorum, &c.* Et cur voluit Deus plenis panum cophinis discipulos suos grauari? Ait D. Basil. Sel. orat.
Basil. Sel. 33. *Pari cum Apostolis numero sunt cophini, vt singuli singulos vaiulando laborem miraculi testem subeant, humerusque dum teritur, rei gestæ sensum ingerat, & memoria fatigatione conseruetur.* Expende ab illis: *Humerusque dum teritur, &c.* Nequit enim afflictus, & oppressus humerus ad mirabilium Dei me
Ioann. 21 moriam non trahere. Ioan. 21. discipuli Iesu laborantes in piscatione per totam noctem nihil prendiderant; cum facto mane, consilio viri in littore existentis in dexteram nauigij mittunt rete. Quid tunc? Ait textus: *Miserant ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ego discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro, Dominus est.* Et quid illos in cognitionem, & memoriam Domini deduxit? An solet multitudo captorum piscium? Sed id vsitatissimum est piscatoribus, quod post multos inanes labores, tandem in eam partem deueniant, qua multos capiant pisces. Quid ergo fecit homines putare illud opus Dei fuisse? Ait D. Petrus Chrysol. ser.
Chrysol. 78. *Miserant in dexteram, miserant in virilẽ partem, sed vt pueri adhuc trahere non valebant, senserunt tamen ex ipso pondere, senserũt pisces venisse ad iubentis imperium, non humanæ artis incurrisse capturam.* Expende illud: *senserunt tamen ex ipso põdere, &c.* Vbi in re tanta fœlicitatis senserunt se pondere nimis grauari, prudenter suspicantur rem esse muneris diuini. Pondus enim illos grauans inter fœlicitatem capturæ deducebat homines in memoriam, & agnitionẽ benefactoris diuini. Deplorati enim animi est, quod graueris, & opprimaris medijs etiam fœlicitatibus, & inde nescias oculos ad benefactorem Deum leuare. De Absalone dicebat 2. Reg. 14. *Sicut Absalon nõ*
2. Re. 14. *erat vir pulcher in omni Israel. A vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula. Et quando tondebat capillos (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* In tanta pulchritudinis fœlicitate, hoc Absalon habebat, quod grauaretur, & opprimeretur sub põdere pulcherrimorum capillorum. Et quid ille de tanto pondere eliciebat? Ait textus notanter: *Ponderabat capillos ducentis siclis pondere publico.* Erat apud Iudæos triplex pondus, & pondus sanctuarij, & pondus institorum, & pondus publicum, & vsuale. Dicitur autem Absalon ponderasse capillos pondere publico, vt ait Lyra, *ad di-*
Lyra. *stinctionem sanctuary.* Nihil enim ex tanto pondere capillorum, quo grauabatur, eliciebat pertinens ad sanctuarium, pertinens ad templum, pertinens ad Deũ, cuius nulla mẽtio in tota illa grauedine habebatur. Quid magis deploratum? Non mirer, illud iam signum fuisse animi prorsus desperati, qui ad extremam ruinam ferebatur. Vt meritò dicat Drogo lib. de Pass. Domin.
Drog. *Ponderabat ducentis siclis crines suos pondere publico, vnde in eodem crine suspensus ad arborem interyt.* Media in suæ pulchritudinis ambitione, & ostentatione, sentiebat pondus comarum aurearum, quibus grauabatur, nec quid inde ad sanctuarium pertinẽs eliciebat, sed communi asinorum more, sub pondere ibat, quin oculos ad cœlum leuaret,

re, inde extremam ruinam lucratur. Fœliciores illi, qui medijs fœlicitatibus pōdus experti, oculos leuant in cœlum, & benefactorem recordantur, ab illoque sperant leuamen.

§. VI.

Infamis pœnæ terror maximè debet continere ingenuos viros.

SVb ingentibus lapidibus premi Iudæorum proceres mandat Deus, cum illos per siccum Iordanem ducit. Ait namque; *Portate singuli singulos lapides in humeris vestris.* Et cur sub tanto onere illos affligit? Vt deterreret homines ab ingratitudine sapienter facit, vt gustent asinorum labores in portandis oneribus, & videant, quibus maneant similes in pœna, si à Deo desciscant. Quem enim non contineat infami asinorum supplicium? Sic D. Zeno in beneficiorum signis, passim meditabatur Iudæorum supplicia. Ait enim lib. 2. serm. 11. *Columna nubis te perduxit per diem, vt ostenderet cœcum; ignis columna per noctem, vt admoneret arsurum*; & sic in singulis beneficijs imminentes illorum pœnas meditatur. Vt similiter putemus à Iordane illos exire lapidibus oneratos, manēs asinorum supplicium prægustantes, quo ab ingratitudine, omnique sceelere maximè deterreantur. Fallar enim, si quandoque animi alio metu opportunius corrigātur, quam suspicata supplicij fœditate, & infamia. Matth. 18. ait: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum.* Erat Deo in promptu Gehennam minari authoribus scandalorum; sed abstinuit à Gehennæ flāmis, & molam asinariam ad collum proposuit religandam. An grauior hæc mola, quam Gehenna? Absit; sed satis ibi hominum corda terroris, & infamiæ suspicabantur, & inusitata infamia opportune deterrebantur ascadalis. Ait D. Amb. lib. 18. in Luc. *Expedit ei, vt mola asinaria suspēdatur, in collo eius, & demergatur in profundum maris. Plus enim proficit ad reprimenda peccata, inauditi generis, atque deformis beluina quædam pompa supplicij.* Quis enim homo ferat se vt belnam, ac asinum in pœna tractari? Sanè beluarum pœnæ maximum horrorem ingerunt ingenuis animis, quo fugiāt à peccatis. Hinc quid luxuriosi homines metant ex sua lasciuia depingens Dominus in Samsonis capite, ait de illo textus Iudic. 16. *Eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerūt.* Quis adhāc pœnam non expaueat, quod homo ingenuus, vt asinus ad ingentem molam religatus molere cogatur? De eo D. Paulin. epist. 4. *Cœcitate punitur, & mola, quia dignus est opere iumēto, qui semetipsum lumine rationis orbauerit, & in similitudinem beluarum, corporis seruus abiecerit.* Ecce tibi, qui proponitur, vt faciat nos metuere lasciuiam, molę proponitur religatus, vt beluina quadam forma supplicij cæteros perterrefaciat. Similiter Isaias cap. 47. *Descende, sede in puluere virgo filia Babylonis, sede in terra, non est solium filiæ Chaldæorum, quia vltra non vocaberis molis, & tenera. Tolle molam, & mole farinam.* Vbi castiganda erat filia Babylonis, hoc illi supplicium datur, quod molæ alligetur, vt enim ait D. Hieron. ibi: *Hoc Dominus fecisse dicitur, vt vltionem caperet de ea, quæ oppressit populum suum.* Et tanti criminis ream punit hac beluina pompa supplicij, vt quæ plus soleat proficere ad reprimenda delicta.

D. Zen.

Matt. 18.

D. Amb.

Indic. 16.

D. Paul.

Isai. 47.

D. Hier.

Iosue 4. Alios quoque duodecim lapides posuit Iosue in medio Iordanis alueo, vbi steterunt Sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, & sunt ibi vsque in præsentem diem. Sacerdotes autem, qui portabant arcam, stabant in Iordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Iosue, vt loqueretur ad populum, præceperat Dominus, & dixerat ei Moyses: Festinauit populus, & transiuit.

§. VII.

Paupertas secura ab omni mali incursu, & conspicua. Diuitiæ è contra.

NOn solum eductos à flumine lapides posuit Iosue in terra pro miraculi signo, sed & totidem à terra in alueum fluminis transtulit; qui eiusdem miraculi testes

teſtes fierent. Ait enim: *Alios quoque duodecim lapides poſuit Ioſue in medio Iordanis alueo, vbi ſteterunt Sacerdotes, & ſunt ibi vſque in præſentem diem.* Nec miror, quod lapides rudes, & impoliti permaneant conſpicui tandiu in alueo fluminis. Iordanis Epiſcop. Rabenatis lib. de rebus Geticis memoraus Alaricum Gothorum regem defunctum ait: *Quem nimia dilectione lugentes Barentinum amnem iuxta Conſentinam ciuitatẽ de alueo ſuo deriuant. Nam hic fluuius â pede montis iuxta vrbem dilapſus fluit vnda ſaluifera. Huius ergo in medio alueo, collecto captiuorum agmine, ſepulturæ locum effodiunt, in cuius foueæ gremio Alaricum cum multis opibus obruunt, rurſuſque aquas in ſuum alueũ reducentes, ne â quoquam, quãdoque locus cognoſceretur, foſſores omnes interemerunt.* Componite modo, & ſepulchrum Alarici, & lapides Ioſue, & ij, & illud in alueo fluminis conſtituuntur. Sed illud, vt lateat, æternãque obliuionem incurrat, præter quam vndis ſubmergitur, vniuerſos opifices ſuos fecit occidi. Ij medijs fluctibus ponũtur, vt conſpicui ſint, & per manifeſtationem ſui teſtentur poſteris facinus diuinum, vt multis ſæculis teſtati ſunt. Et vnde illud tantam obliuionem petit, & ij in tantam memoriam eriguntur, illamque conſeruant, vel repugnantibus fluctibus? Ij rudes, & impoliti lapides, omni valore, & pretio nudi, nihil ſibi timent, ſecuri ſunt nec vlla latronum manu attinguntur, ſed quieti, & conſpicui ſtant medio in flumine. Illud autem marmor Alarici vt plenum erat opibus, & auro multo, ſic nullibi eſt ſecurum, nec in medijs rapidiſsimis fluctibus, ſed vbique timet ſciri, & vbique latronum manus in ſe ſolicitat, vt pereat funditus. Proh nuditatis Euangelicæ ſecuritatem! Eu auri famis periculum! Crede mihi, vbi diuitiæ, vbi aurum, ibi periculum. Iſaias cap. 46. *Onera veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem contabuerunt, & contrita ſunt ſimul. Nõ potuerunt ſaluare portantem: & anima eorũ in captiuitatem ibit.* Hæc dicit Iſaias ad Babylonios, quando à Cyro expugnabãtur; multi illorum latere cupiebant, & manus hoſtium fugere; & ideo confugiebãt ad pretioſiſsima idola ſua argenti, & auri, illaque accipiebant ſecum, vt tutius cum illis poſſint ſaluari. Quid tunc? An cum idolis acceptis latebant aduerſarios? An periculis ita eripiebantur? Minimè, quin potius, & ipſi idolorum pondere premebantur, ne poſſent fugere; & propter pretioſitatem auri, ſiue argenti illorum auidius requirebantur ab hoſtibus, & inueniebantur. Tãtumque aberat, ab eo quod idola eos liberarent, quod potius aurum illorum certiora pericula conciliaret. Quo ſpectans D. Hieron. in præſenti ait: *Hæc ſimulacra, quæ nõ poſſunt ſaluare portãtes; nihil ſunt amplius niſi onera Sacerdotùm deprimentia eos vſque ad laſſitudinem. Quæ cum captiuitas venerit: pro pretio metallorum, de quibus facta ſunt: ducuntur prima captiua, & animam ſuam, ſiue portantium liberare non poſſunt.* Expende ab illis: *Pro pretio metallorum ducuntur prima captiua*; vbi enim aurum, argentum ve, pretioſaque mettalla in Idolis ponuntur, vane quærunt in illis latebras; aut ſecuritatem; prima enim quæ non fugient hoſtem, quæ non poterunt abſcondi, ea ſunt. Nunquam enim pretioſitas metalli non prima eſt in periculis. Audiui multos dicentes ideo ſe aurum coacerbare, procurare diuitias, vt occurrant malis, vt pericula euadant. Imò nullo magis ſibi accerſunt mala, & periculacõciliant, quam ſi diuitijs augeantur. De Domitiano Imperatore locutus Plinius in Paneg. Traiani ait: *Tamen exitialis erat apud Principem huic laxior domus, illi amœnior villa.* Et cui amplior cenſus non eſt exitialis apud homines rapaces? Sis cum auro, & diuitijs inter homines, & fallar niſi tibi pericula multa trahas. Ierem. cap. 51. *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino eius biberunt omnes gentes, & ideo commotæ ſunt. Subito cecidit Babylon, & contrita eſt.* Alij legunt: *Poculum aureum Babylon, &c.* Nihil in Babylone non aureum, & diues; aurea pocula miſcebat, quæ nationibus propinabat, & neſcio quid veneni erat cum auro, quia vix de illo poculo gentes guſtabant, & ſtatim commouebantur, & in calamitates trahebantur, & cadentibus illis ſimilis erat Babyloni caſus. In quo tot mala fundabantur? In Babylonis auro, quod vbi eſt, nõ poteſt, non mala excitare. Ad hæc Theodor. aiebat ibi: *Beatus Daniel interpretans ſomnium, Regnum Babylonicum dixit eſſe caput aureum: Hoc itaque loco, ſupplicium alijs gentibus â Deo illatum, nuncupauit poculum aureum. Ait ergo Babylonem, & reliquas gentes pœnis affeciſſe, & mox præter ſpem omnem, captam eſſe, & diſperſam.* Quæ mala non excitet aurum? Erãt Babylonij auro, diuitijſque pleni, adeo vt vti aurei viderentur. Voluit autem Dominus per Babylonios cæteras nationes caſtigare, malis replere. Sed quale inſtrumentũ ſuppliciorum parauit? An gladios? An tormenta bellica? Ait Theodor. *Supplicium nuncupauit poculum aureum, &c.* Cepit itaque

Iord. Ep. *Iſai. 46.* *D. Hier.* *Plin.* *Ierem. 51.* *Theod.* *Theod.*

que Babylon propinare poculum aureum nationibus, bibebãt illæ de Babylonio auro, & commouebantur, & percutiebantur; sed & in Babylonẽ insurgebant, quæ præter spem funditus est dissipata. Nullum enim malum nõ excitat aurum. Exod. 32.

Exod. 32. Aarõ ait: *Tollite inaures aureas de uxorum, filiorũq; & filiarum uestrarum auribus, & afferte ad me.* Et cur à fœminis Israelitis tollit inaures aureas? Ait D. Amb. epist. 56. *Cõgrue quoq; inaures aureæ auferũtur mulieribus, ne iterum Eua vocem serpentis audiret:* quasi aurum in fœminis non posset nõ omnia in se venenorum, venenatorumque mala excitare. Crede mihi, vbi aurum sit, serpentes vndique trahet, qui te perdant, vel halitu. Qui serpentum morsus vis fugere, qui mala deuitare, tolle aurum, calca diuitias, Christi amplexare paupertatem, & securus cubabis. Iacob Gen. 28. solus, & pene sine viatico iter agebat: *Cumque uenisset ad quendam locum, & uellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco. Viditque in somnys scalã stãtem:: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendẽtes, &c.* Expende illud in primis: *Cum vellet requiescere, tulit de lapidibus, &c.* Quippe ad requiem parandam non puluinaria aureis, fericisque intẽta procurauit, sed nudos lapides, non diuites gazas, sed paupertatem spiritus. Et quid inde? An quieuit? Non ne fuit à timore nocturno, à vastæ solitudinis horrore, à sybilis serpentum, fremituque ferarum inquietatus? Ait textus: *Dormiuit in eodem loco. Viditque in somnys scalam:: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes.* Non solum quietus, & securus dormiebat ab omni incursu malo, sed & Angelos sibi à Deo excubitores datos vel dormiens experiebatur. Vnde tanta quies, tanta securitas homini? An ex pretioso puluinari, ex diuite lectulo? Absit, sed ex nudo lapide, ex contemptu diuitiarum. Ait D. Chrysost. ibi: *Hoc enim more agit Dominus, quando videt animam præsentia non magnificientem, plurimam se illius curam habere declarat.* Proh quietissimum, & securissimum cõtemptum diuitiarum, cui excubant Angeli, cui Deus securitatem parat! Et Rupert. *Hunc imitantur, quicumq; benedictione Dei patris, & filij eius Iesu Christi, cum gratia Spiritus Sancti missi ad spiritualem semen seminandũ; depositis sæculi oneribus, nudi, & expediti, ad destinatum tendũt.* De ijs lapidibus fallar, nisi excitari possint millia Abrahamidum examina,

D. Amb.

Genes. 28.

D. Chrys.

Rupert.

§. VIII.

Nescit Deus aliquid sumere è nobis, quin aliud simile impendat.

SI initium capitis legas, aperte videbis, vt ex Dei imperio præceptũ fuerit, quod duodecim lapides tollerentur à flumine in siccum; at quòd totidem tollantur à sicco, & ponantur in flumine, nullum circa id video expressum verbum diuinum. Solum enim ait textus: *Alios quoque duodecim lapides posuit Iosue in medio Iordanis alueo.* Circa quæ dicebat D. August. lib. 2. de Mirab. cap. 1. *In cuius miraculi testimonio duodecim lapides, quantos duodecim viri portare poterant, de imaglarea Iordanis portati sunt in loca castrorũ: & totidem tanti ex his, quos terra sicca continuerat, positi sunt in eorũ locum.* Quod repetit idem Aug. ser. 206. de Tempore. Sed cur circa hos à terra in flumine constituendos nullum inuenitur Dei imperium expressum? Aut vnde Iosue accepit, quod lapides è terra in fluuio ponerentur, quando Deus solum dixerat de lapidibus à flumine in terram extrahẽdis? Bonus diuinę volũtatis interpres, eo quod audiuit ex Deo, quod lapides de flumine ad terram extraherentur, consequenter credidit mandatum, quod totidem de terra ad flumen deferrentur. Is enim est Deus, qui nihil sciat tollere à suis, quin simile illis aliud impendat. Matth. 22. locutus Dominus de hominibus resurrecturis in gloriã, ait: *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei.* Quibus asserit, quod iusti homines transferẽdi sint ad sortem Angelorum in cœlestibus. Sed cur maluit exprimere in particulari Angelorum sortem homini obuenturam in cœlis? Factum aliquando fuerat, quod Angeli in terra in forma hominum apparerent: Gen. 18. *apparuerunt ei tres viri*, de quorũ duobus Gen. 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* Sic qui Angeli erãt, sub virorum formis apparuerant. Quando autem Angeli hominum formas sumunt in terris, facit Deus, vt homines sortem sumant Angelicam in cœlestibus, vt pro humana forma sumpta, reddatur angelica. Ait Tertul. lib. 3. in Mar. *Et nunc renuntiemus, eius esse promissum homines in Angelos restitutos quãdoquidem qui Angelos in homines formarit aliquando.* Planè ex quo Deus formam humanam Angelis suis sumebat, iam parabat

D. Aug.

Matt. 22.

Genes. 18

Genes. 19

Tertull.

inde

inde dare, & hominibus formam angelicã. Quid enim sumpsit Deus, absque eo quod simile aliud non impenderit? Ne fugias homo, quod tibi aliquid de tuis eripiat Deus, rependet enim aliud pro eo. Salutem eripit aliquando daturus æternam. Bona aufert inania, repositurus plena. Nato Iesu in terra de vtero virginali, clamant Magi Matth. 2. Matth. 2. *Vidimus stellam eius in Oriente.* Et cur necessum fuit stellam illam nouam de cœlo apparere? An vt nati pueri genesim ostenderet? Absit, vt hoc daretur Mathematicorum insaniæ: sed quia rex cœli carnem sumpserat de matre in terra, statim voluit nobis nouam stellam impendere in cœlis. Ait D. Aug. serm. 5. in Epiph. D. Aug. *Nec stella Christi mirabilia decreuit, sed ipsam Christus inter sua mirabilia ostendit. Ipse enim natus ex matre, de cœlo terræ nouum sydus monstrauit.* Vt de terrena matre carnem accepit, qua ditaret cœlos, statim terræ nouum etiam sydus dedit de cœlis, ne quid de nostris sumeret, quin aliud impenderet. Matth. 6. Hinc Matth. 6. dicitur: *Egressus inde Iesus abiit in patriam suã.* Et mirabar, quod Iesus homo de cœlo cœlestis, & in terra patriam vellet habere. Deus bone, quid tibi cum terra? Cur non amas magis in hac miseriarum valle, peregrinus esse, quam ciuis, quam patriam habere? Sumebat Deus patriam è nostris, vt nobis amissam Paradisi patriam redderet. Chrysol. Chrysol. serm. 49. *Abiit ergo Iesus in patriam suam. Non vt suã sibi, sed vt tuam tibi, quam Adam perdiderat, patriam redonaret.* Plane quando apparet Iesus aliquid de nostris tollere, non sibi consulit, sed nobis, paraturus statim aliud præstãtius pro eo, quod tollit. Si patriam nobis eripit, faciens exules, & peregrinos in terra; non id facit, vt sibi patriam nostrã asserat, sed vt nobis fœliciss imam Paradisi patriam reddat.

§. IX.

Mundus tunc suis contemptoribus fauet, quando magis ab illis cõtemnitur, & posthabetur.

AVdio stetisse Sacerdotes in medio Iordanis, dum populus transiret, dicit enim: *Sacerdotes autem, qui portabant arcã stabant in Iordanis medio, donec omnia cõplerentur, &c.* Sed qualiter stabant? An facie versi ad vlteriorem ripam, quasi ad illã tendentes? An respicientes fugientes inferiores aquas, ita vt dorsum superioribus darent? Ait Serar. lib. 2. cap. 4. quæst. 8. in fine: *Istud postremum mihi magis arridet. Sic enim eorum in transeuntem populum conuersi erant oculi: sic à tergo imminentes veluti despiciebant aquas.* Serar. Itaque Sacerdotes sic erant cum arca in medio fluminis, vt superioribus aquis terga darent, quasi illas despicerent. Ex quo illud mihi valde mirabile est, quod cum ipsi terga darent aquis, quasi illas despicientes, aquæ sic illos vererentur, vt naturalem cursum cohibentes siccũ illis aditum pararent. Nec miror, sic facit vniuersus cursus rerum mundialium, erga eos, à quibus despiciuntur, calcantur. Nũquam tibi fauorabiliorem experieris mundi impetum, quam vbi eum post tergum relictum despexeris, & conculcaueris. Gen. 17. Sara pulcherrima fœmina rapta fuit à latere coniugis, & deducta in potentissimi Regis Geraræ aulam. Egit ibi aliquot diebus honestissima fœmina regis amores fastidiens, nec legitur ei aliquod donum à Rege fuisse oblatum. Tandem victrix regalis potentiæ adest discessura ab aula, & integro pudore reddit ura ad coniugem. Quid tunc? Rex videns cõtemptricem suæ aulæ fœminam ad coniugem abituram ait illi Gen. 20. *Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, hoc erit tibi in velamen, &c.* Genes. 20. Abeuntem, tergaque dantem muneribus ornat; quam dum secum habuit, nullo dono ditauit. Et cur rex non ornaret illam muneribus, quã sibi subdere non potuit, sed ab illa repulsam fuit passus? Ait D. Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 38. D. Aug. *Honorauit munere, quam corruptioni suæ subdere non potuit.* Plane tũc te à mundo, & honorari, & adorari facies, quando illum despexeris, conculcaueris. Nota est historia trium puerorũ Hebræorum, vt imperium Babylonis regis contempserũt, vt imaginem eius spreuerunt. Ideo missi in fornacem ardentem ambulabant liberi inter flãmas. Quod sciẽs rex totus pauidus pueros venerabatur aiens Dan. 3. *Benedictus Deus eorum, qui misit Angelum suũ, & erunt seruos suos, qui crediderunt in eum, & verbum regis immutauerunt, &c.* Dan. 3. Expende, quæ prædicet rex de pueris, & quid in illis veneretur, nimirum, & *verbum regis immutauerunt*, quippe vbi vidit, & se, & impẽrium suum contemptum à pueris, illos magis stupet, & veneratur. Vt dicat Theodor. serm. 8. de Prouid. Theod. *Eos, qui imaginis suæ culturam detrectauerant, adorabat.* Tũc se adorari faciunt à Rege, quando eius imaginem

ginem cõtemnunt. Nec miror, nam Exod. 7. aiebat Deus Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Et vnde homo ad tantam magnitudinem venit, quod Deus fiat adorandus, venerandus, metuendusve Regi? Ait Paul. ad Hebr. 11. *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis.* Itaque Moyses despexit Pharaonis regiã, cõtempsit Pharaonis primogenia; ex quo illi, & Deus metuendus, & venerandus est factus. Ait de illo S. Amb. ser. 13. in Psal. 118. *Noluit esse rex, cum posset, sed fugiendo potentiam potentior factus est. Factus est enim in Deum regi. Rex erat Pharao, sed Deus non erat, Moyses factus est illi Deus. Et tu si vis tãquam Deus peccatoribus esse terrori, Regibus reuerentiæ, cõtemne quæ sæculi sunt, & Dominicæ passionis opprobrium contende omnibus præferre diuitijs.* Ecce tritissimam viã Christianorum, qua se faciunt venerabiles mundo, nimirum, contemnendo, & calcando illum.

Exod. 7. Ad Heb. 11. Ambr.

Iosue 4. Cumque transissent omnes, transijt & arca Domini, Sacerdotesque pergebant ante populum. Filij quoque Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse armati præcedebant filios Israel, sicut eis præceperat Moyses. Et quadraginta pugnatorum millia per turmas, & cuneos incedebãt per plana, atque campestria Ierichò. In illo die magnificauit Dominus Iosue coram omni Israel, vt timerent eũ, vt timebant Moysen, dum adhuc viueret.

§. X.

Bonus Præsul, qui initio principatus sub prædecessoris legibus viuere aliquandiu gaudet.

DVcẽte Iosue populum per Iordanem, dum procedentium ordo explicatur, in eo Moysis præscripta seruari notantur. Ait enim: *Filij quoque Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse armati, sicut eis præceperat Moyses.* Et cur modo præscripta Moysis notantur in progressu exercitus, quando iam non Moyses, sed Iosue populum ductabat? Sanè facit hæc nota ad maximam commendationem Iosue, qui in principatus sui initio sic se componit, sic prædecessoris placitis adgaudet, vt non tã ipse, quam ille adhuc imperare videatur. Vtinam hanc prudentissimam modestiam vniuersi Præsules habeant. De illa maximè extollit suum Trajanum Plinius in Paneg. latus: *At quo temperamento potestatem tuam, fortunamque moderatus es? Imperator titulis, imaginibus, & signis; cæterum modestia, labore, vigilantia Dux, & Legatus, & miles, cum iã tua vexilla, tuas aquilas anteires, nec aliud tibi ex illa adoptione, quam filij pietatem, filij obsequiũ assereres, longamque huic nomini ætatem, longam gloriam precarere. Te prouidentia Deorum primum in locum proue xerat, tu adhuc in secũdo residere, atque etiam senescere optabas.* Expende illa: *Nec aliud tibi ex illa adoptione, quam filij pietatem, filij obsequium assereres;* quippe Nerua contemptus à militibus, cũ Imperium perire videret, sibi adoptauit Trajanum, illumque Imperatorem constituit, & imperij clauum tradidit. Quid tunc Trajanus Imperator iam factus? An statim præcessoris placita mutauit, nouos imperandi methodos iniuit? Absit, hoc enim maximè imprudentũ, & præsumptuosorum hominum est; quin potius sic se comparauit, sic arrisit prædecessoris placitis, vt non imperator videretur ipse, sed filius sub patria adhuc potestate. Quem statum filij viuentis nutibus patris, quantum est ex se, amabat prolongari. Et forsan nihil regalius, nihil præstantius in principe poterat desiderari. Conditurus hominem Deus aiebat Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, &c.* Formabat equidem Deus hominẽ in Principem, & Imperatorem totius orbis. Quem cum iam condidisset, & in Paradisi Regia collocasset, statim ait illi. Gen. 2. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas, &c.* Ecce tibi, fit homo rex omniũ, & illi præceptum datur. Præceptum ad subditum spectat; cur ergo, & simul hominem regem facis, & illũ sub præcepto constringis? Cur eodem tempore, & ceptrum ei paras, & legem statuis, cui pareat? Sanè præstantis principis est, quod in initio principatus non principem, sed filium agat viuentem sub prædecessoris legibus, vt sub patria potestate. Ait S. Theophilus Antioch. lib. 3. ad Autholycũ: *Nõ inuidẽs Deus Adamo, eũ ab arbore cognitionis abstinere iussit. Cupiebat enim vt*

Plin. Genes. 1. Genes. 2. Theoph.

homo tempore longo simplex, & sincerus mane ret, quasi puer. Id enim sanctũ, & laudabile cẽ setur, videlicet absque omni malitia in simplicitate subiici parentibus. Indecorum est, pueros, antequam puerilem egressi fuerint ætatem, supra ætatem sapere, &c. Quid pulchrius? Adultum, & sapientem principem hominẽ Deus condiderat, & omni sapientia prædi tũ, quam regimẽ orbis postulabat; sed nihilominus volebat, vt ille à tota hac principatus constitutione nihil aliud, quam filij simplicitatem, quam filij obsequium sibi assereret, agens vt puer sub potestate patris constitutus. Vt enim indecorum est, pueros ante pueritiæ egressũ, supra ætatẽ sapere: sic prorsus indecorum est in Præsule nouitio, quod nesciat seruare pueritiæ ætatem, sed in primo principatus die, spretis præcessorum placitis, iam ipse quasi omnium maximus existat. De filio Dei aiebat Isaias cap. 9. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, &c.* Sanè rex ipse nascebatur, & princeps omniũ leges cõditurus, quæ hominem assererẽt in vitam. Cur ergo tantus rex & princeps, & paruulus, & filius efficitur? Aiebat Paul. *Quanto tempore paruulus est, nihil differt â seruo, cum sit Dominus omnium.* Volebat enim regalissimus princeps ostendere, principatus initiũ inde efflorescere, quod princeps vt paruulus filius patria sub potestate tantisper viuat. Sic enim Iesus nouas cõditurus principatus sui leges, & abrogaturus antiquas, nihilominus triginta & tribus annis cum antiquis egit, antequam suas promeret.

Isai. 9.

Paul.

§. XI.

Nullo magis homo reuerendus, metuendus ve fit, quam proprijs facinoribus.

SVperato Iordane, tot armatis apparentibus dicitur Iosue adeò exaltatus, vt illum exercitus metuerent. Quippe ait: *In illo die magnificauit Dominus Iosue corã omni Israel, vt timerent eum, &c.* Et cur nõ magnus, timendusque populis redderetur homo, qui post prælia multa fœliciter confecta, ad Iordanem accedit, eo tẽpore, quo ipse maiori influxu præcipitabatur, & omnes ripas aluei sui impleuerat, & illum ad siccitatem redigit, vt validissimos transferat suos exercitus? Erant milites Romani sub Nerua insolentes, nec eius reuerebantur Imperium; factus est Imperator Traianus, & eo ipso die milites cœperunt illum maximè reuereri. Vnde hoc? Ait Plinius in eius Paneg. *At nũc redit omnibus terror, & metus, & votum imperata faciendi. Videat enim Romanum ducem vnum ex illis veteribus, & priscis, quibus Imperatorium nomen addebant contecti cædibus campi, & infecta victorys maria. An audeant? Qui sciãt te assedisse ferocissimis populis, eo ipso tempore, quod amicissimum illis, difficillimum nobis; cũ Danubius ripas gelu iungit, duratusq; glacie ingentia tergo bella transportat, cum feræ gentes non telis magis, quam suo cœlo, suo sydere armantur. Sed vbi in proximo tu, non secus ac si mutatæ temporum vices essent, illi quidem latibulis suis clausi tenebantur, nostra agmina percursare ripas, & alienã occasione, si permitteres, vti, vtroque hyemen suam barbaris inferre gaudebant. Hæc tibi apud hostes veneratio.* Quid pulchrius in rem præsentem? Nunc sub Iosue redijt Israelitis terror, & metus, quibus perficiant imperata eius. Nec miror, vident enim ducem similem veteri illi Moysi, cui Imperium asserebãt, & cãpos interfectis hostibus plenos, & maria defunctorum gladios illi vomentia. Nemo non metuat Iosue, quem videat ferocissimis populis assidere, eo tempore, quo illi, & securiores, & magis inuincibiles erãt. Iordanis enim fluuius ripas aluei sui vniuersas impleuerat, ingẽtique aquarum mole se prorsus insuperabilẽ reddebat, quo feræ Chananæorum nationes, non tam armis, quam climate suo erant inaccessæ. Sed vbi in proximo Iosue apparuit, mutantur Iordanis fluenta, remeãtque in suum fontem: & dum nullus audet hostis ẽ muris suis exire, Israelitarum agmina vlteriores ripas percursant, campestria hostium occupant: Hęc quem ducem non faciant reuerendum, metuendum? Crede mihi ex nullo sic fit homo reuerendus, quam ex facinoribus, quam ex glorioſis operibus. Mar. 5. Iesus hominem à dæmonio male vexatum liberauit, cuius facinoribus fama vt vulgata est in vicinis ciuitatibus, *egressi sunt videre, quid esset factum, & veniunt ad Iesum, & vident illum, qui a dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt.* Cum hostis fugatur, & homo liberatur, tunc timent. Cur non magis gaudent? Non miror quòd tanto facinore fiat illis Iesus metuendus, & venerandus. Victor Antioch.

Plinius.

Marc. 5.

Sta-

Statim ad Iesum exierunt, hominemq́, à quo dæmonia exierant, vestitum, sanaque mẽte præditum inuenerunt. Super eo ergo, quod acciderat, admirati, debitum honoris, & reuerentiæ cultum in ipso statim accessu Domino impertiuntur. Nunquam enim facinora virtutũ hominem nõ reuerendum faciunt. Nec vllus est adeò potens, qui possit tenebras offundere homini, qui præclaris facinoribus claret. Humilis, & abiectus erat Dauid, cui postquam occidit Philisthæum canebant
1. Re. 18. fœminæ 1. Reg. 18. *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste.* Nec miror, quod rex indigne ferret, sibi priuatum, & pauperculum iuuenem præferri. Sed nunquid ira regis valuit pauperculum illum obscurare? Minimè: triumphalia enim Dauidis facinora, vel renuente Rege faciebant hominem conspicuum, & ve-
D. Chrys. nerabilem. Ait D. Chrysost. hom. 45. ad Pop. *Quis factus est clarior? Saul, an Dauid? Nonne ille quidem a dolore suffocabatur; hic autem super solem triumphis, & Dei beneuolentia coruscabat?* Expende illud: *triumphis*, quando enim Dauidem triumphalia opera comitabantur, non poterat non super reges coruscare, & maiorem commendationem sibi conciliare. Quid non consequatur, qui rerum gestarum triumphis commendatur? Dominaturum Ægypti Iosephum destinãs Dominus, illum vendi in seruum permittit, & in seruorum sorte commorari. Et cur quem destinas ad regnum, seruũ permittis fieri? Vt ostenderetur, hominẽ solis egere recte factis, vt se omnibus, & venerandum,
Basil. Sel. & colendum faciat. Ex quo D. Basil. Sel. orat. 15. ait: *Potuit & Iosephum, nulla intercurrẽte molestia, totius Ægypti dominatorem creare; sed nescissemus, in seruorũ redactũ ordinem rerum gestarum amplitudine dominatorẽ euasisse.* Qui destinabatur in regnũ Ioseph, in seruum venũdatus est, vt sciremus, quid valeat amplitudo rerũ gestarum; qui enim rebus gestis viget, non indiget alijs commendari, vt se colendum, venerandumque faciat.

§. XII.

Vbi multi ad salutem tendunt, manifestissime Deus interesse monstratur.

IN diuisione Iordanis, transituque populi sub Iosue, dicitur Deus illum magnificasse; ait enim: *In illo die, magnificauit Dominus Iosue, &c.* Sed & alias fuit Iordanis miraculosè diuisus, nec dicitur Deus magnificasse eum, cùius meritis diuidebatur. Ecce tibi 4. Reg. 2. *Tulit Elias pallium* 4. Reg. 2. *suum, & inuoluit illud, & percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem, & transierunt ambo per siccum.* Nec vlla in hoc facinore mentio fit Dei magnificantis Eliam. Et cur, cum similiter diuisus sit Iordanis sub Elia, vt per siccũ ambularet, nõ ibi, sed in diuisione sub Iosue ostenditur Deus hominem magnificasse? Sub Elia duo tantum per siccum inter diuisas transibant aquas; sub Iosue non solum duo, sed populus innumerabilis secure, & tute superauit Iordanem. Vbi autẽm multitudo est tendentium ad salutem, ibi manifestissime Deus in mirabilibus suis apparet. Quò aspiciens D.
D. Zeno Zeno lib. 2. ser. 24. videns ingentem multitudinem conuersorum ad Ecclesiam Dei cõuolere, fatur: *Exultate igitur fratres, ædificationemque vestram ade ista de nouella cognoscite, cuius quoque capacitatem fœlici numero fecistis augustam. Ex eo enim ipso, quod nos non capit locus, exinde intelligitur, quia fides vestra capit Deum.* Tunc sanè manifestissimè intelligitur Deus in nobis capi, in nobis esse, quando tanta est multitudo ad salutem tendentium, quæ non nisi in amplissimo loco capiatur. Hinc de Dei filio appa-
Isai. 45. rente inter homines locutus Pater, Isaiæ cap. 45. ait: *Ipse ædificabit ciuitatem meam.*
D. Amb. Quæ verba exponens D. Ambr. lib. 2. in Lucam ait: *Veni Domine Deus, ædifica ciuitatem, veniat & puer tuus. Tibi credo dicenti, Ipse ædificabit ciuitatem mihi. Ecce mulier omnium mater, ecce domus spiritualis, ecce ciuitas, quæ viuit in æternum, quia mori nescit. Ipsa enim est ciuitas Ierusalem, quæ nunc videtur in terris, sed rapietur supra Eliam; Elias enim vnus fuit.* Tunc enim ostenditur Deus venisse, & apparuisse magnificans puerum suum Iesum, quando ipse Iesus tot credentium agmina ducit ad salutem, quæ opulentissimam ciuitatem efficiant. Quæ ciuitas procul dubio extolletur supra Eliam, in eo, quod Elias vnus fuit; at Iesu spiritus diuinissimus in eo apparet, in eo sese maximè extollit, & exaltat suos, quod fit in mul-
Isai. 60. tis. Quò spectãs Isai. c. 60. ait: *Super te autẽ orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ in latere surgent, &c.* Et simul est, quod Dei gloria videatur, & quod mul-

titudo appareat tendentium ad ſalutem; ex hoc enim manifeſte oſtenditur res à Deo eſſe, ſi multi currant ad ſalutem. Vnde aie
Baruch 4 bat Baruch cap. 4. *Circunſpice Ieruſalem ad Orientem, & vide iucunditatem â Deo tibi venientem. Ecce enim veniunt filij tui, quos dimiſiſti diſperſos, veniunt collecti ab Oriente, vſque ad Occidentem, in verbo ſancti gaudentes in honorem Dei.* Expende illud: *Vide iucunditatẽ â Deo tibi venientẽ*: quippe à Deo expreſsiſsime venit, quod multi filij vndiq; collecti gaudentes in Dei honorem eant.

Ioſue. 4. Dixitque ad eum: Prę cipe Sacerdotibus qui portant ar cam fœderis, vt aſcendant de Ior dane. Qui præcepit eis dicens: Aſcendite de Iordane. Cumque aſcendiſſent portantes arcam fę deris Domini, & ſiccam humum calcare cœpiſſent, reuerſæ ſunt aquæ in alueum ſuum; & fluebãt, ſicut ante conſueuerant. Populus autem aſcendit de Iordane decimo die menſis primi, & caſtrametati ſunt in Galgalis contra Orientalem plagam vrbis Ierichò.

§. XIII.

Caue Dei abſentiam, ni velis ad conſueta labentis naturæ reddere.

ECce ſpeculum humanæ miſeriæ, ait enim: *Cum aſcendiſſent portantes arcam fœderis Domini, & ſiccam humum calcare cœpiſſent, reuerſæ ſunt aquæ in alueum ſuũ, & fluebant ſicut ante conſueuerant.* Quod ſpeculum noſtræ infirmitatis expreſsius? Adeſt diuiniſsima fœderis arca nobis, ſtat cœleſtis ille panis in noſtro pectore, cuius præſentia frænãtur affectus, ne præcipites deorſum currant, ſed frænati quieſcant. At vix abeſt à nobis ſalutaris arca, vix diſcedit cœleſtis illa menſa; & præcipiti curſu vniuerſi affectus redeũt ad conſueta. Quo
Ric. Vict. reſpiciens aiebat Rich. Victor. tract. 1. de extermin. mali. part. 1. de ſtudio contemplationis cap. 1. *Oportet ergo, arcam fœderis Domini præſentem habere, ſi concupiſcimus inferiores aquas deficere, & ſuperiores in vna mole conſurgere. O fœlices, qui eam, & ſi non ſemper, veruntamen frequenter præſentem habere poſſunt, in cuius præſentia tam magna, tãque iucunda miracula fiunt!* Sanè fœliciſsimus eſt, qui ſeſe Deo frequenter præſentẽ facit, qui ſe ſiſtit coram illa diuinorum theſaurorum arca: ò quam inde eius paſsiones coercentur, eius appetitus frænantur, & coguntur ſuperius aſcendere! Verum vbi ille recedit, vbi à mẽte tua, à corde tuo abeſt Deus, eu quam præceps relaberis in vitiorum conſueta! Matth. 26. *Venit Ieſus ad diſ-* Matt. 26
cipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Iterum ſecundo abijt, & orauit dicens: Pater mi, ſi non poteſt calix hic tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, & inuenit eos dormientes. Bis venit ad diſcipulos, & excitauit eos à ſomno, & bis eos inuenit dormientes. Et quando Ieſus eos excitabat, curtam profunde illi dormiebãt? Excitabat illos præſentia ſua; & vt excitatos reddebat, ipſe abibat ab eis vt oraret. Cum primum autem abibat, ſtatim ſomnus redibat ad eos. Ex quo Drogo lib. de Paſsion. ait: *Statim vt receſſeris,* Drog.
iterum ſomnus occupat nos, nec vigilare poſſumus, niſi quandiu nobiſcum es. Vt præſente Ieſu fugatur ſomnus, ſic illo abſente, ſtatim redit. Defuncto Lazaro ſorores eius in magno erant fletu, & venit Ieſus ad illas, cui obuians Martha, multos miſcet ſermones de fratre defuncto, de corporis reſurrectione: & tandem ait Ioan. 11. *Vtique Do-* Ioann. 11
ne ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundũ veniſti. Mirabar, quod Martha Ieſu adſtans tota ſit in ſermone de reſurrectione corporum, de Ieſu diuinitate, & non meminerit fletus, cum in ſimilibus caſibus, ad conſpectum notorum maiores lachrymarum riui excitari ſoleant. Et cur ad conſpectum notiſsimi ſibi magiſtri Martha non flet, ſed cohibit is lachrymis tota eſt in diuinitate Ieſu percipiẽda? Equidem vbi præſentem habebat Ieſum, ſteterunt fluctus deorſum vergentes: ſteterunt affectus lachrymoſi, qui ad mortuum currebant, & ſurſum ferebantur eius affectus agentes de diuinis, de ſupremis. At vbi Ieſus ſecedat, videbis iterum riuos lachrymarum per conſueta currentes. Ait D. Thom. in cat. ex Chry- D. Thom.
ſoſtom. *Ex virtute ſermonum Chriſti interim Martha lucrata eſt luctus diſſolutionem: ea enim, quæ ad magiſtrum erat*

deuotio

deuotio non permittebat eam sentire præsentia, quæ luctum inducere poterant. Expende illa: *Interim Martha lucrata est luctus solutionem*, non equidem perpetuo luctus frænabatur, sed interim dum præsens Iesus erat; tunc Iesus præsens fluctus lachrymarum cohibebat, ne Martha mortuum suum fleret, corporis resurrectioni intẽta, & diuinitati Iesu cognoscendæ; at vbi Iesus tantisper separatur, vt sepulchro accederet; statim vidit, & Martham, & Mariã, & Iudæos lugentes. Pristinum enim cursum, & lachrymæ, & lamenta resumpserũt. Nec aliter in omnibus alijs terrenis hominum affectibus, frænantur illi, & cohibentur, & forsan sursum ascendunt, vbi Deus adest, vbi viuifica Christi sentitur præsentia; ast vbi hic recedit, præcipiti cursu trahimur ad vitia consueta, quæ ad mortem deferant. Ioan. 20. Magdalena agnoscens redisiuum Iesum sibi præsentem, humi de iecta volebat pedes eius assumere; cui Dominus: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quid tũc? Maria abstinuit ne à tactu pedum diuinorum? Imò est, qui putet eius esse verba illa Cãt. 3. *Inueni, quem diligit anima mea, tenui, nec dimittam.* Sed cur non etiam per discessum magis à tactu Iesu cauet? Cur cũ prohibetur accededere, non abscedit, sed magis firmiter dilectum tenebat affectibus, ne abiret? Cauebat prudens, ne si Iesus abiret, ipsa statim ad pristinos mores rediret. Dum Iesu pedes tenuit Luc. 7. stans retro omnes suos affectus habebát sursum; nunc nequit dimittere Iesum, ne illo abscedente redeat in noxia prima maiori impetu. Id quod meditatus D. Amb. lib. de Isaac cap. 5. monebat: *Tene ergo & tu anima, sicut tenebat & Maria, & dic: Tenui eum, & non dimittam. Vade ad Patrem, sed non relinquas Euã, ne iterum labatur. Tecum eam ducito, iam nõ errantem, sed arborem vitæ tenẽtem, tecum rape tuis pedibus inhærentem. Tecum ascendam, noli me dimittere, ne iterum serpẽs venena sua fundat, ne iterum quærat fœmineum mordere vestigium, vt supplantet Adam.* Expende illa: *Nec iterum labatur: ne iterum serpens venena sua fundat*: quippe dũ sacratissima illa testamenti arca Iesus aderat, quidquid serpentinum erat, & fluxum in corde humano cohibetur; at vbi ille recẽdat, iterum lapsus, iterum venena serpentis remeant. Matt. 28 Hinc fœlices illæ fœminæ Matth. 28. audita Iesu resurrectione; *Exierunt cito de monumento, cum timore, & gaudio magno currẽtes nuntiare discipulis eius.* Mirabar, quod nuntiaturæ tam lætum nuntium, tãto timore corriperẽtur? Et cur sic timẽt inter adeò læta? Timent, ne abeat Iesus, & illo absente, maiori impetu tristitia veniat. Ait D. Chrysol. ser. 80. *Timor non ablatus est, sed mutatus: Timor abscesserat de reatu, sed de seruitio manebat; malus timor culpæ, bonus reuerentiæ timor: Adam datum perdiderãt; ne perderent ipsum redditum, pertimescebãt.* Eo spectabat totus illarum timor, ne cœlestem Adamum à sepulchro sibi redditum iterum ammitterent, iterum abire cogerent, illo enim recedente, vniuersa erumperent mala, quæ prius fuerant.

§. XIIII.

Sine Maria nec gradum faciat, qui secure amat procedere.

IN Iordanis ripa hæserat omnis multitudo filiorum Israel iam amne superato, nec vlterius procedunt, donec Sacerdotes arcam portantes exirent, & vniuersas consueto spatio præcederent. Præcedente enim arca, & non antea. *Populus ascendit de Iordane decimo die mensis primi, &c.* Sed cur necessum fuit expectare populũ in ripa, vt arca progrederetur? Cur vt manente arca in alueo Iordanis progrediebatur populus vsque ad ripas, nõ similiter progressus est vsque ad Galgala, vbi erant tentoria figenda? Figurabatur iam ibi Christianum mysterium, ne homo gradum faciat nisi simul gradiente, & præcedente Maria vera arca diuini cum hominibus fœderis. Hinc Cant. 5. ait: *Quo abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Qua declinauit dilectus tuus? Et quæremus eum tecum.* Expende illud: *Et quæremus eum tecum*; namque sine Maria nec gradum facere audent, etiam in Deo quærẽdo. Ait Cardin. Alanus: *Abit, & declinat Deus ad tẽpus vt maius ad se quærendum desiderium excitet. Bene autem dicitur, quæremus eum tecũ: quia sine gloriosæ virginis fide, qui Christum quærit, errare potest, proficere non potest.* Periculose pergit, qui sine Maria matre Iesu procedit; & qualiter procedat sine hac matre, qui inter peccatorũ discrimina Deum quærit? Sapiens illud consilium datum Iosepho Matth. 2. *Accipe puerum, & Mariam matrẽ eius, & fuge in Ægyptum.* In via Ægypti graditurus, mihi credat, & nec gradum faciat sine Maria, & èius puero. Sic monebat Galfridus apud Tylmanũ in Alleg. *Tolle puerũ, tolle matrẽ,*

neutrum deseras, neutrum exponas Herodi, & fuge in Ægyptum, fuge in tenebras propriæ cõscientiæ, & peccata tua coram te sint semper. Durum est peccata ob oculos habere, durum est inter discrimina peccatorum ire, velle euoluere tantas tenebras; sed si matrem cum filio feras, si Mariam cum Iesu habeas tecum, securus perge. Infœlix ille, qui tantum sydus contemnit. Magi Matth. 2. aiebant: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus, &c.* Non gradum faciunt ad Deum nisi stella ducente, qui in eo maximè damnarunt Iudæos: de quibus ait Hesychius hom. 1. de Assump. Hesych. Mariæ: *Iudæi inflexibiles, vel potius obdurata cervice, eos, qui ministerio stellæ è lõginquis regionibus erant adducti, neglexerunt imutari, vt cognoscere possent solem iustitiæ.* Ecce tibi, & Magorum fœlicitas, & Iudæorũ infelicitas; illi sub stellæ clarissimis radijs cõtendunt ad Christum; Iudæi, quidquid de stella præcedente audiunt, cõtemnũt, nec stellæ ducatum æstimant, & sic in tenebris manent minime visuri solem iustitiæ. Quãto infœlicius pergant ad Deum, qui minimè spectant stellam Mariam? Misereris, si hac stella contempta gradiaris; fœlix, si sub eius auspicijs sequaris Christum. Dicebat enim ipsi Christo Psal. 44. Psal. 44. *Prospere procede, & regna.* Vbi Ruffinus explicat: *Prospere procede, prospere ex vtero virginali progredere,* quasi à Maria sumenda sit viarum nostrarum, processuumque nostrorũ prosperitas.

§. XV.

A baptismate nouus ortus, nouaque natiuitas affulget.

EXpende locum, vbi castrametati sunt venientes à Iordane, nimirum ait: *Populus autem ascendit de Iordane decimo die mensis primi, & castrametati sunt in Galgalis contra orientalem plagam, &c.* Nõ enim absque mysterio à Iordane venientes ad orientalem plagam intendunt, sed vt innuat, vt ab aquis baptismatis Christia nos prosilientes nouus ortus, nouaque natiuitas comitetur. Quo spectans D. Zeno lib. 3. serm. 13. de die Paschatis, quo baptismus celebrabatur ait: *Dies salutaris aduenit pariens sibi de fine principium. Hoc etiam* D. Zen. *nostris Competentibus præstaturus: quos iam nunc fœlix imitat occasus, vt sacri occeani lacteo profundo demersi, surgentes inde nouello nouelli cum die sua luce radiantes nobiscum possint immortalitatis cursu seruato ad repromissionis terram, vbi in perpetuum quis oritur, peruenire.* Hoc vnum scias, quod olim qui proximi iam ad baptismũ erant, vocabantur Competentes; in quibus dum baptizabantur, id meditatur D. Zeno, quod antiqui poetæ canebant de sole; nimirum quod occidens se immergit occeano, vnde oriens nascitur rediuiuus. Sic baptizãdos & occasus vocat, dũ eos sacri gurgitis submergit vndis, à quibus ipsi surgentes cum nouo solis ortu noui ipsi immortalitatis viam terunt, ad illamque viuorum terram festinant, vbi perpetuo quis oritur, sub lucidissimoque oriẽte fulget. Monebat Isaias cap. 2. *Abscõdere in fossa humo a facie timoris Domini, &c.* Alij legunt: *Abscondimini in terram a facie furoris Domini.* Sed quæ terræ fossa valebit nos tutari à furore diuino? Nõ equidem terræ fossa, qua homines mortui sepeliuntur, ibi enim non est securus quis à furore Domini; sed fossa, qua consepelimur cum Christo viui in baptismo iuxta Apostoli phrasim; in hac fossa, qui abscõditur submersus sacris vndis, inde prorsus securus nouum ortum acquirat, quo cum Iesu in noua appareat vita. Vt dicat Procopius ibi: *Patet ergo, hoc vnum superiorum malorum superesse refugium, vt ipsi baptismatis ope tanquam terræ mandati, sepeliamur, quo tũdem cum Iesu sepulti, peccatoque mortui in nouitate vitæ ambulemus. Sic enim furentis Domini faciem vitabimus.* Ecce tibi vt baptismus & sepulchrum est, & cunabula occasus, & oriens, quasi in occasu sepelimur sacro aquarum gurgite; at inde leuatos nos oriens excipit, quo rediuiui ambulamus in nouitate vitæ. Hinc dicebat Paul. ad Titum cap. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis.* Expende illud: *Lauacrum regenerationis,* vbi enim lauacrum nominat, satius videretur dixisse lauacrum emundationis, aut purificationis. Cur maluit dicere regenerationis lauacrum? Rẽ pulchrè tractat D. Chrysost. hom. ad Baptizandos, fatus: *Ob quam causam non lauacrum remissionis peccatorũ dicitur, nec lauacrum purificationis, sed lauacrũ regenerationis? Quia non nobis simpliciter peccata concedit, nec simpliciter nos purificat malis actibus implicatos, sed tanquam è cœlo generatos efficit: nam de cœlo nos condit, & inde conficit; non de terra formans iterum, sed alio nos elemento per aquarum naturam progenerat.* Quid pulchrius? Per baptismum equidem ex cœlo generamur, cœlesti-

D. Zen.

Isai. 2.

Procop.

Ad Tit. 3.

D. Chrys.

lestique vita animati nouo potimur ortu nouaque natiuitate.

§. XVI.

Ab aquis Baptismi ob oculos est nobis cœlestis ciuitas patens.

A Iordane procedentes è regione Iericho castrametantur, cum dicat: *Populus autem ascendit de Iordane decimo die mensis primi, & castrametati sunt in Galgalis contra Orientalem plagam vrbis Iericho.* Ecce tibi à Iordanis venientibus statim ob oculos est munitissima vrbs Iericho; quãto fœlicius agitur cũ Christianis, qui ab aquis baptismi statim intueri incipiunt patentem sibi cœlestem ciuitatem?

Isaias 33. Ait Isaias cap. 33. *Panis ei datus est; aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbũt, oculi eius cernent terram de longe.* Expende consequentiam; vbi aquæ eius fideles apparuerint, statim ab ijs aquis emergens, & Regem, & ciuitatem cœlestem licèt à longè adhuc in hac bellicosa regione positus

Procopius intuebitur. Quod ponderans Procopius ibi ait: *Eis panis vitæ Christus ipse a Patre, & aqua fidelis diuini baptismatis, vndè & sumentibus omnis manat securitas, nunquam non suppeditantur. Regem deinde illi intuebuntur Dominum, qui etiam terram mãsuetorum nõdum adepti, ipsam mentis oculis in hac mortali vita Deum pie reueriti procul intuebuntur.* Datur equidem fidelis aqua sacri baptismatis, vndè omnis securitas manat, sed & vnde exilientes licet nondum terram mansuetorum calcẽt, sed adhuc sint in bello, tamẽ iam quasi a longè conspiciunt & Regem, & cœlestem ciuitatem sibi apertam. Hinc

Matth. 3. Matth. 3. *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli.*

Chrysost. Circa quæ verba Chrysost. homil. 12. in Matth. fatur: *Cuius igitur rei gratia cœli patuerunt? Vt discas etiam tu cum baptizaris, hoc fieri, Deo te iam ad patriam cœlestem vocante, nihilque commune cum terra habere sudente.* Patet iam cœlestis ciuitas baptizatis, ad illamque vocantur, ne minimis his temporalibus inhient, qui potestatem habent accedendi ad tantam ciuitatem. Quo

Isaias 3. non miror, quod Isaias cap. 3. baptismi aquam robustam vocet, ait enim: *Dominus exercituum auferet a Ierusalem, & a Iuda validum, & fortem: omne robur panis, & omne robur aquæ.* Et quod robur est in aqua? Tantum est robur baptismi aquis, quod cę lestem aulam hominibus reserari faciant, vt liceat illis omnia illius lustrare penetralia. Ait Procopius ibi: *Legimus aquam ablatam, sacri scilicet baptismatis aquã, virtutemque ipsam, qua peccata remittere; & spiritus renouatione Christo conformes reddere, liberamque in cœli Regiam ingrediendi facultatem præbere solet.* Fęlices, qui ab ijs ascendunt aquis, vnde non solum videre, sed & lustrare cœlestia penetralia valent.

Procopius

Iosue 4. Duodecim quoque lapides, quos de Iordanis alueo sumpserat, posuit Iosue in Galgalis, & dixit ad filios Israel: Quando interrogauerint filij vestri cras patres suos, & dixerint eis: quid sibi volunt lapides isti? Docebitis eos, atque dicetis: per arentem alueum transiuit Israel Iordanem istum. Siccante Domino Deo vestro aquas eius in conspectu vestro donec transiretis, sicut fecerat prius in mari rubro, &c.

§. XVII.

Vbi vel vmbra boni à Deo venit, ab eo & ipsum veniet bonum.

LApides duodecim a Iordane extractos locat Iosue in Galgalis, sic enim habes: *Duodecim quoque lapides, quos de Iordanis alueo sumpserat, posuit Iõsue in Galgalis.* Nec otiose quod signari debuerat, ingentibus lapidum cumulis, duodecim solum lapidibus signatur; sed iam inde Apostolorum numerus sacer signabatur, qui vbique gentium testimonia mirabiliũ Iesu præstituri expectabantur. Hinc D. *D. Hier.* Hieron. in Epitaphio Sanctę Paulæ, ait de illa: *Intuita est castra Galgalæ, & acerũ præputiorum, & secunda circuncisionis mysterium, & duodecim lapides, qui de Iordanis illuc translati alueo, duodecim Apostolorum fundamenta firmauerant.* Expendenda maximè sunt illa verba, nimirum: *Qui duode-*

cim Apoſtolorum fundamenta firmauerant: quippe verum eſt, quod lapides illi figurabant, & adumbrabant duodecim Apoſtolos; at qualiter eſſe verum poteſt, quod Apoſtolorum duodecim fundamenta firmarent? Equidem dum ex Dei propoſito haberent lapides illi, quod adumbrarent duodecim Apoſtolos, iam inde certiſsima, & firmiſsima fundamenta oſtendebant, quod venturi eſſent duodecim Apoſtoli; vbi enim alicuius boni vel vmbra a Deo eſt, certiſsimum eſt, quod ipſum bonum veniet.

1. Cor. 15 Quo ſpectans Paul. 1. ad Corinth. 15. monet: *Portemus & imaginem cœleſtis.* Alibi dicebat: *induimini Dominũ Ieſum Chriſtum:* modo cõtẽtus eſt, quod ſaltẽ eius imaginẽ eius vmbrã induamur. Et quid intereſt, ſi eius imaginẽ induamus, & nũquã perueni mus ad eius veritatẽ? Hoc ęgrè credat Paulus poſſe accidere, cum illud ſit conſuetum magis, & vſitatum; vt vbi vel vmbra Dei, vel imago ſeruatur, inibi & ipſe Deus inue

P. Zen. niatur: ait enim D. Zeno lib. 2. ſer. 4. *Portemus & eius imaginem, qui de cœlo eſt. Quã qui ſanẽte portauerint ſicut Apoſtoli, omneſq; iuſti, non tantum imaginem, ſed ipſum Deum quoque portabunt, ſicut & ſcriptum eſt: Vos eſtis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Non ſola in te manebit Dei imago: ſed & qui dedit, a te imaginem, vel vmbrã ſuam portari, ipſe & dabit veritatem. Crede mihi nulliusdiuini boni a Deo in te profecti vel vmbram colis, quin & totum bo-

Apoc. 13 num per ſe non impleatur: Apocalyp. 13 *Quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.* Et mirabar, quod diuiniſsimus Agnus dicatur occiſus ab origine mundi, cum conſtet eum non niſi extremis temporibus fuiſſe in cruce exaltatum. In origine mundi audio occiſſum fuiſſe Abelem a fratre, in quo non occidebatur Ieſus, ſed occidendus figurabatur. Quod forte attendens Ticonius pro *occiſſus eſt*, legit ipſe; *ſignatus eſt.* Et qui dem in Abele occiſſo occidendus Agnus Dei ſignabatur. Cur ergo veram iam occiſ ſionẽ vocat noſter, cuius ſola erat figuratio? Cur quando tantum figurabatur Agnus occidendus, iam dicit occiſſum eſſe? Sapienter equidem Spiritus diuinus vbi ab origine mundi vidit occiſionem diuiniſsimi Agni delineari, adumbrari, iã prędicat præſentem ipſius Dominicæ Paſsionis veritatem. Nunquam enim boni à Deo præſtandi vel vmbra apparet, quin ipſius boni aduentus à Deo certus maneat, vt iã quaſi veniſſe cenſeatur. Huc refert dicta tom. 3. in Euangel. lib. 14. cap. 10. §. 31. & tom. 4. lib. 16. cap. 15. §. 27. cap. 6. §. 13. & tomo 4. de Chriſto figur. lib. 8. capit. 1. §. 30.

§. XVIII.

Ornatus ſacrorum carnalibus oculis religionem faciunt.

STatuuntur lapides iſti in Galgalis à Ioſue, dicente textu: *Duodecim lapides, quos de Iordanis alueo ſumpſerat, poſſuit Ioſue in Galgalis.* Quod factum videtur cõtrarium legi ex Leuit. 26. vbi ait: *Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra.* Quando ergo lege cautum, ne tituli, nec lapides erigerentur in terra, cur modo mandatum eſt Ioſue, vt erigat duodecim lapides in primo limine terræ promiſſæ? Multam hoc quæſtionem fecit Abulenſi, & Serario: ſed ego ex ipſis verbis legis ſolutionem capio: ait enim: *Neque inſignem lapidem ponetis*, quaſi vetet erectionem lapidis ornatu aliquo, vel ſculptura inſignis, quibus religionis ſuſpitionem afferret oculis carnalibus; non tamen videtur vetare ſimplicem erectionem lapidis impoliti, & rudis omni decore, & ornamẽto ſpoliati. Nuditas enim & vilitas omnem religionis ſuſpitionem eripit reſpectu oculorum carnalium, quam maximè facit, & conciliat, ſpecioſitas, & pretioſitas ornatus. Ad hæc aiebat Lactantius lib. 2. inſtitut. cap. 7. fa- Lactant. tus: *Tãta homines cupiditas imaginum tenet; vt iam viliora dicantur illa, quæ vera ſunt, auro ſcilicet, gemmis, & ebore delectantur: horũ pulchritudo, ac nitor præſtringit oculos; nec vllam religionem putant, vbicũq; illa nõ fulſerint.* Sic carnales oculi capiuntur rerum pretioſitate, ſpecioſitate; vt vbi illæ nõ fulſerint, vix religio poſſe eſſe credatur. Præ tereuntur quotidie tẽpla impolita, altaria inornata; quaſi nihil ibi ſit myſterij: vbi autem altaria ſunt fulgentia in auro, in pretioſis tapetibus, in ſpecioſis floribus, in luminibus, ad hæc aduolant populi, religionemque ibi præſentiſsimam venerantur. Hinc ardente templo Ieroſolymitano feſtinauit Titus eius videre intimam pulchritudinem, antequam exureretur: de quo ait Egeſippus lib. 5. cap. 43. *Rurſus cucurrit Titus cupiens cuiuſmodi ædes eſſet circũſpectare. Cuius gratia motus præcellentiorem omnium templorum fuiſſe operibus fatebatur. Mirabatur ſaxorum magnitudinem, metalli* Egeſippus

niſo-

nitorem, venustatem operis, gratiam pulchritudinis. Nec immerito tantam fuisse loci celebritatem pronuntiabat, vt eò ex omnibus locis conueniretur, quia tantum non nisi summi Dei crederetur esse domicilium. Augebat honos fidem religionis, &c. Equidem honos ex ornatu, ex pulchritudine, ex pretiositate augebat fidem religionis; tanto enim religiosiorem locum, Deoque plenum cẽsebat & Titus, & cæteri alij, quanto eum videbant splendescere diuitijs maioribus. Et quando honos, & species templi non auget hominibus fidem religionis? Vt videant, quantum derogent religioni apud homines, qui templa, altaria vè absque vlla venustate, absque vllo habent nitore.

§. XIX.

Nuditas Apostolica validissima res est.

CVM audio, duodecim lapides in Galgalis positos, iuxta illud: *duodecim lapides posuit Iosue in Galgalis*: statim reuoco illud D. Hieronymi in epitaphio Paulæ dicentis de illis: *Qui de Iordanis illuc translati alueo duodecim Apostolorum fundamenta firmauerant.* Et quomodo ij lapides firmabant Apostolorum fundamenta? An duritie sua? Absit, non enim fortitudo Apostolorum lapidea erat, sicut nec Iobi fuerat ænea. Firmitatem ergo Apostolorũ ij lapides demonstrabant nuditate sua, & ruditate. Vt enim lapides ij prorsus erant rudes, impoliti, omni specie nudati: sic Apostoli ex nuditate, & ruditate sua ita confirmabantur, vt vel mundum possent sibi subiugare. Validissima enim fuit Apostolica nuditas ad mundum subiugandum. Et quid nuditas Apostolica non valeat? Ait Marcus cap. 7. de Ioanne: *Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem*:: *Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui*:: *Herodes autem metuebat Ioãnem.* Quis ad hæc non miratur? Vnus Ioannes aduersus Regem audet, sicque aduersus eum valet, vt se ab illo timeri faciat. Et vnde tanta valentia Ioanni, nisi ex nuditate, & paupertate spiritus, qua nihil mundi habebat, nec desiderabat? Ait D. Chrysost. citatus in Cat. Græca D. Lucæ cap. 9. *Quanto nullius eguerimus, tanto fortiores, atque omnibus superiores euadimus. Talis erat Ioannes, qua propter eum ipsum nemo contristaret, ipse contristabat Herodem: cumque nihil haberet, contra Regem surrexit, qui purpura indutus, ac diademate, & mille phantasijs implicatus, tremit, ac timet omnium egenum, ac nudum. Ac ne capite trancato, sine timore viuere potuit: Quod autem post eius abitum metum adhuc tenebat virescentem, audi, quid dicat: Hic est Ioannes, quem ego decollaui*, &c. Equidem qui vehementer aliquem timet, quemcumque videt, putat esse illum, quem timet. Sic Herodes adeo timebat Ioannem, vt vel post mortem eius, putaret illum in Iesu videre. Et vnde Ioannes tantus in Regem? Aiunt illa: *cum nihil haberet*, &c. Nuditas, & paupertas, qua omnia mundialia continebat, faciebat hominem validiorem Regibus. Raptum Eliam in cœlum sic deflebat Elisæus, quasi vna cum illo totum præsidiũ, & fortitudo Israelis raperetur. Quod audiens ipse Elias dimisit a se pallium vnũ vile, & pauper, quo aperiebatur: sic enim dicit 4. Reg. 2. *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Quantum hoc? Ploranti abscessum currus Israelis, & aurigæ eius, abscessum præsidij, & fortitudinis Israelitarum, datur vide & pauper pallium Eliæ. Quid pallium cũ ferrato curru aduersus hostes? Cur ergo cum currum tollis, pallium præbes? Equidem in illo pallio dabatur nuditas, & paupertas Spiritus Prophetici, quæ valẽtior est omni exercitu, omnique ferrato curru. Ait Diu. Chrysostom. hom. 2. ad Popul. Anth. *Propterea Elias in cœlum ascẽdens nihil aliud, quam melotem discipulo reliquit. Cum hac, inquit, cum diabolo pugnaui, & tu contra illum armatus hanc capies. Validum enim telum inopia, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcussa.* Vt enim melotes pauperis, & inopis habitus erat, sic in illa similis paupertas, & inopia Elisæo relinquebatur, qua nulla alia arma posset desiderare, vt de vniuersis hostibus triumpharet. Non enim currus ferrati, non galybs, non æneum scutum, non vniuersi generis armamenta sic hominem tutantur, & hostes perdunt, vt paupertas voluntaria. Hæc validum telum est, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcussa. Hęc orbem terrarum valet debellare. Dan. 2. post ostensam ingentis magnitudinis statuam, ait: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter, ferrum, testa, æs, & argentum, & aurum*::: *Lapis autem, qui percusserat statuã factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Quis nudior, & impolitior lapide recenter cadente de monte? Is tamen sic rudis a monte veniens, perfundans aurũ, omniaque pretiosa metalla, implet orbem terrarum. Quod de principe paupertatis intel-

Marc. 7.

Chrysost.

4. Reg. 2.

Chrysost.

Dan. 2.

Augusti. intelligens Augusti. in Ps. 42. ait: *Mons ille est, qui creuit ex minimo lapide secundum Danielem, & confringens regna terrarum, & in tantam excrescens, vt impleret orbem terrarum.* Sic de contemptu, & pesundatione regnorum terræ venit eò, vt terrarum orbis dominaretur.

§. XX.

Firmæ inconcussaque virtutis esse debet, qui pristinas maiorum virtutes corruptis posteris persuadeat.

DVodecim sunt lapides, quos statuit Iosue in Galgalis pro superati signo Iordanis: Cur Iosue duodecim durissimas petras requirit? Ait ipse Iosue ibi: *Quãdo interrogauerint filij vestri cras patres suos, & dixerint eis, quid sibi volunt lapides isti? Docebitis eos, atque dicetis: per arentem alueum transiuit Israel,* &c. Erigebat lapides, qui posteris oblitis, & multa ignorantia corruptis testarentur maiorum suorum pristinas virtutes. Qui autem corruptis posteris maiorũ virtutes testetur, & imprimat, firmissimæ, inconcussissimæque debet esse virtutis, multoque robore indiget. Hinc Angelus ad Zachariam, Luc. 1. de Ioanne nasciturò locutus ait: *Erit enim magnus coram Domino: vinum, & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur ab vtero matris suæ: & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deũ ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda Patrum in filios:* Expende quantis antea Ioannem insignierit, vt illi hoc vltimum singulare attribuat: nimirum, quod *conuertet corda patrum in filios.* Ad hoc præstandum magnus coram Domino fit Ioannes, & vita Angelica vtitur, & in materno vtero sanctitatẽ excipit, & fit in spiritu, & in virtute Elias, de ijs enim duobus præstantissimis, & inconcussissimis animis dicitur, quod corda Patrum conuertẽt in filios. Sed quantum est, quod patrum cor ad filium conuertatur? Vel quid est conuerti cor patrum ad filios, vt tantæ virtutis opus sit? Correctum, & Deo subditum, quod in patribus antiquis fuit, id velle imprimere corruptis filijs, opus est inconcussissimę virtutis; & virtutis, quę propria sit Baptistę, & Eliæ. Ait Beda hom. 2. in Vigil. Ioan. Bapt. *Vnum igitur, atque idem vtriusque* (nimirum Ioannis, & Eliæ) *opus est; fidem scilicet, atque intellectũ, quem habuere patres, filiorum mentibus prædicando infundere.* Hoc fuit munus integerrimi Ioannis, hoc erit munus inuincibilis Elię; quod in filijs maiorum virtutes oblitis illarum memoriam, & affectum imprimat. Inuenit Baptista Abrahami, Moysisque posteros adeò corruptos, vt potius viderentur viperarum genimina. Inueniet Elias vltimos Christianos quam longè à virtutibus auitis. Sed hoc est tantorum virorum munus, quod ijs filijs patrum antiquorum virtutes testentur, eorũque animis imprimant. Quod quantæ virtutis sit testantur, & D. Bonauentura, & sancta Virgo Tharasia vtriusque enim munus fuit, in filijs ad aliqualem teporem redactis, ardentem patrum resuscitare spiritum.

Iosue.

Angelus

Beda.

§. XXI.

Vbi peccatum abest, ibi firmitas, & perpetuitas fundari potest, non vbi peccatum est.

ERiguntur ij lapides, vt in illis perpetua diuinæ beneficentiæ memoria seruetur, dicit enim: *vt vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore*: & expressius dixerat prius in hoc eodem capite: *Positi sunt lapides isti in monumẽtum filiorum Israel vsque in æternum.* Itaque in lapidibus istis perpetua beneficentiæ diuinæ memoria æternatur. Et cur placuit lapidibus vti pro signis diuinæ memoriæ apud homines æternandæ? Nonne, vt ait Ausonius: *Mors etiam saxis, nominibusque venit?* Vnde ergo aptiores lapides inueniuntur pro Dei memoria æternanda? De lapide singulariter scriptum est, quod semitam in se colubri non ostendat, ait enim Prouerb. 30. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram,* &c. Vbi autem petra nullam in se colubri semitam ostendit, aptissima est vt sumatur pro signo rei æternandæ; quando perpetuitas, & firmitas rei ibi potest securius fundari, vbi antiqui serpentis vestigium, nimirum peccatum, nõ apparet. Matth. 16. aiebat Iesus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Mirabar, quod tantę firmitatis petram

Ausonius

Prouc. 30.

Matt. 16

tram Dominus inueniret ad fundandam Ecclesiam, aduersus quam portæ inferi nõ prævalerent. Et vnde tanta firmitas in petra? Ait Orig. hom. 1. in Matth. *Manifestũ est, quod neque aduersus petram illam, super quam ædificatur Ecclesia, neque aduersus Ecclesiam, quæ ædificatur superhuiusmodi petrã, portæ prævalebũt infernorum, quemadmodum nec via serpentis super petram, secundũ quod in Prouerbijs positum est, poterit inueniri. Qui petra, inambulabilis est serpenti, siue qui vera Ecclesia est, fortior est portis, siue aduersantibus inferorum propter Christum verum sapientem*, &c. Ibi autumat fortitudinem esse insuperabilem, firmitatemque minime concutiendam, vbi antiquus serpens vestigia nõ imprimit peccati. Diluuio absoluente terram dicitur de arca a Noemo facta, Gen. 7. *Porro arca ferebatur super aquas.* Quando mũdi alia omnia: quando vel ipse Paradisus iuxta multorum opinionem ab aquis absoluebatur, sola arca a Noemo facta super aquas ferebatur, & triumphabat de aquis. Et vnde arca illa constitui potuit ipsa Paradiso firmior aduersus aquas? Fuit in paradiso serpentis semita, qua etiam illo intrauit peccatum; non autem fuit in arca, inde crediderim aduersus diluuium paradiso firmiorem fuisse arcam. Ait D. Basil. Sel. orat. 5. *O arca paradiso firmior! Illic namque cum illis nauigabat serpens: illic lignum mortis fuit instrumentum; hic lignum salutis fuit gubernaculum: illic Adamum prænaricari docebat; hic perfugio Noemum petit.* Nec miror, quod vbi nec serpentis semita inuenta est, nec peccato aditus fuit datus, ibi paradiso maior firmitas aduersus pericula inueniatur.

Orig.

Genes. 7.

Basil. Sel.

CAPVT SEPTIMVM.
Gesta in Galgalis.

Textus Historia.

SICCATVM flumen, transeuntemque Israelem mirati Amorrhæi, Chananæique, sic timore obstupent, imo lapidascunt, vt nullum motum aduersus aggredientes populos excitare valeãt. Imperturbatos ergo Israelitas, quietosque pauentibus hostibus conuenit Dominus in campis Ierichò, & secundo cum Iosue de populi circuncisione agit. Egerat enim Deus primo cum Abrahamo de circuncisione, vt ipse, & filij eius, & vniuersi posteri hoc erant stigmate ornandi: nec amplius auditur Deus locutus de circuncisione, vsque in præsentem locum, vbi secundo cũ Iosue de illa, clara voce, tractat: vt omnes, qui in Heremo tantum sacramentum, siue culpa, siue religione dimiserint, iam illo teneantur initiari. Paratur statim populi circuncisio secunda, nimirum, quæ secundo a Deo exigitur voce clara; cuius vulneris petrino cultro peracti sanitas vt apparuit; simul Ægyptiaci opprobrij fœditas Deo testante disparuit. Nec mora; signis diuinis exculti populares vniuersi currũt ad greges, lectisque agniculis immaculatis, paschales victimas plenis obseruationibus instaurant. Nec defuit terra suos veros dominos munerare, de proprijs enim frugibus obtulit, vt rituales efficerẽtur panes azymi, & polentæ, in tanta abundantia, vt cœlestis mannà pluuia prorsus inde cessarit. A tanto sacrificio Iosue solus tendit in agrum: cui Princeps cœlestis militiæ Michael stricto gladio obuius factus, iubet hominem detractis calceis, & sibi, & loco, in quo stabat, religionem impendere singularem.

MORALIA CIRCA textus literam.

CIRGVNCISIONE, & Agni Paschate, & Angelo excipiuntur Iudęi in terra promissa; nequis contendat ad veram promissionem patriæ, nisi de circuncisione carnalium operum, & de esu immaculati Agni, ducẽteque Angelo, qui hostes arceat.

Iosue 5. Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad Occidentalem plagam, & cũcti reges Chanaam, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Iordanis coram filijs Israel, donec transirẽt, dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israel. Eo tempore ait Dominus ad Iosue: Fac tibi

cul-

cultros lapideos, & circuncide secundo filios Israel, &c.

§. I.

Bonus timor opera extorquet.

VIde deploratorum hominum timorem in Amorrhęis, & Chananæis, qui vbi Iordanis miraculo, aduentu Israelis terrentur, nullum aggrediuntur salutis opus; quin potius: *Dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus*, &c. Omnia obriguerunt in eis principia operum, nihil egerunt, nihil aggressi sunt, quo leniret, vel tollerent rem timoris. Proh pessimum genus timoris! Sanè bonus timor potius opera extorquet, & in facinora impel
Psal. 127 lit hominem. Hinc Ps. 127. clamabat: *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius*: Ecce fœlicitatem in eo, quod timeant, ponit. Sed præ timore illis dissolutum est cor, nõ remãsit in eis spiritus; quomodo ergo potest esse fœlicitas in timore, à quo tanta spiritus, cordisvè defectio oritur? Equidem est timoris genus pessimum, quo & cordis, & spiritus robur conteritur, ne vllum inde exeat opus; quod deploratorum hominum est proprium. Rursus aliud est genus timoris optimum, nempè timoris domini, qui vbi in corde est, statim illud impellit in opus. Quo in timore fœlicitas est, & beatitudo. Quis enim non fœlix, dum sic timet, vt ex timore nõ hęreat, sed se accingat in salutis opera? Ait D. Ze-
D. Zen. no ser. in Psal. 127. *Ostendit, non ex trepidatione nostra, nec ex terrore eius, qui terribilis sit, beatos esse, qui timeant; sed ex eo, quod in vijs eius incedant, timor enim non in metu, sed in obedięntia est, & timoris testimonium est obsequela.* Planè fœlicis timoris testimonium in eo est, quòd ad obsequendũ te disponas diuinis præceptis. Quis enim credat, illũ fœliciter terreri; qui vt lapis riget, nec scit manum vlli operi prætendere? Qui autem amat cognoscere qualitatẽ timoris, quo tenetur; respiciat ad opera, ad præceptorũ obseruantiam, ad obsequia exhibita Deo; hæc enim manifestè nascuntur ex timore, qui homines ad fœlicitatẽ euehit. Quo spe
Psalm. 33 ctans aiebat Ps. 33. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Et vndè docebit timorẽ Domini? An ex cordis dissolutione? An ex defectu spiritus? Absit, timor enim Dei bonus nõ ex defectu, sed ex præstantissimis operibus docetur. Vt dicat D. Zen. in Ps. 107. *Discendus ergo timor est, nõ enim in terrore, sed in ratione doctrinæ est. Neq; ex trepidatione naturæ, sed præceptorũ obseruantia, & operibus vitæ innocentis, & cognitione veritatis ineundus est.* Caue tibi a timore sterili, & infructifero, is enim timor proprius deploratorum est. Ille timor tibi arrideat, qui cum præceptorũ obseruantia, & operibus vitæ innocentis est. Nequit enim non esse pręstãtissimus timor, qui nos ad pręstãtia opera impellit. Aiebat Isai. c. 26. *Sic fa-*
Isai. 26. *cti sumus a facie tua Domine. Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritũ salutis.* Vbi in rẽ nostrã Septuag. legũt: *Propter*
Lxx. *timorem tuum Domine in vtero accepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis.* Quid fœcundius timore isto salutifero? Vide, vt malus reproborum timor in Amorrhæis, & Chananæis sic homines cõpressit, vt dissolutum sit cor eorũ, & non remãserit in eis spiritus; at Dei bonus timor lõgè aliter se habet in eis, quos implet, nã ex illo sic fęcundantur, vt ablata omni sterilitate validissimum spiritum pariũt salutis, quo excitantur in opera vitæ. Ex quo pul
Euseb. chrè aiebat Euseb. in cat. Græca in Pentateuch. *Finis tui timoris salus fuit nostri spiritus, quem quidẽ cum peperissemus, notum fecimus omnibus mortalib⁹, qui super terrã sunt, illos quoque vtilitatem percepturos, si didicerint eadem, quæ nos didicimus, & si nos imitati fuerint, & conceperint ex timore Dei, & pepererint spiritum salutis. Qui enim hunc timorẽ non habuerint, neque pepererint spiritũ, sed steriles permãserint: excident a tua spe.* Expẽde in primis illa: *Finis tui timoris salus fuit nostri spiritus*: hic est enim finis timoris salutiferi, nimirum, quod roboretur spiritus ad opera vitę; non quod non remaneat spiritus, sed magis quod vitalibus operibus se exerceat spiritus. Rursus expende illa, *sed steriles permanserint*, &c. Qui enim eo timore agantur, quo minime fęcũdantur ad opera, sed in sterilitate degunt, ij prorsus excidunt à spe vitæ.

§. II.

Timor Dei, & timor temporalium mutuo se expellunt.

ACriter pugnant duo timores in humano corde, nimirum, timor Dei, & timor tẽporalium; quorum qui possederit animũ, alteri

alteri omnem aditū excludit. Ecce tibi de Amorrhæis, & Chananæis dicitur: *Dissolutum est cor eorū, non remansit in eis spiritus, timentiū introitum filiorum Israel*: Planè nihil, quo spiritus saluus fiat, in eis remāsit. Vndè hoc? *Timentium introitum filiorum Israel*: Non equidem Deum parantem Israelitarum introitus, sed Israelitas timebant. Vbi enim nimius timor temporaliū illos possedit, non siuit, vt Deum timerent, sed magis fecit illos Deo aduersari. Aiebat Sapiens c. 17. *Cum sit timida nequitia: data est in omniū condemnationem.* Et mirabar, quod timor in condemnationē daretur, cum dictum sit alibi: *Initiū sapientiæ timor Domini.* Sed qui timor adeò malus est, qui homines reddat damnatos, & Deo aduersarios, nisi timor nimius tēporalium malorū, qui semper annexus est peccatis? Ait Hugo Card. *Timida nequitia, idest, timor annexus nequitiæ conscientiæ datus est in condemnationem omnium peccatorum, vrens mentem, reprimens timorem Dei, quo tumescit contra Deum, peccare non timens.* Ecce tibi venenum timoris temporalium, annexus nequitiæ est, & primum occludit aditum timori Dei, tanta tu mens malitia vt nimium timens temporalia, non timeat peccare, nec Deo aduersari. E contra timor Dei sic componit animum, sic implet corda, sic roborat spiritum, vt nihil sciat timere temporale. Ionam fugitiū tempestas furens persequitur, nautarumque sortibus iactis deprehenditur esse causa tempestatis. Conueniunt Ionam nautæ, eius institutum inquirunt. Quibus ille; Ionæ c. 1. *Deum cœli ego timeo, qui fecit mare, & aridam*: Rursusque ait: *Tollite me, & mittite in mare.* Quanta hæc animi constantia? Ipse sententiam in se fert, ipse se fluctibus damnat. Cur non magis timet? Cur nō magis veretur naufragium? Præmiserat antea: *Deum cœli ego timeo*; vbi enim Dei timorem habebat, non timebat mala temporalia. Ait D. Zeno ser. de timore: *Ionas timens Dominum spontaneū nō timet adire naufragium.* Nequit timor Dei admittere secū timorem temporalium; imò eo intētus est, vt penitus illi occludat aditum. Hinc Deuther. 10. ait: *Et nūc Israel quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius*, &c. Hoc primum petit Dominus Deus à populo suo, nimirum vt timeat Deum filiali timore. Et cur prius timorem meminit? Planè, quia si te Dei timor impleuerit, hoc summopere cauebit, ne alteri temporaliū timori locus restet, vt dicat D. Zen. ser. de timore: *Videtis, ne hunc timorem vobis necessarium, qui in Dei amore consistit, qui voluntate sua se parit, diuinæ legis agnitione construit decorem, ad omnia genera virtutum intrepidus corrigit: præceptis omnibus fideliter obtemperat: inchoatus innocenter viuit, iustitiam percolit, sine fine studet timere, ne quid præter Deum quem diligit, timeat.* Hoc studium est, hæc cura sanctissimi timoris Dei, ne vllus locus alteri timori sit.

Sap. 17.

Hugo.

Ionæ 1.

Zeno.

Deut. 10.

Zeno.

§. III.

Illam induat formam, quæ amabilior hominibus est, qui amat homines Deo capere.

SEcundo accedit Deus mandaturus circumcisionem Israelitis, illamque nouis sub circunstantijs mandat; quippe ait: *Fac tibi cultros lapideos, & circuncide*, &c. Lex de circumcisione data Abrahamo non meminit cultros lapideos; sed modo cum secundo ea lex renouatur, petūtur lapidei cultri; in lapide enim significabatur verus Iesus iuxta Patrum interpretationē cōmunē: sed cur in hac secunda circuncisionis promulgatione in petrino cultro ostenditur Iesus? Erant lapidea idola & simulacra tunc culta agentibus, ideò Iesus seipsum sub lapidea forma proposuit vt lapidibus seruientes à falsis dijs lapideis ad verum traheret. Aiebat D. Iustin. Mar. citatus in Glossa: *Priscus ille Iesus dicitur secunda circuncisione cultris lapideis circūcidisse populum, quod fuit præsagiū circuncisionis, qua nos Iesus Christus resecuit a lapidibus, simulacrisque cæteris, hoc est, liberauit nos ab errore mundano. Vbiq; gentium multis circuncisis cultro petrino, verbo Iesu Domini nostri. Nam lapis, & petra Christus prædicatur.* Ecce tibi vt circuncisione illa exprimebatur circuncisio, qua per Christū ab idolorum cultu auocabamur: sic enim prædicabatur ille, dicebaturque petra, & lapis, vt nos ab adoratione lapidū ad Deum verum traheret. Multū enim proficit, quod se quis sub ea forma statuat, quæ magis ab hominibus adoratur, & colitur, vt inde illos capiat, & trahat in veritatem. Hinc Matth. 2. Venientes ad Dei filium Magi clamabant: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cū muneribꝰ adorare eū.* Data est enim illis stella in cœlo, quæ homines duceret, & deduceret in locū Dominicę natiuitatis. Nec improbabiliter putat Theod. hom. de Christi natiu. habita to. 6. Conc. Ephes. Appēdice 5. cap.

Iustin.

Matth. 2.

Theodor.

5.c.2. hanc non fuisse veram stellam, sed Angelum, qui sub stellæ forma se ducē vię proposuerat Magis. At vt ducatū præstaret Angelus Tobiæ, potius illi apparuit in specie iuuenis præcincti ad iter faciēdum.

Tob.5. Ait enim Tob.5. *Egressus Tobias inuenit iuuenē splendidū, stantem, præcinctum, & quasi paratū ad ambulandum.* Cur similiter Angelus non sese obiecit Magis sub hac præcincti iuuenis specie, vt illos duceret, vsque ad locum, vbi Iesus erat natus? Cur hac forma relicta magis placuit formā subire stellæ tacentis, vt illos ductaret? Colebantur maxime stellæ à Magis, ideo sapienter Angelus formam elegit stellæ, vt ex nota, & culta forma placens illos citius à cultura vana stellarum ad verum iustitię solem recenter ortum adorandum traheret. Ait Cæ

Nazian. sar. Nazianz. frater dialog.2. *Merito stellā Angelum Euangelista vocat. Sed & cultum astris impensum ad Christum trahens, à multorū Deorum errore mortales reducendo, velut stellam ponit Angelum viæ adorationis ducē. Non enim alia re Magi ad adorationē excitati sunt, quàm opinione sui cultus.* Planè inde capiuntur Magi, nimirum ex forma stellarum, quas colebant, non enim detrectāt sequi eam, cui quotidie exhibebant seruitiū: & dum ad notam sibi formam contendunt, fœliciter ad veritatem ducuntur. Huc veniant Euangelici ministri, & discāt ad formas peccatoribus gratiores innocenter descendere, vt illos inde trahant in bonam fragem. Sic meus parens sanctissimus Xauier factus hospes scelestum hominum, paulatim se animis eorum insinuans à turpitudine eos reducebat ad Christum.

§. IIII.

Sacra exhibita Deo maxime hominem in bono firmant.

POst peractam deserti peregrinationē, post superatum Iordanē, cum primū in promissionis terra castrametātur Israelitæ, sacramentum circuncisionis ab illis exigitur. Ait enim Deus: *Fac tibi cultros lapideos, & circuncide,* &c. Et cur in primo terræ limine statim vocantur ad circuncisionis sacramentū? Vt volebat Deus homines cōfirmare in promissione sua, ne iam regressum timerent in solitudinē, nec in pericula pristina: sed potius sperarent iā quietem firmissimam, sic eos ad sacra vocat, nullo enim citius homo depellit pericula, & in bono cōstituitur. Quo spectans Iustin. Mar. dialog. cū Tryphone ait: *Iesus Christus omnes eos, qui volunt circuncidit iuxta prisca præsagia, cultris lapideis, vt exoriatur gens iusta, populus tenax fidei, cupidus veritatis, & in pace perseuerans.* Perseuerantem pacem, & quietem daturus populo suo Dominus noster, iubet illum circūcidi, de virtute enim tanti sacrificij Deo exhibiti, maximè confirmatur homo in salute, ne timeat hostiles incursus. Quis ignoret Noemum arca inclusum hinc inde iactari dilubij fluctibus? Tādē superato dilubio, quiescente arca, exsiccata terra, egreditur Noemus, & vix terrā pertingit, & ecce tibi Ge

Iustin. *Gen.8.* nes.8. *Ædificabit autē Noe altare Domino, & tollens de cūctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare.* Quid tūc? Statim Deus placabilissimus hominē confirmat, arcū depingit in cœlo pro signo, ne ampliùs timeatur dilubium. Proh Noemi prudētiā! Superatis dilubij fluctibus, calcata terra sicca ad sacra currit, quo præteri ta mala prorsus abigit, & se in securitate cō

Basil S. stituit. Vt illi sapienter dicat D. Basil. Seleorat. 5. *Represisti sacrificio alterius dilubij terrorē, recepisti Dei securitatis futuræ pignora.* Itaque sacrificio peracto Noemus repressit terrorē alterius dilubij, fecit enim quod sic in terra cōfirmaretur, vt non metueret, iam inde reuocari ad pristina dilubij pericula, sed securius frueretur promissione diuina. Valēt equidem sacra rite peracta ab hominibus illos maxime in bonis firmare, & metus pristinorum malorū discutere. Huc traho historiam notissimam

2.Re. 24 ex 2.Reg.cap.24. vbi ostenditur Angelus Domini stricto gladio percutiens Israelitas adeò, vt intra breuissimum tempus septuaginta millia virorum ceciderit. Quid tunc? Vidit Dauid afflictionem populi, non tauit gladium euaginatum in aream Areunę; *Et ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta, & pacifica: & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel.* Vbi sapienter Caiet. ait: *Ecce tempus, quo*

C. Iet. *cessauit pestis, videlicet tēpore holocausti oblati à Dauide.* Illud planè tempus est, quo cessent mala, quo hominum aduersaria euaneant, nimirum, quo ritè ab illis sacra fuerint peracta. Quod enim minimè præstarēt vniuersæ creatæ potestates, id perficit sacrificium Deo oblatum, quo maxime in bonis confirmamur.

§. V.

Vbi Deus stricto iustitiæ gladio apparet, eum peccatoribus metum infert, quo salutaria sibi vix facere valeant.

IN terra hostili, hinc inde plena validissimis viris ad bellum, iubet Deus suos Israelitas circuncidi, aiens: *Fac tibi cultros lapideos, & circuncide*, &c. Supra Gen. 34. Filij Iacob dum hostiles iras recondũt in imo pectoris sui propter sororis stupũ, à Sichimitis petunt, vt circuncidantur, & obseruantes tertium diem, quando vulneris dolor ingraueſcebat, ingressi vrbẽ, vniuersos, minime valentes resistere, transfigunt gladijs, *& depopulati sunt vrbem in vltionem stupri.* Ergo si circuncisio hostibus occasionem parabat, qua possent facile vniuersos perimere; cur Deus Israelitas suos in terra hostili, coram infinita multitudine hostium, circuncidi mandat? Cur non magis validi, & fortes Israelitæ conseruantur aduersus tot hostes? Cur sub cultro percussi ponuntur, quando necessum erat, vt valentiores se hostibus præsentarent? Cur non magis timetur hostium audacia? Mandantur circuncidi Israelitæ inter hostes, non vtcunque, sed lapideo gladio, qui Iesum filium Dei, qui petra est, expressissime figurabat. Vbi autem Iesus sub forma gladij stricti repręsentatur, talem timorem scelestis, & pessimis hominibus incutit, quo nihil sibi salutare audeãt. Quid ergo? an ideò in ijs circunstantijs præcipit Deus vt timore correpti nil boni audeant? Absit, non ideò præcipit cultro illo circundi: sed vt si, quod sæpè solet, contingeret, nempè quod ipso timore homines illi obstupescerent, intelligerent cæteri non esse fidendũ maniter speratis per instantis mortis & iudicij timorẽ conuersionibus, cum sæpè contingat hoc ipso timore pauefactos homines culpa sua nil ad salutẽ conducẽs agere. Crede mihi, impij populi vel ad vmbram stricti gladij supremi iudicis, sic frangebantur timore, vt ad nullum valerent sibi accõmodatum facinus. Nota est historia ex 1. Paralyp. 21 Paralyp. 21. petita, vt iram Dei prouocante Dauid, exarsit Dominus in vindictam sceleratorum, missusque est Angelus, qui stricto gladio percuteret populũ. Dum populus percuteretur, leuauit Dauid oculos, viditque Angelum cũ gladio stricto. Quid tunc? Ait textus ibi: *Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorũ ea tempestate erat in excelso Gabaon. Et nõ præualuit Dauid ire ad altare, vt ibi obsecraret Deũ; nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini.* Ecce tibi pestis grassabatur, homines interibant, Dauidis regnum funditus euertebatur; erat autẽ altare in Gabaon, ad quod accedere debebat Dauid, vt ibi pro remedio supplicaret. Nec præualuit ire ad altare. Vnde non præualuit? Ait textus: *Nimio enim fuerat timore perterritus videns gladium Angeli Domini.* Vbi enim vidit Angelum cum stricto gladio percutiente scelestos, tantum timoris cõtraxit, vt penè exanimatus non valeret ire salutẽ rogaturus ad altare. Quantum hoc? Ait Caietan. ibi: *Caietanus*
Admanifestandum punitionẽ Dauidis scribitur, quod tam perterritus fuit videndo percussorem Angelum, vt redditus fuerit impotens ad eũdũ ad altare Dei, quod erat in excelso Gabaon: vt intelligamus non paruam aegritudinẽ contraxisse inde Dauidem. Expende illa: *Vt redditus fuerit impotens ad eundum ad altare*: quippe in altare erat mali remedium, ibi salutem, & securitatem poterat negotiari: at cum primum vidit Angelum cũ stricto gladio, eo timore confractus est, quo non valeret ire ad altare, indeque salutem comparare. Ne præsumat peccator de operibus faciendis instante iam stricto summi iudicis gladio; vbi enim illi magni consilij Angelus iam apparuerit cum stricto iustitiæ gladio, illum ei incutiet terrorem, quo oppressus ad nihil sibi salutare mittat manũ, Matth. 18. Erat Dominus ponens rationẽ *Matt. 18* cum seruo suo, quem debito oppressũ iussit vendi cum vxore, & filis suis: quid tunc seruus? *Procedens autem seruus ille, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Sed cum inde egressus inuentus sit crudelis in conseruum, iterum in cõspectum Domini allatus est: cui Dominus: *Serue nequam, omne debitũ dimisi tibi, quia rogasti me. Nonne ergo oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius tradidit eũ tortoribus*, &c. Ecce tibi cum primum iubebat Dominus, seruum cum filijs, & vxore venundari, seruus humi procumbit, misericordiam implorat, emendationem promittit: vbi autem secundo vocatur, & crudelitatis arguitur, tortoribusque traditur, nec mutit quidem, nec genua flectit, nec misericordiã precatur. Cur modo miser nõ recurris ad preces? Cur modo non aliquid facis vt antea, quod

Chrysost. misericordiam solicitet? Ait D. Chrysost. hom. 62. in Matth. *Modo ira commotus eum tradidit. Quando enim eum vendidisset, nulla ira fuit in verbis.* In primo euentu nō strinxerat iudex iræ gladium; at modo nudata iræ diuinæ acies vt apparuit, sic miserum confregit, vt maneret quasi impotēs ad vllum effugium excogitandum. De quo aiebat Iob c. 15. *Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit, quod reuerti possit de tenebris ad lucem; circumspectans vndiq; gladium.* Equidē vbi miser aspicit gladiū diuinū strictum iam in se, illo terrore comprimitur, quo ferè nequeat sibi aliquid salutare cogitare.

Iob 15.

Iosue cap. 5. Postquam autem omnes circuncisi sunt, manserūt in eodem castrorum loco, donec sanarentur. Dixitque Dominus ad Iosue: Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis. Vocatūque est nomen loci illius Galgala vsque in præsentem diē. Manseruntque filij Israel in Galgalis, & fecerunt Phase quarta decima die mensis ad vesperum in campestribus Ierichò, & comederūt de frugibus terræ die altero azymos panes, &c.

§. VI.

Magnum opprobrium est ingenuitatis humanæ, quod improbo seruias Domino.

CVm in terra promissionis securè, & liberè sacramenta suę religionis in circunciſione exercent Israelitæ, iam ostenduntur liberi opprobrio Ægypti: ait enim Dominus: *Hodie abstuli opprobriū Ægypti a vobis*: Circaque verba ait Theod. q. 3. *Tunc dixit Deus omniū: hodie abstuli a vobis opprobriū Ægypti, quæ verba liberationē significant ab Ægyptiaca seruitute.* Et merito tunc solum credit bonus author liberatos Israelitas ab opprobrio, quando liberatos videt a seruitute Ægyptiorū, magnum enim est opprobriū, & fugiēdum maximè iugenuo homini, quod seruitiū præstet pessimis Dominis. Et quis ingenuus nō fugiat hoc opprobriū? Abrahamus se a consobrino suo Loth diuisit, post quam diuisionem cū Loth lætus, & opulentus ageret in Sodomis, venit Godòrlahomor cū alijs duobus regib⁹, Sodomitasque vicit, & spoliauit, captiuumque etiam duxit Loth. Quid tunc? Gen. 14. *Cum audisset Abram, captū videlicet Loth fratrē suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos, & persecutus est eos*, &c. Sic bonus armatur aduersus eos, qui captiuū ducebant Lothū, illosque persequitur, nec desinit, donec fratrē suū in libertatem asserat. At tantus hic vir pro fratre suo captiuo, postmodū audit, Sodomā cum omnibus ciuibus suis subuertendā esse à Domino: pro qua orauit sanctus; at pro fratre nullā tūc facit precationem, nec verbū promit, quo petat, vt saltē in tāto excidio liberetur Lothus. Et cur qui in discrimine mortis nullū verbū facit pro Lotho, in captiuitatis discrimine tanta peregit vt Loth liberaretur, nec destitit, donec illum liberum fecit? In periculo mortis videbat rē cōmunē, & necessariā omnibus, in periculo captiuitatis cernebat, quod homo ingenuæ prosapiæ cogebatur seruire pessimis, & sceleratissimis dominis, quod opprobriū intolerabilius iudicabat morte, & illud vitare curabat viribus totis. Hinc aiebat Prudēt. in Præfat. ad lib. Phychomach. *Prudent.*

Abram triumphi dissipator hostici,
Redit, recepta prole fratris, inclytus,
Ne quam fidelis sanguinis prosapiam
Vis pessimorum possideret principum.

Hoc totis viribus bonus cauit, ne prosapiā fidelis sanguinis turparent pessimi domini, ne ingenua prosapia viueret sub pessimorum dominorum placitis, quod ducebat opprobrium intolerandum. Et quis bonus ferat morem gerere, obsequiū debere Dominis sceleratis? Rector huius aeris, princepsque tenebrarum harum, exploraturus diuinitatem latētē in Iesu, accedit ad illū Matth. 4. & ostēsis lapidibus ait: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Et cur non potius ipse famelico porrigit panes? An tam pauper erat princeps tenebrarum harū, quod non haberet panem, quem Iesu famelico proponeret, vt illius ieiunium interrumperet? Cur ergo non proposuit panem? Facile haberet panem, si eum vellet proponere; sed non præsumpsit de Iesu ingenuitate, quod vellet comedere tam aduersarij, malignique principis panem, & ideò proposuit lapides, vt inde suum ipse faceret. Ait Euthymius ibi: *Ipse quidem non* *Euthym.*

Matth. 4

adsert

adfert panem, eo quod ab aduersario Christus sumpturus non erat, sed iubet, vt de lapidibus panes efficiat. Qui credidit posse Iesum falli, non credidit posse adduci, vt tam maligni Domini ederet panem. Tãti opprobrij res est ingenuis animis pessimorum dominorum manducare panem. Vt meritò audiens Nazianz. fratrem suum Cęsarium in seruitio Iuliani Apostatæ esse; illi scribat dicens ep. 51. *Magnopere tua causa erubuimus:* Fatebatur ingenuus vir erubescentiã suam, quæ inde oriebatur, quod frater eius sẽ impijssimi Apostatę seruitio addixerat. Quæ res non poterat non esse magni opprobrij, magnæque erubescẽtiæ fidelibus hominibus, licet alioquin Cæsarius adhuc in illo seruitio vigilantissimus Christi asse cla existeret. *Nazianz.*

§. VII.

Tandiu nos comitantur mala, & opprobria, quandiu religioni non damus operam.

CIrcuncisio populo in terra promissionis statim subdit Dominus: *Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis.* Et cur hodie? Hodie nãque primum se totus populus Deo dicarat; hodie signum acceperat religionis tota animi deuotione. Nec miror, quod vsque nunc opprobrium Ægypti duraret, mala enim, & opprobria tandiu nos comitantur, quandiu religioni non damus operam: abitura statim cum videant religionem in nobis. Vir Dei accedens ad Regem Ieroboam denuntiauit illi mala obuentura ex Deo 3. Reg. 13. *Cumq; audisset rex sermonem hominis Dei:: extendit manum suam de altari dicens; Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec ualuit retrahere eã ad se:: Et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt restituatur manus mea mihi. Orauitque vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus regis ad eũ.* Vt extendit manum contra hominem Dei, aruit manus: vbi autẽ ad preces confugit, & se sistit Deo, manui sanitas restituta est, & ariditas abscedit. Quam rem pulchrè ponderans D. Amb. lib. 2. de Virg. ait: *Dextera regis, quam tetendit, aruit, nec sua ei, quæ inuocauit idola profuerunt. Deinde cõuersus ad Dominum rogauit veniã, statimque manus eius, quæ aruerat sacrilegio, sanata est religione.* Quid pulchrius? Expende illa; *Quæ aruerat sacrilegio, sanata est religione:* tandiu ariditas durauit, quandiu tardauit accedere ad religionem. Vbi religioni dedit operã, statim manus ariditas ablata est: quæ vt abiret, expectabat videre religionem Iudicum capit. 10. erant res Israelitarum afflictissimæ, nullum erat malum, nulla ærumna, quæ illos non premeret. Quid tunc? Dixerunt filij Israel ad Dominum: *Peccauimus, redde tu nobis, quidquid placet. Quæ dicentes omnia de finibus suis alienorum Deorum idola proiecerunt, & seruierunt Domino, qui doluit super miserys corũ*: Ecce tibi vbi abiectis idolis se sistunt Domino, statim aduersus mala illum habent protectorẽ. Ait Theod. q. 17. ibi: *Vbi inquam, suas iniquitates confessi sunt, alienosque Deos abstulerunt è medio seruientes Domino, beneficentiam eius perseuerunt.* Non amplius distulit Deus eorum tollere afflictiones, sed vt vidit illos religiosos valedicere idolis, seque sistere Domino statim illos nobilitauit beneficijs, & erexit aduersus hostes. Crede mihi, ex quo quis operam dat religioni maxime roboratur aduersus mala omnia. Aiebat illa Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguẽtis optimis. Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescẽtulæ dilexerũt te. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorũ tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua:* D. Amb. legit: *Introduxit me rex in tabernaculum suũ*, &c. Hæcibi dicebat Dei sponsa nihil meditãs nisi oscula, vnguẽta, aromata, odores. Sed in fine Cantici c. 8. de se ait: *Ego murus, & vbera mea turres.* Quid muri cum vnguentis? Quid turres cum osculis? Quæ solas blãditias amatoris sui meditabatur, vnde subito tam fortis aduersus hostes? Vnde ex aromatibus eo venit, vt murus, vt turris efficeretur, quæ mala pelleret omnia? Ait illa: *Introduxit me rex in cellaria sua*, siue *in tabernaculum suum*, ex quo enim diuinum tabernaculum intrauit, ibique sacramenta gustauit, dans operam religioni, inaccessibilis turris facta est malis omnibus: Ait D. Amb. lib. 2. de Virgin. *Mox cum in tabernaculum venerit, vnguẽtum mutatur a castellis. Quæ ludebat osculis, iam turres erigit, vt pretiosis sanctorum turrita fastigys, non solum hostiles frustetur incursus, verum etiam bonorum propugnacula struat tuta meritorum.* De tabernaculi diuini religione, quid non fieret? Planè blanditias, omnesque teneritudines exuit, & turrita facta hostiles vniuersos incursus depulit, ad bona diuina tenenda se euexit. *3. Reg. 13* *Ambros.* *Theodor.* *Cant. 1.* *Ambr.* *Cant. 8.* *Ambr.*

§. VIII.

Vbi præparatio virtutum sacinoribus constans præcedit, debite viuificus Agnus immolatur.

EXpende ordinem, prius circuncidūntur Israelitæ, & statim Phase celebrāt Agnum immaculatum manducādo, sic enim dicit: *Manseruntque filij Israel in Galgalis, & fecerunt Phase*, &c. Nec miror, quod vbi se tanto circuncisionis sacramento præparārunt, iam ad sacrificium immaculati Agni admittantur. Peccauerat Dauid in Deum, dum arrogans populum numerauit, accedit Angelus stricto gladio vindicaturus in populo regis peccatum. Cadebant passim miseri pestilentia percussi, de quo agens 2. Reg. 24. ait: *Dixitq; Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum cedentem populum: Ego sum, qui peccaui, & ego inique egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino*, &c. Iste ipse Gad venerat ante ad Dauidem, illiq; peccati pœnam nuntiauit, nec tunc verbum illi fecit de altare faciendo, nec consilium dedit, quod sacrificium instituueret, vt se a peccati liberaret. Modo autem post innumeros occisos ab Angelo, venit Gad, & consulit Dauidē, vt altare erigat, & sacrificium faciat. Cur ergo, quod nunc præbet consilium de sacrificio faciendo non præbuit antea, vt sic tātæ occurreretur stragi? Antea Dauid non ita se virtutum operibus parauerat, & ideò nullum verbum fit illi de sacrificio faciendo; modo pœnitens Dauid Deum exorabat, se pro populo morti offerebat, qua virtute vt paratus apparuit, statim ad sacrificium salutare vocatur. Ait D. Amb. Apol. D. Amb. 1. c. 7. *Quam illud etiā admirabile, quod Angelo ferienti plebē se obtulit? Hoc facto statim dignus sacrificio iudicatus est.* Vbi animum suū Dauid tanta virtute ornabat, ne detrectaret morti occumbere pro populo, suamque culpam prædicaret; statim admissus est ad sacrificiū, iudicatusque dignus est, quod diuinis interesset altaribus. Præcedat semper, necessum est, multa virtutum præparatio in eo, qui amat sacrū Deo facere. Dum ille filius prodigus pœnitens ad patrē rediret Luc. 15. ait Pater ad seruos suos: *Citò proferte stolā primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum*, &c. Luc. 15. Expende quot virtutes primò iubeat hominem indui; antequam adduci iubeat vitulum. Primò enim datur illi prima stola, & annulus, & calceus, deinde ad epulum inuitatur vituli. Vt sciamus non licere interesse sacramentis diuinis, nisi præmissa multa præparatione virtutum. Ait Beda: Beda. *Notādum, quo ante stola prima, ante annulus; ante calceamenta præstantur, & sic deinceps vitulus immolatur, quia nisi spem quisque primæ immortalitatis induerit, nisi annulo fidei opera præmunierit, nisi ipsam fidem ipse cōfitēdo prædicauerit, non potest sacramentis interesse cœlestibus.* Primò da operam virtutibus acquirendis, exercendis, quibus animum induas, & præpares, vt deinde admittaris ad sacramenta diuina.

§. IX.

Vitæ nouitas amplectenda ei, qui diuino epulo saginatur.

ADerat tempus Phase celebrandi, & ait: *Fecerunt Phase, quarta decima die mensis ad vesperū in campestribus Iericho*, &c. Ea fuit dies quarta decima mensis primi, quo annus nouis fœturis renouatur, vt doceremur nos, quā noua amplectenda vita est illis, qui cœlesti epulo saginantur. Quo spectās D. Machar. Ep. Philadelph. orat. in exalt. Crucis habita apud Grethserum tom. 2. ait: Machar. *Instituitur primo mēse Pascha, quia figura Christi erat, qui omniū rerum principium est: & eius, quæ in Christo est, noua creatura, post impietatis hyemem, velut in vere nitido, & suaue olente fidei, cōditæ, & renouatæ a Christo per spiritū, quemadmodum ad illam supra dicebat: Veni proxima mea, columba mea, ecce hyems iā transit. Consepulti enim sumus cum illo, & consurreximus per lauacrum regenerationis, & depositā Adami vetustate in nouitate vitæ ambulamus: quibus verū pascha alimentum vitæ sempiternæ dignūs suppeditat; nutrimur enim carne, & sanguine Dei.* Equidem vt Agnus nonnisi in mense primo, in vere nitido immolabatur: sic nos inde instruebamur, quam noui, quam nitidi, quam virentibus virtutum foliis, demissa omni vetustate, in nouitate vitæ debebamus ambulare, vt quibus non

pecui-

pecuinus agnus dabatur manducandus, sed cœlestis, & viuificus Agnus Dei Christus Iesus. Et quis in nouitate vitæ nō vescatur diuina carne? Sanè vetustatem abiurent, nouam vitam instituant, qui nutriuntur Dei carne, epulumque diuinum in se

Isai. 64. habent. Dicebāt Iudæi Isaiæ cap. 64. *Factisumus vt immundi omnes nos, & quasi pānus mēstruatæ vniuersa iustitia nostra, & cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ, quasi ventus abstulerunt nos. Non est, qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.* Ecce tibi vt non erat in eis, qui Deū teneret, qui diuinissimum agnum prenderet manibus. Et cur adeò miseri erant, vt agnum immaculatum Dei minimè prenderēt? Inde exprimunt radicem mali dicentes: *Et cecidimus quasi folium vniuersi nos*; erant ipsi quasi decidua folia hyemis tempore, nihil nouum, nihil de veris iuuentute præseferebant, cur non perderent Agnum? Ait

Cyr. Alex. D. Cyril. Alex. lib. 5. tom. 6. in Isaiam: *Tanquam folia ceciderunt de arbore. Neque enim est non probabile, si hoc patiantur, sic abijci plane expectent. Nec quisque eorum est, qui germane sciat Deum inuocare, aut qui meminerit coniunctionem, quæ cum eo est, apprehendendam, & amplexandam prompte, & quasi iuueniliter.* Vbi nihil cogitabant de iuuenili animo parando, de abolenda vetustate, non miremur; quod Deum habere non valeant, nec teneant cœlestem agnū. Ibi emim est valentia ad Deum, vbi est re-

Ierem. 1. nouatio. Dicebat Dominus Ieremiæ cap. 1. *Ecce dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreū.* At Isaias cap. 16. de se aiebat. *Venter meus ad Moab qmasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris.* Quæ leguntur

Nicet. à Niceta in Nazianzen. orat. 43. *Venter meus super Moab, quasi cithara sonabit, & & præcordia mea, quasi murus, quem innouasti.* Ecce tibi vt Ieremiæ valentia exprimatur, dicitur esse quasi murus æreus; at Isaias non murus æreus dicitur, sed murus innouatus. An quia infirmior, quam Ieremia? Absit, sed quod exprimitur in Ieremia per murum æreum, exprimitur in Isaia per innouationem, quæ validissima est ad ea, quæ apud Deum valent. Vt dicat Na-

Nazianz. zianzenus orat. 43. *Innouatur etiam apud alium propheram murus æreus, hoc est, nisi fallor, anima firma, & aurea, recensque ad pietatem compacta.* Quod vni murus æreus, alteri erat murus innouatus, quo intelligebatur anima firma ad Deum sustentandum.

§. X.

Vbi diuinum epulum non est, nihil est ad robur pertinens verum.

NOn antea Dominus suos milites meminit vesci frugibus terræ, quam agni immaculati carnes edidissent; sed ait: *Fecerunt Phase quarta decima die mensis ad vesperum in campestribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ die altero, &c.* Et cur cauit nominare esum frugum terræ, antequam esum agni nominaret, qui in Phase celebrabatur? Vbi fruges terræ bellatoribus suppeditabant, meritò præponit illis esum agni, vt intelligerent robur, & veram fortitudinem ad debellandos hostes esse in diuinis epulis, non in terrenorum abundātia. Hinc minabatur Dominus populo

Isai. 3. suo Isaiæ cap. 3. *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet â Ierusalem, & â Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ.* Ast in quo pane, & in qua aqua est robur, & fortitudo auferenda à Deo? An in pane terreno? Absit, licet enim suppetat tibi terrenus panis, licet fontes terrenorum bonorum affluant, non est tibi robur, nec fortitudo, qua aduersus hostes valeas. Nec licet tollantur à te omnia mundialia; aliquid tibi roboris tollitur, dum nō tollatur cœlestis, & viuificus panis. Quo

Procop. spectans Procop. ibi fatur: *Panem intelligit illum de quo sic locutus Dauid: Panem cœli dedit eis. Aquas item, de quibus ait Propheta. Haurietis aquas in gaudio, de fontibus saluatoris: quibus, qui carent, ne se quidem panis, & aquæ robur habere somniare audeant; sed imbecillibus cibis, & ad vitam roborandā impotentibus vesci fateantur, necessum est.* Equidem dum à cœlesti pane abstines, dū à diuinis epulis abstines, nullū robur expecta, sed imbecillitatē, sed maciem, quāuis tibi vniuersæ mundi epulæ affluant. In solo cœlesti conuiuio roboratur homo, vt repellere hostiles impetus valeat. Hinc de

Cant. 6. Christi sponsa dicitur Cant. 6. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Et vnde castrorum robur tenellæ Christi sponsæ potuit communicari nisi de viuifico pane? Ait D.

D. Ignat. Ignatius Martyr epist. 11. ad Ephes. *Date operam, vt crebrius conueniatis ad Eucharistiam, & gratias Deo agendas; cum enim assidue in idem conuenitis, destruuntur vires Satanæ, & irritæ eius reuertuntur ignitæ sagittæ. Nil melius, quam pax in Christo per quam*

bellum omne aboletur aeriorum, & terrestriũ spirituum. Ecce tibi vt vir sanctus ad Eucharistiam vocat eos, qui velint aduersus hostes roborari. Quo adduco illud Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua, &c.* In omnibus ijs nihil meditatur sponsa non tenerum; oscula enim, vnguẽta, odores ad teneritudinem pertinent tantum; sed in fine Cant. 8. ait de illa sponsus; *si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea.* Et vnde quæ osculorum, vnguentorumque teneritudinem amabat, sic roborata est, vt murus appareat, potens sustinere propugnacula? Ipsa aiebat: *Introduxit me rex in cellaria sua.* Philo Carpat. *In promptuarium*, D. Amb. *in tabernaculum.* Sanè tabernaculum erat, siue promptuarium, vbi annonæ panis, vinique seruabantur, quod exprimebat vulgata ponens *Cellaria.* Nec miror, quod vbi introducta fuit in tabernaculum panis, & vini, inde in tãtum robur excrescat, vt in expugnabilis murus appareat. Ad hæc loquitur D. Amb. lib. 2. de Virgin. *Ab osculis cæpit, vt ad tabernaculũ perueniret. Atque illa tam patiens duri laboris, exercitata que virtutis, vt aperiat manu claustra, in agrum exeat, in castellis maneat: Denique quo eundat, videte. Si murus est, inquit, ædificemus super eum turres argenteas. Qua ludebat osculis, iam turres erigit.* Sic de tabernaculo panis confirmata fuit, vt muros, & turres, & propugnacula erigat, quæ antea solis castis vacabat amplexibus.

Cant. 1. Cant. 8. Phil. Carp. Ambr.

Iosue cap. 5. Cum autem esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait, Noster es, an aduersariorum? Qui respondit; Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Iosue pronus in terrã, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? Solue, inquit, calceamenta tua, locus enim in quo stas, sanctus est. Fecitque Iosue, vt sibi fuerat imperatum.

§. XI.

Epulæ diuinæ sic summi debẽt, vt earum virtus appareat in operibus.

DVdum Iosue dicitur feciſſe Phase, mãducasse pascha, & azymos panes intra familiam suã; iã ostenditur in agro oculos leuãs, & colloquẽs cũ Angelo, quippe ait: *Cum autem esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum, &c.* A mãducatione paschæ oraturus secessit in agrum, oculisque ad cœlum leuatis vidit & Angelum. Fœlix homo; qui à sacris epulis sic efformatur, vt & orationi, & Angelicis colloquijs, & tot virtutibus vacet; qui enim Phase fecerat, statim ad Deum transit. Vtinam sic à nobis sumantur epulæ sacræ, vt earum virtus in conuersatione statim clareat. Matth. 3. de Ioannis cibo ait: *Esca autem eius erat locusta, & mel siluestre.* Nec otiose notabat cibum Ioannis, sed vt mores eius, & conuersationem ex cibo notaret. Vt enim melle, & volucri verme vescebatur, sic & ipse, & dulcis apparebat, & pennatus; dulcis in conuersatione, & pennatus in oratione, qua cœlos penetrabat. Matth. 3. Cyr. Ieros. Ait D. Cyril. Ierosol. Cateches. 3. *Vides locustas manducantem, & alas parantem animæ, melle vescentem, & dulciora melle, vtilioraque loquentem.* Tanta Ioannis erat præstantia, vt quod manducaret, statim conuersatione monstraret; & vt mel, & animalcula pennata manducabat, sic ipse totus ostẽdebatur pennatus, & totus dulcedine manans. Et nos manducamus Phase, id est, transitum Domini, & non transibimus à vita mala? Manducamus agnum Dei, & lupi euadimus? Manducamus volucrem spiritũ Iesu, & non in cœlum volamus? Proh miseri nos! proh fœlices illi! quibus in conuersatione apparet, quod in cœlesti mensa manducarũt: Exod. 18. *Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocausta, & hostias Domino, veneruntque Aaron, & omnes seniores Israel, vt comederent panem cum eo coram Deo.* Post epulum videns Iethrò vt vnus Moyses omnium popularium audiebat causas, stultitiæ hominem arguit, docetque, vt debeat muneris curas partiri. Quod & Moysi, & omnibus placuit. Sed quid mysterij est, quod verba hæc tantæ prudentiæ non dicã-

Exod. 18.

tur

tur à Iethrō nisi post oblatas hostias, post epulum captū. In Iethro notabatur populus Christianus, qui sapientior Iudæis apparet post epulum cęlestis panis, cuius virtutem statim in colloquijs sapientibus incipit demonstrare. Ait D. Cyril. Alexan. lib. 3. de Adorat. in spiritu: *Iys igitur, qui sunt in lege, etiam sapientiæ nomine superiores sumus: & qui legis sermonibus imbuimur, postea quam comedimus panem in conspectu Dei, meliora tum sentire, tum loqui didicimus.* Et quis de diuino epulo non exugat, quod promat in vita? Cum Maria virgo esset in nuptijs, videns defectum vini, statim nuptorum miserescens verecundiæ Ioan. 2. dicit ad Iesum, *Vinum non habent.* Multæ erāt ibi fœminæ, sed nulla miserta est nisi virgo Maria; & vnde hæc sola miserta est? Ait D. Bern. serm. 1. post Epiph. *Compassa est enim eorum verecundia, sicut misericors, sic benignissima. Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas? Quid mirum si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi seruabit odorem? Quanto igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit?* Vbi pijssimum Iesum Maria in visceribus tenuit, & ipsa pijssima fuit effecta; quem enim in visceribus habuit signabant opera, & virtutes eius; ne nos habentes Iesum in pectore valeamus eius virtutibus non respondere. Similiter mater Samuelis postquam concepit, pepetitque prophetam, filium obtulit Deo, & in propheticum canticum erupit, ait enim 1. Reg. 1. *Et adorauerunt ibi Dominum. Et orauit Anna, & ait: Exultauit cor meum in Domino, &c.* Pro quo ait Theodor. ibi quæst. 5. Admiratione dignus est eius hymnus. *Neque solum enim ob ea, quæ accepit, laudibus celebrauit donatorem, sed etiam hymnū temperauit prophetiæ, & filij gratiæ fuit particeps. Nam cum concepisset prophetam, prophetat post partum.* Sic quem in visceribus habuit, operibus designauit, in virtute prophetiæ similis illi facta. Et ego habens Iesum in visceribus, illum in conuersatione non designabo? Propheta existens in ventre Annam in similes virtutes ferebat, & Iesus in meo corde existens me similem sibi in conuersatione nō faciet? Luc. 11. Extollens vocem mulier de turba aiebat: *Beatus vēter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò beati, qui audiūt verbum Dei, & custodiunt illud.* Non detraxit laudi matri exhibitæ, vt quæ portauerat ventre tantum filium; sed potius explicabat, quid inde illa haberet; existens enim Dei verbum in ventre fœminæ, quasi non posset illam non facere studiosissimam audiendi, & custodiendi verbi diuini. Quo attendens D. Basil. Seleu. orat. 39. sic argumentatur: *Lapides, qui sanctorum oculant corpora, ys, qui male aguntur, si modo pro dignitate accesserunt, salutem dare possunt. Quod si ijs tam rara concessit, quale pretium matri dederit?* Et quidem argutissime excogitatum. Marmora enim ex eo solum, quod sanctorum in se recipiunt cineres, & medicinam exhalant, & salutem; mater, quæ in visceribus habuit Deum viuum, ad quas virtutes non exurget? Et nos, qui in pectoribus recipimus panem viuum, quanta ignauia erimus, si inde in mirabilem sanctitatem non profilimus.

Cyr. Ale.

D. Bern.

1. Reg. 1.

Theodor.

Luc. 11.

Basil. Sel.

§. XII.

Qualis tu Deo, talis tibi Deus.

EGressus in agrum Iosue vidit è regione virum stricto gladio venientem; ait enim: *Leuauit oculos, & vidit virum stātem contra se euaginatum tenentem gladium.* Angelus repręsentans Deum se obijcit Iosue stricto gladio accinctus ad prelium. Et cur Iosue se Deus obijcit sub viri præliatoris specie? Erat tunc Iosue in illo animo vt præliarerur cum hostibus pro populo Dei, nec miror, quod qualis ipse existat pro Deo, & talem pro se Deum inueniat. Ex quo ait D. Paulinus epist. 4. *Quam digne vicem huic Domino referre poterimus, in quo & mortui viuimus? Qui vicissim nobis hoc esse dignatur, quidquid illi fuerimus seruuli sui.* Hic est Deus noster, talis sit nobis, quales nos illi sumus. Qualem speciem nos Deo exhibemus, talem in Deo erga nos inuenimus. Gen. 22. dicebat Dominus Abrahamo: *Tolle filium tuum vnigenitum Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres illum in holocaustum, &c.* Et mirabar, quod Deus omnipotens, qui facile & tute posset Abrahamo filium sibi eripere, nolit eripere eū, sed magis postulet ab Abrahamo, vt ipse offerat. Cur petis Domine, quem tu potes accipere absque resistentia vlla? Petierat Abrahamus à Deo multis illum filium, quē precibus, & rogatu ex Deo acciperet, ideo Deus talem se exhibens Abrahamo, nō aliter agit cum illo, quam rogans, & postulās filium offerri sibi. Ait D. Basil. Sel. orat. 7. *Quem Deus dedit, repetit; quem rogatus dedit.*

D. Paul.

Gen. 22.

Basil. Sel.

rat, rogans recepit: is, cuius in poteſtate eſt vt mactaretur, flagitauit. Sanè poterat Deus Abrahamo eripere filium, illumque mactari; at maluit petere, maluit rogare, maluit non tam accipere ſpeciem eripientis, quã rogantis. Et cur rogantis ſpecies magis placuit? Aiunt illa: *Quem rogatus dederat, rogans recepit.* Abrahamus rogans Deum ab illo filium obtinuerat, ideo Deus ſe Abrahamo conformans, etiam rogans accedit, & filium repetit. Nunquam enim nõ Deus tibi erit, quod tu fueris Deo. Ibat Gedeon contra Madianitas Iudic. 7. quorum vnus miles ſic ſomnium ſuum alteri narrabat: *Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcineritius panis exhordeo volui, & in caſtra Madiam deſcendere; cumque peruenisſet ad tabernaculum, percuſsit illud, atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit.* Sic Madianita miles ſocio ſuo ſomnium narrabat, cui alter ſtatim ait: *Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis filij Ioas viri Iſraelitæ, tradidit enim Dominus in manus eius Madian.* Et vnde iſte ſomniorum interpres ex pane aduenientè conijcit gladium ibi eſſe? Quid gladius cũ pane? Ex quo principio in pane â Deo immiſſo ſuſpicabatur gladium? Ad rectam ſomniorum interpretationem illud in primis ſpectandum eſt, quo figuræ proportionentur figurato. Panis autem, vt quilibet alius cibus hoc habet, quod in ſubſtãtiam accipientis mutatur; qui enim panis manducatur ab homine homo fit, qui à leone leo. Sapienter ergo vbi vidit panem immiſſum à Deo recipi à Madianitis armatis, gladios bellumque minantibus, coniecit panem illum eſſe gladium, quando ad accipientium ſpeciem erat mutandus. Nec enim Deus alius futurus erat in Madianitas, quam Madianitæ erant in Deum. Ij in ore gladij veniebant aduerſus populum Dei; & Deus aduerſus illos exhibiturus erat gladium, qui eos voraret. Sic enim certum eſt, quod qualis fueris in Deum, talis tibi Deus erit; vt ex eo quod à Deo habeas, facile videas, quid tu illi dederis.

Hinc Gen. 3. vbi dicebatur Adamo: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, quo diuiſionem corporis, & animæ illi Deus comminabatur. Et cur diuiſionis hac pœna placuit Deo hominem mulctare? Ait Algerus lib. 2. de Sacram. cap. 6. *Quia peccando Adam â Deo diuiſus eſt, ideo Deus poſtmodum in morte corporali diuiduum cum fecit â ſe ipſo: vt in corporis, & animi diuiſione cognoſceret, quia ipſa eius anima, Deo, qui vera eſt vita, non adhæſiſſet.* Nullo clarius cognoſcas, qualem te exhibueris, quam expertus qualem ſe tibi Deus exhibeat, adeò vt miraculũ ſit, quod Deus aliter ſe gerat cum homine, quam homo cum Deo. Actor. 7. dum Stephanus multis eſſet circumſeptus Iudæis clamabat: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem a dextris Dei. Et clamantes autem voce magna continuerunt aures ſuas.* Ecce tibi Iudæi aures obſtruebant, Stephanus autem, illis cœlum apertum oſtendebat. Quã tum hoc? Ait D. Auguſt. ſerm. 99. de diuerſis: *O magnum miraculum! Cœli ianuæ aperiũtur: & Iudæi mentes impias concluſerunt.* Sanè magnum, & raro auditum miraculũ eſt, quod aliter Deus ſe habeat cum hominibus, & aliter homines cum Deo ſe habeãt. Miraculum eſt, quod Iudæis claudentibus aures Deo, Deus illis cœlum non claudat. Talis enim Deus ſolet hominibus eſſe, quales homines Deo. Infra cap. 18. §. 2.

Actor. 7.

D. Aug.

§. XIII.

Charior Deo eſt, qui eum in paſsione, quam qui in gloria ſequitur.

VIſo viro cum ſtricto gladio ſtatim ad eum Ioſue acceſsit ſine vllo impedimẽto, dicit enim: *Perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an aduerſariorum?* Non ſic permittitur Moyſes accedere ad rubum ardentem; de quo ait Exod. 3. *Dixit ergo Moyſes: Vadam, & videbo viſionem hãc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eũ de medio rubi, & ait: Moyſes, Moyſes. Qui reſpondit, Adſum; at ille, Ne appropries, inquit, huc, &c.* Vtrumque vidit Dominus pergentem ad videndum, & Ioſue, & Moyſem; Ioſue autem non impeditur, quo minus accedat, Moyſes autem impeditur, ne appropiet. Et cur minus placuit Moyſes accedens, vt impediretur, quam Ioſue, qui ſine vllo impedimento fuit admiſſus? Moyſes dicebat, *videbo viſionem hanc magnam*, magnalia ſola Dei diuinoſque triumphos ſpectaturus; Ioſue non magnalia, non triumphos attendebat, ſed vel minima militiæ accedebat ſubiturus. Nec miror, quod plus placeat, qui vel in militiæ puluere velit cõformari Chriſto, quam qui mirabilia ſpectat, & triumphos. Ex hoc aiebat Gilliber. Abb. ſerm. 20. in Cant. *Non ne dulcem quandam deſiderij ſui paſſus eſt violentiã Moyſes, vt tranſiret, & videret viſionem illam magnã? Ego bone Ieſu, reſurrectionis tuæ non expecto*

Exod. 3.

Gil. Abb.

clo gloriam, nec admirationem meam ascendẽtis in cœlum reseruo potentiæ, sed statim in initio natiuitatis tuæ voces Angelicæ aures meas percellunt, & rumor nouus stupefacit me, & ad se rapit insueta lux exortæ in tenebris. Sic bonus Christi assecla studet magis in minimis militiæ Iesu hærere; quam ijs omissis ad magnalia transire eius. Ad nascentis vagitus, ad humilem cum pastoribus conuersationem, ad circuncisi euaginatum cultrum currebat anxius, vel in ijs abiectis militaturus Deo; credens meritò se hinc plus placere, quam si magnalia sola meditaretur. Et quis non plus placeat amans in minimis militiæ Christianæ cum Iesu esse, quam in glorijs, & triumphis eius? Luc. 1. de Ioanne Baptista dicitur: *Ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.* Et cur non dixit, quod Ioannes erit ante Iesum sicut Elias; sed notanter dixit in virtute, & spiritu Eliæ? Planè Ioannes vt similis erat Eliæ in spiritu, & virtute annuntiandi Iesum, & annuntiandi illum per vitæ asperitatem; at in præsentia personali exhibenda Iesu longe excedebat Eliam. Ioannes enim præsens fuit Iesu in matris visceribus existens, in Iordane baptizans eũ humilem, in ciuitate dicens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi; sic spectabat Iesum in abiectis, in humilibus. Elias autem solum affuit Iesu in gloria Thaboris; ex quo capite gratior, & præstantior extitit Ioannes Elia. Hinc Beda ibi componens vtrumque ait: *Ambo deserta secuti, victu frugales, cinctu sunt despecti. Ambo regis, & regina vsaniam tolerant. Ille Iordanem, cœlum petiturus; diuisit; hic ad lauacrũ salutare, quo cœlum petatur, homines conuertit. Hic cum Domino versatur in terris, ille cum eo manifestatur in gloria.* Ecce tibi in quo similes, & in quo maximè dissimiles, similes in vitæ conuersatione, in victu, & vestitu; dissimiles in Iordane, quando Elias illum sibi trãsituro diuisit, vt raperetur inde in cœlum; Ioannes autem præstantiora moliebatur in Iordane, præparans inde lauacra, quæ homines ad cœlum ducerent. Sed, & illud præstantius in Ioanne fuit, quod apparuit in terris cum Iesu dum humiliaretur; at Elias solum apparuit cum Iesu, dũ in Thabor glorificaretur. Eæ autem virtutes, quæ plus habent laboris, & pulueris, & minus gloriæ externæ plus solent placere Iesu. Cantatissimum Iesu facinus fuit, quo quinque millia hominum paucis panibus in deserto pauit. Ioann. 6. *Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, similiter ex piscibus, quantum volebat.* Magnum hoc. Sed accipite aliud ab ipsa Iesu gratia factum per sanctam fœminam Melaniam; hæc tempore persecutionis cum ingenti vitæ periculo quinque millia Monachorum pauebat. In quo ergo Iesus sibi magis complacuit; an in pastis à se per discipulorum manus, an in pastis à se per manus Melaniæ? Ait D. Paulinus epist. 10. *Eadem tempestate per triduum, quinque millia Monachorum latentium panibus suis pauit Melania, vt per eius manum iterũ Dominus Iesus pristinum numerum in deserto pasceret; tanto quidem nunc impensiore clementia, quanto minore licentia fouebantur occulti, quam illi quondam qui ad Dominum voluntarie in libertate, & pace conuenerant. Sed hæc nec timida deprehendi, interdictum secura præbebat officium; nec volens gloria operationis agnosci, tamen operis magnitudine prodebatur.* Sic ibi Melaniæ facinus in Christo extollitur, vt quo magis pulueris, magisq; periculi arripiens, gloriam, splẽdoremque fugerit facinoris.

Luc. 1.

Beda.

Ioann. 6.

D. Paul.

§. XIIII.

Tepiditas exosa Iesu.

ARmatum coram se videns Iosue, statim accedit, & interrogat; *Noster es, an aduersariorum?* Sed posset esse neutrius, vel vtriusque partis quasi medius. Cur solum de extremis interrogat? Medium vergit ad teporem, sic Iesu exosum est, & inter aduersaria numeratur, qua parte vis non amplius in via Dei proficere, & a primis operibus deficere. Ait Gillib. Abb. serm. 30. in Cant. *Tu dicere soles: Sufficit, si nec noster sit, nec aduersariorum. Sed non ita noster Iesus, qui ait: Noster es, an aduersariorum? Medium nihil relinquens.* Non placet Iesu medium, quod teporem insinuat, nec æstimat illud. Ierem. 24. duo calathi erant pleni ficis in tẽplo Domini; *Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, vt solent ficus esse primo temporis; & calatus vnus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ.* Erant quippe vel malæ nimis ficus, vel bonæ nimis, & cur non mediocres, ibi inueniabantur? Ex quo D. Hier. epist. ad Eustoch. de munusculis: *Optamus te de illis pomis fieri, de quibus Deus dicit: Quia bona bona valde. Nihil quippe saluator medium amat. Et sicut frigidum non refugiens, Calidis delectatur, ita tepidos in Apocalypsi euomere se loquitur.* Sic semper Iesus abominatur me-

Gil. Abb.

Ierem. 24.

D. Hier.

medium, quod teporis eſt. Quo ſpectans
Matt. 12 Matth. 12. ait: *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non congregat mecum, ſpargit.* Cir-
Gil. Ab. ca quæ aiebat Gillib. Abb. ſupra. *Eccleſia cum ſponſo dicere nouit. Qui non eſt mecum, cõtra me eſt. Nihil medium relinquens, aut colligis eum illa, aut certe diſpergis; aut cum illa es, aut contra illam.* Nunquam virtutum rebus proficiunt media tepidorum; imò qui à parte virtutum ſtat, æque ſibi putet aduerſarios, eos qui mediĳ ſtant in teporem
Apoc. 2. declinantes. Hinc Ieſus Apocal. 2. Epheſi Epiſcopum monebat. *Prima opera fac.* Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum
D. Hier. tuum. De quo D. Hieron. epiſt. de ſcientia diuinæ legis ait: *Conſideremus, quantus caſus ſit temere contemnentis, cum tanta ruina dicitur eſſe in negligentia obſequentis. Tepidũ diſcipulum non amat Chriſtus.* Huc ſpectat
Luc. 11. illud Chriſti quando Luc. 11. monebat. *Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Expen-
D. Leo. de illud: *Ardentes*; pro quo D. Leo ſer. 1. de Pentecoſt. *In templo ſuo nec tenebroſum aliquid vult eſſe, neq; tepidum.* Sic ibi.

§. XV.

Arrogantia maximè excludenda ab eo, qui velit Deum ſibi intereſſe.

NEc ſcitanter expendendum eſt, quale munus ſibi adſcribat coram Ioſue vir ille, qui armatus ei apparebat; quippe ait: *Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Audio aliquando cœlitus milites veniſſe, qui Iſraelitas fouerent, nimi-
Maſch. 2. rum Machab. 2. cap. 10. dicitur: *Cum vehemẽs pugna eſſet, apparuerũt aduerſarijs de cœlo viri quinq́, in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes armis ſuis circũſeptum incolumem conſeruabant, in aduerſarios autem tela, & fulmina iaciebant.* Ecce tibi Machabæo Imperatori cœleſtes virtutes dantur, quæ ei militent; at Ioſue quę apparet virtus non militem ſe dicit, nec ducem, ſed ſupremum exercitus Domini Principem ſe nominat. Ait enim: *Sum princeps exercitus Domini, &c.* Illi milites agunt ſub Machabæo, & viriliter pugnant, hic ante pugnam, ſe principem exercitus Domini ſtatuit coram Ioſue. Et quando Machabæo milites cœleſtes dantur, cur Ioſue nõ milites, ſed ipſe Princeps exercitus dicitur adeſſe? Plane in Ioſue ingentis populi principe, hoc procurabatur, ne quid victoriarũ triumphorum ve ſibi arrogaret, audiẽs aliũ ſupremum principem intereſſe, cuius nutu omnia erant moderãda. Sic ait Maſius fol. *Maſius.* 94. Principem exercitus Domini apparuiſſe Ioſue; *Vt Ioſue animus aduerſus arrogantiam in futuro curſu rerum proſperrimo præmuniatur. Quo vitio vix aliud deteſtabilius, inuiſiuſque Deo concipere homines queãt. Namſi pro maximo ſcelere habetur falſorum deorum cultus, vt eſt, ſanè maximum; non video cur pecces grauius, turpiuſque ſi vano cuipiam ſimulacro accepta referas, quæ à Deo profecta ſunt, quam ſi tibimet ipſi* (tropica hoc exaggeratione dictum intellige.) Audiat Ioſue alium eſſe ſupremum principem Dominici exercitus, vt radix arrogantiæ tollatur, qua ſe exercitus principes extollere ſolent de triumphis partis. Nec miror, quod cui parabatur tanta Dei aſsiſtentia in triũphis, hoc in primis illi eripiatur vitiũ, ne ſibi arrogare poſsit gloriam; quod maximè Dominus fugit. Matth. 8. Scribæ vo *Matth. 8.* lenti ſequi Ieſum reſpondit Dominus: *Vulpes foueas habent, & volucres cœlinidos, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Agebat ſanè de corde illius ſcribæ, in quo fatetur Dominus non habere, vbi caput reclinet. Et cur in corde amantis Ieſum ſequi, nullus erat locus Ieſu? Ait D. Aug. lib. 22. contra Fauſtum cap. 48. *Videbat eũ* *D. Aug.* *doloſa ſimulatione tenebroſum, & ventoſa elatione iactatum, non habere ſi dei locum, vbi ſe inclinantem doctorem humilitatis exciperet: quia in diſcipulatu Chriſti, non illius gratiam, ſed ſuam gloriam requirebat.* Neceſſum erat, quod reijceretur à Chriſto, qui in eius ſequela, aliquid quærebat, quod arrogaret ſibi. Nunquam enim Deo non abominabilis eſt animus, qui propriæ gloriæ, magis ſtudet, quam diuinæ. Matth. 22. dum cele *Matt. 22* brantur nuptiæ filij Dei, multique adſunt ſplendentes conuiuæ; *Intrauit rex, vt videret diſcumbentes; & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali*: quem in ipſo conuiuio ligatum pedibus manibuſque iubet in tenebras exteriores mitti. Et cur tanta, & tam celer pęna in hominem, eo ſolum, quod careret nuptiali veſte? In nuptiali veſte exprimebatur habitus, qui nuptijs, & nuptis honorem deferret; iſte autem miſer non curabit honorem nuptorum, ſed ſuum, inde in tantam calamitatem fuit dimiſſus. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 19. ait: *D. Aug.* *Quod poſuimus de veſte nuptiali, vt demonſtraremus quantum eſſet nefas ſacras nuptias adire, quærentem ibi gloriam, non ſponſi; ſed ſuã. Non immeritò dãnatur innuptijs cœleſti-*

bus,

bus, qui eo veniebat suã gloriam quærens, non gloriam sponsi diuini. Eu quot in fine damnabuntur, qui inuenientur in muneribus sacris eo solum spectasse, vnde sibi gloriam arrogarent, non vnde illam Deo attribuerent.

§. XVI.

Diuinis multa reuerentia exhibenda.

VT nouit Iosue Dominici exercitus principem, eum quanta reuerentia potuit, adorauit, dicit enim: *Cecidit Iosue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum?* Nec mora, statim de Angeli præcepto abiecit calceos. Et meritò, nunquam enim non maxima reuerentia exhibenda est diuinis, & sacris. Sic Matth. 8. dum Iesus promitteret se iturum in domum Centurionis, vt filiũ eius curaret; ipse statim obuiabat aiens: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum; sed tãtum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Cur bonus nõ magis petit, vt vadat? Cur maluit eunti in salutem filij obuiare? An non anxie cupiebat pueri sanitatẽ? Cupiebat sanè, sed maior illi cura, & solicitudo erat, ne circa reuerentiam tanto Domino debitam erraret. Ait enim D. Chrysostom. hom. 27. in Matth. *Sic nec doloris magnitudo adeo animum eius confudit, vt tanta calamitate pressus non philosopharetur. Nõ enim salutem solũ filij respiciebat, sed ne quid ipse minus decẽter diceret, aut faceret, animaduertebat.* Hæc homini prima solicitudo erat inter dolores filij infirmantis, inter ardentissima sanitatis desideria, nequid indecens aut diceret, aut faceret coram Deo. Nec miror, nam 2. Reg. 6. Oza interfectus est ex eo, quod arcam Domini parum reuerenter tractarit. Sic enim ait. *Extendit Oza manũ ad arcã Dei, & tenuit eã, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratus est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum contra temeritatem, &c.* Circa cuius casum sapienter ait D. Patianus Paraenes. ad Pœnitentiam: *Ozas, qui inexplorata conscientia latus arcæ attigerat, occisus est, & tamen ille non vt aliquid ex ea sumeret, sed vt declinantem contineret, accesserat. Tanta fuit cura diuina reuerentiæ, vt audaces manus, nec ob auxilium sustineret.* Expende illa: *Nec ob auxilium, &c.* Quippe auxiliatori aliquid amplius permittendũ, at Deus etiã in eo, qui videbatur auxiliũ arcæ præstare, irreuerentiam acriter animaduertit. De quo alias sæpè.

Matth. 8.

D. Chrys.

2. Reg. 6.

D. Patia.

CAPVT OCTAVVM.

Ierichò expugnatur.

Textus Historia.

POST Hæc vbi cœlestis Princeps audiẽtem sibi Iosue reddidit, hominem instruit, quibus debeat artibus munitissimam vrbem Iericunthinam capere. Erat Vrbs altissimis, firmissimisque mœnibus obsita, nec vllus patebat aditus, quo vel egrederetur ciuis, vel hostis intraret. Vbi autem illuxit vigesima secunda dies mensis, Nisam armatorum Israelitarum manus procedere cœpit versus ciuitatem; sequebantur armatos septem Sacerdotes totidẽ sonantibus tubis, quibus iubilæi annus solebat publicari. Continuo ibat arca fœderis duorum clarissimorum Sacerdotum sublimis humeris; postremo vniuersa populi multitudo arcam comitabatur. Et ordine, tacente populo, sonantibus tubis, totius vrbis circuitum semel in die perambulãt. Septima autem die, non semel, sed septies eundem repetunt cursum, donec vehementius sonantibus tubis, vniuersoque populo conclamante, mœnia sponte decidunt, & liber aditus vndequaque Israelitis patet. Ergo vt erant armati intrant vrbem, & iuxta Dei oraculum nulli viuentium parcunt, vna sola domus Raab parẽtibus, cognatisque plena effugit cladem, quæ salutis exploratoribus datæ nunc præmia capit. Educitur bona fœmina parentibus, cognatisque comitata, quorum singulis licitum erat vniuersa bona sua saluare: Ardebant interea omnia, iubente Deo, ne vel filium pessimæ gentis maneret; sola auri solidi, argẽti vè, æris, ac ferri spolia seruari permittuntur, quæ ad sanctuarij pertinerent thesauros. Sic floridissimam vrbem paucis horis ad cineres redactã fleuere vicini, tremẽtes ad Iosue famam, qui maledictis prosecutus eum, qui vellet Ierichò reædificare, ingentẽ gloriam nomini suo comparauit.

MORALIA CIRCA textus literam.

AD Ierichò spolia festinat calumus, eo lætior, quo scit, nihil inde seruari, nisi quę vni Deo, eiusq; thesauris sacrãtur.

Iosuè 6. Ierichò autem clausa erat, atque munita, timore filiorum Israel, & nullus egredi audebat, aut ingredi. Dixitque Dominus ad Iosue: Ecce dedi in manu tua Ierichò, & regem eius, omnesque fortes viros. Circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem, sic facietis sex diebus. Septimo autem die Sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus est in iubilæo, & præcedant arcam fœderis, septiesque circuibitis ciuitatem, & Sacerdotes clãgent buccinis. Cumque insonuerit vox tubæ longior, atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, clamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent, &c.

§. I.

Religio validior est omnibus telis ad hostes perdendos.

ECce tibi pro diruenda munitissima hostium vrbe quæ arma apud Israelitas parentur; dicit namque: *Sacerdotes tollant septem buccinas, &c.* Non tormenta bellica, non machinæ æneæ, nõ arietes ferrei; sed Sacerdotalis sonus paratur, cui sanè nulli hostium resistunt munitiones. Simile accidit Macedonibus, quam Iericunthinis; erat enim validissimus Macedonũ exercitus contra vrbem Vsiditana nomine; quem ciues maximè timẽtes, positis armis, rem committunt Sacerdotibus. Quid tũc? Ait Iordanus Episcop. Rabenatis lib. de rebus Geticis: *Vnde, & Sacerdotes Gothorum aliqui, illi, qui pij vocabantur, subito parefactis portis, cum citharis, & vestibus candidis obuiã sunt egressi; paternis dys, vt sibi propitij Macedones repellerent, voce supplici modulantes. Quos Macedones sic fiducialiter sibi occurrere conuentes stupescunt, & si dici fas est, ab inermibus terrentur armati.* Quid pulchrius? Et Vsiditanæ, & Ierichò Sacerdotũ cantus hostes validissimos prosternunt; vtrouique similia gesta sunt, nisi quod illic ciuitatis Sacerdotes cantibus exeũt ad externos hostes, eosque perdunt; hìc autem Sacerdotes externi exercitus cantibus ciuitatem hostilem cingunt, soloque æquãt. Ammonitæ, & Moabitæ iunctis viribus ingentem exercitum conflarunt, quo aduersus Iosaphath regem Iuda veniebant. Iosaphath autem impari manu audet illis occurrere, dumque iam iã duo exercitus prope essent, ait Iosaphath ad suos. 2. Paralipom. 20. *Audite me viri Iuda, & omnes habitatores Ierusalem; credite in Domino Deo vestro, & securi eritis, credite prophetis eius, & cuncta euenient prospera. Deditque consilium populo, & statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum ac voce consona dicerent; Cõfitemini Domino, quoniam in æternũ misericordia eius. Cumque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammõ, & Moab, & mõtis Seir, qui egressi fuerant; vt pugnarent contra Iudam, & percussi sunt, &c.* Ecce tibi bonus rex in fronte exercitus sui cantores posuit, qui dulci, pioque modulamine laudes Dei personarent. Nec mora, vt cantores cœperunt Dei laudes canere; hostes in se ipsos bellum cõuertunt, & mutuo percutiuntur, & ingẽtia relinquunt Iudæis spolia. Pulchrè ait Theodor. ibi: *Exercitum iussit præcedere non pugnaces Principes arma portantes, sed Leuitas hymnos canẽtes. Qui autem dissipat consilia gentiũ, & populorum irritas facit cogitationes, hostes inter se inuicem concitauit. Et primi quidem Ammonita, & Moabita consumpserunt Idumæos. Deinde inter se congredientes, se inuicem similiter confecerunt. Rex autem cum subiectis aspiciebant stragem hostium. Postquam omnes ceciderunt, secure mortuos spoliarunt, & omnẽ prædam abduxerunt. Accepit autem etiam cãpus ille cognomẽ Benedictionis, fuit enim appellatus Vallis Benedictionis.* Et meritò; benedictio namque Dei omnibus armis valentior est ad fundendos hostes. Ride arma, vbi est veri Dei benedictio, veri Dei in cantibus, & laudibus exercetur religio. Rex Israel, & rex Iuda exercitum magnum ducebant aduersus Moabitas, dũque iter in hospitale esset, & in aquosũ in summo vitæ periculo cõstituti ad Eliseum Prophetã Domini cõfugiũt, à quo petũt auxiliũ. Ipse autem 4. Reg. 3. ait; *Adducite mihi psaltẽ. Cumq; caneret cœpisset, &c.* Auxiliũ cõtra hostes petebatur à propheta, & ipse psaltẽ postulat, & cãtare cœpit. Quid psaltes, & cãtus cũ pugna? Sanè 4. Reg. 13. dũ ipse victorias de hostibus vult Israelis regi promittere, ait illi: *Affer arcum, & sagittas. Cumq; attulisset arcũ ereũ, & sagittas, dixit ad regem Israel, Pone manum tuam super arcum; & cũ posuisset ipse manum*

Iord. Ep.

Theodor.

2. Par. 20

4. Reg. 3.

4. Reg 13.

manum suam, superposuit Elisæus manus suas manibus regis, &c. Vt victoriam in præsenti promittat, hostiumque stragem, sapiĕter arcum sagittamque afferri mandat, in arcu enim, & sagittis victoria speratur. Sic 2. Machabæor. 15. dicunt: *Extendisse Ieremiã dextram, & dedisse Iudæ gladium aureum dicentem: Accipe sanctum gladiũ munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel.* Sic in sagittis, in arcubus, in gladijs exhibitis annuntiabant prophetæ victorias Israeli; cur Elisæo placuit ad id in primis psaltes, & cantus? Equidem prudentissime ostendebat, in re periculi non minoris esse valentiæ cantus diuinarum laudum, quam bellica arma. Hinc Gedeon Iudic. 7. aduersus infinitam Madianitarum multitudinem trecentos solos viros elegit, *& dedit tubas in manibus eorum.* Cur non magis gladios, quam tubas? Equidem supra gladios, supra arma est sonus diuinarum laudum, vt meritò dicat Sidonius Apol. in car. 16. ad Faustum Reiensem:

2. Mach. 15.

Iudic. 7.

Sid. Apo.

Firmasti Gedeona, tubis inserte canoris
Spiritus, & solo venit victoria cantu.

Quippe vbi religiosus cantus est pro Deo laudando, ad perdendos hostes, ad victorias reportandas validissima virtus adest supèr omnia arma.

§. II.

Morti inferendæ à Deo nullus non patet aditus.

ECce ait textus: *Ierichò autẽ clausa erat, atque munita, timore filiorum Israel; & nullus egredi audebat, nec ingredi. Dixitque Dominus ad Iosue, ecce dedi in manu tua Ierichò, & regem eius, omnesque fortes, &c.* Expende quid Iericunthinus rex; quid Deus agat. Rex altissimis mœnibus obsitus intra inexpugnabilia munimenta se cõtinebat cum suis fortibus, nullus aditus nõ intercluſus erat: obfirmatę balbæ, vt nemini liceret malum inferre. Deus autẽ interea in Iosue manibus dandum asserit regem. Et quomodo rex adeò munitus, tot muris clausus poterit in hostis manus venire? Aut quà Iosue manus poterit accedere ad regem intra inexpugnabilia munimenta concluſum? Crede mihi, claudas licet, & obstruas omnes aditus, nunquam non patebis & pœnæ, & morti à Deo immissæ. Pulchrè aiebat Plinius in Paneg. Traiani de Nerone intra munitissimam domum clausum: *Domum nuper immanissima bellua pluri-*

Plin.

mo terrore munierat, cum velut quodam specu inclusa nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum ciuium strages, cædesque proferret. Obuersabantur foribus horror, & minæ, & par metus admissis, & exclusis. Ad hæc ipse occursu quoque, visuque terribilis. Superbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa. Non adire quisquam, non alloqui audebat, tenebras semper, secretumque captantem, nec vnquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi vt solitudinem faceret. Ille tamẽ quibus sibi parietibus, & muris salutem suam tueri videbatur, dolum secum, & insidias, & vltorem Deum inclusit. Dimouit, perfregitque custodias pœna, angustosque per aditus, & obstructos, non secus ac per apertas fores, & inuitantia limina irrupit. Expende ab illis: *Ille tamen, quibus sibi parietibus, &c.* Quippe concluſus intra muros validissimos, simul Deum vltorem scelerũ concludebat. Quid inde? Pœna, & mors à Deo immissa perfregit custodias, & per obtrusos aditus, quasi per apertas fores irrupit. Et quis aditus adeo obfirmatus, & obtrusus est, quẽ mors, & pœna debita non peruadat? Descenderat in certamen Achab rex Israel aduersus Benadad regem Siriæ: ediderat autem Benadab edictum, ne quis suorum alium peteret telis, nisi Achabum regem Israel. Verum Achab, vt tutius in certamine ageret, exuerat regia omnia ornamẽta, regia omnia insignia, latens sub habitu gregalis ducis. Quis magis occultus, & securus in illo certamine quam Achab? Quando solus rex petendus erat, ipse nihil regale præseferebat, regem exuerat: non ergo potuit illum mors inuenire? Imò ait textus 3. Reg. 22. *Vir autem quidam tetendit arcũ, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israelis inter pulmonem, &c.* Deus bone, quà potuit sagitta illa ad regem peruenire? Rex latebat sub gregali habitu, à nemine cognoscebatur, qui fieri potuit, vt illum sagitta inueniret? Ait Glossa ibi ex Iosepho: *Insuper cogitandum ex ijs, quæ Regi cuenerũt, quia quod debetur, neque dum præscitum fuerit, euitatur.* Caue homo, ne debeas pœnas Deo, si enim pœnas debes, & si præmoneris, & intra munitissima te occludes, omnesque ad te aditus validissime intercludas, nõ euitabis, quo minus ad te, & pœna, & mors accedat. Quo explico ratione illam, qua Atila rex Gothorum confirmabat milites, ne fugerent pericula. Ait enim apud Iordanem libr. de rebus Geticis: *Victuros nulla tela conuenient, morituros & in otio fata præcipitant.* Sic enim mor-

3. Reg. 22.

Gloss.

Iordan.

ti deberis, & in otio, & in medijs delicijs, quo nō perueniet ferrum, perueniet mors, quæ te præcipitet in sepulchrum.

§. III.

Impiorum consilijs Deus vtitur, vt eos in pœnas debitas trahat.

IEricunthinæ regionis incolæ vniuersi se se in ciuitatem receperant, ibiquæ munierant, vt sic se ab Israelitis defenderēt. Ait enim: *Iericho autem clausa erat, atque munita timore filiorum Israel, & nullus egredi audebat, &c.* Et quando Deus amabat, vniuersos regionis illius gladio Israelitarū percuti, cur fuit illos in tam munitam ciui
4. *Reg.* 4. tatem concludi? Aliter enim 4. Reg. 3. cum Moabitis factum est; erant enim illi munitissima vrbe concluſi; vt autem Deus illos traderet in manus Israelitarum, permisit illos in illam cogitationem venire, qua putarent Israelitas omnes esse à se mutuo occisos. Qua persuasione decepti cœperunt clamare: *Surge ad prædam Moab. Perrexeruntque in castra Israel: porrò consurgens Israel, percussit Moab; at illi fugerunt coram eis, &c.* Itaque vt percuterētur Moabitæ, permisit Deus eos decipi, & à munitissima vrbe exire, in campumque venire, quo perirent facilius. Cur similiter perempturus Iericunthinos, sinit illos sapiens consilium inire, vt se claudant in expugnabilibus vrbis muris? Cur non magis facit, vt foras egrediantur? Volebat Deus ita omnes Iericūthinos perdere, vt nec euaderet vnus; & ideo magis expectauit sapiens eorum consilium, quo se vniuersi in vrbem concluderent, metuentes, ne vel vnus foris ma
D. Amb. neat, vt sic vniuersi perirent. Sic D. Amb. in simili victoria dicebat Theodosio Imperatori ex nomine Dei epist. 29. *Ego perturbaui hostis tui consilia, vt ipse se nudaret. Ego ipsum vsurpatorem imperij ita vinxi, ac mentem eius ligaui, vt cum haberet adhuc fugiendi copiam, tamen cum omnibus suis, tanquam metuens, ne quis tibi periret, ipse se clauderet.* Equidem vt se sub muris validissimis tutaretur, consilium fuit hostis; at vt monstrauit euentus, magis id factum fuisse videbatur, ne quis victoriæ Theodosij deficeret. Sic enim Deus facit consilia impiorū suis supplicijs seruire. Quo spectans Iob cap.
Iob 18. 18. agens de Impio: *Arctabuntur gressus virtutis eius, & præcipitabit eum consilium suum. Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat. Tenebitur planta eius laqueo.* Græce legitur: *Erret consilium ēius. Im* *Lect. Gr.*
mittatur pes eius in laqueum, in rete inuoluatur, veniant super eum laquei. Quippe venatores vt feram capiant, illius effugia meditantur, ad quæ illa se recipere, & in quibus se soleat tutari; ibique, & laqueos, & retia parant. Sic Deus cum impijs facit, illorum studia, & consilia speculatur, quibus ipsi sibi, & effugia, & munimenta constituunt, & inde illis ineuitabilem deducit calamitatem. Ait enim in cat. Græca Nicetas: *Nicet.*
Quemadmodū animalia, quæ sese in laqueos, retia ve induerunt, euadere non possunt: sic impij necessarijs, è quibus eripere se nequeant, implicantur ærumnis, interim omni eorum consilio interuerso, atque in contrariam partem abrapto. Quod enim effugium suo consilio parabant, fit illis laqueus, quo tenentur expositi venatoris venabulo. Et quod munimentū salutis adstruebant, fuisse rete apparet, quo rapti sunt ad extremā calamitatem. Vnde clamabat Isaias cap. 8. *Congre* *Isai. 8.*
gamini populi, & vincimini, & audite vniuersæ procul terræ: cōfortamini, & vincimini; accingite vos, & vincimini. Inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet, quia nobiscum Deus. Vbi pro nobis Deus contra impios, ride illorum potentiam, illorum munimenta, illorum exercitum, nunquam non victi stabunt. Omnia illorum consilia, omnia verba victorias sibi asserētia, & triumphos, extremas afferent illis calamitates. Consilium, quo astruebant sibi prospera, & fœlicia, ingentes sibi ruinas conuocauit. Et hoc vnde? *Quia nobiscum Deus.* Sic semper consilia eorum, cum quibus non est Deus, vocant ruinas, qua salutem vocare putabantur. Hinc meritò illis
Isai. 50. irridens Isaias cap. 50. ait: *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flāmis, quas succendistis, de manu mea factum est hoc.* Expende illud: *de manu mea factum est hoc*; dicebantur prius impij accendisse ignem, flammas excitasse, in quibus iubeantur ambulari; & statim subdit, quod hoc ipsum factū sit de manu Domini. Si de manu Domini factum fuit, quod ignis accenderetur, in quo illi ambularent, quomodo & dicuntur impij illum accendisse? Equidem impij cōsilio suo illum ignem accēdebant, quo sibi ingentem gloriam traherent, at quod ipsi sub illo perirent igne à Deo fuit factū, qui dissipat consilia principum, ruinam inuehens, qua ipsi sibi consulebant magis.

§. IIII.

§. IIII.

Christi passio efficacissima ex se, vt homines à peccatis deterreat.

MIsericors Deus Iericunthinos ciues per septem dies circuncingens, illis locum pœnitẽtiæ offerebat, vt à peccatis abscederent. Quod crediderim, & tubarum vocibus fuisse conclamatum. Dicit enim: *Septimo autem die Sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus est in iubilæo, &c.* Notanter buccinas sumi dicit ex ijs, quæ seruiebant iubilæis, vt earum materiẽ designaret, nimirum arietina cornua. Ex cornibus namque arietinis erant tubæ iubilæi, vt placet Carthusiano, & multis probat in præsenti Serarius. Sed cur maluit in hac expeditione vti tubis corneis ex ariete, quam argenteis? Respiciebat, inquit Serarius, ad agnum immaculatum, qui pro nobis occissus est, vt auferat mundi peccatũ. *Apoc. 5.* De quo ait Apocal. 5. *Ecce in medio throni, & in medio quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terrã.* Et meritò iuxta septem cornua occisi agni septem tubæ corneæ parantur, nullo enim efficacius homines deterrentur à peccatis, quam ex repræsentatione mortis diuinissimi agni. Ex quo aiebat Euseb. Gallicanus *Euſ. Gall.* hom. 2. de symbolo: *Ita & Dominus noster Iesus Christus non solum diuinitatem, sed etiã mortem suam, & crucem post futuris voluit sæculis celebrari: vt à peccatis, propter quæ moriebatur, non solum nos Dei mandata reuocarent, sed illata pro nobis supplicia, & vulnera deterrerent.* Et quis nõ deterreatur, ne peccet, sed oderit peccata, videns innocentissimum agnum Dei occissum pro peccato? Dum filij Iob conuiuijs mutuis vacarent, bonus pater solicitus erat, ne forte in aliqua laberentur peccata, ideoque pro illis *Iob 1.* sacrificabat. Ait enim cap. 1. *Mittens ad eos Iob sanctificabat illos, cõsurgens q; diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim, Ne forte peccauerint filij mei.* Quæ verba sic exprimunt Septuaginta Vaticani cum *Lxx. Origin. Olymp. Chryſoſto.* Orig. Olympiod. Chrysost. in cat. *Offerebat sacrificium, & victimas pro ipsis iuxta numerum eorum, & vitulum vnum pro peccato, &c.* Quibus non solum in communi dicuntur sacrificia oblata à Iobo, sed & in particulari ostenditur vitulus, qui pro peccato mactabatur. Et cur Iob vitulum pro peccatis filiorum mactabat? Pulchram rationem tradit Orig. in rem præsentem, fatus lib. 1. *Orig.* in Iob: *Propterea vitulum illum coram filijs suis pro peccatis iugulauit, vt videres ipsi filij, quod pro alienis peccatis ille vitulus iugulatus moreretur, metuentes & pauentes, ab omnibus peccatis, quæ animas perimunt, declinarent.* Quid pulchrius? Putabat bonus pater, nihil efficacius esse, ad hoc vt filij peccatum fugerent, quam si in animalis vita viderẽt, quid mali peccatum efficeret. Ideo pro peccatis iugulabat vitulum, vt vituli vulnera prædicarent peccati venenum, à quo sapiẽtes fugerent. Quod si tantum posset vituli irrationalis occisio; quid facerent diuinissimi agni pro peccatis vulnera? Fallar, si quid efficacius proponi possit, vt detestemur peccata, quam si vel vmbra occisi agni diuini pro peccatis videamus.

§. V.

Agni diuini vel valatu fortitudo mundialis peccati cadit.

SApienter in hoc duello non argenteas, nec æreas tubas bellorũ sonare mandat, sed eas, quæ in anno iubilæi sonabãt, dicit enim: *Tollant septem buccinas, quarũ vsus est in iubilæo*; quæ, vt antea vidimus, cornuę erant, de arietinis cornibus factæ. Vt cum dicit septem, iam ad cornua diuinissimi agni referantur; de quo ait Apocal. 5. *Ecce in* *Apoc. 5.* *medio throni: agnum stantem tanquam occissum habentem cornua septem, &c.* Et quando quid tam nouum, tã mirabile dicitur de agno, quod septem cornua habet, manifestè cogimur credere hæc cornua in illis tubis adumbrari. Nec miror; quando, vt peccati mundialis munimenta cadant, nihil efficacius est, quã agni diuinissimi valatus. De Elisæo aiebat D. Aldhelmus lib. de Virg. *D. Ald.* cap. 10. *Elisæus vero eiusdem Eliæ duplo ditatus spiritu, & gemina præditus gratia, in cuius exortu aurea quadrupes in Galgalis bomboſæ vocis roboasse describitur, significans idololatriæ lapsum, & simulacrorum cæremonias explodendas.* Itaque vt sub Elisæi exortu aureæ quadrupedis mugitus, seu valatus fuit auditus, & statim simulacrorum, & idololatriæ ruina præsignata comparuit; cur diuinissimi agni sonitus per septẽ corneas tubas sub Iosue ostensurus ruinã mundialiũ scelerũ nõ trahat? Crede mihi, vbi huius agni valatus sonuerit, nõ manebit vllũ munimentum peccati, quod non cadat. Hinc Baptista videns Iesum clamabat Ioann. 1. *Ioann. 1.*

Ecce agnus Dei. Quid ais Ioannes? Mundus expectat regem, cuius triumphis viuant, & tu ostendis agnum? Agnus in macellum descendit, vt moriatur, non venit in arenã, vt triumphos agat. Cur ergo omittens triumphatorem, prædicas agnum. Ait D. Thom. in cat. ex Augustin. *Singulariter hic est agnus Dei, quia singulariter huius agni sanguine solo homines redimi potuerunt. Hic est agnus, quem lupi timent, qui leonem occisus occidit.* Et leones, & lupi pereunt, vbi auditur valatus agni diuinissimi pro peccatoribus occisi. Quis enim obsistat tantæ fortitudini? Aiebat Isaias cap. 11. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Quis sic leonem, & vrsum, & lupum confregit, vt abiecta seritate pascantur cum ouibus simul, nisi agnus ille noster, qui abstulit peccata mundi? Cyril. Alex. ibi: *Vitulo, & tauro leonem adiungit, vt intelligas fide iustificatos, & sceptro Christi subiectos non ex solis esse mundis, & sanctis, sed etiam ex agrestibus, videlicet ex gentibus, conglutinante eos, & ad concordiam animorum componente omnium nostrum seruatore.* Quippe vbi agnus iste noster apparuit, omnis cessit feritas; & in illo mansuefacti feralissimi quique extiterũt. Ait Gen. 22. *Leuauit Abraham oculos suos, viditque arietem inter vepres hærentem cornibus.* Circa quæ D. Ambr. lib. de Abraham cap. 8. *Demonstrat etiam genus passionis, cum suspensum ostendit cornibus arietem, virgultum illud patibulum crucis est. Et in hoc ligno præstantissimus ductor gregis exaltatus omnia traxit ad se.* Crede mihi nulla vnquam tuba sic rapuit animos audientium, vt vox diuini agni è cruce pendentis vniuersa ad se traxit, sibi subijciens quidquid erat in mundo rebelle. Vt dicat Psalm. 71. *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabũ, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ.* Circa quæ D. Hieron. ibi ait: *Quibus quidem totum hunc mundum sua passione, & cruce acquisitum, atque subiectum Christo Domino, omneque mundiale imperium, honores, ordines ad eũ accedere, eique colla summittere, propheta pronuntiat.* Et quid mundiale nõ se submittat voci agni diuini pro nobis occisi?

Iosue 6. Vocauit ergo Iosue filius Nun Sacerdotes, & dixit ad eos: Tollite arcam fœderis, &c. Præceperat autem Iosue populo, dicens: Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque vllus sermo ex ore vestro egredietur, donec veniat dies, in quo dicam vobis: Clamate, & vociferamini. Circuiuit ergo arcam Domini ciuitatem semel per diem, &c.

§. VI.

Silentium in sacris non paruæ virtutis est. Vbi periculum eorum, qui in domo Dei, inter sacra agunt de carnalibus augmentis.

DVm arcã fœderis circunferebatur, Sacerdotes tubis canebant, reliquæ omnes turbæ tacentes sequebantur iuxta præceptum Iosue, de quo dicit: *Præceperat autem Iosue populo: Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neq; vllus sermo, &c.* Nec immerito silentium petitur ex eis, qui arcã comitabantur, non enim vulgaris virtutis est, quod scias tacere in sacris. Hinc Nazianz. orat. 19. extollebat suam matrem, fatus: *Atque hæc insuper, quæ parua quidem fortasse sunt, apud me tamen in magno sunt pretio. Quo in genere illud est, quod in sacris conuentibus, aut locis nunquam illius vox audita est, necessaria tãtum, & mystica excipio. Quod si olim magnum, atque amplum altari erat, quod super ipsum nec visa, nec audita ascia esset, cur non illi quoque ad laudem magnũ sit, quod silentio sancta honorarit?* Et meritò vir sanctus inter magnas virtutes ponit, quod sacra silentio honoremus; quod, dum sacra fiunt, dum arca Domini circunfertur, dum Sacerdotes canunt, & orant pro salute mũdi, non inanibus vacemus verbis, sed ab omni abstinentes verbo prophano, quieti & silentes persistamus. Huc refero illud Apocal. 8. *Cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi dimidia hora. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ. Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habẽs thuribulum aureum, & datæ sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, &c.* Ecce vobis septem Angeli septem tubas accipiunt, quibus

Nazian.

Apoc. 8.

bus ante Deum canant; insuper Angelus accedit ad altare cum thuribulo habente incensa multa de orationibus sanctorũ omnium. Interea autem: *Factum est silentium in cœlo quasi dimidia hora*: dum tubis mysteria celebrant cantores, dũ super altare ponuntur orationes Sanctorum, vniuersa cœli militia profundè silens adstat. Et cur nõ magis tunc cœlites clamant, nisi vt doceãt homines, quanta reuerentia, & silentio debeant interesse sacris? Sanè purissima, & sanctissima est cœlestium virtutum loquela, sanctæ Angelorum voces; verum dum cantoribus tubæ dantur pro mysterijs celebrandis, dum acceditur ad altare, vt ibi cum thuribulo incẽsi orationes nostræ ponantur; vox etiam Angelorum adstantiũ intercluditur, & silentium ab omnibus amatur. Et nos homunculi, quorum ora sepulchra sunt patentia, & fœtentia, ægre feremus a prophanis verbis vacare, dum per dimidiam horam mysteria celebrãtur? Tacent Angeli inter mysteria, & nos verba
Nyl. Ab. iactabimus? Adhæc sanctus Nylus Abbas epist ad Anastasium Episcop. iuxta translationem nostri Turriani tractatu 2. de Euchar. capit. 2. ait de sancto Chrysostomo: *Itaque admiratione, & lætitia plenus Chrysostomus narrabat, quemadmodum cum sacerdos oblationem sanctam facere inciperet, plurimi Angeli è cœlo delapsi, splendidissimis stolis induti, nudo pede, aspectu intento, vultu demisso, circunstantes altare, magna reuerentia, & quiete, ac silentio vsque ad mysterij consummationem assistunt: Hæc autem scribo, vt intelligentes quanti tremoris sit diuina Missa, ne ipsi remissi timorem Dei negligatis; nec vllos alios loqui, aut musitare tempore oblationis permittatis.* Semper Angeli sui sunt similes, siue in cœlo, siue in terra videantur, nunquam non silentio, & reuerentia honorant mysteria sacra. Ne homunciones audeant vel in sacris, à verbis scurrilitatis, & prophanis non cessare? De silentij enim obsequio sacrorum vtilitas, & fructus maximus in ho
Isai. 32. mines veniet. Quo spectans Isaias cap. 32. ait: *Erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium*: Quæ verba putat Hugo Cardinalis dicta ad silentij commendationẽ, quod maxime pertinet ad id, vt iustitiæ opera sic colantur, vt maximos fructus ferant. Et quid magnum non oriatur ex sacrorũ cultura exhibita per silentium? Isaias cap. 14.
Isai. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo, in cœlum cõscendam, super astra Dei exaltabo sollium meũ*, &c. Cupiens ruinæ Angelicę causam scire, eius proponit radicem illis verbis. *Qui dicebas*, &c. quasi firmitatis, vel ruinæ causa in Angelis, non aliunde petenda sit, quam ex garrulitate, vel ex silentio. Quippe vt primo conditi spiritus Angelici fuerunt; alij summa reuerentia & silentio cæperunt mysteria diuina obstupescere; alij ad garrulitatem conuersi de proprijs thronis miscent colloquia, vnde pereunt. Ait Ricardus Victor. Institut. Monast. de claustro animæ lib. 4. cap. 36. *Multitudo Angelorum ante casum stetit, quandiu voluntati sui creatoris humiliter obediuit. Sed diabolus silentium rupit, locutus est superbiam, & in hæc verba prorupit: ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo. Similiter sicut Lucifer in cœlo, sic quidam*, &c. Equidem Michael cũ Angelis suis conditori suo in profundo assistebãt silentio, expectantes eius vocem, cui velox exhiberẽt obsequium. Indeque firmitatem, & quietem æternam sibi peperunt. Lucifer autem silentium rupit, vt dum alij adstant Deo, ille cum suis consortibus ageret de proprijs negocijs, de proprijs sedibus acquirẽdis, ne miremur, quod in tantam calamitatem lapsus fuerit. Sic in præsenti in domo Dei, inter ipsa sacra deflecti ad verba inania, siue de proprijs sedibus, proprijsque negotijs carnalibus, caueant, ne permittantur ire in reprobum sensum. *Ricard.*

Iosue 6. Die autem septimo diluculo consurgentes, circuiuerunt vrbem, sicut dispositum erat, septies. Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Iosue ad omnem Israel: Vociferamini, tradidit enim vobis Dominus ciuitatem, sitque ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt, Domino. Sola Raab meritrix viuat, cũ vniuersis, qui cum ea in domo sunt; abscondit enim nuntios, quos direximus.

§. VII.

Non parua infirmitas est homini, qui nullus est in orationibus vocalibus.

VBI inimicorum instat ruina, vbi triumphus Israelitarum plaudit, sapienter Iosue triumphatores impellit, vt vocibus ad Deum clament. Ait enim textus: *Dixit Iosue ad omnem Israel : Vociferamini, tradidit enim vobis Dominus ciuitatẽ.* Nõ enim sacerdotum est solum, quod clament vocibus ad Deum, sed & vniuscuiusque popularis, qui velit victoria non cadere. Summæ enim infirmitatis, & miseriæ res est, quod nec ore ad Deum clames. Psalm. 31. dicebat: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea.* Ecce tibi ex oris taciturnitate, qua nullæ voces ad Deũ fundũtur, ossa inueterãtur, infirmãtur, ne vlla de hostibus victoria possit reportari. Ait Dydimus in cat. Græca: *Quandoquidem exclamaui, hymnos Deo tota die concinens, nihil in me inueteratũ est, quin potius renouatus sum. Vbi verò à diuinis sermonibus abstinui, præ torpore silens, veternus vsque ad intima ossa mea penetrauit.* Et quid infirmitatis non contrahat os pigritans ad Deum clamare? Planè qui adeò desides sunt, vt integrum diem prætereãt, quin aliquod orationis pensum voce Deo exoluant, non mirer, quod sic veteraſcant, sic infirmentur, vt sub hostium iaculis cadant, & a Deo repulsam patiantur. Dicebat Dominus ad Pharisæos, Matt. 15. *Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias dicẽs: Populus hic labys me honorat, cor autem eorũ longe est à me.* Ex quibus verbis sapienter, & acute percutit D. Amb. eos, quorum os oppilatum est, nec ore vllas fundant ad Deum orationes, ait enim in Psal. 118. *Tu Christiane dormis, cui Magister est Christus, & non vereris, de te dicatur: Populus iste nec labys me honorat? Iudæus vel labijs, tu verò nec labijs. Si illius, qui vel labijs honorat, cor longè est a Deo, quomodo potest cor tuum prope esse, qui etiam labijs non honoras? Quandiù te somnus, quandiù te sæcularia tenent, quandiù solicitudo istius vitæ, quandiù terrena? Diuide saltem Deo tempora tua, vel quando non potes agere in publico quæ sunt istius mundi, & tenebræ prohibent noctis, Deo vacato, indulge orationibus, mane festina ad Ecclesiam. Defer primitias pij voti. Quàm iucundum inchoare ab hymnis!* Iudæus negans cor suum Deo, eius tamen honori dabat labia, vel fatente ipso Filio Dei, quod labijs honorabatur à Iudæo. Et nihilominus repellitur, abijcitur qui negato corde, dabat labia. Et quanto certiùs repelletur Christianus, qui nec cor præstat Deo, nec labia? Qui per integrum diem nescit mouere labia, vt aliquam Deo orationem faciat, vel dicat ei aliquam laudem? Qui talis est, reprobationem iudaica maiorẽ habet. Ergo qui sapit, singulis diebus vociferetur ad Dominum; habeat certum orationum, clamorumque pensum, quod Deo persoluat, & ingentes victorias de hostibus reportabit.

Psalm. 31

Dydimus.

Matt. 15

Amb.

§. VIII.

Vnius diuini Spiritus proprium, quod tibi prima non asseras.

AVdiuimus supra initio capitis, à Deo mandatum, & ordinatum, vt arca erat portanda, vt tubæ intonandæ, vt voces à popularibus emittendæ, vt ciuitas obsidenda; de anathematè autem nil mandat. Nunc primum ex solo Iosue ore ait textus; *Sit ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt, Domino.* Et posset dubitari, an hoc a solo Iosue fuerit ordinatum, an à Deo? Quod non à Iosue, sed à Deo mandatum fuisse, multis probat Serarius noster in presenti q. 39. Et planè mihi euidentissimum est id non fuisse ortum à spiritu humano, sed ad spiritu diuino, cuius vnius est, quod creaturæ non sibi primos operũ fructus asserant. Quo aspiciens Theodoret. quæst. 6. ait: *Hanc vrbem primam post traiectionem fluminis ceperunt : sicut ergo præcepit eis, vt offerrent primitias fructuum, ita mandauit offerri primitias spoliorum.* Ab vno, eodemque spiritu venit, quod hæc prima ciuitas capta Deo offerretur, & quod primitiæ omnes Deo offerantur. Solus enim Spiritus diuinus potest facere, quod creaturæ non sibi operis sui primitias rapiant, sed illas vel alteri, vel Deo cedant. Ioan. 1. locutus de Verbo diuino, ait: *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Expẽdè, quæ sit diuini Verbi lux, nimirum lux hominum, quasi id singulare habeat, quod tota lux Verbi fiat hominum: vt in quo illuxerit, statim illum impellat, ne tam sibi (vt ita loquar) prospiciat, quam alijs in perficiendo ministerio sibi deuito. Quod notans D. Nazianzen. orat. 43. colligit differentiam luminis nostri, aiens: *At nostrum lumen, non modo sæpius ortum habuit, sed etiam nocte scinditur, noctèque vicissim æquis partibus secat, oculis concreditum, ac per aerem fusum, atq; id, quod dat accipiens. Nam oculis cernendi facultatem præbet, & primum ab oculis cernitur.* Expende illam nostri luminis proprietatem,

Theod.

Ioan. 1.

Nazianz.

tatem, nimirum: *Primum ab oculis cernitur,* facit quidem noſtrum lumen, quod oculi cernant, ſed ita id præſtat, vt ipſum primo cerni debeat. Proh auaritiam creati ſplendoris, in hoc à diuino maximè differentis, quod illud, quod præſtat, primum ſibi recipiat, nec primitias vlli ali cedat. Longe aliud eſt diuini luminis ingenium, cuius illa ſunt verba Matth. 5. *Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Expende illud: *Vade prius*, &c. Scit primas alijs cedere, & ſe ponere in loco poſtremo, vbi opus fuerit. Ait D. Chryſoſt. hom. 16. in Matth. *O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorẽ Dei! Honorem ſuum deſpicit, dum in proximo charitatem requirit. Interrumpatur, inquit, miniſterium meũ, vt tua charitas integretur.* Sic viuidiſsimum Dei lumen ſcit alteri cedere primas; & vnum illud vbi noſtris animis affulgens facit, quod nos etiam alijs cedamus primas. Contrarium autem non niſi de malignitate noſtra poteſt venire, vt dicat Plinius in Paneg. Traiani: *Nom ambitio magis, quam liuor, & malignitas videri poteſt, ſi mũ illud purpuræ decus non niſi præceptum, præfloratumque tranſmittere:* Ea eſt enim humana malignitas, quę nihil ſplendidum a ſe tranſmittat, quin ipſa prius illo fruatur, & præceptum, præfloratumque dimittat.

Matt. 5.

Chryſoſt.

Plin.

§. IX.

Fœlix ille, qui ſe Deo adiungit in ijs, in quibus ab alijs deſeritur.

IN communi ruina Ierichò, vna Raab cum ſuis euadit læta, & viua, clamante Ioſue: *Sola Raab meretrix viuat.* Nec miror, quando ſola illa in ijs ſe Deo adiunxit, in quibus errauerant, Deumque offenderant vel ipſi Iſraelitæ. Poſt ſuperatũ mare, poſt ſubmerſos Ægyptios, poſt alia multa a Deo effecta mirabilia in ſalutẽ populi ſui; conflans populus vitulum, eumque in ara conſtituens, clamabat Exod. 32. *Hi dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti:* ſic populus ſtultus liberationem ſuam non Deo tribuit, ſed vitulo; verum Raab meretrix, vbi accepit hoſpitio Iſraelitas exploratores, illorum cõſulit ſaluti, inquiens: *Audiuimus, quod ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis ex Ægypto, & quæ feceritis duobus regibus*, &c. Ecce tibi vbi Iſraeli tæ liberationem ſuam vitulo tribuebant, veri Dei obliti; Raab meretrix illam ipſam liberationem verò Deo tribuit. Cur ergo Raab non viuat etiam in communi omniũ ruina coram populo Iſraelita? Crede mihi, fœlix eris coram Deo, ſi illi acceſſeris per ea, per quæ alij recedunt ab illo! Ad hæc D. Chryſoſt. hom. 5. de Pœnitent. ait: *Quid Raab fecit ad ſalutis argumentum? Suſcepit exploratores Raab, & quem prodidit Iſrael in deſerto, hunc prædicauit Raab in fornice: Quæ audiuit Iſrael, fide tot ſignorum habita, tantaque lege inſtructus, & negauit; hoc Raab in fornice recluſa prædicat. Dicit exploratoribus: Noui quanta Deus veſter fecerit Ægyptus dicit, & Iudæus: Hidy tui, qui eduxerunt te de terra Ægypti: & meretrix non dys, ſed Deo ſalutem adſcribit.* Ecce tibi vnde viuat Raab, vnde fœlicitatem ſibi, & ſuis acquirat: quod Iſrael nequiter Deo eripiebat; ipſa Deo prudentiſsime tribuebat: & ſecuriſsima eſt felicitatis via, ſi ex ijs ad Deum accedas, ex quibus alij abeunt in ruinam. Si quando Deus a domeſticis ſuis blaſphematur, & offenditur; tu inde exurgis ad laudandum illum, ſecuriſsimam tibi ad immortalitatem paras viam, Luc. 23. latro de cruce clamabat ad Ieſum: *Domine memento mei, cum veneris in Regnum tuum:* Cui continuo Ieſus ait: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Quantum hoc? Latronibus vilibus, & nequiſsimis paratur a Deo regnũ? Quos mundus propter ſcelera merito caſtigat, Dominus remunerat? Quid potuit in Latrone inueniri meritorium tantæ ſalutis? Acceſsit Latro in occaſione feliciſsima: quando Diſcipulus Ieſu ob Paſsionẽ eius negabat illum; tunc Latro accedens, & in Paſsione confitebatur Dominum, & regem ſuum. Cur hinc immortalitatem nõ præripiat? Ait Diu. Chryſoſtom. homil. de Cruce, & Latrone apud Grethſerum tomo 2. *Quid Latro eiuſmodi egit, vt ex improuiſo de Cruce dignus paradiſo iudicaretur? Quando Petrus diſcipulorum Princeps negabat infra, tunc ille ſupra fixus in Cruce confeſſus eſt.* Proh ſecuriſsimam occaſionem Dei acquirendi, lucrandæ vitæ ex illo! Quãdo domeſtici negant, quando alij blaſphemant; ſi tu confitearis, ſi tu honores, & glorifices, magnam, & apertiſsimam viam ſalutis inueniſti. Ex Paſsione alij ſcandalũ ſumebant, quo negabãt Ieſum; acceſsit Latro, vidit patientẽ, & nihilominus confitetur Dominum: & ſibi ingentem ſalutem acqui-

Exod. 32.

Luc. 23.

Chryſoſt.

acquirit. Vt tu discas in ijs, in quibus alij offendunt, stare pro Deo, & immortaliter viues. Magdalenæ stantis ad Iesu pedes fę licitatem inuidenti Pharisæo sic Dominus
Luc. 7. respondit Luc. 7. *Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam: aquam pedibus meis nō dedisti; hæc autem lachrymis riganit pedes meos, & capillis tersit. Osculum mihi nō dedisti, hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos:: Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa*, &c. Hæc occasio fę licitatis fuit, quod in quibus deficeret Pharisæus erga Iesum, superabundaret illa. Vt
Euthym. dicat Euthymius: *Tu quidem ea etiam, quæ facilia erant, non feciſti; hæc vero, quæ etiam difficilia sunt, operata est.* Inde peruenit ad summam fœlicitatem, quod obsequia omnia cumulatissime cæpit exhibere Christo; quando illa circinnabat, & curtabat Pharisæus, qui inuitauerat illum.

§. X.

Magna gloria Principis est, sub cuius halitu etiam ignobiles deberi sibi magnorum glorias efficiant.

PEreuntibus magnatibus, principibusque Iericunthinis, vna meretrix seruatur ad vitam, dicit enim Iosue: *Sola Raab meretrix viuat, cum vniuersis, qui cum ea in domo sunt, abscondit enim nuntios*, &c. Quam seruat ad vitam, & ad populi sui honorem, non detrectat vocare meretricem: & meretricem dum nominat, non veretur illi adscribere & honores populi sui, & vitam. Hoc equidem facerēt mundiales principes, quorum notissimum ingenium est omnia bona, & fœlicia adscribere meretriculis. Videas passim principes auarissimos, & crudelissimos in nobiles, & honoratos ciues, prosusissimos esse in meretrices, quibus omnia præstantia & ditia accumulant. An huius turpitudinis lue infectus erat Iosue? Cur ergo de adeò præstanti viro canitur quod turpissimum est in mundialibus principibus? Non id præstitum fuit a Iosue, vt præstatur ab alijs principibus, qui ita sunt propensi ad meretrices, vt vbi meretricium exuerint, illorum fauorē amittant; sed id a Iosue factum fuit, vt fuit à diuinissimo, & præstantissimo Iesu Dei filio; sub cuius halitu, & vilissimæ meretriculæ sic se componunt, vt deberi sibi summas glorias efficiant. Quo spectans Diu. Chrysostom. hom. 5. de Pœnitent. ait: *Iesus ille, qui dicit: Raab meretrix viuat: imago erat Domini Iesu dicentis: meretrices, & publicani præuenient vos in regnum Dei.* Sanè vbi videris Iosue fauentem meretrici in cō muni perditione nobilium Ierincūthinorum, nil ibi turpe suspiceris, nil correspondens menti, & ingenio mundialium principum; sed magis puta ibi illucere præstantiam diuinissimi principis, nempe Iesu Filij Dei: de cuius halitu venit, quod vilissima viciorum mācipia ijs facinoribus effor mentur, vt ablata vilitate tanquā debitas sibi summas glorias præsumant. Quo quid prestantius in principe? Luc. 23. Latroni *Chrysost.* *Luc. 23.* vilissimo in cruce ob facinora constituto dicebat Iesus: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Deo bone defuit tibi nobilis aliquis decurio, quo comitatus ingredereris paradisum? Cur de toto mundo tam vilem sociū adscisis tibi? Non quidem id dedecus fuit nostri principis, sed summa gloria; quando nactus vilem latronem, illum subito sic efformauit, vt deberi sibi cælestium glorias principum efficeret. Ait Chrysostom. ho- *Chrysost.* mil. de Cruce, & Latrone apud Grethserū tom. 2. *In sanctam suā patriam ingressus, Latronem secum introducit: non inhonorans paradisum, absit, pedibus Latronis: sed hoc ipso magis honorans. Honor enim paradisi est habere talem Dominum, tam potentem, & humanū, vt & Latronem possit efficere dignum paradisi delicijs. Etenim quando publicanos, & meretrices in regnum vocabat, non vtique id fecit, cum regni sui dedecore, sed potius maiore cum honore. Ostendit enim se eiusmodi esse Regni cœlorum Dominum, qui etiam meretrices, & publicanos tam probatos facere queat, vt digni videantur ea, quæ inibi est, gloria, & munere.* Nunquam non venit de magna principis prestantia, quod sic etiam vilissimos, & ineptissimos efformet, vt meritis possint contendere cum sublimibus, & illis æqua iustitiæ lance glorias præripere? Nemo enim non dabit equitis præstantiæ, quod sic iumentum componat, vt & speciositate, & velocitate agilissimos equos vincat in cursu. Fugiant mortales principes dignitates suas vilibus, & immerentibus committere, quando non possunt illos ad meritas glorias deducere. Summi autem regis illud est præstantissimum, quod faciat, vt viles, & obscuri meritis possint superare clarissimos.

Iosue 6. Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox, gemitusque increpuit, muri illico corruerunt, & ascendit vnusquisque per locum, qui contra se erat: cæperuntque ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, âviro vsque ad mulierem, ab infante vsque ad senem. Boues quoque, & oues, & asinos in ore gladij percusserunt.

§. XI.

Vox precantis iusti validissima est vt hostilia impedimenta demoliatur.

VOciferãtis populi vox, vt sonuit, hostiles muri corruerũt, ait nãque: *Igitur omni populo vociferãte, & clãgentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox gemitusque increpuit, muri illico corruerũt.* Et quæ vox hæc adeò valida fuit, cuius sonitu muri corruerunt? Ait Carthus. in præsenti: *Clamabant non irrationabiliter, & confuse, sed deuote ad Dominum, eum laudando, & inuocando.* Vbi autem vox inuocantiũ Deum sonuit, non mirum, quod muri hostiles corruant. Dauid paruulus vt vidit Philisthæum armatum ait illi 1. Reg. 17. *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel*; similesque proferens voces: emisit lapidem: & ingens illa ferrea moles percussa *cecidit in faciem suam super terram.* Sed qualiter lapis immissus à manu adolescẽtis sic gygantem deiecit? Non manum attendas, sed vocem inuocantis Deũ, quæ sola valet inexpugnabiles hostes euertere. Ait Diu. Chrysostom. homil. 3. de Dauide, & Saule: *Hæc vox barbarum illum, & alienigenam prostrauit, eoquod priusquã mitteret lapidem, eum precationis robore erat aggressus. Et quid miraris, si vox iusti & furorem mitigat, & hostes deijcit?* Tanta est in voce iusti orantis valentia, vt nullam inueniat resistẽtiam, sed hostes deijciat, muros euertat, obstrusissima quæque claustra referet. Et quæ claustra non referet vox iusti inuocatis Deum? Aiebat Elias 3. Reg. 18. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto: si erit annis his ros, & pluuia nisi per os meum.* Duo sunt mirabilia in ijs verbis Prophetæ aliud, quod cœlum claudat: aliud, quod post clausum cœlum, reserandum per vocẽ suam credat. Eo enim spectant illa: *Nisi per os meum*; quasi clausura cœlorum duratura fuerit vsque dũ os suum Elias aperuerit. Vbi autem aperiat Propheta os suum Deumque inuocauerit, nullum amplius claustrum erit vel in cœlo, quod non referetur. Vndè ait D. Aldhelmus lib. de Virg. cap. 10. *Spiritu afflatus Elias cœli claustra, & nimborum obstacula precibus patefecit* Mirabar prece iustorum claustra vrbis resignari, hostes deijci, sed longè mirabilius est claustra, & obstacula cœlorum patefieri. Sonet vox iusti orantis, & nihil est, siue in cœlo, siue in terra, quod ei non cedat. Hinc Matth. 26. monebat Iesus discipulos suos dicens; *Vigilate, & orate, vt non intretis in tẽtationem*: & post pusillum ait etiam illis: *Dormite iam, & requiescite.* Modo mandat dormire, & requiescere, eos ipsos quos paulò ante orare, & vigilare mandabat. An cõtrarius sibi Deus est in mandatis? Si vigiliæ, & orationes necessariæ sunt ad repellẽdas tentationes, & vt necessariæ mandantur: cur modo mandas dormire, & quiescere? Planè sapienter vbi primo vigiliæ, & orationes mandantur fieri, consequenter, & somnus, & quies proponitur: qui enim orationibus faciendis ad Deum invigilauerit, inde iã secure dormire poterit, & quiescere, nil enim quod timeat, restat. Ait pulchrè Hildebert. Turonen. Archiepisc. de mysterijs Missæ.

Primum iussit eos vigilare, statimq; precari,
Post dormire, de hinc agnus, & aratulit.

Expende illa: *post dormire*, consequens enim erat, vt libere dormire iam possent sine hostium, malorumque incursuum metu, qui & vigilijs, & orationibus operam dederant.

§. XII.

In difficilioribus exercitati ad facilia necessum est, vt fiant promptiores.

Nec viris, nec fœminis, nec puellis, nec infantibus parcunt ex Domini præcepto, cum

cum dicat textus; *interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro vsque ad mulierem, ab infante vsque ad senem.* Et cur tam sanguinolẽta, & dura præcepta hominibus alioquin pijs imposita fuere? Ait Theodor. quæst. 6. *Exercere vult eos per has leges ad obseruandas leges necessarias.* Vt prompti, & expediti fierent Israelitæ ad obseruandas consuetas humanitatis leges, in ijs durissimis, & sanguine plenis exercentur: quis enim in difficilioribus exercitatus ad faciliora promptior non extet? Abraham iuxta præceptũ Domini gladium exerebat, vt filium mactaret Deo Gen. 22. detentus tamen voce Angeli, vidit arietem: *Quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Nec dubium quin à filij holocausto promptissimus fieret, vt offerret arietem. Rem ponderat D. Amb. epist. 43. *Summæ deuotionis proposito Abraham filium suum secundum oraculum Dei offerebat in holocaustum, & quasi exors naturæ exerebat gladium, ne mora sacrificium decoloraret: tamen vbi abstinere à filio iussus est, gladium libenter recondit, & qui immolare vnigenitum fidei intentione properabat, maiore pietatis studio festinauit ouem subrogare sacrificio:* Expẽ de illa: *Maiore pietatis studio,* &c. Vbi enim ei licuit à cruento filij holocausto abstinere, maiore alacritate, maiore studio pietatis arietem offerebat. Qui enim ad magna, & dura promptus debebat ire, & sanè ibat, longè maiore studio contendebat ad minora. Dominus Iesus in Canà nuptijs Ioann. 2. iubet impleri hydrias aqua, quam mutauit in vinum, & dedit gustandum Architriclino. *Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam,* &c. Audis à Iesu aquã mutatam in vinum; & miraris; cuius rei admirationem vt temperet D. Maximus, maiora probat facta fuisse a Iesu, vt inde ostẽdat, quam facile, & prompte accesserit ad præstanda hæc minima. Ait enim hom. 6. in Epiph. *Qui in exordio mundi dedit esse aquas, in fine quoque mundi, quod voluit fecit ex aquis. Maioris nempè maiestatis est creare quæ non erant, quam creata mutare. Et qui dubium, si ad præceptum Domini sui aqua trãsiuit in vinum, cuius nutu salubrium fomenta imbrium, & ipsa vini genitrix vba nutritur? Quid mirum si Dominus omnium propter hominem aquam vertit in vinum, qui vt hominem conderet, terram transformauit in carnem? Quid mirum, si eius iussu aqua proficit in saporem, cuius operatione, cum amara esset in Mara, bibituris populis ligno medicante dulcata est: cuius imperio etiam vt sitientibus in eremo non deesset, concita prosiluit è petra?* Sic ex multis maiorum facinorum exercitijs probat facilitatem, & promptitudinem, qua minora perficiat. Quasi nequeat esse, vt qui in maioribus iam probatus est, in minoribus non probetur. Vt nos, qui maiora debemus, qui ad magna, & difficillima præstãda vocamur; non remisse, sed cum magna animi alacritate, & maiore studio virtutis perficiamus minima. Qui enim in eo duelo sumus, vt teneamur pro Deo profundere vitam; magna alacritate profundamus pauperibus nummulos.

Theodor.

Gen. 22.

Amb.

Ioann. 2.

Maxim.

§. XIII.

Magna Dei gratia est, quod & nos cooperemus virtutibus.

SIne Israelitarum impulsu corruerũt muri, sed sine Israelitarum manu non ceciderunt ciues Iericunthini: aît enim, *Interfecerunt omnia, quæ erant in ea,* &c. Et cur voluit, quod Israelitæ intrarent vrbem, viuentia omnia interficerent, & flammis cœtera traderent? An Angelus, qui muros deiecit, non posset sine vllo Israelitarum labore, & omnes populares interficere, & omnia igne absumere? Cur solum Angelus muros deijcit, & reliqua Israelitis facienda relinquit? Vt in re virtutis habeant etiam quid faciant Israelitæ: magna enim Dei gratia est, quod homines cooperentur virtutibus. Matth. 12. Dominus vocauit seruum suum, vt rationem redderet bonorum commissorum, qui multo ære pressus alieno in seruum venundari cum filijs, & vxore ex Domini sententia debebat. Tunc seruus procidens ait: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit.* Qui tam promptè dimisit seruum, quomodo illum antea vendi iubebat? Cur qui tam facilis ad miserendum futurus erat, tam acrem se in prima sententia exhibuit? Cur eo ipso, quod illum vidit malam reddere rationem, non statim misertus est illius? An tunc aliqua resederat circa pectus Domini durities, quæ postea mollita fuit? Imò & tunc ratio erat summæ misericordiæ, & gratiæ curantis, vt seruus procidendo, & orando cooperaretur saluti. Ait Diu. Chrysostom. hom. 61. in Matth. *Patet voluisse ipsum non prius id facere, nisi debitor supplicaret, vt donum non modo suum, verum etiam petitionis illius esse videretur: quod fecit, vt co-*

Matt. 12

Chrysost.

ronam quoque seruos consequeretur. Planè illa vera gratia, & misericordia Domini nostri in seruos suos est, qua facit, vt cooperationis nostræ, & laboris sint virtutum facinora, quibus hostiles impetus fugamus. Vt pœna est, & iustitiæ rigor est, quando virtutum negotium totum est Dei, & nihil nostrum habet. Malefici Balami cupiditati videtur Dominus annuisse, cum ait
Num. 23 Num. 23. *Vade cum eis, ita dumtaxat, vt quod tibi præcepero facias.* Ambros. legit: *Quæcumque tibi inspirauero, hæc dices.* Cupiebat Magus cum legatis Balach regis ire, vt mala precaretur Israeli, & semel, & bis impeditus à Deo, tandem ex Deo permissione abeundi accipit. Et mirabar, quod sic Deus quasi annuat voluntati prauæ hominis malefici. Cur Deus sic prosperas Magi hominis voluntatem? Prosperat illum Deus, sed in pœnam eius, non in gratiam, quando ait, *quæcumque tibi inspirauero, hæc dices*, sumens illũ vt instrumentum insensibile virtutum, non vt cooperatorem illa-
D. Amb. rum. Quippe ait D. Amb. epist. 37. *Quæcũque tibi inspirauero, hæc dices, id est, nõ quæ tu vis, sed quæ cogeris loqui. Quasi organum inane sonum meis præbebis sermonibus. Ego sum, qui loquar, non tu.* Expende illud: *Quasi organum inane*; non enim parum facit ad pœnam, & suppliciũ hominis, quod assumatur à Deo quasi organum inane ad virtutes operandas. Quod non quasi cooperator facinorum cœlestium, sed quasi mortuũ, & insensibile, & prorsus inane instrumentum virtutibus ab vno Deo factis adsit. Eu quot, & quantis concionatoribus verbi Dei hoc supplicium datur! Assumuntur à Deo, non vt cooperatores verbi diuini, nec virtutum cœlestium per illud effectarum, sed vt merum organum inane, cui nihil factæ virtutis atribuatur. Quod supplicium Iudæorum populo datũ pulchrè ostendit D. Aug. concion. contra Iudæos,
D. Aug. & Paganos, & Arianos, fatus. *Disperſit vos per nos, vt vbique prophetias de eius natiuitate, passione, resurrectione, ascensione, quæcumque dicta sunt, vos proferatis, atque lucernam legis tanquam lignea candelabra sensu carentia gentibus ministretis.* Expende illud: *tanquam lignea candelabra, &c.* Quippe Iudæi dispersi per vniuersas nationes, & gentes sacra Biblia secum portant, in ijs Isaiã, & cæteros prophetas, & legẽ tractant, verba diuina luce solis clariora ministrantes. Sed quid inde ipsi? Quod lignea candelabra ratione cărentia ex lucida lucerna quam sustentant, capiũt. Meritò perfidis Iudæis hoc supplicium datur, quod sint candelabra lignea euangelicæ facis, inania prorsus organa virtutum diuinarum. Caue Christiane concionator, caue homo fidelis ab hoc supplicio, & maleficorum, & Iudæorum; ne sis quasi candelabrum ligneum sustentans lucem ali sine vlla tua vtilitate; ne sis inane organum, & insensibile instrumentum, quod post effectas à Deo virtutes, contemnaris, & in ignem mittaris.

§. XIIII.

Magna hominis calamitas est, quod perdatur ab ijs, qui lætentur, & festum agant in eius casu.

INter festiuos sonos, resonantibus vndique tubis iubilæi, miseri Iericunthini trucidantur, dicente textu: *Clangentibus tubis:: muri illico corruerunt:: ceperunt ciuitatem, interfecerunt omnia.* Quid durius? Ait D. Chrysost. apud Serarium *D. Chrys.* nostrum quæst. 7. *Iericunthem Israelitæ choreas agentium more, potius quam bellantium, exercerunt.* Et nescio, an maius quid ad calamitatem additamentum excogitari possit, quam quod inter festa, & tripudia, & cachinos tyrannorum pereas? Hinc extollebat Ierem. Trenor. 2. calamitatem Ierusalem, in- *Ierem.* 2
quiens: *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Ierusalem. Hæccine est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ? Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui.* Magna plane calamitas est, quam nõ planctus, non miseratio, sed plausus, & risus, & iocus inferentium comitatur. Quam sic Rupert. exagerat lib. 1. in Ierem. cap. 50. *Rupert.*
fatus: *Hæccine est? Inquiunt. O quanta mutatio rerum! Vrbs perfecti decoris, vniuersæ terræ gaudium, cui de vniuersa terra conuehebatur aurum, tantaque illi erat argenti abundantia, quanta lapidum. Hæccine illa est? Hæc dicentes manibus plausserunt, ore sibilauerunt, caput suum super te mouerunt.* Acerbum erat, quod pulcherrima vrbs solo æquaretur, at quod hoc pateretur inter plausus, inter sibila, inter cachinos hostiũ, id omnem superabat acerbitatem. Quam erga sanctos suos exercitã

obiecit Deus pastoribus malis aiens Ezech. 34. *Cum austeritate imperabatis eis, & cũ potentia.* Theodoret. legit: *In potentia instruxistis eas, & in ludo.* Non solum queritur, quod oues suas austeritate tractassent, sed quod austeritati ludum, & risum addidissent, quod maximè calamitatem acerbabat. Ait Theod. ibi: *Infinitis malis opprimere eas perseuerarunt, atque hæc facientes, ipsis illudebant, idcirco ait: In potentia instruxistis eas, & in ludo: ostendens simul eos calamitates imulisse sanctis, & iocum ac ludum, quæ fierent duxisse.* Hæc est maxima sanctorum calamitas temporalis, quod in ioco, & risu, & ludo impiorum mactentur. Achab. 3. Reg. 21. Naboth virum innocentem interfecit, sed longe illo peior Herodes interfecit Ioannem. Et cur Herodes peior Achaba? Nonne vterque prophetam occidit? Sed Herodes inter cõuiuij festa, inter choræas, vt puella rideret, & lætaretur, occidit Ioannẽ. Ait enim Mar. 6. *Propter simul discumbentes, noluit eam contristare, sed misso speculatore præcepit afferri caput eius in disco.* Quid acerbius? Ait Andræas Ierosol. orat. in hoc fest. *Non aduertisti, ò miser, te Achab in Naboth scelus conduplicasse, quod ille quidẽ propter vineæ cupiditatem, tu autem propter mulieris adulterationem, eadem prophetæ, idque in die deliciarum, & in mysterio natalium, quod tunc celebrabatur?* Equidem duplicata malignitas est, quod inter delicias, in ioco, in plausu malum iniustum inferas alij; inde enim maximè patientis calamitas acerbatur.

Theod. Mar. 6. Andr.

§. XV.

Mala immerentibus parata incidunt in eum, qui parabat.

Dicuntur Israelitæ interfeciſſe Iericunthinos vniuersos, inquit enim: *Interfecerunt omnia, &c.* De qua tamẽ interfectione facienda nullum proponitur Dei verbum. Est enim explicatum à Deo, vt arca tollenda, vt sacerdotes cum tubis processuri, vt ciuitas tubarum cantu, populi vocibus cingenda. Vt autem ciuitatis viri pueri ve, & senes, & fœminæ interficiendæ, nullum de hoc ibi exprimitur à Deo. Et meritò, vt mala hæc non à Deo, sed ab ipsis sibi Iericunthinis illata viderentur; quæ enim inferuntur mala immerentibus, in eos recidunt, qui inferebant. Quo respiciens Carthus. in præsenti ait: *Quoniam Verbis illa tam specialiter se armauit contra filios Israel, meruit tam specialiter destrui, & occidi.* Quæ Israelitis parabat inferre, ipsa perpessa est. Nunquam enim non patitur quis, quod innocentibus parat inferre. Ioann. 19. post flagellatum Iesum, & illusum, instantibus Iudæis vt crucifigeretur, ait textus: *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.* Ecce tibi qui reum agebat, intrepidus, & alacer stabat; iudex autem magno timore corripiebatur. Et quid timebat iudex? Vt Iesu innocentiam videbat, meritò timet in illum sententiam ferre, sciens sibi parare damnum, quod in immerentem iaculat. Ait D. Athan. orat. in Euãg. de Pass. *Timuit igitur iudex reum suum, & magis quam ipse reus videbatur condemnari, metumque in se hominis condemnati sensit, atque ipsemet suam in Christum, quasi in se latã sententiã cohorruit.* Quid pulchrius? Cohorruit malum, quod immerenti inferebat, quasi sibi inferretur; sciens in inferentes recidere omnia mala innocenti illata. Aiebat Isaias cap. 3. *Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala, &c.* Quæ verba sic Septuag. legerunt: *Væ animæ eorum, quoniam consultauerunt consilium malum contra se, dicentes: alligemus iustũ, quoniam inutilis est nobis. Igitur fructus operum suorũ comedent.* Expende illud: *Consilium malum contra se*; quippe vbi consulebant de iusto alligando, perdendoque, non tam contra iustum, quam contra se mala omnia illa parabant. Quo aspiciens D. Basil. ibi ait: *Consilia enim aduersus iustos inita in capita maligne consultantium retorquentur: quemadmodum & tela, quæ semel inciderint in corpus solidum, nec cedens, sed repercussiuum, in suos iaculatores resiliunt.* Sic ibi: vt caueant homines iustis mala inferre, ni velint eadem perpeti. De quo sæpè alias.

Carthus. Athan. Septuag. Basil.

Iosue 6. Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Iosue: Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia quæ illius sunt, sicut illi iuramento firmastis. Ingressique iuuenes, edu-

eduxerunt Raab, & parentes eius, fratres quoque, & cunctam supellectilem, ac cognationem illius, & extra castra manere fecerunt. Vrbem autem, & omnia, quæ erant in ea succenderunt, absque auro, & argento, & vasis æreis, ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt, &c.

§. XVI.

Principum cura sit, ne vel inter populares frangatur iuramenti religio, si multa velint cauere discrimina.

INter hostium strages eo solicitus Iosue spectat, vt exploratorum iuramenti religio integra affulgeat; illisque iubet, vt saluti Raab consulant. *sicut illi iuramento firmastis.* Proh solicitudinem, & curam dignam principe! Exhibitum fuerat iuramentum vilissimæ familiæ meretricis; & exhibitum fuerat à priuatis militibus; nihilominus Iosue curat, vt illius iuramenti seruetur religio integra. Curassent principes, vt vel priuatorum iuramenta religiosa, & intemerata essent, & multas à Republica calamitates abigerent. Ait in præsenti Masius: *Certe Imperator integerrimus ipsis iusiurãdum suum in memoriam reduxit. Et si enim eo quod priuatim dederant, Imperatorem, aut exercitum non obligassent, tamen cum ipsi saltem sacro nexu obstricti tenerentur, summa optimi Imperatoris religio etiam de duorum gregariorum militum suorum fide solicita fuit. Quod si nostri sæculi duttores, atque exercituum Imperatores huiscemodi exempla sibi imitanda statuerent, profecto minus funesta bella gererentur.* O quam verum! ò quam sapiens consilium! Veniant huc nostri etiam sæculi principes qui exercituum catenatas clades lugent; & videant, quid de religione iuramentorum actum sit; quod si passim dissimulata, vel in gregarijs militibus sacrilegia, confracta iuramenta viderint, iam ibi habent ingentium calamitatum radicem. Quis ignoret Iericunthinorum præsentem calamitatem, qua sine manu ruerunt muri, & ab Israelitarum manu vniuersi fuerunt occisi? Nonne ait: *Muri illico corruerunt: ceperunt que ciuitatem, & interfecerũt omnia?* &c. Vnde tam inopinata clades miseris? Accipite D. Epiphanium Hæres. 66. contra Man. *Vna vox tubæ corneæ, & oratio iusti prostrauerunt collapsos muros aduersariorum. Oportebat enim ipsos plecti, quoniam impleta erant peccata Amorrhæorum. Index enim erat lex contra iniustitiam, & vnicuique reddebat secũdum opera sua; & quoniam in peccatis erant Amorrhæi, qui abnegassent iusiurandũ, quod iurauerant.* Ecce radicem extremæ calamitatis illatæ Iericunthinis, nimirum: *Qui abnegassent iusiurandum, quod iurauerant*: vbi in illis religio iuramenti apparuit conculcata, & illi, cœlo terraque pugnante, extremis oppressi sunt calamitatibus. Hinc 2. Machab. 15. Iudas Machabæus videns paucos suos milites maximè timentes populosissimum Nicanoris exercitum, illos hortabatur, ne timerent iuramentorũ prophanatores, quos vna sola manet ruina. Quippe ait ibi text. *Machabæus autem semper confidebat cum omni spe, auxilium sibi à Deo affuturum, & hortabatur suos, ne formidarent ad aduentum nationum, sed in mẽte haberent adiutoria sibi facta de cœlo, & nunc sperarent ab omnipotente sibi affuturam victoriam. Et allocutus eos de lege, & prophetis, admonens etiam certamina, quæ fecerant prius, promptiores constituit eos; & ita animis eorũ erectis simul ostendebat gentium fallaciam, & iuramentorum præuaricationem.* Vt ingens victoria de innumerabili hostium exercitu speraretur, duo proponebat suis militibus bonus Imperator, alterum tenẽs se ex sua parte, alterum ex parte hostium. Ex parte sua erat notissimum sibi Dei auxilium, quo nitentes pauci sæpè fuderant in numeros hostes; ex parte autẽ hostiũ erant fallaciæ, & iuramentorum præuaricationes quæ vbi sunt, non possunt secum non habere ingentes ruinas, extremas confusiones. Da mihi sine extrema clade Rempublicam, vel domum, in qua, & fallaciæ, & iuramentorũ vigeãt præuaricationes. Nullam mihi crede, dabis. De iuramẽto multa habes in alijs tomis.

Masius.

Epiphan.

2. Machab. 15.

§. XVII.

Ab vno Iesu spiritu venit, quod vilium hominionum saluti consulas.

CREDEBANT exploratores rogaturos Iosue, vt sibi permitteret ire in tutelam suæ hospitæ; at nō illi, sed Iosue id curabit, dicēte textu: *Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Iosue. Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam*, &c. Expende illud: *dixit Iosue*: non illi dixerunt Iosue, sed Iosue dixit illis, & misit illos in hospitæ tutelam. Sed cur non magis illi hoc curabant petere? Cur magis hæc cura a Iosue prodiuit? Crede mihi, quod meretricis fœminæ, vilisque domus, & familiæ tutela, & cura sumatur, non id ab alio venit, nisi à Iesu spiritu. Esset Raab mulier quędam nobilis, & potens, eiusque familia splendens in populo; & non mirandum, si exploratores pro eius salute solicitarent, & vrgerent Imperatorem. At quia vilis erat mulier cauponariam exercens, & eius domus, & familia obscura, & ignobilis, non ab alio quam a Iesu manauit, quod tutelæ causà irent exploratores in eius domum. Actor. 1. abeunte Iesu in cœlum, orphani, & desolati manebant in terra Apostoli. Quid tunc? Ait textus: *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt. Viri Galilæi*, &c. Quod si scire cupis, à quo veniant isti duo viri, nota cum quibus sit eorum colloquia; nimirū loquebantur cū viris cōmuni hominū existimatione abiectis, qui in absentia magistri sui, non parua premebantur desolatione. Hos ergo alloquebantur, hos in sua desolatione consolabantur viri illi, ex quo clare monstrabant non ab alio, quam a Iesu venire, à cuius solo spiritu venit, quod iuuentur, & confirmentur viles homines. *Augusti.* Pulcherrimè Diu. Augustin. homil. 6. in Ascension. ait: *Ecce ascendit saluator: mittit continuo duos cœlestes prætores, vt alumnos suos securos redderet metuētes, & in gaudium conuerteret lachrymantes. Oportebat enim cœlestes mitti consolatores, ne remanerent trepidi piscatores*. Expende illa: *Oportebat cœlestes mitti consolatores, ne remanerent trepidi piscatores*: quippe vbi piscatores erant consolandi, mittendi erāt a Iesu consolatores; nisi enim de Spiritu Iesu cœlitus veniat, non erit, qui procuret consolari pauperes piscatores in sua *Ioann. 5.* desolatione. Ioann. 5. Erat homo paupertriginta & octo annos habens in infirmitate sua sperans hominis manum, quæ illi salutem procuraret, & tanto tempore nullus illi homo affuit. Tandem, *hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus; Domine, hominem non habeo*. Expende, quid expertus pauper languidus fateatur, & quid ei accidat. Ille in se expertus fatetur, quod commune est omni pauperi, & abiecto languido; nimirum, *Hominem non habeo*. Quis enim obscurus, & vilis æger hominem habet, qui eius salutem velit negotiari? Interea tamen illi Iesus aderat, de salute cum illo agit interrogans: *Vis sanus fieri?* Et quidem non alius, sed homo Deus Iesus, vel spiritu Iesu imbutus inuenietur, qui vilis, & pauperis velit salutem negotiari, vt dicat D. August. tractat. 17. *August.* in Ioan. *Vere necessarius erat illi homo ad salutem; sed homo ille, qui Deus est. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*. Hic si non esset, qui negotiaretur pauperis salutem, non esset. Vt cum hoc paralitico dicat omnis pauper: *Iesus est, qui me fecit sanum*. Hinc proferens Iesus testimonium aduentus sui discipulis Ioannis, ait Matth. 11. *Matt. 11* *Renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur*. Quod videant cæci, & mortui resurgant, opera sunt mirabilia diuinæ potestatis existentis in carne; at, quod pauperes euangelizentur, quid magnum? Cur id inter miracula recensetur diuinæ potestatis? Sanè hoc & singularissimum Iesu miraculū est, quod sua communicet etiam vili, & pauperi. Ait D. Hieron. ibi: *Ite, & dicite Ioanni signa, quæ cernitis, cæcos videntes, claudos ambulantes, & cætera. Et quod his non minus est, pauperes euangelizantur. Vel pauperes spiritu, vel certe opibus pauperes: vt nulla inter nobiles, & ignobiles, inter diuites, & egenos in prædicatione distantia sit*. Expende illud: *Et quod his non minus est*, non enim minus testatur Iesu præsentiam, eiusque diuinum aduētum, quod ad ignobiles vsque, afflictos, & desolatos eius accedat cura, quam quod mortui resurgant, cæci videant, claudi ambulent.

§. XVIII.

Iustus homo refugium salutis multis.

Dum ardebat ciuitas, introgressi explo-

rato.

ratores domum Raab: *Eduxerunt Raab, & parentes eius, fratres quoq;, & cũctam ſuppellectilem, ac cognationem illius*, &c. Ecce tibi Raab educitur ab incẽdio vrbis, illamque ſequuntur parentes, fratres, cognati omnes in conſecutione ſalutis. Sic vnus iuſtus multis eſt ſalutis refugium. Ait in præſenti Maſius: *Raab ſua fide tantam conſecuta eſt gratiam apud Deum, vt etiam ſi ducentos homines cognatione ſibi coniunctos illa habuiſſet, atque illi cum ducentis alienis proſapys affinitatis contractum iniuiſſent, omnes illæ familiæ fuerint illius gratia futura ſaluæ. Et ſanè fuiſſe non parum multos eius gentiles, qui ſe ſalutis cauſa ad ipſam receperant, coniectura ad modũ probabilis ſummi poteſt*, &c. Sic Maſius putat non paruam multitudinem familiarum cognatarum confugiſſe ad Raab ſalutis cauſa; cum quibus omnibus illam proceſsiſſe per medios pereuntes ciues, per medias flammas ardentis vrbis, vſque ad locum ſalutis. Quid pulchrius de iuſti gratia dici poteſt? Accipite aliud non abſimile in vrbis Romæ expugnatione facta ab Alarico rege Gotthorum. Eam ſic narrat Paulus Oroſ. lib. 7. cap. 39. Diſcurrentibus per vrbem barbaris, forte vnus Gotthorum, idemque potens, & Chriſtianus ſacram Deo Virginẽ iam ætate prouectam in quadam Eccleſiaſtica domo reperit, eumque ab ea aurum, argentumque honeſte poſceret; illa fideli conſtãtia eſſe apud ſe plurimum, & mox proferendum expopondit, ac protulit. Dumque expoſitis opibus attonitum barbarum magnitudine, & pondere ac pulchritudine, ignota etiam vaſſorum qualitate intelligeret, virgo Chriſti ad barbarum ait: Hæc Petri Apoſtoli ſacra myſteria ſunt. Præſume, ſi audes, de facto tu videris, ego quia defendere non valeo, nec tenere audeo. Barbarus autem ad reuerentiam Religionis, timore Dei, & fidei Virginis motus ad Alaricum hæc per nuntium retulit, qui continuo reportari ad Apoſtoli baſilicam vniuerſa, vt erant, vaſa imperauit; virginem etiam ſimulque omnes, qui ſe adiungerent Chriſtianos eodem cum defenſione deduci. Ea domus a ſanctis ſedibus, longo, vt ferunt, & medio interiectu vrbis aberat. Itaque magno ſpectaculo omnium diſpoſita per ſingulos ſinMaſius.
gula, & ſuper capita elata palam aurea, atque argentea vaſa portantur, exertis vndique ad defenſionem gladijs, pia pompa munitur. Hymnis Deo Romanis, barbariſque concinnentibus, publicè canitur. Perſonat latè in excidio vrbis ſalutis tuba, omneſque in abditus latentes inuitat, ac pulſat. Concurrunt vndique ad vaſa Petri vaſa Chriſti: plurimi etiam pagani Chriſtianis, ſi non fide admiſcentur; & per hoc tamen ad tempus, quo magis confundantur, euadunt. Quanto copioſius aggregantur Romani confugientes, tanto auidius circunfunduntur barbari defenſores. *O ſacra & ineffabilis diuini iudicij diſcretio! O ſanctum iſtud & ſalutare flumen, quod parua exortum domo, dũ beato alueo in ſanctorum ſedes tendit, oberrantes periclitanteſque animas in ſalutis ſignum pia rapacitate peruexit! O præclara illa Chriſtiana milicia tuba, qua generaliter cũctos dulciſſimo ad vitam modulamine inuitans, quos ad ſalutem inobedientes non ſuſcitabit, inexcuſabiles reliquit ad mortem!* Myſterium hoc, quod in transferendis vaſis, dicendis hymnis, ducendis populis fuit, tanquam magnum cribrum fuiſſe arbitror, per quod ex congregatione populi Romani, tanquam ex magna maſſa frumenti, per omnia ex vniuerſo ambitu ciuitatis latebrarum foramina effluxere grana viua, ſiue occaſione, ſiue veritate commota, omnia tamen de præſenti ſalute credentia, ex horreo Dominicæ præparationis accepta ſunt. Reliqua vero ſicut ſtercora, & velut paleæ, ipſa vel incredulitate, vel inobedientia præiudicata ad exterminium, atque incendium remanſerunt. Huc vſque Paulus Oroſius, quorum vel apicem prætermittere piaculum duxerim. Compone modo fœminam cum fœmina; meretricem illam Ierichuntinam cum hac Romana Virgine. Vtraque ex Deo depoſitum ſeruandum accepit, illa exploratores, hæc vaſa & theſauros Diui Petri. Illa mendacio deluſit Regis apparitores, noſtra veritate patefacta perterrefecit militem. Vtraque fide ſua ſibi, & alijs obtinuit ſalutem in communi vrbis excidio. Illa parentibus, & cognatis, noſtra Chriſtianis omnibus ſe illi adiungentes. In vtriuſque euentu videres ciuitates quaſi cribrum concuti, & ex foraminibus latebrarum exire grana viua, quæ ſeruabantur ad ſalutem, remanere paleas, & ſtercora comburenda igne. Procedebat vtraque à domo ſua ad ſedes Sanctorum colligens ad ſe ſaluandorum multitudinem. Pro quibus ſapienter exclamat Oroſius: *O Sanctum iſtud, & ſalutare flumen, quod parua exortum à domo, dum beato alueo in Sanctorũ ſedes tẽdit, oberrãtes, periclitãteſq; animas in ſalutis ſignũ pia rapacitate peruexit.* Quid pulchrius Oroſius.

chrius? Fallar nisi hoc flumen respexit
Isai. 66. Dominus Isaiæ cap. 66. inquiens ad iustorum Ecclesiam : *Ecce ego declinabo super eam quasi flumen pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis*, &c. Planè vbi cæpit Ecclesia in paucis iustis procedere, ponente Deo in illa signum salutis, & pacis æternę, hinc inde sibi adsciscens homines ex gentilibus, Iudæisque errantes, periclitantesque animas in salutis signum pia rapacitate prouehebat. Quo
Æsth. 11 etiam respiciebat illud Æstheris capit. 11. *Fons paruus creuit in fluuium magnum, & in aquas plurimas redundauit.* Fuit equidem Æster fons paruus, qui vbi iustitiæ operibus placens cœlesti regi cæpit procedere, omnium Iudæorum animas periclitantes sibi in salutem adiunctas exundanti alueo ad vitæ fœlicitatem perduxit.

§. XIX.

Dei Spiritus est in principibus, quod sciant retardare fauores in aliquos, ne offensa aliis generetur.

BEneficam Israelitis fœminam ab excidio eripiunt, sed adhuc foras manere sinunt, ait enim: *Eduxerunt Raab, & parentes eius, & cognationem eius, & extra castra manere fecerunt.* Et cur non magis ad consortium, honorumque communionem tam beneficæ familiæ admittuntur? Cur manere extra castra sine populi Israelitici honore aliquandiu sinuntur? Vt inde principes diuinum gubernatoris spiritum ebibant; quod non subito benemeritos suos promoueant, sed illos in minoribus esse aliquandiu permittant, ne ex subita promotione offensa alijs generetur vlla. Mirabar ego mulierem Chananæam clamantẽ post Iesum magna fide, & non tam fauorem ex
Matt. 15 Iesu obtinere, quam repulsam Matth. 15. *Ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea male a dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum.* Cur non respondit sic clamanti? Nonne placebat clamor fidelis fœminæ? Nonne grata vox erat? Nonne obsequium merebatur beneficium? Cur ergo adeò de se benemeritam sic respuebat, & quasi canem abijciebat? Noui diuini principis ingenium, qui fauorem suum retardabat reddere alienigenæ fœminæ, & si benemeritæ, & si multum officiosæ, ne inde iudæis offensa gigneretur. Sic Diu. Basil. Seleuc. orat. *Basil. Sel.* 20. *Vides Iudæ Chananæa generositatem? Deum post miracula negasti Iudæo, & huic illa ante miracula credidit. Ecce tam propter te luctu confertam despicio, commiserationem tego, etsi luctus misereor. Vociferantem vt gentilem auersor, tibi infidelitatis occasionem præscindens. Nondum malum soluo, ne te ad inuidiam commoueam: sanationem differo, ne infidelitati tuæ materiam suggeram.* Proh diuinissimi principis mentem, nec in referendis beneficijs præcipitem, sed maxime cauentem, ne donis suis generet alijs ruinam! Nouerat merentem, patiebatur obsequia extorquentia fauorem; & lentabat, & tardabat, & mallebat ad tempus repulsam dare merenti, vt abscinderet alijs occasionem offensæ. Vt hinc discant, quam longe absint à diuina, & honesta politia, qui in promouendis suis, & præcipites feruntur, & cæci. Debet princeps fauorem, & beneficium merenti, fateor; sed equè debet omnibus occasiones auferre offensæ. Igitur inter duo hæc debita lente, & morosè procedat, ne dum vni satisfacit, in altero turpiter offendat. Hinc Theodoadus rex Gotthorũ magnopere extollit Amalasuẽtham reginam, a qua in consortium regni admissus est post longam actam inter priuatos moram. Ait enim apud Cassiodor. *Cassiodor.* 10. variar. 4. *Inter diuersa munera, quæ nobis cum regiâ maiestate diuina tribuerunt, illud amplius permulcet animum nostrũ, quod nos sapientissima domina, trutina magnæ disceptationis, elegit : cuius prius ideo iustitiam pertulit, vt prius ad eius prouectionis gratiam peruenirem. Causas enim, vt scitis, iure communi nos fecit dicere cum priuatis. O animi nobilitas singularis! En æquitas mirabilis, quam mundus loquatur. Non dubitauit parentem prius iuri publico subdere, quem paulò post voluit ipsis legibus anteferre.* Equidem prudentissima fœmina affinem, & propinquum sibi virum in regni consortium admissura, non præcipite affectu illum adsciuit, sed magis lentauit, & priuatorum muneribus occupatum hominem extra Regiam continuit, ne celer assumptio posset nocumentum afferre vllum. Sed quandiu relinquendus est etiam dignus, vt tollatur offensa? Quæstionem hanc præcipitibus, & ijs, qui non tam vtilitate, quam amicitia omnia metiuntur, tribuit Diu. Nazian-

zen.

Nazian. zen. oration. 1. inquiens: *Quando igitur hæc erunt, inquient homines ad omnia celeres, neq; satis cauti, facile ædificantes, & diruentes? Quando lucerna super candelabrum? Vbi talentum? Sic enim gratiam vocãt. Hæc ij, qui amicitia, quam religione, feruidiores sunt.* Expende vnde ortum habeat præpropera, & subita electio etiam dignorum: nimirum ait Theologus: *Hæc ij, qui amicitia, quam religione feruidiores sunt*; non equidem à feruore spiritus, sed à feruore carnis; non ex amore diuini seruitij, sed ex mũdana, & carnali amicitia oritur sæpè quod subito benemeritos prouehas ad sublimia

Eccl. 7. munera. Monebat Ecclesiastes cap. 7. *Ne temere quid loquaris, neq; cor tuum sit velox ad proferendum sermonem.* Septuag. legunt: *Noli esse præceps ore tuo, & cor tuum non festinet proferre verbum.* Quæ verba deflectit

Nazian. Nazianzenus ad præsules, qui celeriter trahũt amicos ad munera sublimia, aiẽs orat. 1. *Ait Salomon: Ne sis celer in verbis. Et quis est, qui contra hæc omnia celeritatem potius, quam securitatem, & vtilitatem exposcat? Quis est, qui veritatis propugnatorem vnius diecul æ spatio, velut è luto statuam fingit?* Sapienter notat ingenium illorum, qui præcipites sunt, nec moram sustinent in promouendis suis ad sublimia, amantes magis celeritatem promotionis, quam securitatẽ, & vtilitatem. Ij enim non tam principes ex Deo sunt, quam vulgares figuli, qui luto manibus accepto, horæ momento statuã effingunt. Vt quod modo vt lutum aspernabaris, modo venereris vt statuam iudicis; non quod veras habeat virtutes iudicis, sed quod eius externe ostendat figuras. Eu quoties hæc visuntur in mundi figulinis! hodie lutum, & stercus; cras apparet prætor, aut iudex, aut quid simile; vt in præcipitibus ijs promotionibus, non res appareant, sed rerum statuæ, & figuræ.

Iosue 6. Raab vero meretricem, & domum patris eius, & omnia, quæ habebat, fecit Iosue viuere, & habitauerunt in medio Israel vsque in præsentem diem, eo quod absconderit nuntios, &c. In tempore illo imprecatus est Iosue, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Ierichò: In primogenito suo fundamentum iaciat, &c.

§. XX.

In malorum diminutione vbi steteris, non longe abes, vt ad Deum accedas.

A Ierichò ciuitate Raab cognationem eripiẽtes exploratores, eam *extra castra manere fecerunt*; contenti, si ex populo nequam eriperetur, licet nondum in Dei populum admitteretur, sed adhuc in Iericũthinis terminis maneret. Quid tũc? Inde eam Iosue leuauit, & in medio populi Dei fecit esse. Ait enim: *Raab vero meretricem, & domum patris eius fecit Iosue viuere, & habitauerunt in medio Israel.* Vt palò ante extra castra erat, in Iericunthinis limitibus habitabat, assumpta est à Iosue, vt habitaret in medio populi Dei. Crede mihi, qui vitiorum populositatem dimisit, & in malorum minutione stetit, sperare potest, quod inde deducatur ad Deum. Abrahamo dictum fuerat à Deo, quod egrederetur de patria sua, & de cognatione sua. Statimque subdit scriptura Gen. 11. *Eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terrã Chanaam, venerunt que vsque Haram, & habitauerunt ibi, &c.* Planè Abrahamus reliquit patriam, reliquit Chaldeam, vt iret in Chananæam iuxta præceptum Domini; sed mãsit in Haram, quæ ciuitas in ipso Chaldæorum confinio erat, adhuc extra Chanaam. Et cur quando Chaldæam relinquebat, in confinio eius mansit? Cur non magis elongatus est à Chaldæa? Cur ausus est in Haram habitare, quæ erat proxima Chaldæis? Fateor, proxima erat Haram Chaldæis, sed parum de Chaldæis habebat; vbi autem quis stat in diminutione malorum, iam nõ multũ abest, quod Deo appropinquetur. Ait Philo lib. de Abraham: *Proinde valedicto Chaldæis, quorum professio est scrutari stellas, demigrãt e magna mundi ciuitate aliquãtisper in minorem aliam, sic enim facilius videbis mundi præsidem, & hoc est, cur prima migratio fit in agrum Charrensem.* Qui in magna populositate malorum es, si non potes adeo facile subito inde ad Deum euolare, saltem euola ad minorem aliam, ad eam nimirum, vbi minus vitiorum inuenjatur; inde enim facile erit, quod ad Deum trãseas. Et sanè in hac vita mortali, non parum est, si quis

Genes. 12.

Phil.

siquis extra populosissimam peccatorum vrbem, in parua aliqua inueniatur, in qua iam poterit citius saluari. Quo respiciens Loth, cum iam extra Sodomam esset, & ad
Genes. 19 montē ascēdere timeret, dicebat Gen. 19. *Nec possum in monte saluari, ne forte apprehēdat me malum, & moriar. Est ciuitas haec iuxta ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea. Nunquid non modica est, & viuet anima mea?* Ciuitas illa intra Sodomæ fines erat, sed quia parua erat, qui magnam Sodomā reliquerat, si in parua consistat, non dubitat inde in salutem esse. Ait Lyppom. *Timens pariter inuolui, petit secessum ad minus oppidum, vbi non tam impie viuitur communiter; veluti in vrbibus magnis.* Ex diminutione vitiorum, quam suspicabatur esse in parvo oppidulo, suam fundabat spem salutis; ratus, quod si à Sodomitarum flagitiorum exundantia exiens, in non parua eorū diminutione consisteret, citius inde venturū se in perfectam salutem.

Lyppom.

§. XXI.

Parentes in filijs aerius castigantur.

POst euersam funditus ciuitatem Iericunthinam, restauratori eius imprecatur Iosue mortem filiorum dicens: *In primogenito suo fundamentum iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius.* Hoc est in morte primogeniti sui ponat fundamentum, & in morte vltimi filij opus finiat. Et cur magis illi mortem filiorum, quam propriam imprecatur; nisi quia acerbius est parēti malum filij, quam propriū?
Leuit. 5. Ait lex Leuit. 5. *Præcipe filijs Israel, vt eijciant de castris omnem leprosum, &c.* Leprosi nascebantur ex inordinato parentum cōcubitu; vt autem ab inordinata lasciuia parentes reuocaret lex, filios inde natos seuere plectit, cogens illos à sacris, & a commertio humano exulare. Sed cur non magis seueritas hæc exercetur in parentes inordinatos, quam in filios, qui in eo nullam culpam habent? Ait D. Isidor. Pelus. lib.
Isid. Pel. 4. epist. 117. relatus in cat. Græca D. Lucæ ad cap. 5. *Ecquod tandem grauius parentibus supplicium excogitare potest? Quando enim viderint natos suos, quos desiderarent illustriores, quam semetipsos conspicere, neq; precationum, neque solemnitatum, neque vrbiū, neque sacrorum conuentuum participes esse, tunc cogita, quantum dolorem sustineant. Sanè nunquam grauius puniūtur parentes, quam cum viderint filios suos in pœna, quos obtauerant super se longe fœlicio-*
res. Hinc Gen. 17. *Masculus cuius præputij* Genes. 17
caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Homicidis signatæ erant ciuitates refugij, quibus se tutari possent à capitali sententia: infantibus autem incircuncisis nullum permittitur effugium, sed morti statim addicuntur. Et cur, qui homicidis prouidit effugium, infantes reliquit sine illo, maximè cum infantis culpa non erat, quod incircuncisus maneret, sed parentum illius? Ait D. Amb. lib. 2. de Abr.
cap. 11. *Quomodo ergo aut illic,* (nempe in D. Amb.
homicidis) *ratio habetur fortuitæ necessitatis, aut hic ratio infantiæ non habetur, in qua crimen non potuit esse, aut dissimulationis, aut voluntatis, nisi forte putent aliqui, quoniā mortes filij grauius puniuntur parentes?* Quoties enim parentibus grauius aliquod supplicium paratur, id in filijs exercetur; nunquam grauius illis non est videre filios torqueri, quam si ipsi torqueantur. Herodi gratificantes Iudæorum proceres illi ostēderunt locum Dominicæ natiuitatis, quo ipse remisit Magos, vt post illos puerū perquireret, & occideret. Quid tunc? Matth.
2. *Videns quod illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, &c.* Quid feraliue? Pulchrè D. Aug. concione cōtra Iudæos, Pag. & Arrian. ait in rem præsentem: *Dic Herodes, si te Christus ideo offendit, quia eius Magis nuntiantibus audisti regnum, quid te offenderunt Iudæi, qui tecum aduersus Christū sentiebant, quorum filios interficiens ipsos magis atrocissima pœna in suis filij afflixisti?* Atrocius equidem afflixit Herodes suos amicos Iudæos, eorum filios occidens, quam si eos occidisset. De hoc supra iam dictum est.
Matth. 2.
D. Aug.

CAPVT NONVM.

De furto Acham.

Textus Historia.

HERICVNTHINÆ Vrbis successu triumphantes Israelitas inopinatus casus turbauit. Erat Hai ciuitas in vicinio, & parua, & vel à paucis expugnabilis; quam exploratorum iudicio aggressi tria millia

millia virorum impetum oppugnantium non sustinentes terga vertunt, triginta & sex socijs desideratis. Metus inuadit vniuersos, & sic frangit, vt Iosue consilij humani inops sese Deo substernat, multisque incipiat diuinum numen exorare. Proh Deus immortalis! Sic milites tui primo impetu cadent? Sic nostro interitu hostium animos auges? Adprædam inimicorum tot miraculis ducti sumus, qui putabamur ad triumphos superasse Iordanem? Clamanti duci Deus adest, cladis aperit causam, nimirum peccatum in populo latens, quod nisi vomitu expurgetur, non poterit esse Israelitis secura salus. Non segnis Iosue à Deo instructus conuocat tribus omnes, sorteque per singulas iacta, ducente Deo reus Acham apparuit. Is erat è nobilissima tribu Iuda filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare: qui comprehensus statim se Domino confessus est peccasse. De Iericunthinis enim spolijs, vel execrationi addictis, vel Deo sacris clam rapuerat coccinum pallium, ducentos argenti siclos, & quinquaginta auri, quæ fossa humo absconderat iuxta proprium tabernaculum. Currunt, qui abscondita quærant, & adsportent; nec mora, cum primum ea coram fuerunt ablata; simul cum raptis bonis, & cũ proprijs, & cum filijs, & vxore, & ipso tabernaculo stridentibus flammis miser homo fuit datus. Insuper super ipsos cineres multi fuerunt à populo iacti lapides, quo diuinum numen sibi placarunt.

MORALIA CIRCA textus literam.

EV auri sacra fames quæ corda nõ rapis! Sanè vix vlla in mundo tragædia est, in qua funestum quid auaritia non faciat. Illi putent sibi Deum fœliciter affuturum, apud quos hæc pestis vapulat.

Iosue 7. Filij autem Israel præuaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate, Nam Acham filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda tulit aliquid de anathemate, iratusque est Dominus contra filios Israel. Cumque mitteret Iosue de Iericho viros contra Hai, quæ est iuxta Bethauen ad Orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: Ascendite, & explorate terram.

§. I.

Vbi adest auaritia, abest veritas.

NOtissimum est Israelitæ hominis furtum, quo de Ierichò spolijs aurum, argentum ve sibi rapuit: de quo agens textus ait: *Filij autem Israel præuaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate.* Vbi dicit: *Præuaricati sunt*, explicat Caietanus: *Præuaricati, seu mẽtiti sunt*; & ad rẽ satis consequẽter mentitos putat; vbi enim auri, argenti ve ostenditur vsurpatio, non potest non adesse mendacium, & veritas exulare. Nunquam, mihi crede, veritas, & auaritia simul morantur. Maleficus ille Balam vidit munera sibi oblata, vt iret maledicturus populo Dei, & quamuis iam semel à Deo prohibitus fuerat, tamen secundo instat, & quærit ex Deo an ire deberet. Quid tunc? Ait Num. 22. *Venit ergo Dominus ad Balam nocte, & ait ei: Si vocare te venerint homines isti, surge, vade cum eis, &c.* Modo dicebat Deus Balamo, ne iret, modo dicit, vt eat, quid est hoc Domine? Modo ais, modo negas? Cur quod modo negabas, tam cito concedis eidem maleficio? Ait D. Amb. epist. 37. *Responsum est quasi auaro, nõ quasi qui verum quæreret, vt illuderetur potius, quam informaretur.* Quibus illa mihi maximè ponderanda veniunt, nimirum: *Responsum est quasi auaro, non quasi qui verum quæreret*; quippe diuersi sunt, & maximè oppositi inter se, auarus, & qui verum quærat. In quo enim est auaritia, nequit inesse verum: Numer. 27. ait: *Accesserunt autem filiæ Salphaad:: atque dixerunt:: Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri, &c.* Hæ primum puellæ inueniũtur pro bonis terrenis litigare, vt sibi bona habeant, & non immerito notantur fuisse filiæ Salphaad, quod nomen iuxta D. Amb. interpretationem, idem est ac oris obumbratio. Et quid est mysterij, quod obumbratione oris nominentur quæ inhiant ijs bonis temporalibus? Quippe iam ibi ostẽdebatur, vt in terrenorum desiderio, & auaritia, aut raro, aut nunquam claritas, aut veritas inueniatur. Ait D. Amb. in Exort. ad virg. *Salphæ autem filiæ quid sunt, quæ terram*

Caietan.

Num. 22.

D. Amb.

Num. 27.

D. Amb.

ram petãt, nisi (vt interpretatio docet) oris obũbratio? Quæ vtique in illis est, quibus nõ est verbum in ore ipsorum, nec in sermone eorum veritas. Obumbratio oris, & fuga veritatis indiuidui comites sunt mentis, quæ rapitur lucris temporalibus, quæ auri, argenti vè, & bonorum afficitur cupiditate. Vnde meritò Dominus diuitijs attribuit fallaciam Matth. 13. aiens: *Solicitudo sæculi huius, & fallacia diuitiarum suffocant verbum, &c.* Diuitiarum quidem propria est fallacia, mens enim, quæ illis inhiat, nihil non voluit falsum, & inane. Vt dicat Galfridus in Alleg. Tilmanni: *Nihil est iniquius, ait Sapiẽs, quam pecunias amare. Qui pecuniam amat, similitudinem colit inanem, solidam deserit veritatem. Suffocat verbum Dei diuitiarum fallacia, fallax quædam imago, vmbra, figmentũ.* Hoc est præcipuum in cultura diuitiarũ, quod veritas deseratur. De quo habes pluratom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 13. §. 7.

Matt. 13.

Galfrid.

§. II.

Mundialis nobilitas vix potest auaritiæ non seruire.

AB atauis, & auis, ijsque clarissimis de tribu Iuda nominatur Achan, qui aurum de anathemate sibi eripuit, ait enim: *Achan filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda tulit aliquid de anathemate.* Nec otiose tanta auorum, familiæque claritudine, & pompa raptor auri introducitur, nisi vt ostendatur, quam sit procliuis mundiali; nobilitas ad auaritiam. Et crede mihi, nulla conditio auri auidior est, quam mundialium nobilium conditio. Eleganter dicebat D. Zeno lib. 1. serm. 14. *Auaritiæ non iura, non leges, non honor vllus obstitit. Non nobilitas, quia per hanc crescit, hanc excolit, per hanc hoc sibi nomen inuenit.* Itaque vt tota nobilitatis mundialis substantia ex diuitijs coalescit, sic nequit nobilitas non subiacere diuitijs. Trita est illa Oratoris sententia: nimirum, Diuitias antiquas nobilitatem appello; vnde est, quod vt ipsum nobilitatis nomen ortum sit à diuitijs, non possit nobilitas vehementissime non rapi ad illas. Hinc Isaias cap. 1. *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Aliæ in alijs notantur prauæ affectiones, in principibus autem, & nobilibus mundialibus nullæ certius inueniuntur, quam hæ, quibus raptantur, vt bona sibi congerant. Inuenies forsan principem, & nobilẽ, qui voluptates fastidiat, qui fastus oderit; at ægrè, & difficulter inuenietur, qui aurum non sequatur totis precordijs. Huius rationem attigit D. Synesius lib. de regno, in ijs magistratibus, qui auro sibi emerant thronos. Ait enim: *Credibile non est, eum sublato vultu, toruis, ac rigidis oculis aurum ex aduerso intueri posse. Nouit enim, se eius beneficio in honore esse, sublimique in solio sedere.* Planè sapienter putat nõ posse aurum contemni, sed amari ab eis, qui norunt se eius beneficio esse in honore, & in solio. Quod vt est commune principibus, & nobilibus mundialibus, sic verum est, ab illis aurum non posse facile nõ amari, & excoli. Quis nobilis, vel princeps diuitijs non debet suum honorem, suã præcellẽtiam? Tolle diuitias à nobilibus, & ab omnibus vt miseri plebei ridentur. Qualiter ergo non afficientur ad eas, quarum beneficio experiũtur se in honoribus, & in solijs esse. Æstheris cap. 2. Ait textus: *Cum percrebuisset regis imperium, & iuxta mandatum illius multæ puellæ virgines adducerentur Susan, & Egeo traderentur eunucho; Æsther quoque inter cæteras puellas ei tradita est, vt seruaretur in numero fœminarum. Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius.* Ex Hebræo leguntur hæc vltima: *Et eleuauit gratiam in conspectu illius*: quasi nõ communiter, sed mirum in modum grata ei apparuit. Sed ad quem modum ei grata' extitit? Pulchrè ait Caietan. *Obtulit se gratiosam Æsther in conspectu Eunuchi, tanquã munus aliquod ei gratum obtulerit*: quippe nullo alio explicari possunt gratiæ, quibus capiantur nobiles palatini, regijque principes, quàm per gratiam, quã apud illos munera tenent. Hæc sunt, ad quæ illi minus se continent, quorum magis capiuntur hamis, raptantur catenis. Et ne putes id solum fuisse singulare in Egeo illo: posit pauca subijcit ipse textus: *Instabat dies, quo Æsther deberet intrare ad regem:: Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa.* Hebraicè: *Fuit Æsther eleuans gratiam in oculis omnium videntium eam.* Ibidem Caietanus: *Vsque adeò fuit gratiosa apud oculos omnium, vt tanquam offerens munus eisdem haberetur.* Planè Æsther constituta in Regiæ gymnecco à nullo poterat videri, qui non princeps, & vir nobili esset; ab ijs cum videbatur, tam grata apparebat, quasi singulis munera offerret. Non enim alia est mensura gratiæ ex principibus, nobilibusque extorquendæ, nisi mensura munus offerentium.

D. Zeno.

Isai. 1.

D. Syn.

Æsth. 2.

Caietan.

Heb. Lec.

Caieten.

tium. Hæc vnice affectum talium tenent.

§. III.

Nobilitas vera non à parentibus, atauis ve, sed à pulchris operibus.

NOn otiosè scriptura sacrilegi hominis, & furis, & statim supplicio afficiẽdi nobilium atauorum genealogiam meminit, ait enim: *Acham filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda, &c.* Sed vt ostendat, quam ridiculus sit splendor nobilitatis desumptæ ab atauis, & parentibus, quando hic stare potest in prole, & vilissima, & multis tenebris obuoluenda. Sapienter ait Clemens Alex. lib. 2. Stromat. cap. 8. *Ipsa autem nobilitas ostenditur in eo, quod quæ sunt pulcherrima, honestissimaque eligat, & exerceat. Quid enim Ada profuit, talis eius nobilitas, & quod eius nullus esset pater mortalis? Ipse enim pater omnium hominum turpia quidem prompto, & alacri animo delegit, vxorem sequens: vera autem, & honesta neglexit, quo factum est, vt vitam immortalem mortali commutaret.* Equidem qui à parentibus summitur splendor, in nullo præstantior fuit, quam in Adamo, de quo pleno ore dicit Lucas cap. 3. *Qui fuit Dei*; nullum mortalem habuit parentem Adamus, sed proprium fuit plasma Dei. Sed tota hæc nobilitas in illo nihil valuit, quando ipse turpia elegit, illa enim sola est vera nobilitas, quæ non nisi inter pulchra, & splendida opera videtur. Hinc de Iob cap. 1. *Erat vir ille magnus inter omnes orientales.* In cat. Græca legitur: *Erat homo ille nobilis inter orientales.* Apud Orig. lib. 1. in Iob dicit: *Fuit hic homo de genere optimo ex partibus orientis.* Miraris quod Iob dicatur ab scriptura fuisse de genere optimo, cum constet illum Idumæum fuisse de genere Esau reiectitio. Et quomodo Iob de genere optimo dicitur, cuius nullus auus, atauus ve optimus scribitur? Planè non qui à parẽtibus, atauis ve splendor venit, sed qui à præclaris operibus, & virtutibus, ostendit optimum, & ingenuum genus in filijs. Ait Orig. lib. 1. in Iob: *Meritò de genere optimo dicitur Iob, Non ex Esau, neque ex posteritate Edom; sed de genere optimo dicitur, ex sanctitate, & iustitia, ex pietate, ex fide, ex misericordia, ex Dei cultura, ex vero animo, ex corde puro, ex bonis cogitationibus. Existis ergo omnibus bene natus dicitur Iob, ex istis omnibus generosior esse reputatur, quasi in Dei familiaritate, quasi in Dei clientela, tanquam qui Deo fuerit affinis propter animam veram, & fidẽ, atque iustitiam integram. Bene natum eum vere dunt non terreni patres, neq; aui carnales, sed opera veritatis, atque officium sanctitatis.* Quis putet bene natum illum, qui licet â claris hominibus ortũm ducat, nihil in se ostendit non tenebris dignum? In quo nihil verum, nihil operis non caliginosum eminet? Sanè non bene natus est, qui solũ natus ad malum, & dedecus, & dissipationem familiæ. Ille bene natus est, ille nobilis vere, ille optimo genere splendet, quem non tam aui, quam opera commendant virtutis. Hinc de nobilissimo orbis renouatore ait Gen. 6. *Hæ sunt generationes Noe. Noe vir iustus in generationibus suis.* Quæ verba ponderans Philo lib. de Abraham dicit: *In tantum scriptura magnificat hunc virtutis amatorem, vt in stemmate eius, non more aliorum auos, proauos, maioresque cæteros recenseat, siue paternos, siue maternos, sed virtutes quasdam; tantum non disserte clamitans, nullam aliam familiam, cognationem, patriam sapientis esse præter virtutes. Hæ sunt, inquit, generationes Noe. Nec homo iustus.* In obscuris, vilibusque hominibus, qui erantur proauorũ decora, si forte aliquod inde solatiũ capiat; at in sapienti, & præstanti viro, nõ proaui, sed virtutum opera in æstimatione sunt, ad eius veram ingenuitatem asserendam.

Clem. Al.

Luc. 3.

Iob 1.

Gr. Lect. Origen.

Idem.

Geneſ. 6.

Philo.

Ioſue 7. Qui præcepta complẽtes explorauerunt Hai. Et reuersi dixerunt ei: Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, & deleant ciuitatem; quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes pauciſsimos? Ascenderunt ergo tria milla pugnatorum. Qui statim terga vertentes, percussi sunt à viris vrbis Hai, & corruerunt ex eis triginta, & sex homines, persecutique sunt eos aduersarij de porta vsque ad Sabarim, & cecidẽrunt per prona fugientes, pertimuitque cor populi, &c.

§. IIII.

§. IIII.

Non in multitudine, sed in numero sufficienti pugnatorum victoria.

AVditis exploratoribus de hostiũ paucitate, Iosue illis acquieuit, mittẽs nõ amplius, quam tria millia pugnatorum aduersus Hai, dicente textu: *Ascenderũt ergo tria millia pugnatorum, &c.* Sciebat prudentissimus dux, nõ in multitudine, sed in numero sufficienti militum esse victoriam. Quod dixerim propter Caluinũ, homo enim erroneus, vt in nullo veritatem attingeret, mordit Iosue, illũque militaris inscitiæ insimulat, quod non maiorem manum miserit in hostes. At vbi explorata iam erat hostium paucitas, ad quid multitudo pugnatorum? Satius ait Titus Imperator apud Egesippũ Egesip. lib. 3. cap. 24. Imperator apud Eges. lib. 3. cap. 24. *In ipso pedestri certamine non tam numerus plurium conficit pugnam, quam virtus paucorum. Multitudo enim disciplinæ insolens ipsa sibi est impedimento in prosperis ad victoriam, in aduersis ad fugiam.* Placeat ergo impio Hæretico in ethnico Imperatore, quod in fideli displicuit. Rursus fugiente Dauide filium rebellem, actum est inter Absalonis duces de rei prosecutione. Quid tunc? Ait 2. Reg. 17. lib. 2. Reg. cap. 17. *Dixit ergo Achitophel ad Absalon, Eligam mihi duodecim millia virorum, consurgens persequar Dauid hac nocte.* Placuit hoc consilium Absalon, sed voluit etiam audire Chusai; & dixit Chusai: *Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice: Tu nosti patrem tuum, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos, & amaro animo, velut si vrsa raptis catulis in saltu sæuiat: sed & pater tuus vir bellator est, nec morabitur in populo, &c. Sed hoc mihi videtur esse rectum consilium: Congregetur ad te vniuersus Israel à Dan vsque ad Bersabee, quasi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum. Et irruemus, &c.* Conueniat huc Caluinus, & dicat, vtrum fuit prudentius & melius militare consilium, quod Achitophel dedit, an quod Chusai? Achitophel non cum tota multitudine exercitus, sed cum selectis millibus pugnatorum consulebat Dauidem impetendum; Chusai autẽ ingentem multitudinem, & innumerabilẽ aiebat expectandã, vt securius procederetur. Quid ad hæc Caluinus? Fallar, nisi stet à sententia Achitophelis hominis suæ farinæ; quam etiam scriptura probauit aiens: *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile, &c.* Ergo sapiens militare consilium non in eo est, quod cum multitudine aggrediaris hostem, sed cum eo numero militum, qui sufficere videatur, vt eius frangantur vires.

§. V.

Humanæ fragilitatis est, quod magna superans, in minimis decidas.

POst populosissimam vrbem Ierichò vastatam, aggrediuntur Israelitæ paruam aliam ciuitatẽ Hai, pauciscque habitatam ciuibus, & primo impetu terga vertunt, turpique se dedunt fugæ. Quippe ait: *Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui statim terga vertentes percussi sunt, &c.* Quid miserabilius? Qui intrepidi Iericunthinos ciues armis, ferroque munitos truci darunt; nunc coram paucis fugiunt; talis est enim humanæ fragilitatis conditio; de magnis enim triumphãs, perditur in minimis. Matth. 14. erat in naui Petrus cum alijs discipulis, dumque nauis frementibus iactaretur fluctibus, apparuit Iesus ambulans super aquas, quem cum Petrus vidisset, potestatemque accepisset gradiendi ad illum super aquas, non distulit, sed intrepidus se fluctibus commisit. Ait enim text. *Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum timuit, &c.* Expende, vt videns primo fluctus maris turbatissimos, non veretur se illis committere, & post expertam subiectionem fluctuum, ad ventorum sibila timet, & pauet. Cur qui fluctuũ feritatem non timuit, postea ad sibilum vẽtorum timet? Ea est humana infirmitas, quæ in minimis offendit, maxima superãs. Matt. 14. Ait ibi Euthymius: *Mare quidem non timuit, quamquam fureret: sed de iubentis potentia confisus audacter ambulabat super aquas, & recte gradiebatur: vento autem magis territus est, ne forte circumagendo eum euerteret. Huiusmodi enim est humana natura, vt plerumque in magnis recte se gerat, magis autem deprehendatur reprehensione digna esse in minoribus.* Euthym. Eu nostræ conditionis fragilitas, quæ gigantes detriumphat, & expauet culices! Rursus Matth. 25. dicebat: *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ,* Matt. 25

& quinque prudentes, sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum, &c. Ecce tibi decem cantatissimæ puellæ in duello carnalium voluptatum glorioſissime triumphatrices; virgines enim erant; quarum tamen quinque fatuæ dicuntur, quę acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. In oleo autem summendo erogatio eleemosinarũ à Patribus intelligitur, & quæ virginitatis difficilia arripuit, parui nũmuli largitionẽ pertimuit, ab illaque abstinuit. Quid stultius? Difficilimis carnis pugnis se intrepidę cõmittunt, & in largiendo nummulo prorsus deficiunt. Ait D. Chrysost. hom. 79. *Non est corporis, & pecuniæ par cupiditas; sed acrior multò, ac vehementior corporũ est. Quanto igitur imbecilliori reluctamur, tanto minus, si vincimur, venia digni sumus. Idcirco & fatuas appellauit, quoniam difficilioribus superatis, faciliora perdiderunt.* Expende ab illis: *Idcirco, & fatuas, &c.* Et luge humanæ conditionis fatuitatem; quando in difficilimis congressibus leones sumus; & in facilimis lepores reputamur. Triũphamus de carnalibus hostibus, de sulphureis lasciuiæ flammis, & nummulo vincti tradimur. Confligit cum leone Samson, & leonem strãgulat, & hostium exercitus ille solus fugat; tandẽ pugnat, ne vxor sciat suæ fortitudinis secretũ, & non valuit non illud reuelare. Ait enim Iudic. cap. 16. *Cumque molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatiũ ad quietem non tribuens; defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei, &c.* Expende illa: *Ad mortem vsque lassata est*; qui inter leonis vngues, inter confertissimos hostes nunquam fuerat lassatus, inter importunas vxoris preces vsque ad mortem lassatur. An quia istud certamen difficilius fuit? Absit, nihil enim infirmius apud homines communiter inuenitur, quam sunt preces vxoris proprię. Sed ea est fatuitas humana, quę rideat magna, & cedat minimis. Quo circa aiebat D. Ephræm in Paren. aduersus improbas mulieres: *Quis Samsone pulchrior? Qui semptem crines in capite gestabat, qui septi forme lumen designabant gratiæ. Quis illo fortior? Qui leonẽ terribilem solus in via percusserat, & vna maxilla asini mille viros alienigenas reiecit. Quin & tantæ erat sanctimoniæ, vt in impia aquæ orante ex arrepta in manu eius mandibula asini aquæ scaturirent. Atque hunc tantæ sanctitatis, tantæ fortitudinis virum propria mulier deturbauit.* Pondera quæso, quos vincat, & à quâ vincatur. Vicit leones, vicit exercitus, vicit naturam; sed vicit eum propria mulier. Quæ potest in mundo minor vis excogitari illa, quam propria mulier marito infert? Et ab hac deijcitur, qui leones, & exercitus, & naturã superabat. Sic in magnis validissimi, in minimis sordere solent. In præsenti cap. Achan fassus culpam suã ait: *Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti regulamque auream, &c.* De quo pulchrè ait Prudẽtius in Phsychomachia:

Cædibus insignis, murali, & strage superbus.
Succubuit captus victis ex hostibus auro.

Qui fortis in prælio, infirmus in præda fuit.

Chrysost.

Iudic.

Ephræm

§. VI.

Melior conditio innocentis est sub nocentium supplicijs, quam est conditio nocentis sub innocentis libertate.

QVi de anathemate sumpserat lętus adhuc, & viuus agebat in tabernaculo suo, quando eius culpa exercitus Israeliticus percutitur, & triginta & sex viri interficiuntur. Sic enim textus ait: *Terga vertentes percussi sunt à viris vrbis Hai, & corruerunt ex eis triginta sex, &c.* Vno peccante, & viuente, & gaudente in tabernaculo suo, triginta & sex viri innoxij iacẽt in campo interfecti propter illum. Bonè Deus, sic peccatoris suppliciũ in innoxios dirigis, dum adhuc noxium viuere, & lætari permittis? Est ne apud te melior conditio peccatoris, quam iusti? Absit, nunquam enim non melior est conditio iusti etiam interfecti, etiam impiorum affecti supplicio; quam est conditio peccatoris etiã gaudentis impunitate iusti. Dan. 13. sapiens fęmina Susanna in eo erat discrimine constituta, vt si velit viuere, lætarique, deberet nefario operi consentire. Si autem opus nefarium vellet effugere, deberet pati adulterarum supplicium. Quid inter hæc nobilis, & prudens fœmina? An maluit vitam cum admissa culpa, quam cum innocentia supplicium adulteræ? Ait ipsa: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Dei.* Eligibilius illi visum fuit supplicium adulteræ cum innocentia; quam gaudium vitæ cum culpa. Pro quo D. Ambr. in Psal. 104. inquit: *Melius est arbitrata nõ peccare, & incidere in calumnias accusantiũ, quã*

Ambros.

peccatum subire sub impunitatis velamine. Habeat, qui voluerit cum culpa, & impunitatem, & gaudia, quæ iustis solent dari; qui autem sapiens est semper mauult sine peccato, vel sacrilegorum supplicium portare. Matth. 27. *Pilatus dimisit illis Barabbam, Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.* Barabbas notissimus latro, & seditiosus, & homicida liber dimittitur, vt lætus viuat, Iesus autem & morti, & cruci inter latrones adiudicatur. Quis ad hæc non expaueat? Quis non stupeat diuinæ prouidentiæ miracula? Planè Dei filio innocentissimo damnatorum supplicium adscribitur, latroni scelesto impunitas, & libertas datur. Quo respiciens D. Athanas. serm. in Parasceu. apud Grethserum tom. 2. de Cruce, ait: *Non mihi in Iudæorum impietatem respice, nec quod benefactorem suum condemnarunt, maiorem homicidæ rationem habentes: sed id potius intuere, quod condemnationis ingressus, liberationis condemnatorum quidam ingressus fuit, quod reorum pœnam præter meritũ Christus subit.* Hoc maxime mirandum, & ponderandum, quod iustorum libertas latroni, & homicidæ datur, reorum autem pœna innocentissimo Iesu exhibetur. An quia huius conditio peior? Absit; imò hinc euidentissime patet, quam melior sit conditio eorum, qui absque culpa patiuntur reorum pœnam, quam conditio eorum, qui scelestibus pleni viuunt quieti. Quando illam conditionem sibi filius Dei accepit, istam nequissimo latroni permisit. Nouit hoc Moyses, de quo ait Paulus ad Hebr. 11. *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans Thesauro Ægyptiorũ improperiũ Christi.* Afflictionem sine culpa, sine peccato vocat improperium Christi; quod videns Moyses ex vna parte, & ex altera mundialium principum fœlicitatem, prosperitatem in peccatis, hanc dimittens ad illum improperium, ad illam afflictionem euolauit. Ex quo ait ibi Chrysostom. *Magnum ergo bonum est afflictio ad quam ex fastigio regali se ipsum proiecit.* Et quidem homo prudens non se ad afflictionem, & improperia deijceret ex throno regali, nisi certissime nosceret maius bonum esse in afflictionibus, & improperijs sine peccato, quam in fœlicitatibus, & iucunditatibus cum peccato.

Iosue 7. Iosue autem scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini vsque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel, miseruntque puluerem super capita sua, & dixit Iosue: Eu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes? Vtinam vt cœpimus, mansissemus trans Iordanem. Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem? Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circundabũt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra, & quid facies magno nomini tuo?

§. VII.

Nil æque confirmat in spem humana corda, vt signa Iesu passi.

INdignum strenuo duce factum videtur modo in Iosue esse, dũ sic ad suorũ cladẽ, & fugam afficiatur, quod vestimẽta scindat, quod in terram cadat, &c. Dicit enim: *Iosue autem scidit vestimenta sua, & pronus in terrã cecidit,* &c. Quam hoc alienum à strenuo duce? Ait Sen. ad Polyb. c. 24. *Polyc.* *Hoc duces magni faciunt, rebus afflictis, vt hilaritatẽ de industria simulent, & aduersas res adumbrata lætitia abscondant, ne militũ animi, si fractam ducis mentẽ viderint, & ipsi collabantur.* Equidẽ & magni duces spectant, ne in se vultum ostendant, quo infirmẽtur milites, sed quo magis possint confirmari. Sic de Vespesiano ait Egesip. lib. 3. c. 12. *Egesipp.* *Vrgebat Vespesianus, ita vt in talo ferireturin culo sagittã. Turbati sunt Romani cũ sanguinẽ ducis fluere cernerent. Exagitatus filius cucurrit ad patrem. Sed ille supra vim vulneris virtutem gerens animi prohibet trepidare filium, magisque in prælium accendit milites, vt iniuriam vlciscerentur.* Sic & fugientibus militibus se se opponentes magni duces

duces, illos ad primam alacritatem reuocabant. At noster Iosue nil egit tale; imò cum deiectis militibus ipse deiectior apparuit, cadēs in terram, scindens vestes. Cur bone in fuga militum tuorum sic tu deijceris, vt vestimenta scindas, vt in terram cadas? Cur non magis stas, & dissimulas cladem, & prohibes trepidare tuos, & in prælium reaccendis, vt se se vlciscantur? Cur hæc præstantis ducis munera præteris & assumis ea, quę maiorem ostendunt infirmitatem? Sanè vt veri Iesu typus erat, sic de eius ingenio deiectos milites confirmabat in scissione vestis, in deiectione vsque ad terram. Verus enim dux noster Iesus nullo magis cōfirmat suos, quam scissum suum corpus ostentans, & ad mortem vsque prostratum. Hinc Iesus discipulis metu Iudæorum exanimatis, & domi clausis apparens, vt eos reaccēderet in certamen, & penè a morte in vitam excitaret,

Ioann. 20. quid egit? Ait Ioann. 20. *Cum ergo sero esset die illa, vna Sabbatorum, & fores essent clausæ propter metum Iudæorum, venit Iesus & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus.* Ecce tibi, vt metu pene enectos suos milites ad vitam reuocaret, in speque vitæ confirmaret, vnum hoc tunc facit, nimirum ostēdit illis scissuras sui corporis in pedibus, in manibus, in latere. Et quid non sperent homines de visa Iesu scissa corporis veste?

Hil. Arc. Ait D. Hilar. Arel. hom. 8. in Pasch. *Reparandum itaque me in corpore meo, & circundandum me pelle mea credo quidem sermonibus annuntiantis, sed plus credo cicatricibus resurgentis:* Loquitur de cognitione fidei prout mouet ad opera fortia aggrediēda, deiectis hominibus, & pene enectis, imò prorsus emortuis spem vitæ, & omnimodæ reparationis instillat Dominus, & exhortatorijs sermonibus, & scissuris proprij corporis ostensis. Et vtra pars efficacior?

Hilar. Ait Hilarius: *Plus credo cicatricibus resurgentis.* Omni exhortatione efficacior est ostensio scissi corporis Iesu, qua efficacissime persuademus redintegrandas vires nostras ad hostes feriēdos, ipsamque mortem perdendam. Hinc in summa Apostolorum orbitate, quando ascendente in cœlum Iesu manebant illi expositi mille hostilibus incursibus: duo descenderunt Angeli, qui sic eos confirmabant, erigebant Actor. 1.

Actor. 1. *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, &c.* Quid est, sic veniet? Videbant illum cum corporis scissuris abire; quas non exuendas, sed reseruandas, & iterum atque iterum videndas promittit Angelus, vt hinc reparentur Apostolorum desolatorum animi. Ait D. Epiphan. orat. de Ascens.

D. Epiph. *Sic veniet: Veniet enim corpore nostro vestitus: veniet clauorum vestigijs pulchrè insignitus, veniet latus lancea dira perforatum, omnibus manifestè ostēsurus, quo nimirum Iudæi videant, in quem olim pupugerunt. Nos autem digni habeamur, qui vultum illius cum fiducia inspiciamus, promissorumque bonorum participes efficiamur.* Itaque vestitus corpore nostro Iesus scissuras vestis huius reseruauit vel in cœlesti gloria, vt iterum illas ostendens hostes suos penitus conficiat, nosque confirmet in spe diuinæ promissionis datæ. Et August. hom. 6. de Ascens.

D. Aug. *Sic veniet. Vna erit enectio, vna latitia nubifera, vna species mansueta, sed iustis clarifica, & peccatoribus metuenda. Non vos terrebit aduentus, quos consolatur eius ascensus. Sic veniet, clauorum vulnera illæsa demonstrans, & foraminum cruenta monilia. Vobis filij sponsi cum coronam cœlestis exhibebit imperij, crucis vulnera non mutabit.* Quid pulchrius? Nihil anxius curāt Angeli iuxta hos Patres, quam desolatis, & deiectis persuadere, quod Iesus lacerum corpus nec in gloria exuet, sed magis illas ipsas passionis scissuras exhibebit, quibus hostes pereant, & iusti confirmentur.

§. VIII.

Pœnitentia principum magnū est præsidium subditorum.

HOstium metu exanimatis Israelitis vi dete quale præsidiū paret dux eorū; dicit enim textus: *Iosue autem scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram, &c.* Quid agis bone dux? Quid quod scindas vestimenta tua, & iaceas in terra, vt milites confirmentur? Cur non magis in armis splēdes? Cur nō magis validissima iacula cōtorques, vt sic præsidio sis tuis metu exanimatis? Nonne si milites meticulosi videant ducem suum laceris vestibus iacentem; magis infirmabuntur, & magis exanimati hostibus patebunt? Absit; in fideliū namque politia, illa præstantissima est, qua se principes in calamitate ostendūt subditis afflictos, & pœnitentes, sic enim nō parua illis præsidia exigunt ex Deo. Prædicabat Ionas cap. 3.

Ion. 3. *Adhuc quadraginta dies sunt, & Ninive subuertetur,* & in tanta ciuitatis subuersione annuntiata, quid fecit rex? An se ad tutiora loca recepit? An ciui-

tate relicta ad aliam cõfugit expectans rei euentum? Hoc commune est alijs regibus, at rex iste credens voci prophetæ; *surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum, & indutus est sacco, &c.* Non equidem mansit in solio, nec ad tutiora alia loca cõtendit, sed confugit ad pœnitentiam, indutusque sacco sese omnibus videndum exhibebat. Quo labenti penè vrbi præsidium fuit effe-
D. Ephre. ctus. Ait D. Ephren serm. de Pœnit. Nini uitarum: *Pro gloria, & honore currus pedibus per vrbem incedebat, omnesque ad pœnitentiã impellebat. Humiliter incedebat, & præsidiũ ipsemet ciuitatis sibi subiectæ, ne corrueret, siebat.* Humiliatio, & afflictio, & pœnitentia principis, præsidium fiebat ciuitati ruiturę, ne corrueret. Et quidem nullo magis principes confirmabunt suos, ab eisque mala depellent, quã si ipsi humilientur, pœnitentiamque agant, coram omnibus, & coram Deo. Ioram arctissima hostium obsidione
4. Reg. 6. præssus. 4. Reg. 6. accepit a suis comestos esse filios præfame: *Quod cum audisset rex scidit vestimenta sua, & trãsibat per murum. Viditque omnis populus cilium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Non visa est lancea in manu Regis, nec æreus torax in pectore, sed cilicium visum est circa carnem gradientis super murum. Ad murum cur nõ magis arma portat? Cur iacula ibi, & fulmina non magis ostendit? Nonne telorũ ostẽtatio aptior est pro muris, quam cilicium? Cur ergo ferrum dissimulans, cilicium ostẽdit pro muris? Ait Caietan. *Ecce fructus Elisæi in Rege: affligebat siquidem se rex cilicio instructus ab Elisæo.* Plane Elisæus præsidiũ promiserat, & Regem instruxerat, vt magis cilicia, & affli ctiones pœnitentiæ tractaret, quam tela, quam bellica munimenta. Pœnitentiæ enim afflictiones in principibus pariunt tut issima subditis præsidia, subquibus hostiles impetus nesci unt timere.

Caietan.

§. IX.

Quod tibi à Deo vis fieri, fac tu propter Deum.

VIdens Iosue fugiẽtes, & pauidos suos, ad Deum confugit, vt illos confirmaret; dicit enim: *Scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini vsque ad vesperam.* Et qualis hic habitus dicis erat, nisi volentis in similia solicitare Deum? Amabat enim à Deo rescindi decretũ populo suo auersum; amabat item Deũ facere populo assistentem; quæ vt in Deo perficeret, ipse prius scidit vestimenta sua, & pronus iacens assistit coram Deo vsque ad vesperam. Et fallar, nisi ijs faciat, quod similiter Deus scindat decretum iræ suæ, & populo assistat, vt maneat imperterritus. Sic enim quæ â nobis fiunt propter Deum, similiter efficiuntur pro nobis a Deo. Hinc Ionæ cap. 3. *Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir â via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit sit conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur â furore iræ suæ, & non peribimus? Et vidit Dominus opera eorum, quia conuersi sunt â via sua mala, & misertus est Deus; &c.* Prudens rex cupiens Deum conuerti ab illo denuntiato furore, hoc suis persuadebat, nimirum: *Conuertatur vir a via sua mala*; quando enim homo à via mala conuerteretur, quasi necessum esset, Deum à furore prænuntiato conuerti. Et sic omnino factum est; quo enim modo se homines habuerunt erga Deum, eodem se habuit Deus erga eos, Ad quæ pulchrè ait D. Basil. Sel. orat. *Basil. Sel.* 12. *Pœnitentia pœnitentiam genuit, homines immutantur, & Deus consilia retractat. O diuina clementia! Ad quantam dignitatem euexit pœnitentiam! Homines lachrymantur, & Deus immutatur lugent mortales, & decretum soluit immortalis.* Quæ pœnitentiæ fecerat in se homo, eadem fecit in se Deus; pœnituit hominem, & pœnituit Deum. Mutat homo consilium peccandi; mutat consilium puniendi Deus. Scindit homo lachrymis genas, pugnis pectora, decretum vindictæ rescindit Deus. Sicque hominis pœnitentia gignit pœnitentiam in Deo, vt hic auertatur abira, sicut ille auertitur à scelere. Solet enim Deus æmulari in bonum hominis, quod facit homo in obsequium Dei. Ioann. 11. *Ie-* *Ioann.* 11
sus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei, Domine, veni, & vide. Et lachrymatus est Iesus: Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ecce ordinem. Plorabat Maria, plorabant Iudæi, Iesus autem horum lachrymis commouetur, annuensque lachrymis eorum

de

de ſuſcitando Lazaro agebat. Deinde lachrymatur ipſe Ieſus, & ſtatim oſtendit, ſe eſſe exauditum à Patre diuino in lachrymis ſuis. Et cur poſt lachrymas ſuas oſtendit ſe à Patre exauditum? Plane firmare volebat, quam certum ſit, quod Deus faciat nobiſcum iuxta ea, quæ nos fecerimus erga illum. Audierat enim Ieſus lachrymas Mariæ, & Iudæorum, & inde etiam oſtendit lachrimas ſuas à Patre exauditas. Id quod ſapienter notans D. Zeno hom. de Lazaro ſuſcitato, ait: *Harũ ad lachrymas, ſparſam crinis miſerandæ cæſariem ſaluator pietate commotus, fletus fletibus recõtabat. Et quod ipſe ſororum fletibus mouebatur, lachrymis filij ſui ſaluatoris noſtri inter ipſos cœlos eius paternitas flectebatur.* Ecce tibi Ieſus in terra, & Pater in cœlis: Ieſus in terra non videt ſororum lachrymas, quin ſtatim ad illas moueatur: Pater in cœlis non videt Ieſu lachrymas, quin illis ſtatim exaudiat. Quod Ieſu; in terra facit miſerendo, idem pater cum illo è cœlis annuendo facit. Habes homo viam, quo Deum tibi adaptas; qualem tibi optas eſſe Deum, talem te Deo exhibe, talem te Deo para.

Zeno.

§. X.

Ad diuini nominis virtutem pertinet, quod non audeant hoſtes aduerſus fideles.

QVaſi gloria diuini nominis non poſſit ſtare cum hoſtium auſibus, ait Ioſue: *Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circundabunt nos; atque delebunt nomen noſtrum de terra, & quid facies magno nomini tuo?* Expende hæc vltima: *Et quid facies magno nomini tuo?* Quaſi vbi uenerint hoſtes, percuſſerintque fidelem populum; ſic eo ipſo infirmetur magnum Dei nomen, vt vix illi medella inueniri poſsit. Et quidem ingens diuini nominis virtus in eo ſita eſt, quod vel ad eius ſonum nullus ſit hoſtis, qui audere poſsit. De cantatiſsimo duce Ecditio ait Sidon. Apollin. lib. 2. epiſt. 3. *Vix duo de viginti equitũ ſodalitate comitatus, aliquot millia Gothorum non minus die, quam campo medio tranſiſti. Ad nominis tui rumorem, perſonæque conſpectum, exercitum exercitatiſsimũ ſtupor obruit, ita vt præ admiratione neſcirent duces partis inimicæ, quam ſe multi, quam te pauci comitarentur.* Sic magni ducis præſtãtia extollebatur, quod ad nominis eius rumorem validiſsimi quique hoſtes ſtuperẽt, nec aliquid moliri auderent. Qua in præſtantia diuiniſsimi ducis noſtri Ieſu nomẽ nunquam non eſſe debet. Vt dicat ipſe Mar. 16. *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquantur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Plane nullum venenum, nullus ſerpens, nullus ſatan non cadet ad rumorem diuini nominis. Quo ſpectans Prudent. lib. Apotheoſis ait:

Apollin.

Marc. 16.

Prudent.

Torquetur Apollo
Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt, agitant miſerũ tot verbera linguæ
Quot laudata Dei reſonent miracula Chriſti.
Intonat antiſtes Domini; Fuge callide ſerpens,
Mancipium Chriſti, fur corruptiſsime, vexas,
Deſine, Chriſtus adeſt, humani corporis vltor.
Non licet, vt ſpoliũ rapias, cui Chriſtus inhæſit.

Nequeunt ſimul eſſe hoſtis, & Ieſu nomẽ; vbi diuiniſsimi nominis vel murmur ſonat, ſic hæret hoſtis, ſic ſtupet ſerpens, vt prorſus neſciat nocere. Fœlix qui de tanti ducis nomine aliquid habet, fallar enim ſi hoſtilis ſentiat ſerpentis venenum. Matt. 3. dum Ieſus baptizaretur, vox patris intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Vocatur ibi Ieſus filius, & dilectus, quorum nominum participationem omnes nos tenemus; qui enim homo non ſit, & vocetur filius, & patri ſuo ſit itẽ dilectus? Cur ergo tunc cœleſtis pater maluit Ieſum vocare duobus illis nominibus, quorum participationem omnes tenemus? Volebat iam inde inſinuare quantam de diuini nominis participatione virtutum teneremus aduerſus omnes hoſtiles incurſus antiqui ſerpentis. Dicit namque D. Cyprian. orat. 1. de Baptiſm. Chriſti: *Duo grata vocabula, filius, & dilectus, ipſo Deo dictante noſtris ſenſibus imprimuntur: vt communio nominum nos aſſocier collegio munerũ, & tantæ dulcedinis nomina noſtrum emolliant animum, accendãtque deuotionis affectum, per omnia ſibi pater in filio complacuit, nec vlla in eo ſerpentis ſunt reperta veſtigia.* Planè vbi ſumma Dei in Ieſu oſtenditur complacentia, à quo prorſus excluditur, vel halitus ſerpentis antiquæ, nõ otioſe dicitur filius, & dilectus, quorum nominum vocabula etiã nos participamur, vt ex nominum communione intelligamur eorum virtuti aſſotiati, quo ab hoſtili incurſu, ſerpẽtiſque morſu liberi euadamus.

Matth. 3.

Cypr.

(***)

Iosue cap. 7. Dixitque Dominus ad Iosue: Surge, cur iaces pronus in terra? Peccauit Israel, & præuaricatus est pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati sunt, atque mentiti, & abscónderunt inter vasa sua. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate: non ero vltra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est. Surge sanctifica populum, & dic eis: sanctificamini in crastinum: hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Anathema in medio tui est Israel, non poteris stare, &c.

§. XI.

Non inuenietur Deus, vbi regnat auaritia.

NOn miror, quod deserantur à Deo Israelitæ, quorum in medio aurum de anathemate inueniebatur, ait enim textus: *Non ero vltra vobiscum, donec conteratis eum; &c.* Tollendus est è medio, qui post aurum abijt, qui auaritiæ sedem fecit in anima; si velis, quod Deus adsit. Nihil enim Dei erit in eo, quem implet cupiditas auri. Ait D. Leo serm. 9. de Pass. *Nullum est in illo corde iustitiæ vestigiũ, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.* Vanus est, qui simul Deo, & auro velit in corde suo sedem dare; cum experientia doceat, quod ingrediente auro in corde humano, inde statim Deus exsufflatur. Matth. 26. *Abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argẽteos.* Auaritia sua raptatus miser accepit nummos à Pharisæis, sed vt nummi venerunt in eius manus, recessit Deus ab eius anima. Ait D. Chrysost. serm. 3. de Resur. *Parricida pariter, & conuiua vendidit argento Dominum, fecit de magistro ferale commertium. Accepit aurum, & perdidit Deum.* Quid grauius? Repetenda millies sunt à viro fideli ea verba: *Accepit aurum, & perdidit Deum.* Caue tibi homo ab auro, simul solent esse iuncta, quod aurum acquiratur, & Deus perdatur; quod ueniat aurũ, & Deus abeat. Non vult diuinitas consortium auri, auaritiæ fugit sodalitatem. Ioan. 2. *Ascendit Iesus Ierosolymam; & inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & nummulariorum effudit æs, & mẽsas subuertit.* Deus bone, qui meretrices recipiebas, adulterisque benignitatẽ ostendebas, sic irascéris in hos miseros mercatores? Cur modo flagellum exhibes, & percutis, qui alias suauissimus es, & multum misericors? Volebant isti, vt in eadem sede esset Deus, & auaritia; Deus, & lucri amor; & sic nõ contenti lucra sectari inforo, lucris suis etiam sedem posuerant in templo, in quo singulariter Deus assistebat. Ideo eos percutit Dominus, docens flagello, nõ posse Deum manere cum auaritia in eadẽ sede; sed necessum esse, quod præsente Deo, auaritia pereat; vel presente auaritia, & præualente perdatur Deus. Ex quo monebat D. Cyprian. serm. 2. de Baptismo Christi. *Loquere igitur, Domine, quia audit seruus tuus. Suaue est mihi eloquium tuum, à vilibus pretiosa distinguens, quasi flagello de funiculis ex texto, de meo interiori templo, quod tu inhabitas, omnem nundinationem expellis, nec patitur in atrijs tuis mercimonia columbarũ, sed à sanctuario gratiæ tuæ omnem venalitatem excludit.* Crede mihi, quò accessurus est Deus, præmittit quasi flagellum, quo excludatur auaritia, & vel eius vestigia exufflentur. Non in vna sede morantur auri cupiditas, & Deus. Aut illa expellatur, aut hic perdatur. Hostile semper odium est inter Deum, & auaritiam. Ait enim Isaiæ cap. 1. *Principes tui infideles socij furum, diligunt munera, sequũtur retributiones: Propter quod ait Dominus Deus exercituum fortis Israel: Heu, consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Hoc vnum de illis dicebat, quod nimirũ lucris, muneribusque inhiarent, & statim vocat Deus illos hostes, & inimicos, de quibus vindictam sumat. Ait Petrus Dam. lib. 2. epist. 2. *Per Isaiã Dominus conqueritur, dicens: Principes tui infideles, socij furũ, diligunt munera: De quibus & paulo post dicit: Heu, cõsolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Ij, qui socij furum, cui auro inhiant, qui lucris studet, singulariter Deo hostes, & inimici dicuntur, aduersus quos Deus acerrimam parat vindictam. Vnde mone-

Matt. 16

D. Chrys.

D. Leo.

Ioann. 2.

D. Cypri.

Isai. 1.

Pe. Dam.

Tertull. monebat Tertul. lib. de cultu fœm. *Ne dilexeritis aurum, in quo prima delicta populi Israel denotantur. Odisse debetis quod Iudæos perdidit, quod derelinquentes Deum adorauerunt.* Expende illa, *Derelinquentes Deum*; quippe derelictus fuit Deus, cum primum apparuit aurum colendum.

§. XII.

Auaritia valde infirmat Ecclesiasticos viros, ne contra scelera stent.

NOtanter dicit textus: *Nec poterit stare Israel ante hostes suos, &c.* Non dicit, Nec poterit stare populus; sed, nec poterit stare Israel; quippe Israel nomen est particulariter dicati Deo. Vt in de videamus, quam singulariter auaritia infirmet viros dicatos Deo, infirmat Ecclesiasticos homines, ne stare possint contra popularia scelera. Ait Rupert. in præf. lib. Rupert. 2. cap. 21. *Non ergo, inquit Dominus, poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. Vbi enim in Sacerdotibus, vel eis, qui præsunt, auaritia regnat, & principatū obtinet pecunia; hi, qui sunt Israel; arma virtutum contra vitia tenentes, & prout oportet arguere, & obsecrare volentes, stare non possunt contra hostes libere repugnantes, quippe quos pecunia tuetur.* Eu quam se tuebuntur scelera sub pecunijs, cum illorum persecutor, auarus lucrique studiosus fuerit? Quomodo fieri poterit, quod vir studens pecunijs acquirendis, non potius suffragetur vitijs, & sceleribus, vnde lucra receperit? Ride Christiane Ecclesiastica munera, in quibus pecunia principatū habuerit; nulla ibi erit vis aduersus vitia, sed in- Matt. 21 firmitas, sed impotentia. Matth. 21. *Intrauit Iesus in templum Dei, & eiciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & mensas nūmulariorum, & cathedras vendentium colūbas euertit:: Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos.* Dum nundinas è templo eijcit, statim accedentes cœcos, & claudos sanat in templo. Non equidem sanabantur in templo claudi, nec cœci, dum ibi sedem lucrum habebat, dum ibi stabat nummulariorum mensa. Non enim in ministris templi virtus erat aduersus mala tollenda, dum in se regnare pecuiam permittebant. Ait eleganter vbi supra Rupert. Rupert. *Non prius cæcos, & claudos curauit, quā illos latrocinantes de spelunca eiecit, quia videlicet, non vitia curari, nec virtutes possunt illustrari, nisi prius Mammon de cordibus Sacerdotum, aut ipsi Sacerdotes cum illo Deo suo de templo Dei fuerint eiecti.* Quid poterit Sacerdos aduersus populares infirmitates, si ipse lucri rapitur insana cupiditate? Nisi enim prius auaritiæ sedes fuerit ex te deiecta, non prævalebis aduersus mala, quæ te inuaserint armata crumenis. Ait ebat Eccle- Eccles. 20 siast. cap. 20. *Xenia, & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore, auertit correptiones eorum.* Quo respiciens Petrus Pe. Dam. Dam. lib. 2. epist. 2. ait: *Armat enim muneribus aduentantes, & per eos expugnat, ac cæcat eorum corda, qui suggerendi locum apud aures obtinent principales.* Equidem vitia armata muneribus, & pecunijs nunquam nō expugnant eos, à quibus fuerant exufflāda, si in eis amor lucri succendatur. Plura huc sunt trahenda ex tom. 3. in Euang. lib. 15. cap. 2. §. 7. & 6.

Iosue 7. Surgens itaque Iosue mane applicuit Israel per tribus suas, & inuenta est tribus Iuda. Quæ cum iuxta familias suas esset oblata, inuenta est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi, cuius domum in singulos diuidens viros, inuenit Achan filium Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iudà.

§. XIII.

Ride nobilitatem, quæ primi parentis Dei virtutes non refert.

MVltus est textus in repetenda prosapia Achani, dixerat, vt inuenta fuerat Iudà tribus, & in hac notata Zare familia. & in hac Zabdi domus, & tādem in hac deprehensus Achan, & statim repetit. *Inuenit Achan filium Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda.* Ad quid necessaria tam frequens repetitio nobilium auorum, in homine, qui statim erat furti sacrilegio damnandus? Planè quo vilior, & miserabilior Achan erat peccato suo, eo diuinus spiritus curiosius memorat eius nobilissimam

proſapiam, clariſsimos auos, vt ſic contundat humanam vanitatem in ſola aurum claritudine ſe gloriantem. Quanta eſt nobilitas, quam viliſsimus fur, & homo execrandus habet? Non equidem vere nobilis eſt, qui claros numerat auos, ſed quo virtutes in ſe refert æterni, & ſummi patris. De Iob cap. 1. dicitur. *Erat vir ille magnus inter omnes orientales.* Vbi legit Orig. *Fuit hic homo de genere optimo.* Contentus eſt textus ſacer dixiſſe Iobum eſſe de genere optimo, abſtinet à relatione auorum, proauorumque eius; & cur non magis Iobi auos, & proſapiã nobis proponit, vt ſolet in alijs facere? Equidem in tanto viro optimum genus nobilitatis miratur, quod non in relatione auorum conſiſtit, ſed in exhibitione virtutum, quas à Deo accepimus in prima hominis natiuitatẽ. Ait lib. 1. in Iob Orig. *Talis erat beatus Iob foris ab omni crimine, iuſtus, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni re mala. Ergo quia talis erat coram Deo, meritò dicitur de genere eſſe optimo. Nam quis verè bene erit natus, niſi is, qui diuinam natiuitatem, atque conditionem integram cõſeruauit?* Non in quo numerari poſſunt illuſtres ataui, ſed in quo virtutes primæ natiuitatis, qua homo productus à Deo fuit, conſeruantur, in eo vera nobilitas apparet. Felix ille eſt, qui mundialis genealogiæ deſcenſus ridens, ad primæuam ex Deo originem conuertitur, eiuſque virtutes in ſe ſeruare contendit, quod eſt optimum nobilitatis genus. Ioſue 3. ad arcæ conſpectum: *Steterunt aquæ Iordanis*; ſiue vt Pſalm. ait: *Iordanis conuerſus eſt retrorſum*: de quo D. Amb. lib. 2. Exam. cap. 3. *Iordanis reflexo amne in ſuum fontem reuertitur.* Quæ vndæ præcipitabantur in mare, reflexæ ſunt verſus primum fontem, vndè ſcaturiebãt. Et quid hac reflexione protendebant? Docebant ſanè, tranſeuntes Iudæos, in quo erat ſitum præcipuum nobilis deſcendentiæ decus, non in eo quo à magnis procederent, ſed quod ad primum fontem Deum operibus condignis reuerterentur. Quo ſpectans Richar. Victor. tract. 1. de extermin. part. 1. cap. 13. ait: *Iordanis curſum retorquens in fontem redeat; humanus animus ſua ſpernens, ſeſeque contemnens totus in Deum tranſeat; & ad Deum fontem viuum totum amoris ſui impetum retorqueat.* Vt Iordanis fluxam deſcendentiam contemnens ad primum fontem reuertebatur; ſic homo ſua contemnat, ſpernat quod à magnis deſcẽdat, inde enim nihil niſi amaritudinem mortis inueniet; ad primum originem attendat, quem habuit ex Deo, à quo ſolo omnis paternitas optima eſt: indeque vera, & ſolida nobilitas aſſeritur. Hinc Matth. cap. 1. genealogiam ſaluatoris noſtri texens, totus eſt in oſtendendis patribus aui, & atauis Ioſephi, qui multo modo ad genealogiam ſaluatoris pertinebant. Lucas autem cap. 3. ad eandem Ieſu accedens genealogiam dum Ioſephi patrem, & auum ponit legalẽ, ſtatim proponit Leui verum ſecundum carnalem generationem, atauum Mariæ; Leui enim genuit Pantherem, Panther autem genuit Bipantherem. Bipanther autem genuit Ioachim patrem Mariæ, vt ex Damaſ. notat noſter Toletus in præſenti annotat. 58. Inuenies ergo non in Matthæo, ſed in Luca propriam, & naturalem Ieſu genealogiam. Et quãdo in generatione legali Ioſephi poſita à Luca, ſimul inueniũtur veri, & naturales Ieſu ataui, vera, & naturalis Ieſu genealogia ab atauis; cur ſimiliter non prouidit Deus vt in genealogia naturali Ioſephi poſita à Mattheo, ſimul inuenirentur Ieſu veri aui, ſeu atauiꝰ Planè Lucas ſic ordinarat Ieſu genealogiã, vt reflexo amne ad primum fontem reuerteret nempe Deum, ait enim de Ieſu cap. 3. *Vt putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui::: qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Matthæus autẽ deſcendẽtiam Ioſephi ab Abraham, & Dauid & per reges, & clariſsimos duces tractans non Dei meminit. Quo magis oſtendebat genealogiam ſuam minimè ad Ieſum pertinere. Ait enim noſter Cardin. Tolet. vbi ſupra: *Matthæus generationes Chriſti ex Ioſeph narrat, peculiari quadam cauſa, quam notauit Irenæus lib. 3. cap. 30. Vt nimirum oſtenderet ſic virum Mariæ, & patrem Chriſti Ioſeph fuiſſe, vt de eius ſemine Chriſtus conceptus non ſit, quam rẽ facile ſignificabat Hebræis.* Et meritò quam texebat genealogiam Matthæus à ſolis regibus, clariſsimiſque, & notiſsimis ducibus, eo ſpectabat, ne inde natus Ieſus crederetur. Ridet enim Dominus, & repellit proſapiã, quæ ſolis atauis, proauiſque principibus ſplendet; illamque vt ſui dignam amplectitur, quæ reflexo amne primum fontem Deum aſpicit, eiuſque in ſe virtutes refert.

Iob 1. Origen. Ioſue 3. D. Amb. Ricard. Matth. 1. Card. Tol.

§. XIIII.

§. XIIII.

Auro præpeditum etiam validissimi auxiliatores non iuuabunt ad salutem.

Væ miserõ, qui auro se dedit mancipiũ; etiam à validissimis auxiliatoribus nõ eripietur ex vinculis illius. Furati auri reum dum Dominus ad pœnam designat, simul ostendit hominem clarissimis auis, atauisque conspicuum. Ait enim: *Inuenit Achan filium Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iudæ.* Et cur necessum fuit in damnatione sacrilegi tot claros eius auos nominare, insuper nobilissimam addere Iuda tribũ? Vt hinc videas, quam insanabile vulnus fiat ab auri cupiditate, illa enim præpeditum tot validissimi auxiliatores non iuuant. Ait Prudentius in Psychomachia.

Prudent.

Dum vetitis insigne legens anathema fanillis
Mæsta ruinarum spolia insatiabilis haurit.
Non illum generosa tribus, non plebis auitæ,
Lauit Iuda parẽs, Christo quandoq; propinquo
Nobilis, & talis fœlix patriarcha nepote.

Tribus illa cantatissima, à quâ Christus radiabat oriturus, non iuuit ad salutem hominem, qui se se fecerat auri mancipium. Eu lęthalissimam plagam in auri cupidita te sitam! Caue homo, ne ijs prępediaris vin culis; etsi enim pro te habeas auxiliatores validissimos, non te inde sustollent ad salutem. Matthæi cap. 8. vbi discipuli Iesu omnes nauiculam ascenderunt. Tempestas inualescebat, ita vt *nauicula operiretur fluctibus*, & Apostoli se perire clamarẽt. At Luc. 5. nauis Simonis erat iuxta littus in tranquillitate summa. Ecce tibi solus Simon Petrus in naui sua existens, securus est, nec sibi, nec naui timet; cum autem omnes Apostoli essent in illa Matthæi nauicula, & tempestas, & extrema calamitas instat. Et cur tantorum Apostolorum merita non magis nauiculę proficiunt, vt eam liberent à periculo? Erat simul in ea Iudas auri vilissimum mancipium, qui vt aurum haberet, non dubitaret prodere magistrũ; vbi autem talis est, nihil possunt etiam auxiliatores validissimi. Ait D. Amb. lib. 4. in Luc. *Non turbatur nauis, quæ Petrum habet; turbatur ista, quæ Iudã habet. Et si multa illic discipulorum merita nauigabãt, tamen eã adhuc perfidia proditoris agitabat.* Eu auatissimi furis malum, quod non leuant vel Apostolorum merita ranta! Quis non caueat pestem, quam tot tantique medici non sanant? Huc trahe dicta 2. tom. in Euang. lib. 6. cap. 5. §. 1.

Matth. 8.

D. Amb.

§. XV.

Peccator induratus, etiam inter apertissima signa sui facinoris, latere posse confidit.

Ostendebatur Deus inuestigator furti; iubentur Israelitæ per integram noctem sanctificari, & præparari, vt matutinæ inuestigationi à Deo ordinatæ subsint. Deprehensa est primo sortium examine tribus Iuda, imò iam designata erat Zare familia; & reus adhuc quietus stat, nec effugium quærit, nec manifestat crimen. Tandem ait: *Reperit Zabdi, cuius domum in singulos diuidens viros inuenit Achan, &c.* Quid imprudentius viro isto? Videbat signa infalibilia proponi, inter quæ impossibile apparebat reũ latere posse: Dũ Deus illum præsentem asserit, & sorte quærendum, & inueniendum promittit: dum sors iam tribum, iam familiam, iam domum designat. Et inter hæc miser non satagit, vt præueniat diuinarum sortium scrutinium, vel fugiendo nocturnis tenebris, vel confitendo peccata sua. Quid stultius? Sic sic peccatores obdurati etiam inter patentissima se posse latere præsumunt, & misere se deludunt. Matthæi cap. 26. dum Iesus mensæ accumberet cum discipulis suis dixit: *Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine? At ipse respondens ait, Qui intingit mecum manũ in paropside, hic me tradet: Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit; Nunquid ego sum Rabbi?* Expende modo, vt inter signa traditoris, Apostoli de se trepidãt, & contristantur valde; solus autem Iudas, & alacer, & intrepidus agit: Audit Iesum proditionis meminisse, audit & signũ proditoris dari, & quasi nihil sibi diceretur, cum alijs interrogat. Cur miser videns manifestam Deo proditionem, & videns signa data proditoris, & durissimas intentatas minas, non magis obmutescis? Cur audes ibi stare, & in paropsidẽ immittere adhuc manum? Ea est conditio peccatoris obdurati inmalitia, vt vel inter signa conspicua sui faci-

Matt. 26.

facinoris ſemper præſumat ſe poſſe latitare. Ad hunc D. Leo ſer. 7. de Paſſ. ait: *Ecce innocentes condiſcipuli tui ad ſignificationē facinoris expaneſcunt, & omnes ſibi non edito impietatis authore, formidant; contriſtati enim ſunt non de conſcientia reatu, ſed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes ne minus rerū eſſet, quod in ſe quiſque nouerat, quam quod ip ſa veritas præuidebat. Tu autem in hac trepidatione ſanctorum, abuteris Domini patientia, & abſcondi te tua credis audacia. Addis impudentiam ſceleri, nec ſigno euidentiore terreris. Cumque ſe à cibo alij, in quo indicium Dominus poſuerat, continerent, tu manum nō detrahis à paropſide, quia animam non auertis à crimine.* Quid impudentius? Dum ſigna, & indicia proditoris proponuntur à Deo, vnus Iudas ad ſigna accedere non veretur, perſuaſus ſe vel inter illa poſſe latere. Sic præſumunt qui in ſceleribus obdureſcunt, à quibus nolint auerti. Fratricida ille Cain poſt occiſum fratrem requiſitus à Deo, & de facinore interrogatus. Gen. 4. adhuc negabat aiēs: *Neſcio, nunquid cuſtos ſum fratris mei?* Ad quæ verba Victor Mauritanus lib. de Pœn. apud D. Amb. ait: *O inſaniam deteſtabilem! O audaciam ſingularem! Et credidit ſine conſcio crimen publicari non poſſe.* Hæc ſanè eſt ſceleratorū hominum audacia, quod nunquam credant poſſe ſua facinora reuelari; tantum enim fidunt ſecreto à ſe in facinoribus obſeruato, vt vel inter ſigna clariſſima à Deo propoſita intrepidi aſtent, quaſi minimè poſſint publicari.

D. Leo.

Geneſ. 4.

Maurita.

Ioſue cap. 7. Dixitque Ioſue ad Achan: Fili mi da gloriam Deo, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas. Reſpondit Achan Ioſue, & dixit ei: Vere ego peccaui Domino Deo Iſrael, & ſic feci. Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui. Miſit ergo Ioſue, &c.

§. XVI.

Suauitas Imperantis extorquet vel difficillima obſequia à ſubditis.

EXpende ſapientiam Ioſue, deprehendit reum tanti criminis, quod turbauerat victorias ſuas, & vocat filium: ait enim: *Fili mi da gloriam Deo, & confitere, & c.* Et cur filium vocat, quem tanti facinoris reum noſcebat? Volebat ab illo confeſſionem claram facinoris extorquere, & meritò cōfugit ad charitatis, & ſuauitatis verba. Quæ enim obſequia à ſubditis non extorqueant manſueta, & ſuauia verba? De Sapientia dicitur cap. 8. *Attingit ergo à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Hanc amaui, & c.* Vt fortiter perducat vniuerſa ad exoptatos fines, hoc facit, nimirum, *diſponit omnia ſuauiter*; nullum enim medium efficacius eſt, quam ſuauitas imperantis, vt omnia ad exoptatos fines perducantur. Quo reſpiciens D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. ait: *Sancti ac ſublimes Angeli habent contemplationem, & actionem ſuam, id enim ſibi agendū imperant, quod ille, quem contemplantur, iubet; cuius æterno imperio liberaliter, quia ſuauiter ſeruiunt.* Expende illa: *Quia ſuauiter, & c.* Quippe quo ſuauius tractantur, reguntur ſubditi, eo liberalius ſua exhibent obſequia imperanti. Quid enim non eliciat à corde rationali verbum imperantis ſuaue? Hoc erat familiariſsimum Paulo ex epiſt. ad Rom. 16. *Salutate inuicem in oſculo ſancto*: hunc quaſi hamum in fine ponebat epiſtolarum, vt ad earū monita vniuerſos traheret. Quo reſpiciens D. Hieron. epiſt. ad Theophilum Alexandrinum ait: *Non quæris monachos tibi eſſe ſubiectos, ideo magis ſubiectos habes. Tu offers oſculum, illi colla ſubmittunt. Exhibes militem, & ducē impetras: quaſi vnus in pluribus es, vt ſis vnus è pluribus. Cito indignatur libertas, ſi opprimitur. Nemo plus impetrat a libero, quam qui ſeruire nō cogit.* Nolui verbulum præterire, ſingulis enim illorum efficaciter perſuadet Hieron. quam plus valent oſcula imperantis ad elicienda, & extorquenda obſequia, quam ſeueritas, & rigor. Vtinam hanc virtutem ebibiſſent vniuerſi populorum rectores, & ſubditos haberent obedientiſsimos. Crede mihi, nō ille valet in ſubditos, qui poteſtatem exhibet in illos, ſed qui dimiſſo poteſtatis ſupercilio, tot patres in ſe oſ-

Sapient. 8

Rom. 16.

D. Aug.

D. Hier.

se ostendit, quot sunt subditi, vt nullus eorum patrem non videat in principe. Dicebat Samuel 1. Reg. 12. *Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus eius super vos, & super patres vestros.* Septuag posuere: *Super vos, & super Regem vestrum.* Et sanè de rege ibi agebat Samuel; cur ergo quem Septuaginta regem vocant, Vulgata nostra vocauit non patrem, sed patres? Equidem ea est præstantia, & efficacia, & forma boni principis, boni regis, quod tot se exhibeat patres, vt nullus subditus in eo patrem non teneat. Quo absque dubio plura sibi extorquebit obsequia. Sic Iosue noster in præsenti, & sceleratum hominem filium vocat; vt ostendat; quod ipse paretes agat, qui talem filium non negat.

1. Re. 12.

Lxx.

§. XVII.

Præstantis, & diuini principis est non tam ad propriam potestatem respicere, quam ad id quod magis ad subditos conducit.

QVanta hæc summi principis erat dejectio, quod hominem sceleratũ, quasi filium alloqueretur? Ait enim: *Fili mi dà gloriam Deo, & c.* Cur filium vocas, quem vt nequissimum perditurus es? Cur non magis seueriſsimi iudicis seueritatem, & supercilium exhibes? Cur non te intra fines sublimissimæ potestatis contines saltem respectu hominis nequeam? Cõducebat illa dejectio magis, vt Achan errorem suum agnosceret, & confiteretur, Deoque gloriam redderet. Boni autem, & diuini principis est non ad potestatem, dignitatemque suam respicere, sed ad ea, quæ subditis conuenientiora habentur. Quod auidius notarim propter innumeros hominũ Præsules, qui toti intenti ad ea, quę dignitatis, & potestatis suæ sunt, nequid inde perdatur, non æstimant, quod subditos perdant. In quo longissime absunt à Dei spiritu, qui principes perficit, dum scit potestatis propriæ obliuiſci, vt subditis conuenientiora attendat. Hinc verus Iesus noster Matth. 26. dũ accederet ad passionis duellum, sic orat. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Quibus duæ in Iesu exprimebantur voluntates, altera diuina, altera humana. Quæ humana erat, & quasi ab infirmitate carnis oriebatur, potestatem Dei respiciebat, & id petebat, quo Dei potestas splendesceret, dicens, *Si possibile est, transeat, & c.* At voluntas Dei, dimissa potestate, id solum attendebat, quod conducibilius videretur, vt homines saluarentur. Vt enim infirmitatis humanę est, omnia potestatis velle; sic diuinę valentiæ est, potestatem suam absolutam obliuiſci, vt ad hominibus conuenientia condescendat. Ait D. Leo serm. 5. de Pass. *Vt suscipientis, susceptæque naturæ esset manifesta distinctio, quod erat hominis, diuinam desiderauit potentiam, quod erat Dei ad causam respexit humanam.* Infirmæ humanitatis est, sic ad potentiæ ostentationem, & conseruationem respicere, vt nunquam inde sciat descendere. Dei enim virtus ad causam subditorum respicit, & vbi subditi causa petit, non detrectat potestatis, & dignitatis obliuiſci, vt illi subueniat. Matth. 2. dicebant Magi: *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in oriente, & venimus, & c.* Dum dicunt stellam eius, errones aliqui putabant stellam illam fuisse regis nati dominatricem. Sic hominibus stellas dominari rati. Quid ergo, stella illa dominabatur Dominicæ nati uitatis? Absit; imò puerulus natus in stella illa verus, & diuiniſsimus eius, noſtrique Dominus ostendebatur, quando deducebat eò stellam, vt condescenderet hominibus ductandis. Ait enim D. Aug. hom. 5. de Epiphan. *Hinc Christus non sub dominio stellæ, sed eius Dominus apparuit, quia illa non in cœlo sydereas vias tenuit, sed hominibus quærentibus Christũ, viam vsque ad locum in quo natus fuerat, monstrauit.* Equidem non stellæ, sed Christi ibi clariſsimè apparebat dominatus, cuius solius est obliuiſci propriæ altitudinis, & maiestatis, vt condescendat suorum necessitati. Vbi aliquem videris sic dominari, vt propriæ attentus dignitati, nesciat aliquid illius dissimulari; & condescendere subditorum causis. In eo nihil puta esse diuini dominatus; qui enim dominatus est Dei, ad causam respicit humanam, etiam si ob illam propria sit potestas dissimulanda. Quo adspiciens Zacharias cap. 8. ait: *Ecce rex tuus venit tibi iustus, & saluator, ipse pauper ascendit super asinum, & c.* Qui verè omnipotens Deus est, pauperem habitum assumens nõ in millibus milliũ Angelorum, nõ in curru sublimis apparet, sed in vili, & abiecto asino. Et cur non magis regiam suam potestatem cõseruat;

Matth. 16

D. Leo.

Matth. 2.

D. Aug.

Zachar. 8.

Zeno

uat, & ostentat? Ait D. Zeno lib. 2. serm. 3. *Namque temperat se propter rerum naturam filius, ne æternæ maiestatis Dominum nõ possit mundi istius mediocritas sustinere.* Et idẽ ser. 6. ait: *Etenim Deus Dei filius tempore constitutus; dissimulata interim maiestate ab æterna sede profectus, &c.* Nunquam enim non est conforme diuino dominatui, quod sciat princeps dissimulare maiestatem, & sese attemperare subditorum necessitati. Vt dicat D. Augustinus serm. 6. de Nat. *Occultatur in membris infantis potentia maiestatis, Deus pendet ad vbera genitricis. Pannorum vilium squalore contegitur, durissimi suffert præsepis angustias, & totum misericors humiliter patitur, dum modo mundus, qui perierat, liberetur.* Ne detrectet princeps aliquid detrahere maiestati, vt egenti opituletur.

Augustinus.

§. XVIII.

Reus ad nullum magis respiciat, quem ad Deum, nisi velit funditus perire.

SApienter Iosue vbi reum deprehendit, Deum illi ob oculos proponit, in quem intendat aiens: *Da gloriam Deo, & confitere, &c.* Nec alium quam Deum in sua cõfessione reus intendit dicens: *Verè ego peccaui Domino Deo Israel, &c.* Vt inde iam monstretur, quam sit salutare reis Deum respicere, nisi velint sub peccatorum suorũ pondere prorsus premi. Infœlix ille Apostolus Matth. 27. pœnitentia ductus clamauit: *Peccaui, trandens sanguinem iustum: & abiens laqueo se suspendit.* Peccatum suum fatetur, aurum vomit, & nihilominus funditus perit. Et cur tanta perditio temporalis, & æterna hominem oppressit scelera cõfitentem? In tota illa sua confessione non meminit Deum offensum, sed hominem solum cogitabat, & sic non miror, quod peccati sui pondere opprimeretur. Ait D. Leo serm. 1. de Pass. *Dicendo, Peccaui; tradens sanguinem iustum, in impietatis tuæ perfidia perstitisti; quia Iesum non Deum Dei filiũ, sed nostra tantum modo conditionis hominẽ inter extremum mortis tuæ periculum, credidisti.* Non vidit miser in Iesu Deum, nec Deũ in illo meminit, sed tantum ad hominẽ respexit, vndè illi nullus salutis aditus potuit patere. Qui enim peccatis pleni non ad Deum, sed ad creaturam respiciunt, necessum est, vt sub peccatis pereant; de creatura enim quid peccator speret nisi ruinã extremam? Solus quippe Deus ob oculos peccatoris positus valet illi ostẽdere salutis remedium. Dixit Elias 3. Reg. 17. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto: si erit annis his ros, & pluuia, nisi per os meum.* Dura sanè sententia, & ad perditionem peccatorum proposita, quod cœli claues ponantur in ore hominis. Ex quo ibi positæ sunt. nihil nõ graue, & calamitosum miseris peccatoribus erat. Quid tunc? Ingressus Elias domum mulieris viduæ, à qua panem accepit, tandem ait: *Hydria farinæ non deficiet: vsque ad diem in qua Dominus daturus est pluuiam super terram.* O præclarum nuntium peccatoribus hominibus! Iam dicit Elias, vsque ad diem, qua Dominus daturus est pluuiam; non ipse, sed Dominus proponitur pluuiæ dator, vbi autem liceat peccatoribus vel audire Deum, iam lene quid, & salutare sibi intelligunt. Ait D. Chrysost. serm. in Eliam prophet. *Incipit mitescere, & intra se misericordiam exercere: Dicit enim: Non deficiet farinæ hydria, donec det Dominus pluuiam super terram. Antea misericordiam Deo in danda pluuia permittere nolebat dicẽs: Non erit pluuia nisi iuxta verba oris mei. Nũc autem permittit.* Ecce tibi, vnde mitescere incipit; ex quo proponit Deum ob peccatorum oculos, à quo pluuiam expectent. Vbi enim non Deum, sed se proponebat miseris; ereum reddebatur illis cœlum, nec vllus aditus apparebat, vnde posset venire misericordia reis. At dum non se sed Deum proponit, à quo sperent pluuiam; iam inde & misericordia, & lenitas incipit apparere. Fœlix ille, qui in necessitate sua potest respicere Deum, fallar nisi inde ingentia capiat malorum leuamenta.

Matt. 27

D. Leo

3. Reg. 17

Chrysost.

§. XIX.

Auri amor præcipuus Dei hostis censetur.

NOn aberrauerit, qui putet Achanum respexisse ad auri, argenti ve furtum, quum ait: *Vere ego peccaui Domino Deo Israel.* Alij enim peccatores etiam in Deum peccant, at auarus, peculiari quadam ratione contrariatur Deo optimo, maximo. Ideò de auaro peculiariter ait Paulus ad Ephes. 5. *Aut auarus, (quod est Idolorum seruitus.)* Vt enim Idololatria se verò Deo opponit, sic etiam auri cupiditas

Ephes. 5.

tas Deo ſpecialiter contrariatur. Vt dicat Nicetas in orat. Nazianz. 29. *Auaritiam idololatriam Paulus vocat; fortaſſe, quod eos ſolus diuitiarum amor doceat, qui Deum neſciunt.* Quaſi nec Deum, nec veri Dei notitiam patiatur in anima diuitiarum amor. Sed neceſſum ſit, quod Deus prorſus excludatur, vbi hic auri affectus intrauerit; quaſi ſit Deo pœnitus exitialis. Hinc Iſaias cap. 1. *Principes tui infideles, ſocius furum omnes diligunt munera, ſecuntur retributiones::: Propter hoc ait dominus Deus exercituum fortis Iſrael, Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis.* Vbi eos vocat homines diuitiarum amatores, ſtatim verus, & ſolus Deus Iſrael illos habet vt infenſiſsimos ſibi hoſtes. Nec iniuria; ab auri enim amore hoſtilia odia excitarunt in verum dominum. Ait enim D. Cyril. Alex. ibi: *Ex eo autem, quod iniuſte iudicauerint, & ſordidis prædis inhiauerint, etiam in ipſum Chriſtũ ſunt furioſe debacchati.* Ab auro conceperunt totum illum furorem, quo in Dei filium fuerunt debacchati. Vbi enim lucri cupiditas cæpit in Ieroſolymitanis principibus exardeſcere, eo inſaniæ deuenerunt, vt lethale bellum indicerent ipſi Deo. Matth. 21. *At illi videntes filium, dixerunt intra ſe, Hic eſt hæres: venite, occidamus eum, & obtinebimus hæreditatem eius.* Circa quæ verba ait Imperfectus hom. 40. *Ex omnibus operibus eius cognouerunt eum filium Dei eſſe, hoc enim ſignificat dicens: Hic eſt hæres; tamen poſt quam introiuit in templum & animalia, quæ ad ſacrificia vendebantur, foras eiecit, in quibus Sacerdotes auari tunc delectabantur; tunc præcipue cogitauerunt eum occidere, dicentes intra ſe; Si populus iſtum habuerit Deum, neceſſe eſt, vt dimittat conſuetudinem hoſtiarum, quæ ad noſtrum pertinet lucrum; & acquieſcat offerri ſacrificium iuſtitiæ, quæ ad gloriam Dei pertinet, & ſic populus iſte non erit poſſeſsio noſtra, ſed Dei.* Sic ibi: Quid fœdius de lucrorum cupiditate excogitari potuit? Quæ vbi in Sacerdotum Ieroſolymitanorum cordibus regnare cæpit, fecit, vt apertum bellum inferrent notiſsimo ſibi Deo. Amor lucri, & cogitatio perdendi Dei ſimul illorum pectori irrepſerunt. Is enim eſt auaritiæ furor, vt ignorantiſsime velit Deo inferre manus. Quo reſpiciens Iſaias cap. 20. ait: *Væ coronæ ſuperbiæ, ebrijs Ephraim:* Septuagint. *Væ coronæ iniuriæ, mercenarij Ephraim.* Quos noſter tranſtulit ebrios, Septuaginta vocarunt mercenarios, auro inhiantes. Sed quid habent commune mercenarij auari cum ebrijs? Communiter ibi patres agnoſcunt reprehendi, & caſtigari furorem illum Iudæ, qui e tribu Ephraim erat, quo in Ieſum armatus eſt, & eum tenendum, & ligandum tradidit, putans Deum poſſe & ligari, & penitus diſsipari iuxta immicorum rabiem. Qui furor ſolum poſſet oriri ab ebrietate, ſed & ab auaritia ortũ habuit. Ait enim ibi D. Hier. *Ebrius autem fuit prædator non vino, ſed auaritia & furore aſpidum inſanabili.* Et quis non ebrius aduerſus Deum clare inſurgeret? Et ecce quod forte ebrietas faceret, id auaritia facit, vt Deo vero, & viuo velit inferre manus. Hinc Demon videns ineffica ces Tyrannorum perſecutiones, vt Dei veri cultum è terra eijcerent; illis dimiſsis ad auaritiam confugit, vt quæ eſſet à crior in Deum peſtis. Ait D. Leo ſerm. 6. de Epiphan. *Aduerſarius tamen qui in apertis perſecutionibus inefficax fuit, tecta nocendi arte deſæuit. Videns ſibi reſiſtere principum fidem, & vnius Deitatis in ſeparabilem Trinitatem non ſegnius in palatijs, quam in Eccleſijs adorari, quorum obtinere non poteſt mortes, imperit mores. Terrores proſcriptionum in auaritiæ mutat incendium, & quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit.* Quid grauius dicatur de auaritia? Illa pro cataſta, pro eculeo, pro ferreis vnguibus pro ſartaginibus, pro ferro, pro igne inventa eſt, vt Deo bellum inferat. Pro Nerone, pro Diocleciano, pro cæteris omnibus tyrannis inrentus eſt amor nummi, qui ſolus homines aduerſus Deum armat.

Nazian.

Iſaias. 1.

Cyr. Al.

Matt. 21

Iſaias. 20

D. Hier.

D. Leo.

§. XX.

Auaritia lethalis.

SPOLIA. A ſe capta numerans Achan ait: *Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream, &c.* Vbi noſter poſuit regulam auream, poſuit Maſius *gladiolum aureum.* Nec id ſine myſterio, ſed vt ſciat amator auri, quid debeat in auro reperire, nimirum gladium, quo pereat ipſe. Ait enim Diui Zeno lib. 1. ſerm. 14. *Bene, bene cum quis quærit aurum, inuenit gladium. Inter hæc nemo conſiderat conditionis fragilitatem humanæ, nemo hoſtem, nemo imminentes diei iudicij flammas. Solum colitur, de quo dictum eſt: Idola gentium argen-*

D. Zeno.

argentum, & aurum, pro quo quis aut iugulatur, aut iugulat. Nusquam aurum non gladios exerit; qui extremam causent perdi-
1. *Reg.* 8. tionem, & ruinam. Vnde 1. Reg. 8. dicebat. *Declinauerunt post auaritiam*; vbi Septuag. legunt. *Declinauerunt post consummationem*; ne vel vocabulo distinguatur amor auri, & consummatio omnium, & extrema
Amos. 9. ruina. Quo respiciens Amos cap. 9. ait: *Vidi dominum stantem super altare, & dicit, percute cardinem, & commoueantur superliminaria, auaritia enim in capite omnium.* Quid est; *Auaritia enim in capite omnium?* Explicant Septuag. legentes: *Disside in capita omnium, & reliquos eorum gladio interficiam.* Simul sunt ad perdendos homines auaritia, & gladius; auaritiam incorde comitatur gladius in iugulo, ne auarus effugiat calamitatem & ruinam. Ait D. Hieron. ibi: *Vnusquisque cognoscat se non posse euadere, auaritia omnia possidente: & nouissima sua esse mortem, nullaque præsidia ad euadendam sententiam Dei posse succurrere.* Equidem vbi regnat auaritia omnia effugiorum capita tenet, ne possit homo euadere, sed cogatur ad gladium currere, quo pereat. Id quod accidit auarissimo illo Balaamo, qui captus muneribus oblatis à Rege Balac perge
Num. 22 bat ad illum Num. 22. *& vidit Angelum stantem in via euaginato gladio*; lucri enim amor miserum in gladium conijciebat.

Hieron.

§. XXI.

Vestium pretiositas substantiæ diuitiarum debet correspondere in politica Repub.

EXPENDE, Quæ simul inuenta sunt ab Achano, nimirum, ait: *Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream, &c.* Cum ducentis siclis argenti, & quinquaginta auri apparuit pallium coccineum valde bonum inter spolia ciuitatis Hai; indicium sanè politicæ ciuitatis erat, quando prætiosæ vestes non nisi inter argenti, aurique diuitias videntur. Imò nec coccineum pallium appetitum fuit, nisi cum auro, & argento repertũ, quod forsam sine illis reijceretur. De solis enim Barbaris hominibus auditum est, quod in paupere censu vtantur pretiosis vestibus. Ait enim Iordanus Episcop. Rabben. lib. de rebus Geticis: *Alia gens ibi moratur Suethana, quæ velut Thuringi equis vtuntur eximijs. Hi quoque sunt; qui in vsus Romanorum saphirinas pelles commercio interueniente per alias innumeras gentes transmittunt famosi pellium decora nigredine. Hi cum inopes viuant, ditissime vestiuntur. Hi omnes exesis rupibus, quasi castellis inhabitant ritu belluino.* Ecce tibi qui nec domos habebant, sed ritu belluino degebant sine penu, imo sine saco, & sine pera, nihilominus pretiosis vestibus vtebantur. Ait enim: *Cum inopes viuant, ditissime vestiuntur*, apud quos nec aurum, nec argentum, nec vllus census inueniebatur, tamen erant illis pretiosa pallia, vestes ditissimæ. Et fallar, nisi hanc barbariem inuenias in nostra Hispania; vbi sunt plurimi, & plurimæ sine lare, sine foco, quibus non deficit sericarum vestium pretiosus ornatus. Et apud quos nec siclus argenti est, nisi labore acquiratur quotidiano; est tamen sericus, & pretiosus vestium ornatus, & cum inopes viuant, ditissime vestiuntur. Quid magis barbarum? De illo epulone dicebat Luc. cap. 15. *Homo quidam erat diues, &* *Luc.* 15. *induebatur purpura, & epulabatur quotidie splendide.* Circa quæ D. Chrysost. hom. 1. *Chrysost.* de diuite, & Lazaro ait: *Secundum vestimenta, ita & epulæ. Ergo & nobis quales epulæ, talia & vestimenta.* Hoc est maximè rationi consentaneum, quod vestimẽta census substantiam sequantur. Ne inueniatur palliũ pretiosum, vbi vix inuenitur tereuntius propane. Sanctissime, & sapientissime Iob vbi audit sibi perijsse omnem substantiam, *Iob.* 1. cap. 1. *Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit*; intorti enim crines, & purpureus, siue pretiosus habitus ex tunc indecorus homini putatur, ex quo scitur nulla illi relicta esse census substantia.

§. XXII.

Auri cupiditas terræ hominem tradit.

ACCIPITE, Quid fecerit Achan de auro, argento ve capto, ait enim ipse: *Abscondi in terra contra mediũ tabernaculi mei, argentũ ve fossa humo operui.* Vbi accepit aurum, nihil altũ, nihil sublime est meditatus, sed totus fossam cogitabat, quæ se cũ auro suo sepeliret in terra. Habet hoc, nescio quomodo, præ vitijs alijs immoderata

derat opum cupido, vt terram fere spectēt, qui eas habent. Ideo aurum, argentumque suum defodiunt in puteis, & scrobibus thesauros recondunt, animam, totumque cor terræ mandant. Sic semper aurum, vt in terræ visceribus ortum habuit, inde erutum, quasi in propriam grauitat patriam. Quod
Chrysol. notabat Chrysolog. serm. 29. fatus: *Aurum natura graue, grauius sit auaritia animis. Hinc est, quod plus habentem deprimit, quam ferentem, & vehementius aggrauat corda, quam corpora. Nascitur in terra profunda, scrutatur ipsa montium fundamenta: perque ima venarum cæcis discurrit anfractibus, & dum suam semper repetit ad naturam, cœlestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus semper, alta mentium in terrena demergit.* Hæccine est natura auri, vt ad propria grauitat, sic quos tenet, facit, ne aliud, quam fossas, & subterranea latibula cogitare ament, contenti si cū auro suo in terræ visceribus abscondantur. Et quis auri tenetur cupiditate, qui non fossam meditetur, qui non ad ima
Mar. 2. præcipitetur? Mar. 2. *Cum præteriret Iesus, vidit Leui Alphæi sedentem ad telonium, & ait illi, sequere me.* Nec otiose Euangelista notauit, quod ad se vocarit Iesus Mathæū, vbi illum vidit ad telonium. Et quid ibi mysterij, quod sedens ad telonium visus ad Iesum vocaretur? In eo quod sedēs ad telonium videretur, ostendebatur, quam præceps iam ad ima laberetur, lucrorum cupiditate pressus. Medio in quo præcipitio Iesus illi affuit, vt ad superna ascenderet. Ait
Chrysol. enim Chrysol. vbi supra: *Dicendo: sequere me. Hoc est, me sequere de supernis ad superna tendentem, & non aurum de inferis ad inferna mergentem. Vbi fuerit thesaurus tuus, illic & cor tuum erit.* Infelix homo es, qui post aurum sequeris, proculdubio te deducet ad inferna, vt ibi te secum abscondat, & sepeliat. Sequere potius Iesum, sequere filium Dei, qui te ad superna deducet; nec te in fossa humo abscondet, sed sublimissima latibula ostendet, vbi nullis possis malis in-
Psal. 30. cursibus patere. Ait enim Psal. 30. *Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ â conturbatione hominum.* Ecce tibi, qui post aurum non abeunt, nec sperant in incerto diuitiarum, vbi abscondantur, vbi securissima latibula habeant, non quidem in fossa humo, sed in abscondito faciei diuinæ. Et quod est diuinæ faciei absconditum? Si in facie hominis latibulum aliquod quæramus, nullum aptius, quam os inuenitur. Vt hinc videamus quale latibulum in Dei facie habeant, qui ad illum vadant, nimirum eius ore claudundutur, eius pectore, & visceribus concluſi seruantur. Hucme deduxit Nazianz. in carmine ad Nicobulum, vbi ait de Delphino:
Nazian. Delphinus enim rex equoreorum.

Insobolem si quos immani corpore pisces
Conspiciat ferri, sua pignora protinus ipse
Deuorat, ac pulso mox egerit illa periclo.

Quis dedit Delphino tale latibulum proprijs pignoribus ex cogitare; nisi ille Deus noster, qui simile parat illis, qui secuntur illum? Plane qui post aurum vadit, absorbetur à terra cum auro suo; nescit enim aurum aliud latibulum præstare, nisi illud, ex quo ipsum natum est, nimirum ex corde terræ. At Dei filium qui sequitur, præstantiora, & securiora in sublimibus in veniet latibula; vt enim sapientia increata processit ex ore altissimi, Ecclesiastici 24. *Ego ex ore altissimi prodiui*; sic asseclas suos ad diuinissimi oris deducit latibulum, vt in visceribus Dei seruentur à conturbatione hominum, ab vniuerso periculo.

Iosuæ cap. 7. Tollens itaque Iosue Achan filium Zare, argentumque, & pallium, & auream regulam, filios quoque, & filias eius, bobes, & asinos & oues, ipsumque tabernaculum, & cunctam suppellectilem (& omnis Israel cum eo) adduxerunt eos ad vallem Achor, vbi dixit Iosue: Quia turbasti nos, exturbet te dominus in die hac. Lapidauitque eū omnis Israel, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt. Congregaueruntque super eum acerbum magnum lapidum, &c.

§. XXIII.

Maiorum suorum deuia qui sequitur, pereat necessum est.

MIROR, Quod dum ad supplicium du-

citur Achan, vocatur filius Zare, ait enim: *Tollenſque Ioſue Achan filium Zare, &c.* Semel, & bis ante vocatus fuerat filius Charmi, aiebat enim *inuenit Achan filium Charmi, filij Zare de tribu Iuda.* Cur ergo modo, cum ad ſupplicium ducitur, prætermiſſo vero patre Charmi, & auo Zabdi, immediate dicitur filius ataui ſui Zare? Zare primus in illa cognatione cæpit manibus de uiare, illas ad inconceſſa extēdens, de illo
Gen. 38. enim ait Gen. 38. *In ipſa effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicēs, iſte egredietur prior. Illo vero retrahente manu egreſſus eſt alter, &c.* Ecce tibi infantulus Zare ad inconceſſa protendit manum, rapuit tamen coccinum ligatum, & ad ſe traxit. Quibus vt ſimiliter Achan patriſſauit extendens manum ad inconceſſa, aurumque & coccinum rapiens merito in ſupplicio filius Zare dicitur, vt
Iſaias. oſtēdatur, quam neceſſe eſt perire eos, qui à maioribus ſuis errores trahunt. Ait Iſaias cap. 5. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccā tum.* Et qui ſunt, qui trahunt iniquitatem,
Matt. 23 & peccatum in vinculis, longiſque funiculis? Aiebat Dominus Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis, ſi fuiſſemus in diebus pā trum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobis metipſis, quia filij eſtis eorum, qui prophetas occiderunt. Et uos implete menſuram patrum veſtrorum.* Itaque Phariſæi hypocritæ exterius ſeſe alienos ab homicidijs maiorum ſuorum profitebantur honorantes ſe pulchra prophetarum, qui ab illis occiſi fuerant. Sed quia hoc ficte faciebant, in multis ſeſe homicidarum filios oſtendebant, ſub eademque menſura ſcelerum tenebantur. Et quia eorum peccata, non ab illis incipiebant, ſed longo funē ex parentibus, auiſque illa ad ſe trahebant, & deriuabant,
Rup. in de ad ſupplicium veniebant ineuitabile. Sic Rupert. lib. 1. in Iſaiam cap. 20. coniungit Iſaiam, cum Matthæo fatus: Væ, qui trahitis iniquitates in funiculis. Væ iſtud illi conſonat, quo Dominus ait: Væ vobis, qui ædificatis ſepulchra prophetarum. Et ſub inde: Itaque teſtimonio eſtis vobis metipſis, quia filij eſtis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete menſuram patrum veſtrorū. *Denique ſic implere menſuram patrum impiorum, vt quia patres prophetas occiderunt, filij non degeneres occidant Dominum prophetarum, id ipſum eſt, quod trahere iniquitatem in funiculis vanitatis. Væ vobis, quia trahetis nihilominus longum quoque funiculum pœnarum.* Equidem qui quaſi longo fune à maioribus ſuis ad ſe trahunt iniquitatem per imitationem, ſeſe illorum filios oſtendentes in facinoribus, ij proculdubio, & ingens ſupplicium, & certiſsimam pœnam ad ſe etiam trahent. diſplicet Deo nimis ſi filij parentum peccata velint imitari, & ideo non mirandum, quod peccatores, & impij filij etiam impiorum, ſupplicium non effugiant. Hinc Luc. 3. videns Ioannes Phariſæos multos ad
Luc. 3. baptiſmum pœnitentiæ venientes aiebat ad illos: *Genimina viperarum. Quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* Nouerat venenatis parentibus venenatos filios exiſtere; nouerat totum parentum virus dilapſum fuiſſe ad filios, qui nilominus etiam ſi moribus, parentibus reſpondebant, ad baptiſmum pœnitentiæ veniebant, quo imminētem effugiant iram. Et hoc mirabatur Ioannes, & quaſi ſtupens quærebat, vnde hoc potuiſſet accidere, quod filij patriſſantes in ſceleribus, tamen pœnam effugerēt?
D. Chryſt. Ait D. Chryſoſt. hom. 11. in Matth. Ioannes admiratur, quod cum tanta illorum fuerint ſcelera, talem fecerint mutationem, vt ad baptiſmum, & pœnitentiam ſe conuerterint, & quod illa, quæ illis impoſsibilia videbantur, licet ſero implere potuerint, quaſi diceret; *Quomodo factum eſt, vt cum illorum eſſetis filij tam nequiter educati ſubito egeritis pœnitentiā? Vnde vobis tanta conuerſio? Quis voluntates veſtras aſperas mitigauit? Quis vulnera immediabilia curauit?* Et merito Ioannes miratur, quod filij adeo impiorum, & ipſi adeo impij pergerent in via ſalutis. De talibus enim illud ſapienter dicit: *Quis vulnera immedicabilia curauit?* Sunt enim vulnera peccatorum ex parentibus tracta pene immedicabilia, vt miraculum ſit, ſi talibus pareat impunitatis via.

§. XXIIII.

Magno pere exacerbatur pœna, quam non ſolum pateris, ſed vides moleſtam eſſe tuis.

CVM Achamo duxiſſe dicitur Ioſue ad locum ſupplicij, & oues, & boues, *& filios, & filias*: nec facile adducar, vt credam filios, & filias Achami adductos fuiſſe, vt cum reliquis ibi perimerentur, & conſumerentur.

Non,

Non, inquam, id credam factum in filijs innocentibus Acham, quia id non expresse dicitur in textu. In principio enim capitis Deus solum ait: *Quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus comburetur igne cum omni substantia sua.* Nihil ibi iubet Dominus de interfectione filiorum; & infra post narrata omnia adducta ad locum supplicij, nimirum aurum, argentum, pallium, filios, & filias, supellectilem omnem, & tabernaculum, statim subdit textus: *Lapidauitque eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt.* Nulla etiam ibi filiorum mentio fit. Vnde ergo potest colligi filios, filiasque Achani eadem cum patre dedisse pœnas? Res enim insolita erat, quod filij paterentur pro patribus peccantibus, imò, & vetita Deuther. 24. Ezech. 18. Ierem. 30. & nunquam alibi à Deo expetita in singularum personarum supplicijs, imò in perditione Core Num. 16. vel miraculose seruantur eius filij. Res ergo adeo insolita, & adeò dura, & repugnans legibus hordinarijs à Deo datis, vt credere tur peracta deberet esse expressissima in textu, & expressissime à Deo mandata, cuius vt nullum expressum mandatum inuenio, sic ægrè adducor, vt credam peractam à Iosue fuisse. Ad tam insolitæ enim rei, & lege vetitæ persuasionem non adeò efficax est argumentum, quod dicatur Iosue tulisse aurum, & argentum, & filios, & filias Achan, & oues, & bobes in vallem Achor; tulit enim filios, & filias, nõ vt eos cum patre perimeret, sed vt dolentibus illis, & lugentibus in conspectu patris, eius supplicium magis acerbaretur. Quis enim nesciat pœnam hominis maximè crescere, cum vidit illam dilectis suis esse molestam? Sanè Ioan. 19. notabat. *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalene.* Ioan. 19. Et quæstionem mouet Cyrillus Alex: quare inter tam fœuos dolores filij Dei Euangelista meminerit matris iuxta crucem dolentis, & lugentis? Et putat id ad magnum Dominicæ passionis pertinuisse augmẽtũ, cum videret pœnas suas esse adeò matri molestas. Cyr. Al. Ait enim ibi; *Non inutiliter stantes iuxta crucem matrem, & cæteros dixit, largis scilicet lachrymis flentes. Cur autem hæc tenuia memorat, & mulierum mentionem facit? Docere, vt ego arbitror, volvit, tantam passionis Christi fuisse indignitatem, ac magnitudinẽ, vt matrem etiam eius mors crucis, & Iudeorũ illusiones commouerint.* Itaque ex matris præsentis lachrymis, & mœrore exprimebatur magnitudo, & atrocitas Dominicæ passionis. Quando enim non crescit dolor patientis ex afflictione, & lachrymis adstantium suorum? Actor. 21. dũ multa passurus Paulus Ierosolymam proficisceretur, ad discipulos, qui eum flentes circundabant, ait: *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum?* Act. 21. Qui gaudẽs pœnas omnes subiturus ibat, lachrymas suorum adstantium sine magna afflictione sustinere non poterat. Validiores sunt dilectorum lachrymæ ad conterẽdum cor patientis, quam tormenta, quæ ex illis maximè acerbari solent. Quò adspiciens Chrisost. hom. 45. in Actà sic legebat supra dicta verba: *Quid facitis flentes, & discerpentes cor meum?* Chrysost. Nullo verbo summun dolorem ex circunstantium lachrymis ortum, magis potuit explicari, quã vbi cor patientis discerpi notatur. Ne paruam pœnam afflicto augere putas, cum charorum pignorum lachrymas illi applicas. Solet enim sæpè accidere, quod qui fortiter mortem appetant, lachrymas suorum non ferant.

§. XXV.

Mala temporalia ex bonis spiritualibus maximè leuantur.

SEd vera sit sententia asserentium cum Achan patre combustos fuisse filios, & filias etiam paruulos, & nullius culpæ reos; quæ est communis fere omnũ expositorum, & fundatur in eo, quod ait: *Tollẽs Iosue Achan filium Zare, argentumque, & pallium, & auream regulam, filios quoque, & filias eius, &c.* Potuit equidem Deus etiam immerentes paruulos morti dare, vitaque hac temporali priuare. Nec hoc esset paruulorum malum, quando hãc carnali vitã priuati obtinerent ex Deo maius aliud bonũ spirituale in vitam æternã translati. Sic enim leuat Deus fideliũ iustorum penã temporalem. Sic 1. Reg. 3. prædicit Dominus se domũ Heli exterminaturum de terra, ne de eius semin emaneat, qui altari deseruiat. 1. Reg. 3. Quod & factum est cap. 22. quando de Sauls imperio. *Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo. Nouã autem ciuitatem Sacerdotum percussit in ore gladij, &c.* Mirabar, quod sic Deus suum decretum de perdenda domo Heli, permisit impleri in occisione tot Sacerdotum immerentium. Cur sic Domine permittis occidi eos, qui nihil peccarant? Non ne magnus hic rigor est immerentes perdi? Perdunt immeren-

tes temporalia, ſed acquirunt ſpiritualia; ſic enim Deus adimplet ſententiam latam in immerentes, vt magna ſpiritus bona lucrentur. Ait Bachiarius epiſt. ad Ianuariũ: *Bachiar.* *Illa Sacerdotalis familia de Heli cognatione deſcendens, cui iurauerat Dominus, vt nullus de ipſis ante faciem eius aſsiſteret; eo quod grauibus peccatis Dominum prouocaſſet. Nonne omnis illa cognatio pro Dauide, à Saule refertur occiſa? Et quid eſt hoc niſi forma martyrij, vt quos grauis peccati crimen inuoluerat, mors pro Chriſto illata liberaret. Hæc ſunt beatorum voluminum ſacra myſteria.* Heli, & filij eius grauiter peccauerant, qui autẽ in Noue Sacerdotes fuerant, nullum perpetrarunt malum, ſed peccatis maiorum ſuorum inuoluti ad mortem ferebantur. Sed ad quam mortem? Ad mortem in qua perderẽt vitam? Imò in qua palmam reportarent, & ingẽtia animæ bona poſſent lucrari. Solet Deus immerentibus inferre mala, quando hæc in perceptione ingentium bonorum prorſus euanent. Adeò, vt mala hęc à Deo ſuis illata, non tam mala, quam ablationes impedimentorum appareant, vt ingentia ſpiritus bona metantur. Numer. *Num. 34.* 34. poſt difficiles eremi peregrinationes peruenit Moyſes ad montem, ex quo videbat terram promiſſam, & ait illi Deus: *Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam, mortuuſque eſt Moyſes ſeruus Domini, &c.* Quid eſt Domine? Hæc eſt illa tua notiſsima amicitia cum Moyſe, cum quo facie ad faciem loquebaris? Sic amicum, & fidelem ſeruum terræ promiſsionis poſſeſsione priuas? Cur ſic perdis hominem cupidiſſimum tui? Ait Petrus Cellenſis lib. de Pa- *Petr. Cel.* nibus cap. 11. *Omnipotens ergo, & miſericors forte id circo terra morientium negat, quia ad cœlum Moyſi animam ſublenat Deus, hoc in præſenti ad purum excoquit, quod ad æternitatem veniendi impedimento eſſe animaduertit.* Hæc eſt Dei conditio notiſsima, quod iuſtorum ærumnis eorũ ſaluti ſpirituali proſpiciat. Videbuntur forſan multi immerentes, & pij flagellari in carne, & non eſt flagellum, ſed pientiſsimæ prouidentiæ effectus, qui illis impedimenta auferat, vt ingentia bona ſpiritualia percipiant. Non igitur curanda eſt carnalium bonorum amiſsio, quando in illa bonũ ſpirituale percipitur. Hinc Deus iuſtiſsimum Iobum non dubitat Sathanæ manibus permittere, vt eum ſpoliet, ait enim cap. 1. *Vniuerſa, quæ habet* *Iob cap. 1* *in manu tua ſunt*, imò vt eum malis cõterat, *Cap. 2.* dicens cap. 2. *Ecce in manu tua eſt*, quo paucis horis perdit ſubſtantiam omnem, filios & filias, & innumeris doloribus fuit afflictus. Et cur hominem iuſtum tot malis permittit Dominus? Sanè in illa bonorum carnalium perditione, ingentem bonorum ſpiritualium recipiebat cumulũ, præ quibus non cenſentur illa. Ait D. Chryſoſt. hom. *D. Chryſ.* 3. in Iob: *Dixit Iobi divitias, non quod ſubſtãtiam laudes, ſed quod hac nuditatum maiori habeas in celebritate virum: omnibus enim exutus eſt, atque in Deum pietate veſtitus. Tres ei filiæ iuxta carnem fuerunt, treſque ei virtutes iuxta ſpiritum, quemadmodum inquit Apoſtolus: Manent tria hæc, fides, ſpes, charitas. Nudatus eſt omnibus, & naturæ conditorem nõ negauit. Nudatus eſt omnibus, & ipſe omnis erat à Deo cuſtodita, &c.* Sic in carnalium bonorum amiſsione ſpiritualibus implebatur; ne nos æſtimemus, quod carnalia pereant, vbi ſpiritualia ſuſcipimus.

§. XXVI.

Vnius peccatoris ſocietas ingentes turbationes ſolet parturire.

PEriturо Achano dixit Ioſue: *Exturbet te Deus, quia turbaſti nos*: vnus enim cum peccaſſet Achan ingentem turbationẽ populo intulit, qua pauebãt vel ad vmbras hoſtiles. Vt qui turbari nolit in periculis fugiat peccatoris, cuiuſque ſocietatem, & conſortium. Ioann. cap. 13. erat Ieſus cum *Ioann. 13* omnibus diſcipulis ſuis menſæ accumbẽs, narrareque cœpit multa de regno ſuo, de morte ſua, interea ait: *Cum hæc dixiſſet Ieſus turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatis eſt, & dixit: Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis me tradet.* Ecce tibi Ieſus meus recolens traditionem ſuam, & mortem turbatur ſpiritu, pauoremque & turbationem ſuæ carnis inſinuat. Et poſt pauca, poſt exhibitã buccellam Iudæ, poſt permiſsionem exhibitam, qua adferale commertium iret, ait textus: *Cum ergo exiſſet Iudas, dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis, &c.* Multaque de ſua paſsione imperturbatus dicit. Cur modo ſic imperturbatus loquitur de morte, quaſi de clarificatione, & gloria loquitur, qui ante memorans mortẽ turbabatur? Antea aderat nequiſsimus Iudas, cuius ſocietas turbationes mille etiam in pectoribus validiſsimis poſſet parturire, idque voluit oſtẽdere Chriſtus, verùm illo abeũte turbatio omnis abit, & ſerenitas intrat. Ait D. Leo ſerm. 7. de Paſſ. *Poſtquam igitur Iudas perſuaſus a Diabolo diſceſsit à Chriſto,* *D. Leo.*

ſto, ſeque à corpore Apoſtolicæ vnitatis abſcidit, nullo Dominus pauore turbatus, ſed de ſola redimendorum ſalute ſolicitus, omne tempo risſpatium, quod à perſequentium vacabat incurſu miſticis ſermonibus, ſacratæque doctri næ impendit. Expende illa: *Nullo Dominus pauore turbatus*, quippe in Iudæ conſortio turbari voluit ad ſolam paſsionis memoriam, vt oſtenderet, quam turbabimur omnes ex conſortio maligni in omni periculo
Ioann. 11 ſo incurſu. Nec otioſe notabat illud Ioan. cap. 11. *Ieſus ergo videns eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorãtes, fremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum.* Ad conſpectum Iudæorum qui erant in peccato plorantium turbat ſe Ieſus; vt oſtendat nobis, quam ſit cum impiorum præſentia coniuncta turbatio; & vt illorum conſortium fugiamus, niſi velimus ad pericula turbari.
1. Re. 21. Dicitur 1. Reg. 21. *Surrexit itaq; Dauid & fugit in die illa a facie Saul.* Mirantibus autem hanc in validiſsimo Dauide fugam ait
Amb. D. Amb. lib. de Iſaac cap. 2. *Fugiebat Dauid ſanctus a facie Saul, non vtique vt terras relinqueret, ſed vt immitis, & in obſeruãtis, & perfidi declinaret contagium. Fugiebat autem adhærens Deo, ſicut ipſe ait; Adhæſit anima mea poſt te. Abducebat ſe, & ableuabat vitys ſæculi huius.* Sic qui nolit perire à perfidorum conſortio ſe debet elongare. Frequentiſsimæ nociuum eſt impiorum conſortiũ.
Geneſ. 1. Gen. 1. *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atq; motabilem, quam produxerant aquæ: & vidit Deus quod eſſet bonum, & benedixit eis.* Benedixit equidem Deus genitis ex aquis; ſed non benedixit genitis ex terra. De quibus ait: Produxit *Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit Deus, quod eſſet bonum.* Nihil hic de benedictione ponit. Et cur ex aqua genitis benedicit; & non benedicit genitis ex terra?
Anaſtaſ. Ait D. Anaſtaſ. Sinaita lib. 8. Exam. *Secũda cauſa propter quam terreni priuati ſunt benedictione; quoniam in eis erat ſerpens Euæ hoſtis, & contrarius, & futurus erat obnoxius execrationi.* Sic ſerpentis conſortium priuauit terrenum animal benedictione, vt ſcias quam fugiendum ſit impiorum conſortium. De quo ſæpè alias per omnes tomos.

CAPVT DECIMVM.

Hai euertitur.

Textus Hiſtoria.

HIS In valle Achor peractis, diuino Ioſue confortatus oraculo, in Hai ciuitatem expeditionẽ parat. Non enim res iã tubis peragenda erat, ſed bellica vi, ſed aſtu militari. Quippe Deus reportãdã de Haiẽſibus victoriam promiſerat, perdendoſque vniuerſos cum Rege ſuo denunciarat, quod vt perficeretur citius, & aperta expugnatione, & occultis inſidijs vti mãdat. Igitur Ioſue nocturno ſilẽtio quinque millia pugnatorũ præmittit, qui in parte occidẽtali ciuitatis, ſiue mõtiũ flexuris, ſiue arborũ dẽſitati obũbratio occaſionẽ attẽdãt, qua ciuitatem occupent præſidio vacuam. Remanſerant cum Ioſue viginti quinque millia pugnatorum, è quibus ſelecto, & inſtructo agmine poſt tranſactas tenebras noctis ipſe primus emicuit hoſtibus clauſis. Qui præguſtata victoria; vt viderunt Iſraelitarum agmina non magna, non ſe intra muros cõtinent, ſed apertis portis, magno impetu, ingentique clamore prædam inuadunt. Parum obſiſtunt inuadentibus Iſraelitæ, quin potius terrorem ſimulantes fugæ ſe tradunt, vt ſic hoſtes à præſidio ciuitatis auocent. Quis ſecundo fugientes non perſequatur? Nullus qui gladium educeret in vrbe manſit, qui non curreret ad victoriam, quæ certa de fugiẽtibus promittebatur. Interea Ioſue Dei monitu ſcutum in haſta leuat, quo ſigno præmoniti, qui in inſidijs erant, apertam, & facilem aggrediuntur ciuitatem, multaſque eius domos incendio tradunt. Quarum cum fumo viſo ſimul Haienſium pugnatorum fortitudo euanuit; in quos iam pene palantes conuerſis vultibus irruerunt, qui fugiſſe credebantur; necnon & qui ciuitatem incenderant concurrentes magnam faciunt miſerorum ſtragem. Occiſa ſunt duodecim millia eiuium, protendentes Ioſue ſcutum in haſta, donec & ciuitas incenſa, & ſpolia aſſeruata, & vniuerſi apparerent transfixi gladio. Nulli pepercit Ioſue, nec Regi ipſi, quem viuum captum ſuſpendio necauit, multoque lapidum aggere in ingreſſu ciui

tatis

tatis obruit cadauer.

Hostium ruina securi, spoliisque ditati Hebræi haud fuerunt datori victoriæ Deo ingrati. Fecit namque Iosue de lapidibus impolitis altare, in eo victimas pacificas obtulit, & super lapides totum Deutheronomium legis exarauit. Tunc Leuita stans in iugo montis Garicim explicans sigillatim præcepta legis, benedictiones multas obseruatoribus imprecabatur, quibus annuebat multitudo popularis. Rursus stans à monte Hebal, recitatis simili modo præceptis, maledictiones in transgressores iaculabat, quas omnes vno ore populus confirmabat.

PARS MORALIS circa textus literam.

MAiore sudore comparatur parua ciuitas Hai, quam Iericò, ne nos contemnamus parua, sed & vi, & arte ceremus ea superare, si velimus nobis Deum propitium facere.

Iosue cap. 8. Dixit autem Dominus ad Iosue: Ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & consurgens ascende in oppidum Hai, ecce tradidi in manu tua regem eius, & populum, vrbemque, & terram. Faciesque vrbi Hai, & regi eius, quod fecisti Ierichò, & regi illius, prædam verò, & omnia animantia diripietis vobis, pone insidias vrbi post eam.

§. I.

Dei dona multis operibus acquirenda.

QVam aliter capienda proponitur Hai, ac fuit capta Iericho: ad capiendam Hai omnes militares ludi mandantur exerceri. In primis, vt omnes bellatores in certamen exeant, ait enim: *Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & consurgens ascende in oppidum Hai*; deinde ponendæ insidiæ consuluntur ijs verbis: *Pone insidias vbi post eam.* Igitur certamen obeundum, insidiæ ponendæ erant; non enim vt in Iericho ante factum, sonoris vocibus tubarum, sed strictis gladis agenda erat res, nec mœnia cantu ruitura erant, sed vi, & astu capienda. Et cur, quando Iericho tina mœnia diruenda fuerant, soli tubarum cantus petũtur; modo omnia militaria negotia exhibentur in acie dirigenda, in prælio obeũdo, in insidijs struendis? In Iericunthina expeditione nihil dabatur Israelitis, sed vniuersa vel consummenda erant, vel consecranda Domino. Vbi autem nulla merces dabatur, non miror, quod nihil petatur laboris. At in expugnatione Hai, omnia spolia vrbis permittuntur bellatoribus, ait enim: *Prædam vero, & omnia animantia diripietis vobis.* Quando autem tot donantur illis bona, iure reposcuntur vniuersi militares labores, dona enim Dei multis laboribus, & operibus comparanda sunt nobis. Hinc Matth. 20. discipulis petentibus sedes regni respondit Dominus: *Non est meũ dare vobis, sed quibus paratum est a patre meo.* Haud dubium quin sedes regni paratæ erant à Deo Ioanni, & Iacobo, vt enim certum est, quod modo sedent cum Iesu in regno cœlorum, sic tunc certum erat, quod illis erant à Deo sedes paratæ. Cur ergo dicit Iesus: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a patre?* Si dare poterat sedes ijs, quibus pater eas parauerat, & pater eas parauerat ijs duobus Apostolis, cur dicit, Non est meum dare vobis? Vobis ait non absolute, & simpliciter, sed secundum ea, quę in præsenti accidebant, quãdo illi absque vllo labore, & opere expectabant sibi obuentura Dei dona. Sic enim expectantibus merito negat Iesus dona sua, quæ & illis, & cæteris parata erant à patre post labores, post multa virtutũ opera. Ait enim sapienter D. Basil. Sel. orat. 24. *Pater, dum probat, non simpliciter gratificatur; expectat mores nostros, dum donum parat; non leniter effundit gratiam. sed munus recondit, nec enim patris est, tenere, gratisque talia largiri.* Sit forte leuium hominum tionum simplici amicorũ suorum petitioni omnia largiri, peni tusque sese in illis effundere. Nõ sic Deus, sed potens est amare homines, vniuersamque patris, & amici circa illos exercere curam, & nihilominus recondere dona, seruare munera, expectans illorum mores, expectans sudores, & petentium virtutes. Ne ex impotenti teneritudine, sed ex sapienti rutina videatur sua dona largiri. Non

Matth. 20.

Basil. Sel.

equi-

equidem leuiter effundit gratiam, ſed munus recondit, laborum merita exquirens. Et quando proprio filio Ieſu de facto omnia ſua pater non niſi poſt labores, duriſſimaſque paſsiones exhibuit, quis ab eodē pātre gratis, & ſine labore dona requirat?

Petrus. Aiebat Petrus 1. epiſt. 4. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, &c.* Poſt Ieſum paſſum in carne à nobis ſic cogitatum, & notum, ſtulti ſumus, ſi nō currimus ad arma, ſi non deſcendimus in certamina, ſi aliquod negotium prætermittimus militare. Et cur poſt Chriſtum cogitatum in paſsione debemus currere ad arma, & non magis ad vaſa cantici? Ratio ea eſt euidentiſsima, quia Chriſtus Dominus laboribus paſsionis ſuæ, ſuoque effuſo ſanguine comparauit ex Deo vniuerſa dona, & auxilia gratiæ hominibus neceſſaria. Quando ergo tam immenſo dolorum, laborumque prætio, quodlibet Dei donū Chriſto vēdebatur, quis non āmens, accederet, & peteret illud ſibi gratis, & ſine vllo labore dari? A mercatore vendente āmicis ſuis merces multo pretio, quis extraneus eas gratis accipiendas expectaret? Ab emptore comparante gemmas ingenti pretio exhibito, ex haurita omnium bonorum ſuorum ſubſtantia, ſtultus erit, qui præſumat

D. Leō. eas ſibi accipere gratis? Hinc D. Leo ſerm. 16. de Paſſ. ait: *Ab omni potenti medico duplex nobis miſeris remedium præparatum eſt, cuius aliud eſt in Sacramento, aliud in exemplo, vt per vnum conferantur diuina, per aliud exigantur humana. Quia ſicut Deus iuſtificationis eſt author, ita homo deuotionis eſt debitor. Per hanc ergo ſalutis noſtræ ineffabilem reparationem, nec ſuperbiæ nobis, nec deſidiæ locus relinquitur, quia nihil habemus, niſi quod accepimus, & iugiter admonemur, ne dona gratiæ Dei negligenter habeamus.* Quod ſapiētius? Vt per Chriſti merita dantur nobis diuina, ſic per eiuſdem exemplum exiguntur à nobis humana; ne putemus ſine pretio laborum, & operum meritedem ex Deo comparare. Dona enim Dei, non negligentibus, ſed laborantibus dantur.

§. II.

Neque Chriſtum, neque eius regnum habere potes ſine labore, & certamine.

TOTVM Certaminis negotium vult Deus exhiberi in expugnatione Hai dicens: *Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & conſurgens aſcende in oppidum Hai*; inſuper monet: *Pone inſidias vrbi poſt eam.* Pertinent equidem ad bellicum apparatum inſidiæ, & doli militares. Nec vult Deus, quod in expugnatione huius vrbis aliquid bellici apparatus prætermittatur. Et quando in Ierichuntina expeditione omnia bellici pulueris præterminſſa ſunt, cur in hac expeditione non prętermittantur? In hac dicit Dominus: *Ecce tradidi in manu tua regem eius, & populum, vrbemque, & terram.* Nulla in Ierichō mētio de rege, regnoque tradito; hic autē vbi promittitur rex, regnumque tradendum in Iſraelitarum manus, non miror, quod vniuerſi militares labores exquirantur. Crede mihi, demens eſt, qui putat Regem cœlorum Ieſum, regnumque eius ſibi in poſſeſsionem dandum abſque ingenti laborū certamine. Dicebat Ieſus Ioan. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Fatetur ſe noſtram eſſe vitam, in eoque nos viuere poſsimus, quod eum in nobis habeamus. Ad quem habendum etiam ipſe nobis via eſt. Sed qualis via? Ait D. Leo ſerm. 16. de Paſſ. *Merito Dominus ipſe factus eſt via; quia niſi per Chriſtum non itur ad Chriſtum. Per ipſum autem ad ipſum tendit, qui per ſemitam patiētiæ, & humilitatis eius incedit; in quo plane itinere, nec æſtus deeſt laboris, nec procella formidinis. Ibi ſunt inſidiæ iniquorum, perſecutiones infidelium, minæ potentium, quæ Dominus rex gloriæ ideo omnia infirmitatis noſtræ forma per curit, vt inter præſentis vitæ pericula, non tam optandum ſit nobis declinando iſta effugere, quam tolerando ſuperare.* Equidem pro Chriſto habendo rege gloriæ illa eſt via ab ipſo conſtituta, quæ plena eſt ſudoribus, plena inſidijs, plena certaminum difficultate. Quæ omnia exemplo Ieſu non tam fugienda quam toleranda ſunt ei, qui velit cęleſtem regem habere, eiuſque regno illuſtrari. Fallitur turpiter qui regnum ſperat ſine certamine? Ioan. 4. ipſe Ieſus dicebat paralitico: *Vis ſanus eſſe?* & Matth. 8. dicenti: *Si vis, potes me mundare*, ſtatim reſpondit: *Volo, mundare*; & ſæpe alias ſimplici petitioni concedebat curationes morborum. At Matth. 20. accedit mater filiorum Zebedæi, & ait: *Dic vt duo filij mei ſedeant vnus ad dexteram, alius ad ſiniſtram in regno tuo.* Quibus ſtatim ait: *Non eſt meum dare vobis, &c.* Petentibus alijs munificentiſsime dabas poſtulata; diſcipulis autē ſolis negas, quod poſtulabant? Et cur domine diſcipulis tuis, conſanguineis tuis negas, quod poſtulant, cum vel infirmis petentibus ſanitatem annuas? Non miror, quod diſcipuli repulſam patiantur, quando ſine labore ſedes regni poſtu-

Ioan. 14.

D. Leō.

Ioan. 4.

Matt. 20.

poſtulabant, & ſi enim dominus alia concedat petentibus, nullo eorum merito ſpectato; at quod cœleſtis regni eſt, nulli vnquam datur; niſi prius legitime certauerit.

Baſil. Sel. Ait D. Baſil. Sel. orat. 24. *Thronus laborum præmium eſt, non ambitionis donum gratuitum: ex rectè geſtis thronus comparatur; nudâ poſtulationem datio non ſequitur. Monſtra meritum tuum; & meam intuere poteſtatem. Si leproſus curationem petit, virtutem exero, volo, mundare, ſi cæcus luminis orbitatem gemit: ſecundum fidē veſtram fiat vobis. Quod ſi thronum vero quis petat, & regiam poteſtatē quærat, & ſedere ad dexteram affectet, tunc quid poſſet, curioſe deſpicio, fuſum pro pietate ſudorem teſtibus repoſco. Si reperero, quod vis condignum ſit, tunc eſt meum dare: vocant enim dantis poteſtatem accipientis merita.* Dat equidem Deus temporalia multa, vel non petentibus, vel ſimpliciter petentibus; at regnum cœlorum nulli datur, qui multis ſudoribus, illud non meruerit. Nunquam enim coronatur, niſi qui legitime certauerit.

§. III.

In abſconſione virtutum conſiſtit triumphus Chriſtianus.

VBI armatam manum educit dominus aduerſus Hai, minime aperto Marte conſulit dimicandum, ſed potius ad latentes inſidias confugiendum. Ait enim: *Pone inſidias vrbi poſt eam.* Et mirabar, quod Deus in primo Iſraelitarū certamine, quo in terram promiſsionis ducti à Ioſue præliaturi erant, petat ab eis vt inſidijs vtantur. Et cur non magis aperto Marte illos ordinat vincere? Nonne aduerſus paruam ciuitatem, paucoſque hoſtes, vt teſtati fuerant exploratores cap. præcedenti, præualeret exercitus in aperto campo, qui electus erat, vt totam Chananæorū expugnaret terram? Cur ergo magis ad inſidiarum latibula recurrant, pro paruis capiendis hoſtibus? Deus in ijs omnibus principaliter ad ſua myſteria attendens, mauult, vt Ioſue per inſidias aggrediatur bellum, iam inde inſinuans, vt à vero Ieſu Chriſtianus triūphus per latentes virtutes conficiendus erat. Crede mihi, Ieſu filij Dei virtus, & victorioſa militia per virtutum abſconſionē

Sap. 18. maximè præualet. Ait Sap. cap. 18. *Dum quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus deſcendens â regalibus ſedibus durus debellator, &c.* Expende quid cum duriſsimo omnium debellatore coniungat ſacer textus, nimirum abditiſsimum eius aduentum; ad debellandum mundum veniebat Dei verbum: ſed quid latentius, & occultius? Sane ea erat militaris diſciplina noſtri regis, ea erat ſuæ militiæ regula, vt tenebris abſconderentur virtutes eius, & maximè laterent. Quo ſpectans D. Zeno lib. 3. *D. Zeno.* ſerm. 6. ait: *Etenim Deus Dei filius tempore conſtituto, diſsimulata interim maieſtate, ab æterna ſe deprofectus in prædeſtinatæ Virginis templum ſibimet caſtrametatur; quibus latenter infunditur, &c.* Dū audio ſibi ſic caſtrametari Dei verbum, intelligo hunc eſſe illi modum conſuetum ſua caſtra dirigendi, nimirum latenter, quietiſsimo ſuarum virtutum, ſuarumque gloriarum ſilentio. Sic enim ordinantur à Ieſu victricia ſua caſtra, vel ſic illi victricia exiſtunt, nimirum ſi latēter procedat, quidquid gloriæ, quidquid maieſtatis, quidquid ſplendoris, & virtutis eſt, diſsimulans, & operiens. Hæc magna militātium in Chriſto fortitudo eſt, ſi ſcias latere, ſi magnalia tua noueris obumbrare, & ſilentio tegere. De fœliciſsimis Magis dicitur Matt. 2. *Intrantes domum inuenerūt* *Matt. 2.* *puerum, & Mariam matrem eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, &c.* Expende vbi aperiunt theſauros ſuos, nimirum vbi poſt confectam viam ad Ieſum peruenerunt. Dum in via erant, dum Ieroſolimā intrant, dum ſunt in Herodis Regia, latentes, & abſconditos theſauros habent, quos ſolum aperiunt, vbi ad finem viæ peruenerunt. Cur hæc? Sane ibi oſtendebantur iam victrices Chriſtianæ miliciæ leges, vt dum in via Chriſti militamus, debemus in abſcōdito virtutes tenere, ſi velimus hoſtium diſcrimina contemnere. Ait ibi Paſcaſ. lib. 2. in *Paſcaſ.* Matth. *Suis apertis theſauris ei munera obtuliſſe ſcriptura teſtatur. Quo facto, magnum religionis noſtræ Sacramentum aperitur, vt fide præuia theſauros noſtros in via minime pandamus, donec tranſpoſiti ſoli Domino devoti, ex reconditis ſecretorum cordium theſauris munera offeramus.* Expende illud: *Magnum Religionis noſtræ Sacramentum aperitur, &c.* quippe neceſſariſsima eſt hæc ars Chriſtianæ militiæ, qua dum ſumus in militari viæ diſsimulemus, & obumbremus virtutes. Eſt hic primus Chriſtianę militię greſſus. Quo aſpiciens Abacuc cap. 3. ait: *Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan. Operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra.* Siue vt ex græco legit D. Cyril. Alex. *D. Cyril.*

Deus

Deus à Thæmam veniet, & ſanctus de monte Pharam, vmbroſo, condenſo. Operuit cœlos virtus eius. Quæ verba ipſe Cyrill. refert ad filij Dei in mundum ingreſſum, quo à Bethleen ortus eſt. Qui à Bethleen egreſſus dicitur eſſe à monte vmbroſo, & condenſo, vt iam inde militaria ſtratagemata oſtenderẽtur, quibus duces in condenſis ſyluarum ſeſe abdunt, vt inde ſecurius hoſtes feriant. Et quæ condenſa hæc, & vmbroſa fuerunt dominicæ natiuitati, niſi humilitas illa, qua omnem diuinitatis maieſtatem abſconderat ſub habitu ſerui? Ait ibi Ruper. *Semet ipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Quid tam vmbroſum, tam condenſum?* Equidem rex noſter debellaturus orbem ad vmbroſa, & condenſa humilitatis, & infirmitatis ſe contulit, ibi obumbrauit, quidquid Dei, quidquid maieſtatis, & ſplendoris erat: quo præualuit aduerſus aduerſarios vniuerſos: Ex quo ſapienter D. Leo ſerm. 7. in Epiphan. ait: *Vnde tota chriſtiana ſapientiæ diſciplina, non in abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis, & gloriæ ſed in vera, & voluntaria humilitate conſiſtit, quam dominus Ieſus Chriſtus ab vtero matris vſque ad ſupplicium crucis pro omni fortitudine elegit, ac docuit.* Expẽde illud: *Pro omni fortitudine*; quaſi in eo dominus totam militiæ ſuæ fortitudinem, & valentiam conſtitueret aduerſus hoſtes, vt ſciamus ſub humilitatis condenſis deliteſcere. Quando enim de virtutibus abſconditis non præualet Chriſtianus hoſtibus vniuerſis? Aiebat ipſe Abacuc cap. 3. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius.* Ex quo fortitudinem ſuam abſcondit, obumbrauit ſub humilitatis condenſis, de morte, & diabolo triumphum egit, & nobis glorioſi triumphi viam oſtendit. Dicit enim D. Leo ſerm. 16. de Paſſ. *Adam primus, & Adam ſecundus vnum erant carne, non opere, in illo omnes moriuntur, in iſto omnes viuificabuntur. Ille per ſuperbiæ cupiditatem iter fecit ad miſeriam, hic per humilitatis fortitudinem viam parauit ad gloriam.* In humili, & abiecta forma, ſub qua latent virtutum ſplẽdores, fortitudo eſt, potens nos aſſerere in gloria triumphatoris,

Rupert. D. Leo. Abac. 3. D. Leo.

Ioſue cap. 8. Surrexitque Ioſue, & omnis exercitus bellatorum cum eo, vt aſcenderent in Hai, & electa triginta millia virorũ fortium miſit nocte. Præcepitque eis: ponite inſidias poſt ciuitatẽ, nec lõgius recedatis, & eritis omnes parati. Ego autem & reliqua multitudo, quę mecũ eſt, accedemus ex aduerſo contra vrbem. Cumque exierint contra nos, ſicut ante fecimus, fugiemus, & terga vertemus, donec perſequentes ab vrbe lõgius protrahantur, putabunt enim nos fugere, ſicut prius, &c.

§. IIII.

Præſtantiſsimi viri eſt non ſolis agere verbis, ſed & operibus.

QVod à Deo accepit præceptum Ioſue de inſidijs ponendis, ſic exequitur, vt partim alijs mandet, partim ipſe perficiat. Dicit enim. *Electa triginta millia virorum fortium miſit nocte. Præcepitque eis dicõs: Ponite inſidias poſt ciuitatem, ne longius recedatis:: Ego autem, & reliqua multitudo, quæ mecum eſt, accedemus ex aduerſo contra vrbem. Cumque exierint contra nos, fugiemus, &c.* Ecce tibi, vt bene notat Serar. quæſt. 3. duplices ſtruuntur inſidiæ, alię in caſtrorum poſitu, aliæ in fugæ ſimulatione, illas mandat Ioſue bellatorum plurimis, has per ſe cum reliquis agit. Hoc eſt enim optimi proprium viri, ne ſolis verbis, ſed & operibus vtatur, nec detrectet per ſe efficere, quod & alijs mandat. Quo ſpectans Iob cap. 28. aiebat. *Quando ponebat pluuijs legem, & viam procellis ſonantibus, &c.* In Sina poſuit Deus leges populo ſuo in Angelorum diſpoſitione, at pluuijs, procellis ve quando poſuit legem? Omniſſa expoſitione altera myſtice hoc explicat Rupertus lib. 1. de ſap. cap. 20. *Legem quippe pluuijs ponere ſuit, & viam ſonantibus procellis, prædicatoribus indicere, vt viuendo implerent, quod loquendo ſuadere eſtimabant, quatenus prædicatio non contempta, quaſi procella ſonans, expeditiori via curreret. Hanc legem primo Moyſi, & prophetis, deinde Apoſtolis Deus poſuit.* Hæc erat lex poſita præſtantiſsimis

Iob 28. Rupert.

tiſsimis

tiſſimis hominibus, optimarum diſciplinarum ſatoribus, ne ſolis verbis facienda perſuaderent, ſed magis proprio opere. Ioan. 1. Miſſi ſunt ab Ieroſolimis Sacerdotes, & Leuitæ ad Ioannem, vt interrogarent, quis nam eſſet; quibus ille reſpondit: *Ego vox clamantis in deſerto*, vt quid de ſe dicere poſſint, oſtenderet, ſe vocem eſſe fatetur, & non amplius addidit. At Matth. 11. diſcipulis Ioannis venientibus, vt inquirerẽt de Ieſu, quis eſſet, reſpondit Ieſus: *Euntes renuntiate* Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, &c. Non ſolum ſe vocem oſtendit dominus, ſed & illuſtrem effectorem operum. Vt non ſolum auditu, ſed & oculis poſſint eius æſtimare perſonam. Et cur Ioannis ſolius vocis exhibet teſtimonium, Ieſus autem & operis, & vocis? Pertinebat equidem ad præſtantiam ſaluatoris noſtri; ne ſolam exhiberet vocem, ſed & magis operibus teſtimonium ſui redderet Orbi. Ait Orig. tom. 6. in Ioan. *Ioannes quidem vs, qui venerant, cum eſſet confeſſus, neque negaſſet; poſtea illud: Ego vox clamãtis in deſerto, pronuntiat. Chriſtus autem, vt qui maius quàm Ioannes teſtimonium haberet, verbis, & factis reſpondit, cum ait: Euntes, renuntiate Ioanni, quæ vidiſtis, & audiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, &c.* Vt Ioanne maior erat Ieſus, ſic non ſolum vocis, ſed & operum teſtimoniũ exhibuit, quo efficacius ad ſuum imperium homines traheret.

Ioan. 1. Matt. 11. Orig.

§. V.

Deus efficaciſsime hominis humilitate capitur.

VT Hai capiatur, ex Dei præcepto iubet Ioſue: *Ponite inſidias poſt ciuitatem*: hoc eſt, ponite bellatores, qui poſt ciuitatem lateant. Et cur notanter deſignat inſidias poſt ciuitatem ponendas? Equidem exprimebatur ibi virtus, quæ non ſolum mundum, ſed & Deum, & Dei regnum efficaciſsimè capit, ea enim eſt humilitas, quæ poſt tergum abſcondit omnia magnalia. Fecerat Phariſæus Domino conuiuium, multaque eſcarum fercula coram illo ponebat Luc. 7. Interea mulier peccatrix, *vt cognouit, quod accumberet dominus in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lachrymis capit rigare, &c.* Quando tot Phariſæi fercula coram ponebantur, cur tu mulier obſequia tua poſt tergum ponis? Cur non magis oculos ſaluatoris illa ſtatuis? O mulier fortis! O vere diuinitatis expugnatrix, dum obſequia tua, dum virtutes tuas poſt tergum abſcondis, inſidias paras capiendo Deo, qui abſque dubio magis capitur abſconditis per humilitatem operibus, quam ijs, quæ ob oculos oſtentantur. Pulchre ait D. Chryſol. ſerm. 93. *Videtis, quia ad Phariſæi menſam venit Chriſtus, non vt carnalibus repleretur eſcis, ſed vt incarne negotium cœleſte monſtraret, neque vt probaret poſita humanitus ante ſe, ſed poſt ſe geſta diuinitus approbaret.* Equidem non probantur Deo opera, quæ coram exhibentur, & ob oculos oſtentantur; illa rapiunt Deum, quæ cum præclara ſint, tamen quaſi vilia, & inutilia poſt tergum eius cælantur, obumbrantur. Nota eſt hiſtoria Phariſæi, & Publicani ex Luc. 18. *Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: Ieiunabis in Sabatho, &c. Et publicanus à longe ſtans, nolebat oculos ad cœlũ leuare; ſed percutiebat pectora ſua dicens, Domine propitius eſto mihi peccatori.* Ecce tibi duo erant iſti: alter coram proponit multa virtutum opera, alter nil bonum promit, ſed nec ſe coram cœlo audet ſiſtere, quid tunc? Ait D. Auguſt. lib. de ſanta Virginit. cap. 32. *Enumerationi meritorum præfertur confeſsio peccatorum.* Non equidem, qui oſtentat, ſed qui merita abſcondit ſub humili prætextu peccatorum, is ad ſe trahit dominum. Hinc Cananæa illa expugnauerat totum caſtrum Apoſtolorum, dicunt enim Matth. 15. *Domine demitte illam, quia clamat poſt nos.* Validus ſanè clamor eſt, qui non oſtentatur, ſed quaſi poſt tergum ponitur. Quo pulſati Apoſtoli, imò expugnati, ipſi pro ea Deum rogabant. Sed cur cum nihil ab eis mulier peteret, ipſi pro ea rogabant? Ait Paſcaſ. *Durũ eis viſum eſt, quod ad tam deprecatorias voces longe iam diu nullum reſponſum daret.* Vbi mulierem videbant ſuas orationes poſt tergum ponere reputabant duriſsimum, quod non cito obtineret poſtulata. Quæ enim magis deprecatoria vox eſt, quam quæ ſic rogat, vt ſe indignam reputet coram deprecandi? Qui huic reſiſtat, ſatis durus eſt?

Luc. 7. Chryſol. Luc. 18. D. Aug. Matth. 15. Paſcaſ.

§. VI.

Bona opera sub humilitate abscondita præsentissima sunt Deo.

DVO Monet Iosue suis militibus, & quo in insidijs lateant, & quod non lõge absint, ait enim: *Ponite insidias post ciuitatem, nec longius recedatis, &c.* Hæc temporalibus militibus mandantur, qui & latere possunt, & ita longe abesse, vt nihil faciant. Non sic in milicia spirituali, in qua eo ipso, quod quis sub humili respectu latet, seque & sua bona opera abscondit, nõ
Luc. 7. potest longe abesse, sed præsentissimus Deo est, vt illum ad se trahat. Luc. cap. 7. de Centurione seruum paraliticum habente locutus ait: *Et cum audisset de Iesu misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & sanaret seruum eius.* De quo ipso lo
Matth. 8 cutus Matth. cap. 8. ait: *Accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens, domine, puer meus iacet, &c.* Ecce tibi Lucas ait, quod Centurio non accesserit ad Iesum, sed ad illum rogatores miserit; Matthæus autem manifestè asserit ipsum Centurionem accessisse, & præsentem per se fuisse. Quomodo ergo si manens domi iuxta Lucam misit rogatores, intelligetur iuxta Matthæum præsentissimus ipse per se Iesu extitisse? Qui nouerit eius humilitatem, quæ merita sua postponebat beneficio Dei dicens: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, manifeste colliget illum, & si longo spacio distaret, non potuisse non
D. Aug. esse Deo præsentissimum. Ait D. August. lib. de sancta Virginit, cap. 3. *Fidem Centurionis illius ideo Iesus præcipue laudauit, nec se inuenisse in Israel dixit tantam fidem, quia ille tam humiliter credidit, vt diceret, Non sum dignus, vt sub tectum meum intres. Vnde nec Matthæus ob aliud eum dixit accessisse ad dominum, cũ apertissime Lucas insinuet, quod non ad eum ipse venerit, sed amicos suos miserit, nisi quia fidelissima humilitate magis ipse accessit, quam illi quos misit.* Quid pulchrius? Licet absens esset, & in loco disito à Iesu maneret, pro se rogatores miserit; tamen quia humilis, quia merita postponebat beneficio, quia omnia sua abscondebat, contemnebatque obsequia, inde à se missis rogatoribus erat Iesu filio Dei propinquior. Nequit enim non esse Deo præsentissimus, qui sic abscondit merita sua. Vt dicat de Deo Psalm. 37. *Excelsus dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Differentiam ponit inter respicere, & à longe cognoscere; quæ enim respiciuntur, quasi propinqua, & præsentia tenentur, quæ à longe cognoscuntur, habent quidem videri, sed minime habent propinquitatem cum Deo. Illa sunt humilia, quæ in quouis spatij interuallo; sic respiciuntur à Deo, quasi propinqua illi sint, & præsentia; non sic alta, & superba, sed vt oculis parent, sic longe absunt à Deo. Ex quo dicebat D. Aug. ibi: *Quid sibi ergo præstat superbus, nisi vt à longe videatur? Hoc agis, non vt minus perfecte videaris, sed vt non sis cum illo, à quo videris. At vero humilis quid sibi præstat? Prope est dominus us, qui obtriuerunt cor. Vis vt tibi propinquet Deus? Humiliate.* Felix qui sub hac humilitatis vmbra se tegit; à Deo separatus, & elongatus non inuenietur.

Psal. 37.

D. Aug.

§. VII.

Quæ in perditionem facta sunt à te, eadem fœliciter in bonum præstas.

SApiens, & prudens consilium fuit illud Iosue dicens. *Sicut ante fecimus, fugiamus, & terga vertamus.* Quæ antea illis fuerat ruinæ causa fuga; modo sumitur, vt inde causa victoriæ, & triumphi veniat. Fesiciter enim ad bonum flectis, quod in perditionem feceras. Paul. ad Gal. cap. 4. aiebat: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Cuius Dei filij aduentum recolens Ioan. cap. 1. ait: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, &c.* Itaque Pater misit filium suum, imo vt notanter posuit Ioannes, misit Verbum suum, vt homines redimeret. Sed cur humana redemptio tradita est Verbo diuino Dei filio? Cur non magis Pater sibi hoc munus attribuit? Vel cur non adid tertia Trinitatis

Paul.

nitatis perſonæ mittitur? Huius rationem
D. Atha. reddit D. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arrianos dicens: *Quoniam igitur locutus erat in Verbo, Terra es, & in terram abibis, probe, & congruenter per idem illud Verbum, & libertas, & reſciſsio condemnationis perfecta eſt.* Proh Dei noſtri ſapientiam! Quoniam verbo ſuo perditionem hominum fuerat executus, dum mortis falce ferimur, ad idem Verbum recurrit, vt inde negotietur noſtram ſalutem. Docens nos interea, vt quæ exhibuimus in perditionem, & ruinã noſtram; eadem ſi ſapimus in bonum reflectamus, vt inde ſalutem poſsimus acquirere. Et ipſum Dei Verbum Saluatoris munus executum ait Iſaiæ, cap. 65. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, &c.* Quibus myſterium crucis explicabatur, vt fert Sanctorum Patrum expoſitio communis. Sed cum in myſterio crucis multa fuerint notabilia, cur præcipue memorat Deus expanſionem, ſeu extenſionem manuum ſuarum? In eo oſtendebatur reparatoris noſtri ſapientia, vt eã, quæ perditionem infuderant mundo, ſciat conuertere in mundi ſalutem. Sanè Adami, Euæque extenſæ manus ad vetitam arborem perdiderunt omnes eorum filios. Quid tunc? Ecce homo Deus eos reparaturus nõ aliud cogitat, nec aliud meditatur medium ſalutis, ſed manus expandit, ſeu extendit ad lignum, ita fœliciter, vt omnia aſſerat
Nazian. in tuto. Ait enim Nazianzen. orat. 1. *Id circo lignum aduerſus lignum, & manus aduerſus manum, illæ, inquam, fortiter extenſæ aduerſus incontinenter extenſas; illæ clauis cõfixæ, atque conſtrictæ aduerſus remiſſam & ſolutam, illæ orbis fines coniungentes aduerſus eam, quæ Adamum è paradiſo exturbauit.* Itaque quia lignum, & manus hominis extentæ mortem inuenerunt mundo; & lignum, & manus hominis extentæ ſumuntur à reparatore, vt mortem exſibilet, & vitam recuperet. O quanta hæc ſapientia, & fœlicitas, quod ſcias de inſtrumentis perditionis facere inſtrumenta ſalutis Matth. 2. aiebat Herodes vt Magos ſeduceret. Vt ego veniens adorem eum. Quæ
D. Leo. circa D. Leo ſerm. 1. de Epiph. *Falſum ſpopondit obſequium. Quam felix foret, ſi Magorum imitaretur fidem, & conuerteret ad religionem, quod diſponebat ad fraudem.* Sic ibi. Felix ſanè ille eſt, qui quæ diſponit
Ionæ 3. ad ſcelera, conuertat ad virtutem. Ionæ cap. 3. *Peruenit verbum ad Regem Niniue: & ſurrexit de ſolio, & abiecit veſtimentum ſuum, & indutus eſt ſaceo, & ſedit in cinere.* Niniue primus rex fuit Nemrob, de quo Gen. 10. *Nemrob robuſtiſsimus venator coram Domino.* Tanti ergo venatoris filius veſtes abiecit, ſolium dimiſit, & in cinere ſedebat, vt placaret dominum. Et quid in cinere ſedens agit? D. Ephræm in
D. Ephr. Ionam ait: *Filius Nemrob ſtrenui gigantis, à ferarum cæde deſiſtens prauas effectiones vulnerabat, & probeſtus turpia iugulabat peccata, externiſque feris relictis internam perimere ſtudebat improbitatem.* Ecce tibi vt ſapiens, quod beſtijs malum fecerat, in bonum propium curat conuertere.

Gen. 10.

Ioſue cap. 8. Abijt autem Ioſue nocte illa, & ſtetit in vallis medio. Quod cum vidiſſet rex Hai, feſtinauit manè, & egreſſus eſt cum omni exercitu ciuitatis, direxitque aciem contra deſertum ignorans, quod poſt tergum laterent inſidiæ. Ioſue vero, & omnis Iſrael ceſſerunt loco ſimulantes metum, & fugientes per ſolitudinis viam.

§. VIII.

Non qui hæc ima, ſed qui alta ſectatur, poteſt vacare certamine.

VBi Ioſue apparuit in medio vallis, ſtatim aduerſus illum bella, & certamina inſtaurantur, ait enim: *Abijt Ioſue nocte illa, & ſtetit in medio vallis. Quod cum vidiſſet rex Hai feſtinauit manè, & egreſſus eſt cum exercitu, &c.* Hoc tibi homo, velim, perſuadeas, quod dum ima vallium mundialium ſectaris, ad te hoſtium rabies, hoſtium impugnationes trahes. Dauid
Pſal. 54. Pſal. 54. clamabat: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, volabo, & requieſcam?* Sic ad requiem inueniendam ſuas requirebat bonus pennas, quibus ab hac mundi valle poſsit in altum euolare. Ait
Amb. Amb. lib. de Fuga ſæculi cap. 5. *Scriptum eſt: Volabo, & requieſcam. Vbi enim volatus, ibi quies.* Nulla requies inueniri poteſt, niſi poſt perpetes volatus, quibus ſe homo ab

imis

imis istis leuauerit. Multum enim fallitur, qui per hæc bona media mundialis vallis, putat hostium pericula, & inquietudines euadere. Sunt equidem bonis istis imis annexa periculosissima certamina; & in quocumque illorum visus fueris, aduersus te acuis hostium rabies. Nemo est, qui nesciat veri Iesu labores, & prælia, dum egit in hac mundi valle descendens à montibus æternis. Imò omnes norunt glorias eius, & victorias ex hostibus reportatas, quando triumphans de tumulo rediuiuus apparuit. Is tantus post resurrectionem apparens discipulis piscantibus Luc. 24. ait: *Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei, partem piscis assi, & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis, &c.* Ecce tibi post resumptam gloriam, post quietem immortalitatis habitam, Iesus noster condescendens discipulis, iterum de mundialis vallis fructibus cibos capit. Quid tunc? Accipite hostem generis humani de hoc differentem apud D. Epiphan. orat. in Ascens. *Cernebam illum mortali corpore indutum, ratusque hominem, & aliud nihil, Iudæos flagitiosè aduersus illum concitaui: clauoscruci affixi, morti denique subegi. At vero videns illum tertia die à mortuis resurrexisse, repente veluti acuta cuspide traiectus in terram decidi. Rursus æque eum ac antea comedere, & bibere cernens aliam denuo crucem illi destinabam.* Quid magis metuendum? Ipsissimus ille triumphator mortis, notissimus ille inferorum vastator, qui paulò ante ingenti dæmonum metu repagula inferni confregerat; cum tantillum suis condescendens de frugibus terræ accepit, iam pene armabat iterum in se dæmones. Vix triumphatorem suum vidit hostis condescendentem suis in cibo, & potu, & iam totum prælium crucis aduersus illum reaccendit. Et credisti in pace posse esse, dum medijs istis mundialis vallis bonis detineris? Eu cæcitas humanæ mentis! Crede mihi homo, dum hæc ima sectaris, non effugies hostes, non effugies periculosissima bella. Quo spectans Michæas, cap. 2. sic monebat: *Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem.* Amb. lib. de Fug. cap. 5. *Surgite hinc, quia non est vobis hic refrigeratio.* Et D. Cyrill. Alex. ex Græco: *Propinquate mõtilius æternis. Surge, & ambula, quia non est tibi hæc requies.* Equidem dum incon descensu es cum corpore tuo, dum imis his vallibus immoraris, dum montibus æternis non appropinquas, & bella, & pericula te manent.

§. IX.

Non qui persequitur, sed qui sequitur Iesum deserti fugit sterilitatem, & penuriam.

DVm contra Iesum Naue existentem in medio vallis egreditur rex Hai, notanter dicitur viam suam direxisse per desertum: Quippe ait: *Direxitque aciem cõtra desertum.* Cur non magis dixit, direxit aciem contra Iesum existentem in valle? Nonne eo tendebat rex, vt Iesum percuteret, aut fugaret? Cur ergo relicto belli scopo solum meminit viam, per quam exercitus ambulabat, dicens direxit aciem cõtra desertũ? Ostendebatur ibi, quid acquirant, qui amant verum. Iesum impugnare, hoc enim est proprium impugnatorum Iesu, quod deserti habeant sterilitatem, & penuriam, quam ille effugit, qui non impugnare, sed Iesum sequi amat. Hinc de fœlici Christi sponsa clamabant Angeli Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitijs affluens, enixa super dilectum suum?* Mirantur merito, quod de deserto ascendat ad delitias; quod deserti excutiens sterilitates, & penurias, in delitiarum abundãtia progressus faciat. Sed quid mirum? Aiunt enim: *Enixa super dilectum suum,* & vbi Iesu inhæret, dimissa deserti penuria, in magna bonorum abundantia viuit. Ait D. Amb. de Isaac cap. 5. *Videntes eam filiæ Ierusalẽ Christo inhærentem, & adhuc ascendentem cum eo dicunt. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto? Desertus hic terræ locus, & inculitus videtur; mirantes videlicet, quomodo anima, quæ antea in inferno derelinquebatur, inhæreat Dei verbo, & ascendat sicut vitis propago in superiora se subrigens, tum præterea bonis odoribus flagret.* Sine Iesu, vel persequens Iesum anima in deserto erat, in terra horroris, & vastæ solitudinis; mũdus enim sine Iesu desertus est, & prorsus infrugifer: at postquã meliori cõsilio, Iesu hæsit, totã abigit deserti sterilitatẽ, & in multa apparet rerũ abundantia. Miser, qui aduersus Iesum ierit, sine illo enim non habebit nisi horroris plenum desertũ. Matth. 23. dicebat Iesus ipse. *Ierusalẽ, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Abegit sanè Ierusalem diuinissimum alitem Iesum; & in desolatissimum desertum deue-

Orig. nit. Ex quo ait Orig. hom. 26. in Matth. *Ierusalem quæ erat deorsum comminatur dominus, & nolentibus congregari sub pennis eius dicit: Ecce nunc relinquetur domus vestra deserta. Semper autem eis, qui noluerunt congregari sub pennas ipsius comminari, & dicere Christus videtur: Ecce nunc relinquetur domus vestra deserta. Non solum corpus, sed & anima peccantium deserta relinquitur, & sicut in deserto vulpes faciunt in eis foueas, & serpentes cubationes.* Quisquis à te Christum expellis, nec amas congregari, & viuere sub alis; & vmbra illius, necessum est, vt vastissimum fias desertum; in quo & feræ, & venenati serpentes cubent. Accinit Ie-
Ierem. 12 rem. cap. 12. inquiens: *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam; facta est mihi hæreditas mea quasi spelunca hyenæ.* In qua enim Iesus fuit perditus, solum manent loca, quibus habitent feræ. Quo circa
D. Hier. ait D. Hieron. ad cap. Matth. 23. *Desertam Iudæorum domum, id est, templum illud, quod fulgebat augustius, oculis comprobamus, quia habitatorem Christum perdidit, & occidit hæredem.* Et in quod desertum horroris, & sterilitatis plenum non deueniat, qui Iesum perdidit? Non ergo persequatur, sed amplexetur Iesum, qui tanti deserti
Isaias 3. desolationem amat fugere. Isaias cap. 3. proponit summam Ierosolymæ desolationem inquiens: *Erit pro suauitate odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calnitium, & pro fascia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in bello. Et mærebunt, atque lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit.* Quid post hæc? Immediate cap. 4. *Et apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes, Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantum modo inuocetur nomen tuum super nos.* Sed quando & pulchri, & fortes viri omnes perierant, & deserta, & desolata erat ciuitas, quem virum apprehenderunt mulieres illæ, sub quo suis panibus, vestibusque suis vti liceret? Sanè prudentissimæ istæ non alium quam Iesum apprehenderunt, per quem solum terribilem illam desolationem effugerunt. Ait Orig. hom. 3. in Isaiam: *Cum fortes Ierusalem humiliati fuerint, cum luxerint thecæ eorum ornamenta filiarum Sion, cum derelicta fuerit illa sola, cum elisa fuerit ad terram; tunc septem mulieres apprehendent vnum hominem dicentes; Panem nostrum manducabimus. Verumtamen nomen tuum inuocetur super nos. Tunc apprehendent, & vere tenebunt septem mulieres hominem vnum Iesum Christum dominum nostrum.* Et in vno solo Iesu apprehenso possent ingentem illam, & horribilem desolationem effugere.

Orig.

§. X.

Magnæ, prudentisque mentis est non detrectare abiectionē, quæ proprio muneri adimplendo conducat.

STrenuissimum imperatorem Iosue vides metuentem, & fugientem ad primum hostium impetum. Dicit enim: *Iosue vero, & omnis Israel cesserunt loco simulantes metum, & fugientes, &c.* Ait Iudas Machab. 1. Machab. 9. *Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis; & si appropinquauit tempus nostrum moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Iudas sic cauet fugam, quasi graue crimen, & dedecus intolerabile; Iosue autem fugam amplexatur. An minor quam Iudas Iosue in fugiendo, & metuendo apparuit? Abiit, imò inde Iosue magnus, qui vbi vidit fugam illam, & metum assumptum posse conducere ad expugnandam ciuitatem, & hostes debellandos, & fugere, & metuere non detrectauit. Nihil enim magnæ mentes abiectum refugiunt, quod conducat muneris sui fini cōfirmando. De summo omnium Imperatore vero Iesu ait Isaias, cap. 28. *Vt faciat opus suum, alienum opus eius; vt operetur opus suum peregrinum opus eius ab eo.* Maximus Imperator Iesus nullum à se alienum, & peregrinum opus indecorum duxit, dum cunduceret perficiendo muneri suo principali. Quo respiciens Theodotus hom. 2. de Nat. habita, tom. 6. Concil. Ephes. cap. 10. ait: *Deus enim nihil ignominiosum ducit, quod humanam salutem conciliare natum est.* Erat diuini muneris hominem perditum reparare, ac in salutem asserere; quo factum est, vt nihil ignominiosum ducat, quod ad cōciliādā illis salutem conducat. Vt enim faciat opus suum, peregrinū sibi, imo, & verecundū opus nō detrectauit subire. Luc. 12. de oppetēda morte agens Iesus aiebat: *Baptismo autē habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur.* Itaque maximè cupiebat diem mortis suæ appropinquare, quo perficeretur humana salus. Vbi autem ad mortis horam peruentum est, clamabat ad patrem Luc. 22. *Transeat à me calix iste.* Ecce tibi qui antea

Isaias 28.

Theod.

Luc. 12.

Luc. 22.

summa

ſumma alacritate oppetebat mortem, modo illam refugiebat, & deprecabatur. Cur non magis, & modo impauidus etiam mortem oppetit? Cur maluit & timorem, & fugam oſtendere, quod turpe, & indecorũ videretur fortiter belligeranti? Conducebat magis ad mortem oppetendam; quod metum hunc, & fugam moſtraret; aliter enim nollet hoſtis, ei mortem intentare; ideò minime detrectat abiectum timoris, & fugæ affectum oſtendere, quo melius perficiebatur, quod ſantiſsime optabat. Ait D. Athan. orat. in Euang. de Paſſ. *Itaque dominus ſub ſpecie humanæ infirmitatis prouocans aduerſarium, hominem quem induerat, ſuis viribus aduerſus inimicum corroborauit. Atque ideò ſub tempus mortis anxius eſſe, & mœrere cœpit, & obſecrabat calicem tranſire, clamabat ſpiritum quidem promptum eſſe, carnem autem infirmam, vt aduerſarius noſter cum eo, quaſi cum homine congreſſurus, vires eius diuinas experiretur.* Ecce tibi vt maximus imperator nihil metuentis, nihil infirmi abiecit in ſe oſtendere tempore mortis, vt ſic eius conſilium de hoſte debellando per mortem perficeretur. Magnæ equidem, & ſapientis mentis eſt, nihil ſibi alienum, & peregrinum putare, peccato demto, dum ad hoc conducat, vt opus ſuum faciat, munus ſuum expleat.

D. Atha.

Ioſue 8. At illi vociferantes pariter, & ſe mutuo coortantes perſecuti ſunt eos. Cumque receſsiſſent à ciuitate, & ne vnus quidem in vrbe Hai, & Bethel remanſiſſet, qui non perſequeretur Iſrael (ſicut eruperant aperta oppida relinquentes) dixit dominus ad Ioſue; Leua clypeum, qui in manu tua eſt, contra vrbem Hai, quoniam tibi tradã eam. Cumq; eleuaſſet clypeũ ex aduerſo ciuitatis, inſidiæ, quæ latebãt, ſurrexerũt cõfeſtim, &c.

§. XI.

Sub ſigno crucis à Ieſu leuato euaneſcunt pericula.

VBI Timoris, fugæque facies deponenda erat, iubet Deus Ioſue alteri, vt ipſe, clypeum in haſta leuet; ait enim: *Leua clypeum, qui in manu tua eſt contra vrbem Hai, &c.* Non remanſerat in vrbibus vllus, qui non perſequeretur Iſraelem fugientem: ſed dum iubente Deo clypeus in haſta à Ieſu leuatur, clareſcere cæpit, vt qui ſub illo erant ſigno triumphare de vniuerſis deberent. Felices nos, qui ſub erecta à Ieſu crucis haſta militamus, mirarer, ſi aduerſus nos vlterius mala præualeant. Vbi ligum crucis apparuit exaltatum Ieſu manibus, vniuerſæ elanguerunt incurſiones malæ. Ioan. 19. de Ieſu locutus ait: *Baiulans ſibi crucem exiuit, &c.* Nunc primum inter frementes hoſtes apparuit Ieſus noſter ſcutum fidei noſtræ in haſta crucis leuans. Sed & Marthæus 27. de Simone Cirenæo dicit: *Hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.* Et quando Simon angariatur ad tollendam crucem, quid neceſſum fuit, quod Ieſus eam ſuſtolleret? Dum per alias manus crux tollebatur, mala præualebant; tunc ſolum ceſſerunt mala, vbi per Ieſu manum crux fuit erecta. Ait Diu. Athan. orat. de Paſſ. *Sibi Dominus crucem portauit, eamdemque, & ipſe homo tulit: cum igitur contra diabolum trophæum baiularet, principio quidem ſuam ſibi crucem ferebat. Quandiu enim ſtabat inimicus, tenebant ipſi carnifices lignum, qui vbi lapſus, & direptus eſſet, tunc trophæum ſuſcepit Dominus, & ſibi baiulauit. Siquidem decebat victorem iam triumphantem de diabolo, non alteri concedere, ſed ſibi ſuum trophæum geſtare.* Equidem ſimul erat, & præualere hoſtes, & crucem in manibus Ieſu non apparere; vbi autem perditum hoſtes ibant, & mali incurſus cedebant; iam crux à Ieſu aſſumebatur, de cuius manibus habebat, vt perditioni datos hoſtes oſtenderet. Et quando crux cum Ieſu apparuit, & vniuerſa mala non abeunt? Prouerb. 30. ait: *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoco. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper terram, viam nauis in medio maris, &c.* Et quis neget difficilem eſſe viam nauis in medio maris? Nec facilior eſt hæc via nauis in medio mari; ſi per nauim intelligatur Eccleſia; quæ quidem magnis hinc inde agitatur fluctibus; ſed nunquam non de omnibus victrix egreditur. Et vnde nauis hæc ſic ſemper de fluctibus triumphat, & ventis? Ait D. Amb. lib. de Salomone, cap. 4. *Nauem adæque Eccleſiam debemus accipere in ſalo mundiſtius conſtitutam, quæ*

Ioan. 19.

Matt. 27.

D. Athan.

Prou. 30.

D. Amb.

crebris ventorum flatibus, id eſt, tentationum plagis, & verberibus fatigatur, quam turbidi fluctus, id eſt, huius ſæculi poteſtas conatur ad adſaxa perducere. Quæ & ſi undarum fluctibus, ac procellis ſæpe agitatur, tamen nunquã poteſt ſuſtinere naufragium, quia in arbore eius, id eſt, in cruce Chriſtus erigitur. Non præualent ſæculi mala aduerſus eum, qui ſub eracta Chriſti cruce militat. Populus Iſraelita egrediens de Ægypto à tergo timebat exercitus Pharaonis, qui fugientes perſequebatur; à fronte habebat frementes maris fluctus. Quid interea faceret? Exod. 14. ſic dominus monebat Moyſem: *Tu autem eleua virgam, & extende manum tuam ſupermare, & diuide illud, &c.* & vnius virgæ eleuatione ceſſerunt fluctus Iſraelitis, & hoſtes omnes perierunt in fluctibus. Ex quo monebat D. Amb. in Exort. ad Virg. *Verſate manibus veſtris crucem domini Ieſu, & in veſtris eam operibus ableuantes, calcate mundi huius profundum, & pertranſite, vt ille ſicut equus adhinniens ad libidinem, nullum locum inueniat in vobis, & quicumque voluerit perſequens comprehendere vos; demergatur.* Sic mali vniuerſi incurſus demergentur, & euaneſcent, in conſpectu eius, qui ſub cruce Ieſu viuat. Etenim poſt diluuium ait Gen. 7. *Remanſit ſolus Noe, & qui cum eo erant in arca.* Peteuntibus omnibus ſub verbere fluctuum, ſolus Noe cum ſuis beneficio ligni areæ euaſit pericula. Vt merito ibi agnoſcamus virtutem, & victoriam crucis; cui apto verba D. Baſil. Sel. orat. 5. arcæ dicta: *O arca paradiſo firmior! Illic lignum fuit mortis inſtrumentum, hic lignum ſalutis fuit gubernaculum. O Noe me hominum progenitor Adamo anteferende. O qui tutior diuinæ bonitatis fidei inſſor, illuxiſti. O qui graſſantem per genus humanum execrationem ſtitiſti.* Vbi lignum lego, quod ſalutem aſſerat, & execrationes expuat, virtutem dominicæ crucis ſtatim meditor, cuius in cõſpectu vniuerſa mala euaneſcunt.

Exod. 14

D. Amb.

Gen. 7.

Baſil. Sel.

§. XII.

Diuina monita non ſunt nimis examinanda, ſed ad amuſſim exequenda.

NON Poſſum non mirari candidiſſimam mentem Ioſue erga Deum, in certaminis medio, vbi incitãdus erat vt hoſtes valide impeteret, hoc enim audit ex Deo, quod haſtam cum ſcuto leuet verſus Hai, non quod irruat, non quod feriat. Et confeſtim ipſe alijs omiſſis, hoc vnum attendit, vt ſcutum leuaret, dicit enim: *Cumque eleuaſſet Clypeũ ex aduerſo ciuitatis, &c.* Ad quid, ò bone eleuatio clypei pertinet? Non ad commonendos inſidiatores, vt bene probat noſter Serarius quæſt. 6. nec ad feriendos hoſtes, nec ad excitandos ſotios. Ad hæc enim magis conduceret, quod tu primus irrueres in hoſtes, eoſque acriter, & fortiter percuteres. Quando ergo magis cõducere videbatur, quod pereuteres hoſtes, cur occuparis in ſolo leuando clypeo? Cur pateris hærere in tenenda erecta haſta, cũ deberes gladium exerere, & deluſos arte hoſtes conterere? Rem à Deo mandatam ipſe tantum curat exequi, non examinare; quod vtinam omnes obſeruaremus, vt abſque vana inquiſitione diuina monita exequeremus. Matth. 2. poſt quam Magi diuinum puerum cognouerunt, & adorauerũt; *Reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionẽ ſuam.* Et mirabar, quod tam facile perſuaderentur nouam, & incognitam ſibi viam arripere, cum poſſint facilius per iam notam in ſua reuertere. Cur non magis obluctantur monenti? Cur non petunt ſibi declarari inconueniens in redeundo ad Herodem? Sed boni monita Dei ſentientes non examinant ſed ſtatim exequuntur. Ait D. Thom. in cat. ex Chryſoſt. *Intuere autem Magorum fidem, qualiter non ſcandalizati ſunt in ſe ipſis dicentes: Si magnus eſt puer hic, quæ neceſſitas fugæ eſt, & occultæ receſſionis? Hoc enim eſt vere fidei non quærere cauſas eorum, quæ vere præcipiuntur, ſed ſua deriſolum ab eis.* Simile faciat, qui errare nolit, & cũ accipit monita ex Deo, putet à ſe non curioſe examinanda, ſed perfectiſſime exequenda. Quo ſpectat illud 3. Reg. 20. vbi ſic: *Vir quidam de filys prophetarum dixit ad ſotium ſuum in ſermone domini, Percute me, at ille noluit percutere. Cui ait, Quia noluiſti audire vocem domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumque paululum receſſiſſet ab eo, inuenit eum leo, atque percuſſit. Sed & alterum inueniens virum, dixit ad eum. Percute me. Qui percuſſit eum & vulneranit.* Duo acceperunt mandatum de percutiendo propheta, alter non putauit rationi conſentaneum, vt ipſe proximum feriret immerentem. Alter vt mandatum accepit, ſtatim hominem percuſſit, vulnerauitque. Hic liber euaſit, ille à Leone percuſſus perijt. Et cur ille perijt? Ait D. Chryſoſt.

Matt. 2.

D. Thom.

3. Reg. 20.

Chryſoſt. orat.

orat. 1. ad versus Iudæos: *Quid hoc absurdius accidere potuit? Qui percussit prophetam, euasit incolumis, qui percussit, dedit pœnas, nimirum vt intelligeres in iussis diuinis non oportere curiosum esse, examineraque rerum, quæ percipiuntur naturam, sed nihil aliud, quam obtemperare.* Sic plectitur, qui curiosus est in exeminandis mandatis diuinis, quæ quidem examen à nobis non requirunt; sed promptam executionem petunt ab his, quibus iniunguntur, & sufficienter innotescunt.

Iosue cap. 8. Viri autem ciuitatis, qui persequebantur Iosue, respicientes, & videntes fumum vrbis ad cœlum vsque conscendere, non potuerunt vltra huc, illuc que diffugere, præsertim cum hi, qui simulauerant fugam, & tendebant ad solitudinem contra persequentes fortissime restitissent. Videnque Iosue & omnis Israel, quod capta esset ciuitas, & fumus vrbis ascenderet, reuersus percussit viros Hai. Siquidem, & illi, qui cæperant, & succenderant ciuitatem, egressi ex vrbe contra suos, medios hostium ferire cæperunt.

§. XIII.

Ad magnum spectat reproborum dolorem, quod videant perire bona sua.

NON Solum facit Deus comburi ciuitatem Hai, sed & facit, quod eius ciues, qui longe ab illa stabant, imo illam post tergum habebant persequentes Iosue, incendij eius viderẽt fumum, ait enim textus: *Viri autem ciuitatis, qui persequebantur Iosue, respicientes, & videntes fumum vrbis, &c.* Qui iam, iam rapiebantur ad ruinam, coacti sunt videre fumum incendij vrbis, quam dilexerant, proqua tot subibant discrimina, quo maiore cum dolore perirent, videntes antea consummi bona sua. Apoc. 8. Sic Apocal. 18. post Babylonis incendium explicatum ait: *Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in delicijs vixerunt. Et cum viderunt fumum incendij eius longe stantes propter timorem tormentorum eius, & dicent. Væ væ ciuitas, &c.* Ecce tibi vt non solum ciuitas incenditur, sed & fumus incendij eius datur videndus ciuibus, qui longe aberant. Et cur necessum fuit, vt vel absentes perciperent fumum incensæ vrbis? Pertinet sanè hoc, non ad paruum dolorem, nec ad mediocre supplicium reproborum, quod videãt oculis suis comburi bona; pro quibus tam longa certamina subiuerant. Ait Rupert. ibi: *Quia videlicet in illa hora, cum cæperit hic mundus supremo igne conflagrari, miserum cunctis amatoribus eius dedit spectaculum, vbi non sine magno dolore perire videbunt, quæcumque cum amore nimio possederũt.* Rupert. Equidem hoc pereuntium reproborum doloribus addit sæpe dominus, quod prius sibi amata bona perire videant, pro quibus acquirendis, & seruandis multa pertulerant. Similiter inducturus dilubium dominus, quo vniuersi peccatores perirent, prouidit, vt pluuia verno tempore inciperet, ait enim Gen. 7. *Mense secundo, septimo decimo die mensis rupti sunt omnes fontes, &c.* Gen. 7. Cur verno tempore inducitur dilubium? Ait pulchrè D. Amb. lib. de Noe cap. 14. *Secundum mensem verni esse temporis non ambigitur, quando augenter nascentia, ager partum rit, terrarum partim, atque animantum fœtura sefundit. Tunc ergo fecit dilubium, quando dolor eorum maior foret, quando in sua abundantia puniebantur, tunc vltio terribilior.* D. Amb. Augetur maximè dolor pereuntium reproborum, cum simul ante se videant perire, ea, quæ amauerant, & pro quibus subierant multa. Quo spectans Isaiæ cap. 1. ait: *Erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrũ quasi scintilla, & succendetur vtrumque simul.* Isaiæ 1. Sic auxit acerbitatem supplicij ponẽs in tertio loco, quod simul ardebunt fortissimi quique impiorum, & ipsorum operã. Ex quo D. Ephæm orat. in Iouam Niniuitarum extollit calamitatem inquiens: *Et quis ex sæuo spectaculo animum retineret? Spectabant patres pulchritudinem filiorum suorum: & præmagna tristitia, effundebantur ipsis tenebræ.* D. Ephæm Equidem pulcherrimi filij simul que cætera bona euntia ad imminentem ruinam, maximè augebant dolorem, & tristitiam miserorum patrum statim etiam perituroru. Auget semper pœnam pereuntis, quod videat perire etiam carissima sibi.

§. XIIII.

Maximè reproborum supplicium, quod in perditione bonorum suorum, non inueniant pœnarum effugium.

NON Adparu am calamitatis exacerbationem dicit textus de Haiensibus ciuibus: *Videntes fumum vrbis ad cœlum ascendere, non potuerunt vltra huc, illucque diffugere.* In fumo nouerunt excidium ciuitatis, pro qua pugnarant, por qua tot discrimina subierant; & summe angebantur, quod videntes iam ciuitatẽ amissam, nullum sibi innenirent à calamitate effugium, cum quærerent illud. Quid hoc miseris reprobis durius? Videbunt bona omnia, pro quibus sudauerant redigi in fauillas, & volentes calamitatem fugere, nullũ habebunt effugium. In Babylonis ruina ait Apocal. 18. de eius asseclis dicit: *Cum viderunt fumũ incendij eius longe stantes propter timorem tormentorum eius, & dicent. Væ ciuitas, &c.* Sanè & Babylon, & eius asseclæ ad idem pertinebant supplicium; cur ergo dicuntur asseclæ Babylonis, quod videntes fumum incendij eius longe stabãt? Cur non magis dicuntur rapi ab ipso igne? Videntes miseri Babylonis fumũ, suarum deliciarum, bonorumque fauillas per voluntatem, & desiderium longe fieri volebant à tanta ruina, sed non inuenientes effugium, cogebantur eadem subire. Sic simul longe stabant per voluntatem, & euanescentibus bonis, in pœna ipsi tenebantur constricti. De quo aiebat D. Amb. ibi: *Mirum valde est, quod longe stare dicantur, cum in eisdẽ pœnis ipsi sint demergendi, in quibus & cæteri reprobi, qui per Babylonem designantur. Stabunt igitur longe mente, & voluntate, non corpore horrentes scelera sua, quibus æternaliter cruciabuntur.* Eu misera, & horribilis impiorum conditio! Erit, cũ videãt mundialia bona, delitias, & diuitias euanescere in fumum; & tunc horrentes scelera sua, quæ perpetrarunt propter illa, desiderio, & voluntate longissime stabunt ab illis, quærentes locum effugij, sed simul sese iam pœnis videbunt addictos. Euanescet deliciarum materies; euanescent voluntates ipsæ habendi illas, sed pœna inebitabilis commitabitur miseros. Dõ exemplũ in rebelli Absalom, de quo ait text. 2. Reg. 18. *Accidit autem, vt occurreret Absalom seruis Dauid sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui; & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit.* Ecce tibi, religatus ad arborem, videbat mulum, cui insederat, transeuntem; & dum mulus coram eo transiret, & penitus aufugeret, ipse manebat in pœna. Ex quo Hugo Victor. de Claustro animæ, cap. 15. ait: *Mulus autem cui insederat, pertransiuit, sed ipse quercui suspensus inhæsit, quia luxuria, & dolus, cui semper studuerat, periit, sed pœna peccati mansit.* Omnia tibi euanescent, omnia emanibus, oculisque effugient etiam illa pro quibus multum laboraueras, sola pœna te commitabitur, quam minime effugies.

2. Reg. 18

Victor.

Apoc. 18

V. Amb.

§. XV.

Iesu infirmitas validissima super vniuersas potestates mundi.

EXpende maximè illud textus: *Præsertim cum qui simulauerant fugam, & tendebant ad solitudinem contra persequentes fortissime restitissent.* Fugiebat Iosue quasi infirmus, quasi meticulosus; at dum arde bat ciuitas, à fuga conuersus fortissime resistebat persecutoribus suis. Compone modo illa duo, quod fugeret, & quod fortissime resisteret; in fuga enim apparebat infirmitas, in resistentia ostendebatur maxima fortitudo: vt iam inde præmonstraretur veri Iesu æconomia, cuius vel infirmitas fortissima fuit superomnes potestates mundi. Luc. 2. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*: cuius edicti occasione venit Maria Bethleem, vt profiteretur ibi in Dauidis familia. Quid tunc? *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.* Erat hic puerulus à Maria natus lapis ille Danielis, qui sciissus sine manibus imperia mundi erat subiecturus. Et quando lapis hic diuinissimus scinditur à Virgineo vtero, sic pauper, sic abiectus apparet, & infirmus, vt in præsepio reclinetur: quo tempore Romana monarchia adeò creuerat, vt in vniuerso orbe leges tulerit. Et cur quando congrediendum

Luc. 2.

est

est Iesu, cum Imperio Romano, hoc adeò potens proponitur, vt in vniuersum extendat suum dominium, Iesus autē adeò abiectus ostenditur, & infirmus ostenditur, vt in præsepio reclinet eum mater sua? Cur non magis apparet potens vt potentissima imperia comminuat? Et quando infirmus, & fugitiuus apparere volebat, cur expectauit apparere eo tēpore, quo fortius Romanorum Imperium dominabatur mundo? Pertinebat sanè ad clariorem diuinitatis demonstrationem eo tempore infirmū apparere, cuius vel infirmitas sufficeret, vt totā valentiam orbis concuteret. Ait Hugo Victorin. lib. 4. de Vanit. mundi: *Victor.* *Expectauit donec mundus totus in vnū vires suas conflasset imperium: & Roma victrix super regna omnia superbo fastu caput extulisset. Tunc ergo dominante superbia humilis venit, vt de sua humilitate celsitudinem mundi sterneret, manifestè demonstrans quantus in sua maiestate foret, qui in nostra infirmitate positus vniuersa subiecit.* Non opus erat Dei, quod aperto Marte, sub clara omnipotentiæ virtute cum mundiali imperio confligeret. Quid, quod subderetur mundus valentiæ diuinæ? Dissimulauit itaque diuinitatis fortitudinem, humanam infirmitatem assumpsit, vt timeret, vt fugeret, & hæc infirma Dei valuerunt conterere, & subigere imperia mundi. Sic de eodem ad mortē ducto dicit D. Leo serm. 17. de Pass. *D. Leo.* *Continuit se ab impijs crucifixi potestas, vt dispositione vteretur occulta, vti noluit virtute manifesta.* Itaque & potestas, & fortitudo in Christo sese occultarunt, præmissa carnis infirmitate, vt quæ sufficeret ad orbem subigēdum. Vt dicat ipse D. Leo ser. 18. de Pass. *D. Leo.* *Tenuit itaque dispositā mansuetudo patientiā, & cohibita famulantium sibi angelicarum virtute legionum, hausit calicem doloris, & mortis, totumque supplicium transtulit in triumphum, victi sunt errores, subactæ sunt potestates, accepit nouum mundus exordium.* Quid mirabilius? Vbi nobilis dux exercitus cœlestis manum cohibebat, ne in vindictam proditet, sed passionis infirmitatem subibat, de potestatibus, de erroribus triumphabat, & mundo. Proh infinitam Dei virtutem! Cuius infirmitas sic valet subigere vniuersas creaturas.

Iesue cap. 8. Regem quoque vrbis Hai apprehenderunt viuentem, & obtulerunt Iosue:: Qui succendit vrbem, & fecit eam tumulum sempiternum: regē quoque eius suspendit in patibulo vsque ad vesperā, & solis occasum. Præcepitque Iosue, & deposuerūt cadauer eius de cruce, proieceruntque in ipso introitu ciuitatis, congesto super eum magno acerbo lapidum qui permanet, vsque in præsentem diem, &c.

§. XVI.

Vbi Iesus est, nihil aliud suspiciendum, colendum ve.

SOlent Reges etiam captiui suspici, & coli ab ipsis hostibus: in præsenti autem Rex Hai capitur, & offertur humanissimo duci Iosue, qui illum statim suspendi mandat. Ait enim: *Regem quoque Hai apprehenderunt viuentem, & obtulerunt Iosue. Qui succendit vrbem: regem quoque eius suspendit in patibulo, &c.* Et cur optimus, & mitissimus, humanissimusque dux non magis suspexit regem ad miseriam captiuitatis redactum? Quis non barbarus, non magis afficeretur ad sic deiectam regiam maiestatem? Non barbarus, non crudelis, sed humanus, & valde comes erat Iosue; sed vt Dei spiritu agebatur, vt diuinissimi Iesu genium repræsentaret, sic non patitur præter se suspici, & coli aliud, à cordibus humanis. Vbi enim Iesus diuinissimus adest, piaculum erit, si in nostris oculis vniuersi alij splendores non intereant, & euaneant. Et quis in oculis hominum regnet, vbi Iesus adest? Actor. 1. Apostolorum oculi sequētes Iesum ascendentem, post quam ille intrā cœlum fuit clausus, remanserunt adhuc ad cœlum leuati. Quid tunc? *Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes, in cœlum?* Sic Angeli Apostolorum oculos non patiuntur in cœlum leuari. Cur boni non aspiciant Apostoli cœlum, cur nō supernos illos splendores intueantur? Equidem quorum præoculis Iesus fuerat, & in corde remanserat, non miror, quod nullus alius splendor, nec cœlum ipsum suspici permittatur. Ait D. Epiphan. orat. de Ascens. *Quid cœlum oculis defixis intuemini? Eū potius* *Actor. 1.* *D. Epiph.*

potius qui cœlum condidit mentis vestræ luminibus vsurpate, hymnisque & laudibus assumpti magnitudinem extollite, atque stupendam illius clementiam, animique demissionem summi miraculi loco ducite. Quandoquidem is ille est, qui hominem terrenum sibi consocianit, consociatumque inter cœli cives adscripsit, cœlorumque incolam constituit. Merito habentes Iesum, quem respiciant, arcentur à conspectu, & æstimatione rerum aliarum, quamtumuis spectabiles, & splẽdentes appareãt. In Iesu omnia habemus affluenter, cur patiamur, vel cœlum in oculis nostris regnare? Cant. 3. *En lectulum Salomonis, Septuaginta ambiunt.* Et mirabar, quam simpliciter lectulus Salomonis proponatur, nullo eius explicato ornatu. De throno Salomonis multa dicuntur. 3. Reg. 10. & de ferculo in præsenti etiam multa narrantur; vt columnas argenteas habeat, vt reclinatorium aureum, vt ascensum purpureum. In lectulo nullus explicatur ornatus. Et cur? Ait Gellib. Abb. serm. 16. in Cant. *Quid tamen est, quod de ipso lectuli nobis apparatu nil dicit? Et thronum lego Salomonis, & ferculum: sed vtrumque ambitioso structum apparatu, & sicut regias decet delitias. Nũquid lectulum intelligimus neglectum? Absit, sed sufficiebat, vt lectulum diceret, qui sponsæ loquebatur. Illa enim nihil in lectulo diligit, nisi quod lectulus est: & quod in eo copia sit suum amplectendi Salomonem.* Sanè quæ anima vere sponsa est Christi nihil aliud amat videre, nec audire nisi Christum. Vbi Christum potest habere; cæterorum nec mentionem sibi sustinet fieri. De Iesu manu habet homo, quidquid por hac, & pro æterna vita sibi putauerit optimum, cur ergo miretur, suspiciatque aliud? Ideo monebat ipse Iesus Luc. 9. *Si quis vult venire post me, abneget semet ipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Vt quid necessum est tolli crucem ad Iesu sequelã? Vt creata omnia in oculis nostris regnantia suspendantur ibi, soluſque Iesus à nobis suspiciatur. Quæ verba explanans D. Amb. lib. de Fuga sæcul. cap. 2. ait: *Venit plenitudo, reliquiæ cessabunt, Christus enim omnes vocat. Omnibus patet, vt omnes sequantur, omnibus regnum propositum, & vita æterna. Ergo cui Deus portio est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere.* Quidquid Deus non est, cruce substollendus est tibi, si Iesum fructuose sequi velis. Quidquid enim alijs suspiciendis impendis potius ad damnum, quam ad lucrũ pertinet. Matth. 20. Pater familias egrediens conducere operarios aiebat: *Quid statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos cõduxit.* Quos homines otiosos inuenit putarim esse, qui vanitatibus sæculi operam impendunt, qui à suis maioribus deducuntur, vt purpuras, & splendentes dignitates spectent: Quippe ait Hugo Victor. lib. de Clausstro animę cap. 14. *Tota die otiosi stant, qui omni tempore vitæ suæ cessantes à boni opere in foro vanæ gloriæ torpentes perseuerant. Audiant tamen prælati causam otij; Nemo, inquiunt, nos conduxit. Non episcopi, non præsbyteri populum, non Abbates, non Priores conuenit ùm. Quo enim conducerent? Ad quærendum forsitam honorem, non ad laborem; ad curiam, non ad vineam.* Otiosos sanè faciunt Prælati subditos, quando illos sic ducũt, & cõducunt, vt honoribus acquirẽdis inhiẽt, vt Regias anxie spectent. Qui autem boni Prælati sunt, non honorem, sed laborem, non Regiam, sed vineam, non mundum, sed Christum suspiciendum proponunt, & colendum.

Victor.

§. XVII.

Ambitiosorũ casus nemini miserandus accidit.

REtulimus supra Hiericò excidium, in quo vniuersi illius ciuitatis habitatores extincti sunt, nihil tamen ibi Regi factum legitur singulare; cum autem huc peruenio, video Regem Hai suspendio extinctum, ingentique ludibrio depositum à cruce cadauer, & proiectum ad portam ciuitatis. Ait enim; *& deposuerũt cadauer eius de cruce, proiecerunt que in ipso introitu ciuitatis, congesto super eum magno acerbo lapidum.* Sic & mortuus, & viuus ludibrio est rex Hai, & non rex Hiericho. Sed cur non magis misereſcit Iosue istius regis? Impius erat Iehu, qui tamen post præcipitatam Iezabel ait 4. Reg. 9. *Sepelite eam, quia filia regis est*: Sic vel impius dux rationem habuit regij sanguinis in exosissima sibi fœmina, vt saltem illi honorem sepulturæ mandaret. Cur ergo Iosue in Rege Hai nullam rationem habuit regis, sed eum, & infami supplicio subſtulit, & ludibrio exposuit, & proijci mandauit ad portam ciuitatis, ibique acerbo lapidum operiri? Hic rex prima victoriola, quam de Israelitis reportauerat cap. 7. insolentior factus, maximè eleuabatur, & præsumebat similiter de reliquis omnibus triumphare, ipsique Iosue, ac Deo ipsi insultabat. Ex quo non miror, quod casus eius nemini accidat miserãdus,

4. Reg. 9.

sed

sed magis ludibrio habeatur. Sic enim ambitiosorum, superborumque casus apud omnes non tam miserationem, quam ludi-
Nazian. brium habent. Quo spectans D. Nazian. orat. 14. ait: *Deficit enim anima mea propter eos, qui trucidantur: quos quidem non gladius, aut fames, sed gloriæ, & imperij amor sauciauit, ita vt qui cadunt non miserationem magis, quam odium sui excitent.* Eu sors ambitiosorum execranda! Nullus latro, nullus sacrilegus in casu suo, in supplicio suo non facit miserationem spectantibus. Solus superbæ ambitionis reus, qui gloriæ amore eleuatur, cum cadit, non miseratiom, sed odium
Isaias 14. excitat, imo & plausus. Ait Isaias cap. 14. *Contriuit dominus baculum impiorum, virgã dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga insanabili, subycientem in furore gentes, persequentem crudeliter. Conquieuit, & siluit omnis terra, gauisa est, & exultauit: abietes quoque lætatæ sunt, &c.* Ecce tibi incontritione virgæ dominantis, sesequè super omnes efferentis, & terra, & montes, & syluæ sestum agunt, tantum ab est, vt doleant miserandũ casum; quin in lætitiam, & gau-
Psal. 51. dia abeunt, & plausus. Quo spectat Psal. 51. *Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrauit de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt: & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum. Sed sperauit in multitudine diuitiarum, & prænaluit in vanitate sua.* Expende illud, & *super eum ridebunt*; quando enim calamitas vel latronum miserationem videntium trahit; calamitas eorum, qui prævalent in vanitate, & mirum in modum se extollunt, risum & sibilorum materiam facit. Quod similiter accidit superbissimæ
Ezec. 27 Tyro, de qua Ezech. 27. ait: *Nunc contrita es à mari, in profundis aquarum, opes tuæ, & omnis multitudo tua, quæ erant in medio tui cecidert.m. Vniuersi habitatores insularum, obstupuerunt super te: & reges earum omnes tempestate percussi mutauerunt vultus. Negotiatores populorum sibilauerunt super te.* Sic superborum, ambitiosorumque ruina nusquam compassionem generat, sed magis trahit risum, & sibila.

Iosue cap. 8. Tunc ædificauit Iosue altare domino Deo Israel in monte Hebal, sicut præcepetat Moyses filijs Israel, & scriptum est in volumine legis Moysi: Altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum nõ tetigit, & obtulit super eum holocausta domino, immolauitque pacificas victimas. Et scripsit super lapides deutheronomium legis, &c.

§. XVIII.

Gratus diuinis beneficijs semel acceptis, illa maximè in posterum confirmat.

IN Principio bellorũ erat Iosue, duas tantum expugnauerat vrbes, restabãt multæ aliæ bello capiendæ, & iam dicitur obtulisse hostias pacificas. Ait enim: *Tunc ædificauit Iosue altare domino: & obtulit super eum holocausta, immolauitque pacificas victimas.* Et cur pacem meminit, cum adhuc in initio esset belli? In procinctu est aduersus imminentes hostes, cur iam quasi de pace comparata victimas offert? Qui primis acceptis à Deo beneficijs in expugnatione duarum vrbium, sic gratus extat, vt altare ædificet Deo, eiusque laudes prædicet, merito in posterum pacem, & victoriam sibi iam confirmatam præsentit. Qui enim hostis valeat aduersus hominem gratum Deo? Mihi crede, vniuersa mala illi cedent. Sic Dan. 3. vbi pueri Hæbræi *Dan. 3.* renuentes adorare statuam auream in caminum missi sunt, descendit Angelus domini, *& fecit mediam fornacem quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quicquam molestiæ intulit. Tunc hi trẽs quasi vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace dicentes, &c.* Adhuc erãt in fornace, septi vndique flammis, & iam conuertuntur ad laudes Dei, & ad faciendas gratias de flammis superatis. Cur non magis expectant, vt ex fornace extrahantur, vt penitus sint extra flammas ad hoc, vt pro beneficio gratias agant? Sanè vbi primum senserunt beneficium in refrigeratis flammis, non differunt ostensionem grati animi, sed statim se conuertunt ad Dei laudes, quo sic se gerunt securos, quasi iam prorsus essent extinctæ flammæ. Vt merito dicat D. Cy-
Cyril. Al. ril. Alex. hom. habita tom. 6. Conc. Ephes. cap. 12. *Cum autem adolescentuli illi cœlestis auxilij præsentiam animaduertissent, in ignis camino psallebant, diuinisque laudibus flam-*

marum

marum æſtum ſedabant. Vbi præſentiſsimũ Dei auxilium in primo ingreſſu ſenſerunt, ſtatim in Dei laudes ſeſe excitarunt; quo totum in poſterum flammarum impetum ſedarunt, adeò vt medijs illis, ſic ſecuri, & læti eſſent, quaſi iam illas ſuperaſſent. Obſtruitur ſanè malorum aditus, cum primum apparet animus diuinis beneficijs gratus, qui eis ſiue in victimis, ſiue in voce laudis rependat gratias. Inuenio in Exodo mare apertum populo Iſraelitæ, vt illum incolumem duceret, ſed quod ſimul claditur, vt obruat Ægyptios perſequentes Iſraelem. Quod vbi peractum eſt, ait textus, cap. 15. *Tunc cecinit Moyſes, & filij Iſrael carmen hoc domino*, & rurſus addit: *Sumpſit ergo Maria prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua, &c.* Sic Moyſes cũ viris, Maria cum fœminis, hymnis, & canticis ſacrificia laudis Deo reddunt propter victoriam partam. Et quid inde? Ait D. Zeno lib. 2. ſerm. 14. de Exodo: *Iter Iſraelis barbaris vehementer vrgentibus, nec eques poteſt ſequi, nec nauis. Maria cum mulieribus tympanum quatit, hymnus canitur, Dei populus liberatur, reſolutiſque vndis via cum perſecutore deletur.* Expende hæc vltima nimirum; *Via cum perſecutore deletur*; vbi enim ſic grati inueniuntur Iſraelitæ celebrantes acceptum beneficium in ipſo littore maris, non ſolum perſecutor obruitur, ſed & via prorſus occluditur, ne ad illos accedat aliquod malum. Nullo citius tibi Deum benefactorem obſtringes, confirmabis, vt viam obſtruat malis, vt fauores, & auxilia æternet, quam ſi vel ad primum fauorem, non differas illi referre gratias. Adeo, vt Dei non continuantis beneficium experientia pene euidens indicium ſit ingratitudinis humanæ. Exod. 33. aiebat dominus: *Mittam præcurſorem tuum Angelum vt eyciam Chananæum :: Non enim aſcendam tecum, &c.* Dux fuerat ipſe dominus populi vſque tunc: at modo ſe ſubtrahit à ducatu, præmittit tamen Angelum ſuum, qui ducat eos, paretque illis triumphos, & victorias de Chananæis. Sed cur dominus ducatum populi ſui, quem ab initio ſibi aſſumſerat, eum modo Angelo concedit? Cur maluit, vt Angelus conficeret ducatum, quem ipſe inceptauerat? Conceſsit populi ducatum Angelo, vt in introductione noui ducis, oſtenderetur populus primo ingratus. Nullo enim clarius oſtendebatur populus ingratiſsimus Deo ſibi præſenti extitiſſe, quam in eo, quod Deus à beneficio ſui ducatus ceſſauit. Ait D. Zeno lib. 2. ſerm. 11. de Exod. *Angelus præuius tua caſtra præmouit, vt etiam præſenti Deò probareris ingratus.* Duraret equidem Deus in præſentiſsimo auxilio ducatus ſui, ſi populus gratus eſſet in beneficio tanto; at populi ingratitudo interrupit beneficia diuina, & perdens Deum ductorem, accepit Angelum. Vt diſcant, qui voluerint, ſibi beneficia diuina æternare, vt debeant eſſe Deo in primis grati.

D. Zeno. Exod. 33. D. Zeno.

§. XIX.

Ieſus in humilitate, & abiectione, non in mundiali, & peritura gloria conſpicitur.

ALtare erigit Ioſue domino de lapidibus impolitis, ait enim text. *Altare vero de lapidibus impolitis, &c.* In quo & Cartuſ. & Orig. totam Ieſu agnoſcunt æconomiam, qui in impolitis, & rudibus, hoc eſt, in abiectis, & humilibus conſpicitur, non in glorijs mundialibus, & caducis. Aiebat Paul. 2. ad Cor. 3. *Miniſtratio mortis literis efformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur, &c.* Itaque gloria euacuanda vultus Moyſi arcebat Iſraelitas, ne poſſent eius videre faciem. Et cur Deus eam gloriam contulit faciei Moyſi, propter quam non poſſent Iſraelitæ eius videre, & agnoſcere faciem? Oſtendebatur enim ibi cauſa ob quam non eſſet agnoſcendus Ieſus ab illis, nimirum ob gloriam temporalem, quã ipſi ſpectarent. Ait enim D. Aug. lib. 2. contra Aduerſarios legis: *Quod autem dictum eſt de Moyſe, quod non poterant intendere filij Iſrael in faciem eius propter gloriam vultus eius, ſignum erat, quia in lege Chriſtum intellecturi non erant.* Sanè hæc gloria futilis, & tranſitoria mũdi in cauſa eſt, quod Chriſtus non videatur, nec agnoſcatur, qui cõſpicuus eſt in abiectione, & humilitate. Qui ad honorum mundialium ſplendores, & glorias volunt attendere, non mirum eſt, quod Ieſum non conſpiciant, qui in impolitis, & abiectis, & vilibus clarius manifeſtat diuinitatem ſuam. Aiebat Zachar cap. 3. *Oſtendit mihi dominus Ieſum Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo domini, & Satã ſtabat à dextris eius; vt aduerſaretur ei:: Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis.* Hæc Zacha-

2. Cor. 3. D. Aug. Zachar. 3.

Zacharias ibi, de Iesu Sacerdote magno; & quidem Sacerdotis magni erat indui splẽdidissimis vestibus, fulgere in diademate aureo. Cur modo ostenditur Sacerdos magnus indutus sordidis? Erat hic Sacerdos magnus Iesus meus, qui non in auro, non in gloria, sed in sordidis & vilibus magis apparet expugnaturus diabolum. Hinc Angeli, vt posit hic Iesus inueniri, & cognosci, sic dicunt pastoribus Luc. 2. *Hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuoluntũ.* Luc. 2. Quale hoc signum ad inueniendum mundi reparatorem? Pulchre ait D. Bern. serm. 4. in Nat. *In signum positi sunt panni tui domine Iesu. Agnosco certe agnosco Iesum magnum Sacerdotem, sordidis opertum vestibus, dum alterearetur cum diabolo.* D. Bern. Dum militãdum est, non inuenitur Iesus, nec agnoscitur magnus ille Sacerdos secundum ordinem Mechisedech nisi in sordibus, & vilibus, & abiectis. Qui non splendidum, sed impolitum, & pannosum aspicit, is facile agnoscet Sacerdotem magnum Iesum, qui triumphet de diabolo. Vt dicat D. Aug. serm. 9. de Nat. *Multi quidem contemserunt humilem Christum, & non peruenerunt vsque ad altitudinem Christi. Qui autem adorauerũt humilem, inuenerunt excelsum.* D. Aug. Sic Iesus ab abiectione, & humilitate claret. De quo multa diximus, 1. tomo in Euang.

§. XX.

Iesu à mitibus, & pacificis inuenitur.

NEc non & notanda est illa alia circunstantia, quam requirit Iosue in altari suo, nimirum: *Altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit*: vt enim Iesus amat mites & pacificos, sic respuit ferreos, nihilque meditantes nisi bellum, & mortem inferre. Quis ignoret ferratum illud Iudæorum agmen, quod venerat, vt Iesum comprehenderet? Tamen illis obuiam factus Iesus Ioan. 18. ait illis: *Quem quaeritis?* Ioan. 18. Nec vllus in tota ferrata illa manu inuentus est, qui agnosceret interrogantem illum esse, quem quærebant. Et vnde accidit tanta cæcitas, quod notissimum, & cantatissimum virum præoculis habitum non agnoscerent? Ferrati venerant, vt eum perderent, vtinam mites, & pacifici venissent, & vel à longe Iesum esse præscirent. Quo spectãs D. Hieron. de vera Circumcis. ait: *Eum infirmi, ac debiles ad deposcendam opem salutis nullo monstrante cognoscunt, & persecutores, vel inimici, quem tenere debeant, nisi prodatur, ignorant.* Hieron. Non egent infirmi, & debiles monstratore, vt inueniant Iesum, vbi illum miti animo quærunt in salutem; at ferrei homines, qui perdere festinant, minime inueniunt, nec agnoscunt illum. Hinc Luc. 2. dicebatur pastoribus: *Inuenietis infantem, &c.* & de Magis dicitur Matth. 2. *Inuenerunt puerum, & Mariam matrẽ eius,* Matth. 2. quẽ Herodes perquirens minime inuenit. De quo locutus Euseb Gallican. hom. 1. de Epiphan. ait: *Ecce cuius terra, & cœlum ostendebant aduentum, qui pastorum non latebat simplicitatem, quem Magi de extrema venientes Æthiopiæ parte cognoscunt: solus ad illum non potest rex sacrilegus peruenire.* Euseb. Vnus rex, qui ferratus quærit Iesum, vt illũ perimat, non illum inuenit; quando & terra, & cœlum illum venisse publicant; quando mitissimi, & simplicissimi pastores, & à longinquo venientes Magi illum inueniunt, suisque visceribus excipiunt.

§. XXI.

Lex Christi non in lapide, sed in corde proficit.

LEx Moysi contenta est, si in lapide scribatur, & in primis cum dabatur, in lapideis tabulis scribebatur, & modo etiam inscribitur lapidi. Sic enim ait: *Et scripsit super lapides Deuteronomiũ legis Moysi, quod ille digesserat coram filijs Israel.* Quam legẽ Moyses digesserat, in lapidibus sculpit, quam autem Christus tulerat, in cordibus scribenda est. Vt dicat Paulus 2. ad Cor. 3. *Epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non attramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* 2. Ad Cor. 3. Masaicum est, si solum gaudeas Christo lapidi, tabulæ ve insculto; non equidem qui vel tabula scriptum, vel lapide scultum habet Christum, ille beneficum sibi Christum experitur, sed qui in corde illum habet. Mille habeas lapideas, ligneas ve tabulas, è quibus Christus effulgeat, si illum in corde non habes, nihil accipis ex illo. Ioan. 18. video Iesum sic ligari, & necti, vt non porrigat manum, ait enim textus: *Ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum.* Ioan. 18. Et quis valuit sic diuinissimi Iesu manus ligare, ne etereq; ne ad benefaciundũ extendanturẽ

D. Leo. Pulchrè ait D. Leo serm. 18. in Pass. *Comprehendi se a persecutoribus patitur, qui continet mundum, & eorum manibus nectitur, quorum corde non capitur.* Qui aperiens manum suam implet omne animal benedictione; sustinet ligari, & necti, ne manum extendat, nequid benedictionis largiatur. Sed aquibus sic ligari patitur? Ait ille: *Quorum corde non capitur*; vbi enim Iesus in corde non sit hominis, sic ligatur, & nectitur, vt minime ad benefaciendum extendat manum. Proh infelicitatem hominis, qui totus est in imprimēdo Iesu tabulis lapideis, aut ligneis, siue in eius legibus exarandis, nec curat illum corde tenere; is sanè Christi manus sic ligat, vt nihil ab illis capiat. Et quid habeat ex Deo, qui Iesum in corde non habet? Paul. ad Gal. cap. 4. *Misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba pater. Itaque iam non est seruus, sed filius, &c.* Vt hominibus Deus daret & adoptionem, & libertatem filiorum, hoc medio efficacissimo vsus est, nimirum misit incorda ipsorum Spiritum Christi filij sui. Non enim aliter aliquid ex Deo recipere possemus, nisi incordibus nostris Christum habeamus. Vnde ait D. Athanas. orat. contra Arianos: *Certe in quorum cordibus non est filius, horum pater Deus nominari non potest.* Hoc curet homo, vt incorde habeat Iesum, incorde habeat Dei filium, si velit adoptionem, & libertatem filij ex Deo accipere, qua Deum nominet patrem. Nisi enim filium Dei incorde habeat, nihil ex Deo accipit. Hoc ergo maximè curet homo, ne totus sit solum in insculpendo Iesu lapideis, siue ligneis tabulis, sed hoc curet magis, vt eum incorde habeat, quo & in numera bona, & filij adoptionem ex illo capiet, & in bonis acceptis illum passim experietur patrem.

Paul.

D. Atha.

CAPVT VNDECIMVM
Gabaonitarum fœdus.

Textus Historia.

IVM Illa in Hai geruntur, quę in vicinio degebant ciuitates, minimè à consortio cladis feriabantur. Auditis enim, quæ gesta ab Israelitis fuerant in Hai, & Hiericho perterrita Gabaon salutē suam noluit credere munitionibus suis, sed arti. Exierunt inde viri, qui attritis vestibus, commeatusque vetustate longissimam cōfectisse viam simulabant. Hi perrenientes Galgalam, morantem ibi Iosue conueniunt, cuius ante Iordanem victorijs commotos se venisse confingunt à terris longissime positis, vt cum tanto viro fœdera ineant pacis. Laboriosæ, diuturnæque viæ testimonium prætendunt vestes & lazeras, & pal ueralentas, attritos calceos; annonæ que duritiem, & vetustatem in pertusis saccis. Placuit Iosue afflictus hominum labor, nec distulit tam libentibus sotijs concedere postulata, & gustatis eorum cibarijs, inconsulto domino, non solum ipse, sed & omnes Israelitæ proceres pacem illis iurarunt. Non diu latuit fallacia, sed die tertio Gabaonitarum finibus accedens Iosue, comperto extorti fœderis dolo, iuramenti religionē minime violare fuit ausus. Vt autem murmur populi sui sedaret; vocat Gabaonitarum primos; illosque cogit intentatæ fallaciæ pœnas dare, in eo. quod vilibus officijs cædendi ligna, aquasque comportandi, Israelitico populo operam nauent.

PARS MORALIS
circa textum.

PRæclarus Iosue dux vt sciuit minimè hostibus parcere; sic docet fidem illis semel datam seruare. A religione enim iuramenti, & promissorum fidelitate superari debet dux, qui amat viribus esse insuperabilis.

Iosue 9. Quibus auditis, cuncti reges trans Iordanem, qui versabantur in montanis, & campestribus, in maritimis, ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant iuxta Libanum. Hetthæus, & Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, & Hæbæus, & Iebusæus, congregati sunt pariter, vt pugnarent contra Iosue, & Israel vno animo, eademque sententia. At hi, qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Iosue, Hiericho, & Hai, & callide cogitantes tulerunt sibi cibaria, saccos veteres, &c.

§. I.

§. I.

In diuini obsequij prosecutione multos aduersus te inimicos excitas.

AVditis Iosue progressibus quinque finitimi reges aduersus illum prosiliunt in bellum, de quibus ait textus: *Congregati sunt pariter, vt pugnarent contra Iosue, &c.* Quæ enim prælia inimicorum in se nō excitet, qui in diuino obsequio progressus facit? Numer. 35. agens de mansionibus filiorum Israel ait: *Profectique de mari rubro castrametati sunt in deserto Sin*: Itaque filij Israel post summersos Ægyptios, post mare rubrum, in deserto Sin fuerunt castrametati. Sin autem idem est ac rubus, aut odiū; duo hæc nimirum rubus, & odium per vocabulum Sin significantur. Nec miror, vt enim rubus in illo deserto Deum in se habuit, tantumque sub Deo profecit, vt minime combureretur medijs flammis, sic non potuit odium mundialium potestatum sibi non associare. Quis profecit in Dei obsequio, & mundi odium non est passus? Ait D. Hier. epist. ad Fabiolam in Mansione 8. fatus: *Sin autem interpretatur rubus, vel odium, quorum vtrumque facit ad mysticos intellectus, quod post quam venerimus ad eum locum, de quo sit nobis dominus locuturus, grande odium mereamur inimici, Tunc videbis ardere rubum, & non comburi; inflammari Ecclesiam persecutionibus, & non perire.* Sequitur semper odium mundi Dei propinquitatem: vt Deo appropinquas, vt vitia perdis, vt virtutem adstruis, necessum est, vt malorum odium in te trahas. Adeo, vt ex quo tractaueris de expellendis vitijs, simul debeas tractare de tuendo te aduersus insurrectura inimicorum mala. Quo spectans Psal. 34. clamat: *Iudica domine nocentes me, impugna expugnantes me. Apprehende arma & scutum.* Nunquam in Dei causa arma summenda sunt, quin scutum sit necessarium. Nunquam pro virtute puguas, quin tot in te odia excites, pro quibus repellendis sub scuto te debeas tutari. Ait Saluian. lib. 3. de Guber. Dei. *Apprehende scutum, & corripe gladium; scutum ad protectionem, gladium ad vltionem*: Stultus sane est, qui non præuenit scutum, vbi aduersus vitia pro virtute strinxit gladium. Nunquam pro Deo, & virtute gradum fa-

cies, quin egeas scuto, quo te protegas à mille in te iactis hostilibus iaculis. Sanctissimus erat Iob, multisque virtutibus clarus proficiebat, adeo vt de illo diceret Deus, cap. 1. *Quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo.* Sed quis prælia aduersus eum à diabolo excitata memoret? Nec miror vbi enim pro virtute stetit, necessum erat in se excitare omnes potestates inferni. Ex quo ait Diu. Chrysost. hom. 5. in Iob: *Igitur si quando virum iustum, magnorum operum profectu fulgere videris, multisque sub esse malis, ne mireris. Nam à diuerso mirari oportuerat, si multas accipiens diabolus plagas, taciturus fuisset, mansuetoque vulnera perlaturus.* Quod pro virtute, & Deo stans multa excipiat aduersariorum tela, non magis mirum est, quam quod gladio hostem petens hostiles etiam impetus debeat sustinere. Quot enim facis in virtute progressus, tot vulnera Diabolo infers, & ipse tacebit, & ipse quietus erit? Imò mirandum est, si inte orbem non commouerit vniuersum.

Iob 1.

Chrysost.

§. II.

Impij in hoc vno conueniunt, quod iustum perdant.

QVinque valde inter se diffiti reges aduersus Iosue, & Israelem conueniunt, ait enim: *Congregati sunt pariter, vt pugnarent contra Iosue, & Israel, vno animo, eademque sententia.* Hoc est Impiorum ingenium, vt in hoc vno vnanimes, & ad amussim concordes sint, nimirum vt iustum perdant: Iob 1. venit nuntius dicens: *Filijs tuis filiabusque vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos.* Vnus ventus dicitur venisse, & concussisse quatuor angulos domus; si vnus erat, ventus à deserto veniens quomodo potuit concutere quatuor angulos domus? Nullus enim ventus potest concutere, nisi solum angulum correspondentem parti, qua ipse venit. Quod si à quatuor ventis tempestas veniebat, vt quatuor angulos domus simul impeteret, cur dicitur vnus venisse ventus? Equidem vt tempestas erat malignantium spirituum, merito dicitur in illa & vnus, & quatuor contrarij, & dis-

Iob 1.

& diuersi venti; quia mali etiam si diuersi, & contrarij sint inter se, sicut quatuor venti, tamen in vnum conueniunt, vt iustos perdant. Orig. Ait Orig. lib. 1. in Iob: *Per quatuor partes accurrentes, quatuor angulos tetigerunt ob hoc; vt suam inconsonãtiam adque aduersus inuicem contrarietatem ostenderent. Nam ad iniquitatis perfectionem omnes sibi concordant, cum inuicem sibi discordes sint, atque contrary.* In se adeò discordes erant maligni, vt alter alterum à sua parte expelleret, & cogerentur per diuersas, & contrarias partes domum impetere. Sed qui sic à se inuicem discordabant, in perdenda iustorum domo adeò concordabant sibi, vt multi eorum quasi vnus viderentur. Sic sic diuersissimi, & contrarissimi inter se impij, conueniunt in vnum ad iustos perdendos. Act. 23. Actor. 23. conuenerant Simul Pharisæi, & Saducæi in concilio, vt Paulum damnarent; quos in contrarias opiniones, imò & pugnas Paulus diuisit, dicens se accusari de resurrectione mortuorum; quæ doctrina Pharisæorum, erat Saducæis prorsus contraria. Quid tunc? *Et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere, & rapere eum de medio eorum.* Vbi vidit tribunus Pharisæos, & Saducæos dissidẽtes, magis timuit Paulo ab illis, & illum in tuto cõstituit. Et cur non magis credidit illorum dissensionem, & contrarietatem Paulo profuturam? Nonne dũ rabidissimi hostes Pauli inter se dissidebant, belligerarẽtque, certiorem Paulo effugij finerent locum? Non equidem iusto viro contrarietas impiorũ proficit; quantũcũq; enim inter se impij dissideant, & pugnent, in eo semper maximè Matth. 6 conueniunt, vt iustũ perimant. Sic Matth. 9. dicit: *Accesserunt discipuli Ioannis dicentes: Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Discipuli Ioannis maximè auersabantur Pharisęis, quos Ioannes vocauerat viperarum genimina; cur modo sibi Pharisæos associant? Cur exosis adeò viperis modo communicant? Res modo erat contra Christũ, & eius discipulos, aduersus quos vel contrarissimi quique vniuntur. Chrysol. Ait D. Chrysol. serm. 31. *Cum discipulis Ioannis, quæ societas Pharisæis? Nisi quia iunxerat iniuria, quos disiunxerat disciplina. Iudæi postponi Moysi dominum non ferebant, discipuli Ioannis Christũ nolebant Ioanni vllatenus anteferri: sic in Christum fremebant vtrique liuore communi.* Quã tumuis in se erant contrarij Pharisæi, & Ioannis discipuli, vbi ad Christum ventum est, vnanimiter sæuiebant in illum.

§. III.

Magna est gloria hominis, qui eosdem cum Iesu persecutores patitur.

NOtanter textus dixit nationes armari non solum aduersus Israelem, sed & aduersus Iesum; ait enim: *Vt pugnarent contra Iosue, & Israel, &c.* Sufficeret dicere, quod pugnarent contra Israelem, sed maluit in primis addere, & contra Iosue; vt inde maximè Israelem leuaret, qui cum tanto duce eosdem patiebatur contrarios. Et nobis non paruam gloriam crearet, qui non cum Iosue, sed cum vero Iesu Dei filio aduersarias potestates patimur. Sapiẽter enim aiebat Nazianzen. orat. 13. *Hoc enim ex omnibus, quæ patimur, illustrissimum, & magnificentissimum est, quod cum Deo periclitamur.* Nazian. Sanè non potest non facere ad magnam hominis gloriam, quòd socius Iesu sit in sustinendis hostibus, in excipiendis aduersariorum iaculis. Dicebat Iesus Matth. 10. suos ad persecutiones armans: *Non est discipulus super magistrum, nec seruus supra dominum suum. Sufficit discipulo, si sit sicut magister, &c.* Matt. 10 Expende illud; *Sufficit discipulo*, quasi dicat, satis gloriæ, satisque excellentiæ Christi discipulo, & seruo est, si habeat talem tantumque magistrum Iesum comparem in laborum, persecutorumque sustinentia. Ex quo ait Tertul. Aduersus Gnosticos: *Cũ magister, & dominus ipse perpessus sit persecutiones, & traditionem, & occisionem, multo magis serui, & discipuli eandem expendere debebunt, quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari passionibus domini, & magistri.* Tertul. Nec dubitẽ id sufficientissimum esse homini ad gloriæ quemlibet cumulum, si totius sit Iesu Dei filio intolerandis persecutionibus, mortibus. Hanc sibi gloriam diuinæ societatis in pœnis defuturã in stadio miliciæ suæ forsam metuebant Apostoli, quando Iesum ad cœlestia tendẽtem erant intuiti. Quis enim de plagarũ cõsortio cũ Iesu gloriam expectaret, cũ illum videret in cœlum eumtem? Cur non metuerent à cœlesti incorruptione absorbẽda esse, vel minima vestigia passionis in Iesu; & relinquendos ipsos solos in vulnerũ exhibitione, dũ adhuc sunt in certamine? Huic Apostol. timori occurrũt duo Angeli Act. 1. fantes: *Viri Galilæi, quid statis aspiciẽtes in cœlũ? Hic Iesus, qui assumptus est in cœlũ, sic* Act. 1. *veniet;*

veniet, &c. Expẽde illa: *Sic veniet, &c.* alijs fortaſſe diceret ſolum, quod veniet; Apoſtolis autem non ſolum venturus promittitur Ieſus, ſed in ſuper promittitur venturus ſic, quemadmodum ab illis viſus fuit, & palpatus, cum eiſdem ſignis, & figuris plagarum. Sed quid hoc ad Apoſtolos, quod Ieſus in cœlo non exuat plagas, ſed cum illis iterum ad ipſos veniat? Equidem ad magnam illorum gloriam pertinebat hoc; vt enim Apoſtoli manebant in ſtadio expoſiti, & vulneribus excipiendis, & plagis; ſic glorioſum illis, & magnificum erat, in ijs ad huc habere ſocium talem. Hinc maximè curat Angelus perſuadere illis in Ieſu perſeueraturas ſemper eſſe plagas. Pro
D. Aug. quo ait D. Aug. hom. 8. in Aſcen. *Sic veniet*, inquiunt, *quemadmodum vidiſtis eum euntẽ in cœlum. Profectus eſt deſiderabilis, nõ veniet vobis terribilis, nubes in occurſu, nubes in redditu. Vulnera portauit, ipſa iterum reportabit. Crucem retulit, cum triumpho; ſignum filij hominis vobis parebit in cœlum.* Nihil paſſionis ſignatæ exuet, nihil cruce acceptũ non vobis exhibebit in ſigno, ne vnquam in Ieſu non videatis, & paſſionis comparem, & materiam triumphi.

§. IIII.

Humilitas, & abiectio externi cultus validiſſima ad comparandam ſalutem.

AVditis Ioſuæ victorijs, Hiericho, & Hai ruinis, vide ad quæ arma cõfugiãt Gabaonitæ, vt in tanto diſcrimine cõparent ſibi ſalutem. Ait textus: *Callide cogitantes tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes: : : calceamẽtaque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pittacis conſuta erant, induti veteribus veſtimentis, panes quoque, &c.* Nihil ſibi ſecurius putant in vitæ diſcrimine, quam ad ſordes externi cultus, recurrere. In calceorum pittacis reſarcitis, in palliorum centonibus, in panum duricie ſpem ſalutis conſequendæ conſtituunt. Vtinã & nos hac etiã calliditate vteremur; & diſcrimina æternæ perditionis fugeremus, & occiſsime appropinquantis ruinæ.
Ionæ 3. Ionę cap. 3. audita ruina Niniue imminẽti intra quadraginta dies: *Peruenit verbũ ad regem Ninive; & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum a ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere, &c.* Pro imminenti ciuitatis euerſione, non parat propugnacula, non militaria tormenta erigit, ſed abijcit purpuram, & ſaccum induit, & abiectus, & vilis in cultu externo apparet. Sed quid veſtium ſordes ad protegendam vrbem à ruina? Fallar, niſi validiſsima arma ſint ad cõparandam ſalutẽ homini, regnis, vrbibus, cultus externi abiectio, & humilitas. Ad hæc ait D. Ephræm in Ionam: *Progloria, & honore currus, pedibus rex per vrbem incedebat, omneſque ad pœnitentiam incendebat. Accedebat rex ad vicos ciuitatis, vt ex ipſis peccati ſordes abſtueret. Humiliter incedebat, & præſidium ipſemet ciuitati ſibi ſubiecta, ne corrueret, ſiebat.* Abiectio externi cultus, vilis habitus, & humilis præſidium ſtiterunt vrbi, ne corrueret. Sic valent veſtimentorum vilitas, & humilitas pro comparanda ſalute. Dauid hoſtiles Abſalonis exercitus Ieroſolymis appropinquare videns dum meditatur effugium, à ciuitate fugit. Ait enim
2. Reg. 15 text. 2. Reg. 15. *Egreſſus eſt ergo rex & omnis Iſrael pedibus ſuis.* Et mirabar, quod Regi non ſuppeteret currus, vel ſaltem equus ad fugiendum. Cur maluit Dauid pedes fugere? Nonne erant illi equi multi? Erant quidem illi currus, & equi, ſed bonus rex in re conſequendæ ſalutis, externum cultum, pompamque regiam fugit, & ad humilem, abiectumque habitum confugit, vt qui validiſsimus ſit ad conſequendam ſalutẽ. Ait Carthuaſ. ibi: *Ibat pedibus ſuis, quia*
Carthuaſ. *humiliauit ſe rex coram Deo, vt miſericordiã conſequeretur; id circo noluit cum apparatu, & pompa equeſtri exire.* Et merito cauit cultum, apparatumque regium, & ad humilem habitum confugit, qui ſalutem ex Deo obtinere cupit. Nec vllum ſibi præſidium fortius, & ſecurius parare potuit, quam mentis humiliationem oſtenſam in vili habitu.
Salu. 2. De illo etiam ſic loquebatur Saluianus, lib. 2. de Guber. *Gemmas regias abdicat Dauid, crepantia auro textili indumenta deponit, purpurã exuitur, diademate exhonoratur, cultu & corde mutatur: totum regem cum ornamentis ſuis abijcit, prouidum pœnitentem, cum patrocinio ambicioſi ſqualoris aſſumit.* Expẽde illud: *Cum patrocinio ambicioſi ſqualoris*; Squalidus enim habitus maximè homini patrocinatur apud Deum, vt quod libet diſcrimen euadat. Hinc Ezechias rex audito Rabſace Babyloniorum duce, qui Ieroſolymam validiſsimo exercitu expugnabat, ad hoc confugit præſidium; ait enim
4. Reg. 19 4. Reg. 19. *Scidit veſtimenta ſua, & operuit eſt ſacco. Ingreſſus eſt domum domini; & miſit Eliacim præpoſitum domus, & Sobnam ſcribam, & ſenes de Sacerdotibus oper-*

tus ſaccis ad Iſaiam, &c. Non ad clypeum, non ad iacula confugit rex, vt ciuitatem protegeret, ſed ad ſaccos, ſed ad abiectiſsimum habitum, & inde vidit hoſtem perĕptum, ciuitatem liberatam. Adhæc ait Tertul. aduerſus Pſychicos: *Quid aliud centum & octoginta quatuor millia de exercitu Senacherib per Angelum aſſumpſit, quam Ezechiæ humiliatio? Siquidem duritia hoſtis adnuntiata, veſtem ſcidit, ſaccum induit, eodemque habitu ſeniores Sacerdotum ad Deum per Eſaiam adire iuſsit.* Sic ſuper omnia tela validiſsimus eſt humilitatis habitus, vt omnes metus arceat.

Tertul.

Ioſue cap. 9. Perrexeruntque ad Ioſue, qui tunc morabatur in caſtris Galgalæ, & dixerunt ei, atque ſimul omni Iſraeli: De terra longinqua venimus, pacem vobiſcum facere cupientes. Reſpõderuntque viri Iſrael ad eos, atque dixerunt: Ne forte in terra, quæ nobis ſorte debetur, habitetis, & non poſsimus fœdus inire vobiſcum. At illi ad Ioſue, ſerui, inquiunt, tui ſumus. Quibus Ioſue ait, Qui nam eſtis vos? Et vnde veniſtis?

§. V.

Potentiſsima eſt adulatio apud principes.

BLandius reſpondit Ioſue Gabaonitis; quam Iſraelitæ; hi enim vel ad primum verbum homines reijciunt dicentes: *Ne forte in terra, quæ nobis ſorte debetur habitetis, & non poſsimus fœdus inire vobiſcum.* At Ioſue affabilius eos recipit, nullamque ſeueritatem oſtendit, quin viros per humane alloquitur, ſciſcitans, & regionem illorum, & vitæ inſtitutum, dum ait: *Quinam eſtis vos? Et vnde veniſtis?* Sed cur Ioſue affabilior oſtendi tur hominibus illis, quam Iſraelitæ? Non Iſraelitis, ſed Ioſue dixerãt illi: *Serui tui ſumus, &c.* Vnde non miror, quod præ Iſraelitis Ioſue affabilior oſtendatur in Gabaonitas, nullus eſt enim princeps adeò ſeuerus, & durus, qui non molliatur ſermonis adulatorij lenocinio. Homo erat magnus habitãs in ſolitudine Maõ, nomine Nabal, qui ouium tondendarum tempore ſedebat in domo ſua. A quo petierunt ſerui Dauid aliquid eſcarum, quod mãducaret dominus ſuus. Sed ille durus, & efferus reſpondit, 1. Reg. 25. *Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio?* Quid durius? Negat panes, & carnes filijs Dauid, quas fatetur à ſe occiſas tonſoribus ſuis. Et mirabar, quod homo adeò durus in Dauid ſeruos, ſit blandus, & manſuetus tonſoribus, quibus parat conuiuium, quod negat Dauid. Et cur qui in Dauid durus, in tonſores adeò humanus eſt? In tonſoribus adulatores viri intelligũtur, erga quos etiam duriſsimi principes humani fiunt. Ex quo ait Hugo Victor. lib. de clauſtro animæ, cap. 15. *Nabal deſignat quoſdam doctores, qui pueris Dauid cibum negant. Tonſoribus vero ſuis cibum parant, quia vacantes otio, adulantiũ cõfabulationes amãt.* Et quis etiam durus in alios, in tonſores ſuos non ſit blandus? Sanè rarus eſt, qui ab aſſentatorum ſcalpelis non capiatur. Feruidiſsimus ille Centurio ad Ieſum ire feſtinabat; de quo ait Matth. 8. *Acceſsit ad eũ Centurio rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet, &c.* Lucas autem, cap. 7. ait: *Cum audiſſet Centurio de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum rogans eũ, &c.* Matthæus autem dicit illum acceſsiſſe; Lucas autem ait nuntios miſſos fuiſſe ſenioriores Iudæorum. Vter verius? Vterque veriſsime; quippe & primo miſit, & poſtea ipſe perſeuenit. Sed cur Lucas prætermiſit, quod ipſe per ſe acceſſerit, & maluit dicere, quod nũtios miſerit? Lucas voluit oſtendere, quid in magnis etiam viris valeat adulatio; cupienti enim Centurioni ire ad Ieſum, occurrerunt Seniores Iudæorum, ſeque illius ſeruos profitentur, & ſpondent operam ſuam, qua Ieſum trahant; quibus dum aſſentantur Centurioni, illum à Ieſu congreſſu retardant. Ait D. Chryſoſt. in Matth. *Lucas, vt mihi videtur, oſtendit, quanta ſit Iudaica adulatio. Quare cum voluiſſet ad Ieſum proficiſci Centurio, detentus à Iudæis fuit, qui ei aſſentarentur, ac dicerent, Nos ibimus, & adducemus ipſum, &c.* Ecce vt properant ad Ieſum; Centurionem adulatio Iudæorum retardat. Validiſsima ſanè eſt adulationis vis, vt magnos animos fallat, imò quatiat. Cuius vires ſatis nouit hoſtis humani generis diabolus, qui vt expertus fuit Ieſum triumphantem de gula; ſtatim ad hoc cõfugit

Matt. 8.

Chryſoſt.

Matt. 4. git adulationis iaculum. Matth. 4. *Si filius Dei es, mitte te deorsum, scriptũ est enim: Quoniam Angelis suis mandauit de, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Expende quantus est diabolus in extollendo Iesu, cui asserit Angelorum famulatum, & tutelam singularem. Vnde diabolus tantus in Iesu laudando? Cur nõ magis cauet illi attribuere Angelorum famulatum; ne videatur refragrari amico suo Arrio in Iesu diuinitate prædicanda? Ait

Cyprian. D. Cyprian. serm. de ieiunio, & tent. *Experientia rerum didicerat, & in multis probauerat, vitiorum victores sæpe nugis laudationum corrumpi, & cognatũ, propinquumque esse virtutibus malum adulationem, nec facile quemquam posse euadere, quin libenter assentatorum canticis porrigat aures, & laudatorum modulationibus delectetur. Hoc generale malum, in humano genere, Satan putabat ex præcedentis victoriæ occasione suggerere Saluatori, vt popularibus laudibus vellet attolli, & facere sibi nomen iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra.* Equidem curabat Satanas reducere Iesum ad magnorum mundialium conditionem, quorum est concedere adulatoribus; ita vt rarus sit, qui sic scalptus non sese emolliat:

Iosue cap. 9. Responderunt: De terra longinqua valde venerunt serui tui, in nomine domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius, cuncta quæ fecit in Ægypto, & duobus regibus Amorrhæorum, qui fuerunt trans Iordanem, Seon regi Hesebon, & Og regi Basan, qui erat in Astaroth. Dixeruntque nobis seniores, & omnes habitatores terræ nostræ: Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, & occurrite eis, & dicite: Serui vestri sumus, fœdus inite nobiscum, &c.

§. VI.

Simulatio cum pietate coniuncta vt prosperatur.

SE è longinqua terra venire simulant, quo Iosue decipiant; dicunt enim: *Dixerunt nobis Seniores, & omnes habitatores terræ nostræ: Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, & occurrite eis, & c.* Qua simulatione impune Iosue decipiunt; volente Deo, vt illis prosperaretur simulatio apud populum suum. Et vnde adeò prospera simulatione vtuntur? Erat sanè simulatio eorum cum pietate coniuncta, qua verum Deum extollunt, sinceramque erga illum prætendunt fidem, dum aiunt: *Venerunt serui tui in nomine domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius, &c.* Et cur non prosperetur simulatio erga homines, quæ tam sinceram prætendit pietatem, & fidem? Vt merito dicat D. Aug. quæst. 13. D. Aug. Fallentibus pepercerunt Israelitæ. *Deus autem hoc approbauit, nec parcentibus succẽsit, quamuis cũ nõ interrogassent, qui nã illi essent, & ideò eos illi fallere valuissent. Vnde non importune vtique credendi sunt, & si fallere homines pro sua salute voluerunt, non tamen fallaciter Deum timuisse in populo eius.* Simulabant equidem patriam, sed non religionẽ; fallebant homines pro salute sua, sed nullo modo fallebant Deum in Religione sua; quam in illa simulatione prætendebant, cõfirmabant. Ne miremur, quod simulatio hæc à Deo non puniatur, sed prosperetur magis. Prævalet enim simulatio, quæ pietatem auget. Dauid fugiens rebellem filiũ dicebat Chusai Arachites, 2. Reg. 15. *Si veneris mecum, eri mihi oneri. Si autem in ciuitate reuerteris, & dixeris Absalon, seruus tuus sum rex, patere me viuere, sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus: dissipabis consilium Achitophel.* 2. Reg. 15. Non iubet Dauid, vt Chusai mentiatur; mendacium enim malum est, & fugiendum bonis viris, sed iubet, vt equi uocis verbis, & signis veritatem simulet. Quod & fecit Chusai; sed quando mendacium est fugiẽdum, cur etiam simulatio hæc ad fallendum ordinata fugienda non sit? Ait Theodor. quæst. 31. relatus in Glossa: Theod. *Et bonorum, & malorum examinandus est scopus, & institutum. Hic quidem fuit simulatio non propter lucrum pecuniæ, neque ad damnũ alienum, sed propter vitam prophetæ, & pij regis.* Et merito admittẽda est simulatio, quando mendacio excluso, ad pietatis tutelam, aut confirmationem necessaria est. Similiter Gen. 27. Iacob simulans Esau personã patri accessit, vt eius benedictionem acciperet; aitque: *Ego sum Esau primogenitus tuus, feci sicut præcepisti mihi. Surge, sede, & comede de venatione mea.* Sic locutus Iacob simulabat fratrem, vt eius benedictionem Gen. 27.

sibi à Deo destinatam acquireret. Et cur ista simulatio in Iacob permittatur? Ait D. Chrysost. ibi: *Dilecte ne in dages tantum, quod sit, sed attende etiam scopum, & quod nō factum sit, temporalis commodi, vel auaritiæ causa, sed quod patris benedictionem sibi comparare studeret. Et vt scias, quod Deus omnia facilia reddebat, etiam quæ difficilia, vide quomodo iustus non potuit subolere fraudem, sed persuadetur dictis Iacob.* Excludendum est in premissa simulatione mendacium, deinde scopus est obseruandus, & necessitas, vt est ad magnum bonum simulantis, & maximè spectat ad pietatem, virtutemque firmandā. Quæ talis est simulatio à Deo prosperatur.

Chrysost.

§. VII.

Prosperatur via illorum, qui à Deo trahuntur.

NOn sibi, sed Deo tribuunt suum progressum isti Gabaonitæ; dum dicunt: *Venerunt seruitui in nomine Domini Dei tui.* Similiter de Regina Saba dicitur 3. Reg. 10. *Audita fama Salomonis in nomine domini venit, &c.* Vbi Cartus. *In nomine Domini, hoc est, secundum Dei voluntatem, & dispositionem, seu ad Dei honorem,* Et sanè quoto tum itineris sui negotiū sic Deo tribuunt, nihil sibi assumentes de eo, nō mirer, si omnium malorum fiant exsortes. Exituri de Ægypto Israelitæ inter primogenitorum mortes, inter maritimos fluctus, iubentur paschа edere Exod. 12. *Tenentes baculos in manibus.* Ad quid baculus præcipitur tenendus? Ait Nazianzen. orat. de Pasch. *Lex fulcientē baculum tibi præscribit, necubi animo titubes. Innixus sta, firmus, & stabilis. In fastigio tuo sta, in atris Ierusalem pedes tuos firma, in petra suffulci, vt non moueantur tui Deo accepti gressus.* Itaque baculi tenebantur, vt admonerentur Israelitæ quærere firmum in gressibus suis fulcimentum, ne in se, sed in solida petra Christo nitetentur. Quod dum præstarent, nec percusorem Angelum metuerent, nec persecutores Ægyptios, nec fluctus feri maris formidarent. Ex quo sapienter D. Leo ait serm. de Pass. *Quisquis gratia Dei adiutus, de profectu suo non in se, sed in domino gloriatur, hic legitime honorat paschale sacramentum, huius limina vastator Angelus sanguine agni, & signo crucis prænotata non intrat. Is plagas Ægyptias non pauescit, & eydem aquis hostes relinquit extinctos, quibus est ipse saluatus.* Quid pulchrius? Tantum interest ad prosperandas hominum vias, quod ipsi non in se, sed in domino nitantur. Vbi enim quis sic comparatur, vt non se, sed Deum spectet; ridet vastatores Angelos, ridet plagas, ipsos ridet fluctus maris. Matth. 14. Petrus vt è nauicula sua vidit Iesum super fluctus ambulare, ab illo petijt, vt liceret sibi similem semitam secure calcāre. In verbo ergo, & nomine Iesu *descēdens navicula ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum.* Et cur Petrus non magis cauet se commitere fluctibus? Cur non magis cauet à periculis maris? Non in se, sed in Iesu nitebatur, quo nullum extimescit malum, sed magis viam prosperam capit. Ait D. Amb. serm. 47. *Ambulauit in mari Petrus magis dilectione, quam pedibus. Non enim videbat vbi pedum vestigium poneret, videbat autem, vbi vestigiū figeret charitatis. In naui enim positus considerat dominum, & amore eius ductus descendit in mare, non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Christum respicit, nō respicit elementum. Credidit fide etiam inter undas solidum inuenire vestigium, iactetur licet fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur, non tamen turbatur Petri semita, quæ ducit ad dominum.* Felices qui sic Dei ductu feruntur, qui sic arripiunt viam in nomine domini, præoculis habentes dominum, nullos non superant obices, vt perueniant ad dominum.

3. Reg. 10

Exod. 12

Nazian.

D. Leo.

Matth. 14

Amb.

§. VIII.

Ex Dei nomine nunquam non felix venit nomen ad triumphos, ad victorias.

NOn paruum felicitati suæ aditum apēriunt Gabaonitæ, cum aiunt. *Venerūt serui tui in nomine domini Dei tui.* Quippe de Dei nomine nunquam non felix ad nos venit omen victoriæ. Post Iesum receptum in cœlum ait Actor. 1. de discipulis: *Tunc reuersi sunt Ierosolymam a mōte, qui vocatur Oliueti.* Quibus manifestè constat à Iesu celebratum ascensionis suæ ad patrem triumphum in monte Oliueti. Sed cur electus hic mons, vt inde nouum, & inusitatum homini iter in cœlestia arriperetur? Referebant oliuæ diuinissimum Christi nomen, quod ab vnctione vocatum fuerat, & ideo inter tanti nominis notas voluit Deus triumphale iter ostendere vniuersis. Ait

Actor. 1.

Ara-

Arator lib. 1. in Acta.

Cœlumque petiturus, oliuæ
Progreditur lustrare nemus, quâ germine sacro
Luminis, & pacis locus est, vult inde reuerti,
Vnde creaturam signata fronte micantem
Diuinus commendat odor, cum de super vnctos
Abluit interius Christi de nomine Chrisma.

Commendabatur ibi diuinitatis odor, qui de Christi nomine sic suos athletas vngebat, vt mala omnia superare possent. Igitur nobilis dux de oliuarum monte suum in cœlum iter adornat; ostendens, vt de nomine Christi habebimus, quod felicia itinera cõsequemur ad gloriam. Vbi oliuarũ succus præmonstrat nomen Christi; inde maluit reuerti nobilis triumphator in suã. Ne tu pares iter ad gloriam, ad triumphos nisi de nomine diuino. Nullus vnquam malis eripietur, vt triumphet, nisi sub diuino nomine clareat. Exod. 33. aiebat Dominus Moysi: *Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me.* Quod nomen erat hoc, ex quo Moyses notus dicitur Domino, & adeò illi gratiosus? Crediderim id non fuisse vulgare, & proprium Moysi nomen; quod enim ex hoc nomine cognosceretur à Deo, nihil magnum erat in Moyse, quando & Pharao, ex proprio nomine suo notus erat Domino. Ex quo ergo nomine noscebatur Moyses, vt sibi Dei gratiam acquireret, & triumpharet de malis omnibus? Viuebat Moyses sub Dei nomine, ex quo Deo notus erat; & inde in maximas extollebatur glorias. Triumphator est, gloriosus est quisquis non suo, sed sub diuino agnoscitur nomine. Aiebat Ruper. lib. 4. in Exod. cap. 39. *Igitur cum dicit, te ipsum noui ex nomine, sub audiendum est, Dei, quod inuocatum est super te. Ex hoc etenim nomine Deo notus est omnis, qui scriptus est in libro vitæ. Vnde in Apocalypsi, de victore dicit: Et scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis nouæ Ierusalem, & nomen meum nouum. Isto ex nomine, & omnem electum Deus agnoscit hominem.* Expende illud: *De victore dicit, &c.* qui enim sub Dei nomine viuit, indeque se notum Deo facit, & victor est, & triumphator de malis omnibus, & æternam iam deputatur ad gloriam. Nec prætereunda sunt illa verba: *Scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis nouæ, &c.* Quid est, quod quis dicatur esse sub Dei nomine, & ciuitatis nouæ? Solent scelerati homines post facinus aliquod patratum ad Dei templa confugere, tanquam ad tutissima asyla, quæ iudices temerare non possint. Sed noui inde per vim eductum latronem famosissimum, & in carcerem intrusum; qui vbi à iudice requireretur, qui vocaretur, constanter respondebat semper, Ecclesia Dei vocor, nec aliud vnquam ostendit nomen. Et dum in omni iudicio pertinacissime perseuerat vocans se Dei Ecclesiam; tandem obtinuit, vt asylo redditus euaderet pœnam mortis. Felices vos peccatores, quibus similiter datũ est, vt vocemini de Dei nomine; inde habetis asylum, quo effugiatis pœnas, & euoletis in glorias. Vt merito canat Prudent. in Apotheosi.

Christũ cõcelebrent, Christũ sonẽt, omnia Christũ
Muta etiã, fidibus sanctis animata, loquãtur,
O nomen prædulce mihi, lux & decus, & spes
Præsidiumque meum, requies ò certa laborũ.

In diuinissimo nomine præsidium ponit; quo euadat pœnas, superetque vniuersos labores.

§. IX.

Cultus, & honor Deo exhibitus maximè Deum trahit ad homines.

PRudentes viri ad efficacissimum illicem confugiunt, vt sibi trahant totam veri Dei misericordiam; aiunt enim: *Venerunt serui tui in nomine domini Dei tui, &c.* Quæ verba sic expendit Arias Montanus, fol. 256. *Illud certior fias, nos Dei vestri nomen studiosè, & diligenter cognitum venerari, & colere, illiusque præcipue colendi, & celebrandi causa, vobis in societatem coniungi expetiuisse, nec metu, ac necessitate impulsos hoc egisse, verum pietatis ardenti studio.* Et in cultu, honoreque Deo exhibito, quid non conficiant homines? Fallar, nisi ad se ipsos Deum rapiant totum. De Herodis ira in Iesum puerulum monitus Ioseph Matth. 2. *Consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.* Et quando Dei filius fugiens in Ægyptum, ibi asylum inueniebat, vbi quiesceret, qualiter inde reuocari posset? Ait D. Nazianzen. orat. 38. *Si in Ægyptum profugiat Iesus, alacri animo te ipsi fugæ comitem adiunge. Præclarum est cũ Christo præsecutionem patiente fugere. Si diutiorem in Ægyptũ moram faciat, ex Ægypto eum voca. Quod quidem fiet, si eum pulchrè atque honorificè illic adoraueris.* Ecce tibi, vt doceat Deum ex Ægypto euocandum, nimirum, si illũ pulchrè, & honorificè colueris;

Exod. 33.

Ruper.

Matth. 2.

Nazian.

fis, illum ad te trahes, atque euocabis. Crediderim respexisse Nazianzenum ad Romanorum morem, quo hostium Deos ad se euocabant, vt suos desererent. Quē mo-
1 Macab. 3 tem tractans Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 9. ait: *Est autem carmen huiusmodi, quo dij euocantur, cum oppugnatione ciuitas cingitur. Si Deus, si Dea est, cui populus Carthaginensis est in tutela, te maxime precor, veneror que, veniamque à vobis peto, vt vos populum ciuitatemque Carthaginensium deseratis:: Romam ad me, meosque veniatis, &c.* Sic compositis verbis carminibusque ethnici hostilium ciuitatum Deos ad se euocabant, quo facilius
Nazian. triumpharent. Similiter monet nos Naziãzenus, vt Deum verum ad nos trahamus, euocemusque. Sed quo carmine Deum euocabimus? Ait ipse: *Quod quidem fiet, si eum pulchrè, atque honorificè illic adoraueris.* Honor, cultusque pulcherrimus Deo exhibitus Deum maxime trahit, euocatque a quibus libet alijs. Vidi hoc anno ex insperato Deum cum ingenti victoriarum cumulo ad Hispanos demigrasse; & cur sic ad Hispanos migrauit? Sanè eum pulcherrimus, & honorificentissimus cultus, omni hæresum spurcitie purus euocabat. Et verũ est, quod validissima veri Dei euocatio in eo sita est, quod eum pulchrè, & honorifice in cultu, & religione tractamus. Abijt Deus ad eos, qui eum honorifice tractant, deserit eos, in quibus diuinus cultus euanet. Samaria vbi desiuit colere Deum, passa est ar-
4 Reg. 6. ctissimam obsidionẽ à rege Syriæ 4. Reg. 6. & rabidissima fame premebatur. Ait enim text. *Facta est fames magna in Samaria: & tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, &c.* Deus bone, vnde relicta à Deo est ciuitas hæc in pe-
D. Aug. nuria tanta? Ait D. Aug. ser. 211. de Temp. *Cum à cultu Dei gens iniqua discessit, horrenda fame comprimitur, & iusta necessitate turbatur. Crescit famis quotidie pœna, quia quotidie crescit, & culpa. Damna peccata, ad Deũ conuertere, relinque idolũ, tunc poteris hostes diuino adiutorio vincere, & cœlesti præsidio superare. Nec quisquã poterit tibi nocere vlterius, si damnato scelere diuinus inte germinauerit cultus.* Ecce tibi, vt diuinus cultus pulchrè exhibitus Deum trahit, abigit mala, ne sit, qui noceat tibi; vbi autem pulchritudo hæc, & honor diuini cultus non appareat, necessum est, vt hinc Deus etiam cum bonis suis abeat.

Iosue cap. 9. Susceperunt igitur de cibarijs eorum, & os domini non interrogauerunt. Fecit que Iosue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est, quod nõ occiderentur, principes quoque multitudinis iurauerunt eis. Post dies autem tres initi fœderis, audierunt, quod in vicino habitarent, & inter eos futuri essent. Mo ueruntque castra filij Israel, & venerunt in ciuitates eorum die ter tio, &c. Et non percusserunt eos, eo quod iurassent eis principes, &c.

§. X.

Ab acceptione munerum nunquam non iudicium peruertitur.

ECce tibi oculatissimus Iosue decipitur, fœdusque init cum ijs, quos percutere debebat. Et vnde sic decipitur tantus dux? Ait textus: *Susceperunt igitur de cibarijs eorum, & os domini non interrogauerũt. Fecitque Iosue cum eis pacem, &c.* Vbi de Gabaonitarum cibarijs Israelitæ sumunt, non amplius Deum interrogant, sed statim cum eis pacem ineunt. Quid miraris? Sic munera afficiunt principum animos, vt in errores inducantur. Hinc Exod. 23. *Nec* Exod. 23
accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. Postrema hæc leguntur apud S. Luciferum: *Et pestiferant sermones iustos:* quantum muneris acceperis, tantum cæcitatis incurris, tantum pestis habes, qua te prorsus inficias. Vt enim pestilens morbus omnia peruadit, & inficit contagione sua; sic munerum acceptio nihil relinquit in homine integrũ, sed & iudicium, & linguam, & affectum trahit in ruinam. Hinc Anthiochus princeps interrogauerat magnum Athanasium, liceret ne principem accipere munera, & ea in pauperes insummere? Cui respondet Mag nus Athanas. quæst. 116 sententiam maxi- Athanas.
mè notandam omnibus principibus. Ait enim: *Si qui beneficijs affecti cum sint, in re lauta, & sponte sua, munera offerant eis, puta, qui bene meriti sunt, fortasse sine culpa accipiunt, & in pauperes ea distribuant.* Quid grauius potuit dici? Expende illa: *Fortasse sine culpa*

acci-

accipiunt; quasi de re minime certa, sed valde contingenti asserit posse culpa, aut culpæ periculo carere, qui munera accipit, vt ea in pauperes distribuat. Vt enim prudẽs medicus interrogatus, an possit euadere quis, ambulans inter pestilentia affectos, nihil certum definit, sed fortuito casui rem tribuens ait, fortasse euadet. Sic Athanasius de acceptis muneribus, etiam sponte, & gratitudinis ergo oblatis, & in pauperes insumendis, non certo asserit, quod innocua erunt, sed fortuito id causui relinquit. Adeo pestilẽs est acceptio munerum. Quo
Prou. 17. respiciens Prouerb. 17. ait: *Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij.* Volens impius iudiciũ peruertere, ad hoc medium confugit efficacissimum, nimirum vt accipiat munera. Quæ verba sic sonant
Cyril. Al. apud D. Cyril. Alexan. in cap. 3. Michææ: *Accipientis munera in sinibus iniuste, non proſperantur viæ.* Nihil prosperum spectes ab eo, qui accipit munera; sed omnia illius in malum ruunt. Et cur tantum malum in ac-
Cyril. Al. ceptione munerũ? Ait ibi D. Cyril. Alex. *Execrandum negotium, & Deo omnium purissimo etiam atque etiam vehementerque exosum, iudicium iniustum, & acceptio munerũ. Scriptum est enim: Accipientis munera in sinibus iniuste, non proſperanturviæ. Adeo enim quidam à detestanda lucri cupiditate expugnati sunt, vt peruertere iustitiam, & venundare veritatem pro nihilo ducant. Quemadmodum autem, qui pulueremoculis accipiunt, facultate videndi imbecilliore vtuntur, sic & qui in Christo debilitantur, nihil vident; munera enim iuxta scripturam excæcant oculos sapientum.* Sic sanctus doctor æque loquitur de iudicio iniusto, & acceptione munerum; quæ æque Deo exosa, & execranda putat.

§. XI.

Ad laudem hominis pertinet, quod nihil suæ soli prudentiæ credat.

HOc minus laudabile in hoc facto Iosue textus notat, nimirum: *os domini non interrogauerunt*, cum promptum haberent diuinum oraculum, non eo accesserunt, vt interrogarent de ineundo cum Gabaonitis fœdere. Et licet in alijs excusabilis sit, quia credidit cito, nullum in proximo suspicatus dolũ, quia seruauit fœdus semel percussum, cum ijs, qui veri Dei religionem suscipiebant, tamen in hoc inexcusabilis est, quod suæ prudentiæ negocium credidit, nec os domini interrogarit, cum facile posset. Pertinet enim ad perfectã hominis laudem, quod non sic soli prudentiæ suæ credat. Præclara illa Rebbecca cũ non paruas molestias ob conceptum in vtero sustineret Gen. 25. & consuluit Dominũ
Gen. 25. & diuinum responsum accipere meruit. Ait enim text. *Perrexitque, vt consuleret dominũ, qui respondens ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit, &c.* Fiunt equidem sanctæ mulieri claræ reuelationes, & promissiones, quæ in filijs vteri sui erant implendæ. Et vnde ad tantam virtutẽ peruenit Rebbecca, vt sic illam Deus in responso suo munerare vellet cum notitia tantarum rerum? Cum sensit vteri molestias, non suæ credidit prudentiæ, nec aliquid per se posse confidit, sed ad diuinum oraculum
D. Amb. perrexit. Ait D. Amb. lib. de Isaac, cap. 4. *Abut, inquit, interrogare dominum, quia exsultabant infantes in vtero eius. Et responsum accepit, Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi. Eò quod nihil sponte præsumat, sed in omnibus summum Deum præsulem suorũ consiliorum posoat, simul plena pacis, atque pietatis duos populos sua fide, & prædicatione connectat, & tanquam vtero suo claudat.* Expende ab illis: *Eo quod nihil spõte præsumat, &c.* ex eo enim, quod nihil de se præsumsit, sed in omnibus diuinum oraculũ consulebat, sic munerari meruit à Deo, vt iam mater glorioſissimorum populorum cantaretur. Nõ enim parue laudis est in homine, quod nihil de se presumat, sed solicitus sit de per noscenda voluntate Dei, & inuestigando oraculo eius; cui se conformare velit. De
1. Reg. 23 Dauide ait 1. Reg. 23. Et nuntiauerunt Dauid dicentes; *Ecce Philistym oppugnant Ceilam, & diripiunt eam. Consuluit ergo Dauid Dominum dicens; Num vadam, & percutiam Philisthæos istos?* Euidentissimum erat, quod conueniret populo Dei, quod eius hostes percuterentur, præcipue cum aliquod malum inferebat. Hinc infra in eodem capite dicit de Saul: *Nuntius venit ad Saul dicens; Festina, & veni, quoniã infuderunt se Philisthiim super terram. Reuersus est ergo Saul, &c.* Vbi nuntium accepit, non distulit, sed statim reuertitur occurrere Philistæis. Nec fuit reprehensum in Saule, quod non consuleret prius dominum, quando patentissima eius erat voluntas, vt hostibus occurreretur. Cur ergo Dauid magis voluit Deum consulere, antequam iret ad hostes depellendos? Ait Theodoret. quæst. 54. *Diuina autem scriptura ostendit Dauidis pietatem. Sẽ-*
Theod.

per

per enim Deum ſciſcitans & aciem inſtruebat, & quieſcebat. Hoc in Dauide maxime prædicandum erat, quod nihil ſponte præſumebat; ſed antequam, vel aciem inſtrueret, vel quieſceret, ad Dei oracula confugiebat, indeque omnes ſuas actiones dirigebat. Proh hominis prudentia, quæ non fidit ſoli prudentiæ ſuæ, ſed cum pugnandũ, aut quieſcendum eſt, ad Dei oraculũ prius recurrit. Nunquam ſanè offuit conſultatio virtuti, & ſæpe profuit multum. Cant. 3. *Per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Nũquem diligit anima mea, vidiſtis? Paululum cũ pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Omnia ciuitatis ipſa perſe luſtrarat, nihil prætermiſerat, nec plateam, nec viculum, & non inuenerat dilectum ſuum. At vbi conſulit vigiles, de eoque inueniendo ſciſcitatur, ſtatim inuenit. Quod notans Gillib. Abb. ſerm. 7. in Cant. ait: *Videtis, quid proficiat conſultatio cuſtodum? Deuotam, ſed vagam animam ad inuentionem dilecti perducit. Vtilis quidem conſultatio: & frequẽter, quod non confert eorum, qui conſulantur, eruditio, conſulentis meretur humilitas.* Huc conueniant; qui ſoli ſuę prudentiæ credendum putant, & diſcant, vt ex conſultatione diuini oraculi per Dei miniſtros ſecuriores ab errore fiant.

Cant. 3.

Cant. 7.

§. XII.

Quod ipſe non es, ægre, & difficulter de alijs perſuaderis.

FAcilime reuinci poterant argumenta Gabaonitarum in veteribus veſtibus, in calceis reſarcitis, in duro pane; non enim hæc neceſſario comitantur legatos à longe venientes, niſi per deſertum, & in hoſpitalia loca iter faciant. Solent enim illa omnia facile reparari, in oppidis, per quæ tranſeunt. Et nihilominus Ioſue tam affectatis longæ viæ ſignis fidem habuit, & facile Gabaonitis annuit. Ait enim textus: *Fecitque Ioſue cum eis pacem, &c.* Cur non magis homines fraudis ſuſpectos habuit? Cur non magis argumenta deſpexit, vel quaſi affectata, vel quaſi quæ facile confingi poſſent? Is erat Ioſue, qui neſciret fallere, ideò non potuit adduci, vt in proximis ſuſpicaretur fallaciam. Ait D. Amb. lib. 3. Officior. cap. 10. *Adeò ſancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos poſſe non crederetur. Quis hoc reprehendat in ſanctis, qui cæteros de ſuo affectu æſtimant? Et quia ipſis amica eſt veritas, mentiri neminem putant: falre quid ſit, ignorant, libenter credunt, quod ipſi ſunt, nec poſſunt ſuſpectum habere, quod non ſunt. Hinc Salomon ait: Innocens credit omni verbo. Non vituperanda facilitas, ſed laudanda bonitas. Hoc eſt ignocentem eſſe, ignorare, quod noceat.* Quam hoc verum! Quod in ſe homo bonum habet, hoc credit ineſſe omnibus alijs; nihilque in alijs mali ſuſpicatur, cuius in ſe morſus, & ſpicula non ſentiat. Hinc Iudith, cap. 2. *Factum eſt verbum in domo Nabuchdonoſor regis Aſſyriorum, vt defenderet ſe, &c.* Nullus erat in vniuerſa terra, qui aduerſus Nabuchdonoſor leuaret manũ, imò qui mutire auderet. Cur ergo ille adeò ſedulus parat defenſiuũ bellum? Vbi non eſt, qui offendat, vane dicitur aliquis ſe defendere? Ex quo ſuſpicatur offenſores eſſe, vt dicat Nabuchdonoſor ſe velle defendere? Ex ſe ſolo, vt ipſe totius mundi offenſionem meditabatur, & hoc agebat, vt bellum inferret vniuerſis, ſic credebat vniuerſos ſimilia meditari aduerſus ſuum regnum. Gentilibus inceſtuoſos homines prædicantibus Chriſtianos ſapienter hinc occurrit Minutius Felix in Octauio aiens: *De inceſto conuiuio fabulam grandem aduerſus nos Dæmonum concio mentita eſt, vt gloriam pudicitiæ, deformis infamiæ auerſione macularet. Hæc potius de veſtris gentibus nata ſunt. Ius eſt apud Perſas miſcere cum matribus: Ægyptus, & Athenis cum ſororibus legitima connubia. Memoria, & tragœdiæ veſtræ inceſtis gloriantur, quas vos libenter, & legitis, & auditis: ſic & Deos colitis inceſtos cum matre, cum filia, cum ſorore coniunctos. Sic inceſti fabulam nectitis, etiam cum conſcientiam non habetis.* Plane non ex alio capite Chriſtianos inceſtuoſos meditabantur, niſi quia ipſi inceſtuoſi erant. Cum ipſe mille inceſtis vacarent, omniaque ſua & memorias, & feſta, & ſacrificia inceſtis replerent; nullum etiam veſtigium talium criminum noſcentes in Chriſtianis, nihilominus de illis prædicabant, & credebant ea, quibus ipſi abũdabant. Vtinam ipſi in ſe inceſtorum non experirentur peſtem, & fallar, ſi illis in mẽtem veniret talia poſſe eſſe in Chriſtianis. Eſt enim hoc proprium naturæ hominis, quod iuxta ſuos indiuiduos affectus, iudicet alios, & facile credat in proximo, quod in ſe habet. Marci cap. 3. de Ieſu affinibus ait: *Cum audiſſent ſui, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem verſus eſt.* Sed vnde in Ieſu ſuſpicabantur furorem eſſe? Ait

D. Amb.

Iud. 2.

Marc. 3.

Ie? Ait Victor. Antioch. ibi: *Arbitrabantur enim id illum pati, quod ipsi reuera patiebantur.* Quia ipsi in furore erant, sic credebant simile quid in Iesu esse.

Iosue 9. Murmurauit itaque omne vulgus contra principes. Qui respõderunt eis: Iurauimus illis in nomine domini Dei Israel, & id circo non possumus eos contingere. Sed hoc faciemus eis: Reseruentur quidem vt viuant, ne contra nos ira Dei concitetur, si peierauerimus, sed sic viuant, vt in vsus multitudinis ligna cædant, aquasque cõportent. Quibus hæc loquentibus vocauit Gabaonitas Iosue, & dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis, vt diceretis, procul valde habitamus à vobis, cum in medio nostri sitis? Itaque sub maledictione eritis, &c.

§. XIII.

Nõ penitus male audiunt fraudulenti, & mendaces homines apud principes mundiales.

FAllacia Gabaonitarum aperta incolumes tamen euadunt à gladio Israelitarum ex præscripto principum, sed non sine magna populi murmuratione, ait enim: *Murmurauit itaque omne vulgus contra principes.* Vulgare enim, & commune est hoc populorum murmur aduersus principes, quod pateant dolosis; quod apud illos valeant, mendaces, & fraudulenti. Quãdo enim in principum aulis funditus pereunt fraudulenti, & mendaces, & non magis prævalent? Dicitur Prouerb. 30. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regum.* Vbi noster posuit *Stellio*, hebraice est verbum *Scemmith*, quod simiam sonat Rabbinis Abenezra, Himmanueli, & Kimchi. Similiter ibi Simiam significari putant Pagninus, Caietan. Baynus, Iansenius. Quod animal frequens est in principum aulis, domibusque potentum. Sed quid diuinus Spiritus prætendat notans Simias has in principum domibus habitare? Est hoc animal super omnia animalia fraudulentissimum, adeò vt veteres poetæ Cercopas mortalium maximè periuros in Simias mutatos personent. Ait Ouid. Metamoph. 14.

Quippe Deũ genitor fraudẽ, & periuria quõdã
Cercopum exosus, gentisque admissa dolosa,
In deforme viros animal mutauit, vt ydem
Dissimiles homini possent, similesque videri
Mẽbra, & contraxit, nareſque âfronte remissas
Comendit, &c.

Sic à philosopho, & vate putatur periura, & fraudulenta gens in Simias mutata; vt inde iam pateat, quæ gens in principum, regumque domibus habitet, & prævaleat. Et sanè fraus, dolus, periuria, quæ à medio cribus ciuibus execrantur, proprias sedes apud mundiales principes habent, ibique maximè promouentur, sustentantur. Vè verissimum sit illud Senecæ in Hippolito: *Fraus sublimi regnat in aula:* Sunt equidem in aulis principum simiæ hæ; fraudulenti, dolosi, periurijque viri illic prævalent. Ob quod se ab aulis fugisse ait Nazianz. in carmine de vita sua, satus. *Nazianz.*

Cum nullus esset, aulicos qui principes
Non coleret, ac præ ceteris cubiculi
Famulos, inertes (demo opes) ad omnia,
Modisque miris, artibusque ad regias
Aulæ nitentes semper hæreret fores
Laceraret alios, sumeret fœdum in modum
Abuteretur pessime recta fide
Seque indecore gereret (vt loquar breui)
Desiderari malui, &c.

Quando nouit bonus pater Aularum ambitores in fraudibus, in dolosis artibus, in infidelitate positos, ab aulis discessit quam longe, vt quæ viuere in se permittant has simias hominum. Non enim immunis est apud principes, nisi, qui mendacium, & dolos dicit. Act. 12. Petrus carcerem euasit, *Act. 12.* Angelo ducente, qui portas carceris apperuit. *Herodes autem cum requisisset; inquisitione facta de custodibus iussit eos duci, &c.* Sed Matth. 28. vbi custodes sepulcri clamabant sepulchrum esse vacuatum, indeque sublatum corpus Iesu, nihil illis mali dicitur à Pilato. Cur ergo quando apud Herodes custodes carceris male audierũt, apud Pilatum non male audiunt custodes sepulchri? Custodes carceris veritatem testabantur, vt Petrus abscesserat virtute diuina; custodes sepulchri mendacia clamabant, quod discipuli furati Iesũ fuissent. Et *Prou. 30.*

ideò ij gratiùs accipiuntur à principibus.

Cyril. Ait Cyril. Ierosol. cateches. 14. *Quare sicut Petro de custodia exeunte, condemnati sunt custodes, sic etiam, qui Iesum custodiebant, non sunt condemnati? Sed illi quidem multati sunt:: Isti autem scientes veritatem, & ipsam occultantes à principibus Sacerdotum seruati sunt.* Sic principes mendacem seruant. Vt fraus, & mendacium in aulis prævaleant, dictum latius est tom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 2. §. 5.

§. XIIII.

A rerum vetitarũ propinquis, vel minimis, vel vmbris maximè cauendum.

EXpende principum Israelitarum cautelam erga Gabaonitas; aiunt enim: *Iurauimus illis in nomine domini Dei Israel, & id circo non possumus eos contingere.* Sanè iurauerant Israelitæ Gabaonitis, quod *non occiderentur*, at minimè iurauerãt, quod non tangerentur. Cur modo iuramenti prætextu dicunt, Non possumus tangere eos? Dum non occidant, quid interest, quod tangant eos? Equidem quando ab occisione abstinere debebant, prudentissimè vel à tactu eorum cauebant; tam longo enim debet quis esse à re vetita, vt nec minimis, & remotissimis vmbris eius acquiescat. Ex quo conficiebat Athenagoras in

Apolog. Apolog. quam puri erãt Christiani ab omni homicidio, quandò nec spectacula adibant, vbi gladiatores sese mutuo occidebant. Ait enim: *At nos cum proximum occisioni esse iudicemus occidi videre, prohibuimus huiusmodi spectacula. Quomodo igitur, cum ne spectemus quidem, vt ne piaculo nos contaminemur, & scelere, interficere possumus?* Sanè, vt quam longissimè essent ab homicidio primi Christiani, vel conspectum, nec dum tactum homicidarum, & occisorum fugiebant. Nec miror, quando illicitorum, vel imago, vel remotissima vmbra caueri maximè debet. Marcion hæreticus carnem humanam indignam putabat, quæ assumeretur à Deo, & ideò solã eius imaginem, seu figuram assumptam credebat. Quem incon-

Tertul. sequentiæ notat Tertul. lib. 3. eo maximè, quod si caro indigna Deo erat, ab illaque Deus fugere debebat, & etiam vel fugeret à figura eius. Ait enim: *Si aspernatus est carnem, vt terrenam, & vt dicitis, stercoribus refertam, cur non & simulacrum eius proinde despexit? Nullius enim dedignandæ rei imago dignanda est, sequitur statum similitudo.* Quippè ad puritatem Dei conducit non solam dedignandæ rei fugere substantiam, sed vel imaginem, vel similitudinem, vel vmbrã. Quis enim sapiens vel vmbram non fugit eius, quod sibi putat disconueniens? Dan. 3. aiebant tres pueri illi Hæbræi: *Notum sit tibi, o Rex, quod statuam tuam non colimus.* Circà quæ D. Zeno serm. 7. de tribus pueris ait: *Regis adorare imaginem contemserunt, vt pote, qui ipsum cõtemserant regem.* Ex quo regem habuerunt in contemptu, & imaginem, & vmbram eius cauebant. Hinc Ioan. 1. canon. 5. monebat. *Filioli custodite vos à simulacris.* Nec simulacrum, sed solus simulacri cultus erat homini pernicioſus. Cur ergo non magis cautelam indicit à cultu simulacrorum, quam à simulacris ex se inno cuis? Tertul. lib. de corona militis: *Ioannes, Filioli, inquit, custodite vos ab idolis: nõ iã ab idolatria, quasi ab officio, sed ab idolis, ab ipsa effigie eorum.* Non solum enim ipsum per se malum cauendum est prudentibus; sed vel effigies, vel vmbra eius maximè fugienda. Vt qui fugit vmbram, magis creda tur fugere veritatem, iuxta id, quod ait D. Zeno lib. 1. serm. 12. *Qui non diligit eius similitudinem, sequitur, vt oderit veritatem.* Sic ibi.

Dan. 3.

Ioan. 1.

Tertul.

D. Zeno.

§. XV.

Vel reprobi homines ingẽtes vtilitates Dei populo afferunt, interquas ipsi pereunt.

QVam aliter se habuit Iosue cũ Raab; ac cum Gabaonitis; Raab supra, cap. 2. admissa est ad Dei populum, de illa enim, & cognatis eius dicit: *Habitauerunt in medio Israel, &c.* De Gabaonitis autem solum dicit in præsenti: *Non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque cõportans in domum Dei mei.* Non admittuntur in populum Dei, sed obsequio deputantur diuino, vt materias comportent necessarias ad perficienda sacrificia. Et cur cum non admittantur in Dei populũ, sic permittuntur inter Israelitas viuere, vt multa præstent necessaria diuino cultui? Id factũ credideris, ne Dei electos estimes ex solis tẽporalibus vilitatibus per illos Dei cultui exhibitis. Sũt enim in Ecclesia Dei, in religiosis familiis, qui magna, & præstantissima præstẽt tẽporalia obsequia, qui tamẽ reijciendi sunt

quia

quia fructum ſpiritualem exhibent nullũ. In hanc me cogitationem impulit D. Iſidor. Hiſpalen. in præſenti, cap. 11. inquiens: *In Gabaonitarum figura illi oſtenduntur, qui de mundo ad Eccleſiam venientes, habent fidem in Deo, & inclinant caput Sacerdotibus ſanctis, quibus miniſtrant, & ſeruiunt & aliquid vtilitatis impendunt ad ornatum etiam Eccleſiæ, vel miniſterium prompti ſunt: in moribus vero ſuis, & conuerſatione priſtina detinentur involuti veteribus vitijs. Et præter hoc, quod Deo credunt, & erga ſeruos Dei, vel Eccleſiæ cultus videntur eſſe deuoti, nihil habent emẽdationis, vel innouationis in moribus. Tales igitur, tantum modo quaſi quoddam ſalutis ſignum intra Eccleſiam temporaliter perferunt; inter ſanctos Dei regnum æternum minime conſequuntur.* Quid ſapientius? Sed quid magis metuendum poteſt dici? Non ſufficit, quod intra Eccleſiam ſis, quod in religioſa adſcribaris familia, quod multa ibi Dei populo vtilia præſtes, ſi inte nihil nouitatis vitæ exhibeas. Eſt iudex zelo plenus aduerſus publica vitia, qui ſtrenuã operam nauat populo Dei, in illiminandis iniurijs ciuium; in perdendis furibus, maleficis, homicidis; interea tamen ipſe ſolum veterem hominem in ſe exhibet, obuolutus antiquatis vitijs, nec vllam morum innouationem præſtat. Talis licet dum inter nos viuit, aliquod videatur portare ſalutis ſignum, tandem ad regnum Dei minime eſt peruenturus. Eſt ciuis in religionis cultu pius, ſedulus in altaribus ornandis, in ſtruendis templis, in Sacerdotibus ſuſpiciendis, quibus multa, & vtiliſſima exempla præbet Chriſtianæ Reipnblicæ; at ipſe cupiditatum cæno obuolutus, in vitiorum ſalebra hærens firmat damnationẽ ſuam. Eſt doctus ſcriua in religioſa familia, qui vel ſcriptis, vel voce, vel principum familiaritate ingenti ſplendore, & vtilitate cumulatiſsime magnam Dei domum impleat; qui tamen veteri conſuetudine obſtrictus ſordidiſsimam in ſe præfert vitam, vt æternam damnationem incurrat. Sic Ieſus in ſua reprobos admittit vtiliſsimos, qui multa bona præſtent populo Dei; nec præſtita hæc ſufficiant illis ad ſalutem; quia veteri ſemper inhæreſcunt vitiorum conſuetudini. Quò refero illud Iſaiæ, cap. 45. de Cyro; ait enim: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius Gentes, & dorſa regum vertam. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo:: Et dabo tibi theſauros abſconditos:: Propter ſeruum meum Iacob, & Iſrael electum meum, & vocaui te nomine tuo, & aſſimilauite, & non cognouiſti me, &c.* Equidem Deus exaltauit Cyrum ad regnum opulentiſsimum, fecitque illum triumphatorem nationum, ſpoliatorem regnorum ditiſsimorum, & vocauit illum nomine ſuo, vt vocabat electos ſuos Iſaac, Abraham, & Iacob, adeò vt videretur Cyrus ad hos pertinuiſſe, quando Iſraelitas maximè diligebat, eoſque promouebat, & tandem eos ad patriam fecit redire, templum reædificari luſsit, inſtaurari ſacrificia, tanta cura, & ſedulitate, vt nullus regum Iſraelitarum id maiori deuotione perficeret. Quid denique inter tanta officia Dei populo exhibita fecit Cyrus? Ait: *Et non cognouiſti me.* Vbi D. Hieron. *Tu autẽ non cognouiſti me, id eſt, ſimulacra coluiſti; & non Deum.* Inter tot triumphos de hoſtibus Dei reportatos, inter tantam ſcientiam veri numinis, inter tot munera populo Dei exhibita, inter templi reædificandi curas, & impenſas, inter inſtaurata ſacrificia quæ offerrentur Deo vero, & viuo, adhuc hærebat priſtinis Idolis, priſtinaſque retinebat vitiorum conſuetudines; vnde miſerabiliter in peccatis ſuis fuit occiſus. Hæc eſt miſera multorum reproborum conditio, qua multa exhibentes Dei populo vtilia, reprobi maneant, dum priſtinis idolis inſiſtunt.

D. Iſid.

Iſaiæ 45.

Hieron.

Ioſue 9. Nunc autem in manu tua ſumus, quod tibi bonum videtur, fac nobis. Fecit ergo Ioſue, vt dixerat, & liberauit eos de manu filiorum Iſrael, vt non occiderentur. Decreuitque in illo die eos eſſe in myniſterio cuncti populi, & altaris domini, cædentes ligna, & aquas comportantes vſque in præſens tempus, in locũ, quem dominus elegiſſet.

§. XVI.

Viri fortis eſt, non ſolũ in magnis, ſed etiam in vilibus ſegnauiter, & ſtrenue gerere.

MIrabar alacritatem Gabaonitarũ in ſuſcipiẽdo vili munere cẽdẽdi ligna,

aquaſque portandi ſibi à Ioſue impoſito, aiunt enim: *Nunc autem in manu tua ſumus, quod bonum tibi videtur, fac nobis.* Quid magis ſeruile, quam illud, *in manu tua ſumus*? Hinc Pſal. 122. æſtimat ſeruorum conditionem, dicens: *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum.* Et quod ſummum ſeruorum eſt, vt in manu dominorum penitus ſint, hoc Gabaonitæ profitentur, primo ſeruitutis die, dicentes: *Nunc autem in manu tua ſumus.* Nec quia ignaui eſſent, & imbecilles, tam alacriter ſeruile munus arripiunt, de illis enim ait infra, cap. 10. *Vrbs magna erat Gabaon, & vna ciuitatum regalium, maior oppido Hai, omneſque bellatores eius fortiſsimi.* Itaque in regia ciuitate orti, & fortiſsimi viri, primo die profeſſæ ſeruitutis ſe in eius ſummo conſtituunt, aientes ad Ioſue: *In manu tua ſumus.* Et cur regij homines, & fortiſsimi non magis detrectant ſeruitutem? Cur non magis expauent ad vocem operis adeò ſeruilis? Cur potentiſsimi curiales non palluere magis ſub lignariorum, & aquariorum munere? Habuerunt hoc Gabaonitæ, & fortitudinis, & ingenuitatis ſuæ manifeſtum indicium, quod vel coniecti in munus viliſsimum, in eo excipiendo, & exercendo ſtrenue ſe gerant, non ignauiter, & remiſſe. Ioſeph ille Iacobi filius ad regnum deſignatus à primis vnguiculis, deuenit ad ſtatum ſeruitutis, ſeruus factus domini Ægyptij: & ait Gen. 39. *Inuenit Ioſeph gratiam coram domino ſuo, & miniſtrabat ei; à quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum, & vniuerſa, quæ ei tradita fuerant, &c.* Sed cur puer regius, & qui regni guſtum vel in ſomnijs habuerat, non magis in vili ſtatu ſeruitutis ſeruilibus oneribus ſuccumbebat? Quia regius, quia ingenuus, quia magnæ virtutis, & fortitudinis erat; ad hos enim pertinet, in quouis munere ſibi obiecto ſtrenue, & fortiter ſe gerere. Ait D. Amb. epiſt. 7. *Ioſeph non proſapiæ nobilis conſcientia, quaſi germen Abrahamidarum, dedignatus obſequia vernacula, faſtidiuit degenerem conditionem; ſed magis gnauum ſe, & fidelem herili imperio præbuit, alto intendens conſilio nihil intereſſe in quo ſtatu quis probabilem ſe præſtaret, ſed illum eſſe finem bonorum, vt in quocumque ſtatu probarentur: illudque præcipuum, ſi magis mores cõmendarent ſtatum, quam ſtatus mores. Etenim quo ſtatus inferior, eo virtus eminẽtior.* Sic ingenuus adoleſcens, & regia proles ad ſeruitutem deueniens, non faſtidiuit vernacula exercitia, ſeruilia miniſteria; ſed quo animo nobiliori, & validiori erat, eo magis ſtrenue, & ſedule ea perficiebat. Non enim ſtatus, ſed virtus oſtendit animum, & fortem, & regium; ingenuorum, & validiſſimorum eſt, in quouis ſtatu non ſe oſtendere degeneres, ſed illum gnauiter, & feliciter implere. Hinc Ioan. 13. de nobiliſſimo Dei filio Ieſu ait: *Sciens, quia omnia dedit pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua. Et cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe, &c.* Dum explicare vellet, vt Ieſus alacriter ſeruilia acceperit officia, aquam portans ipſe ad lauandos diſcipulorum pedes, prius incipit eius regiam, & diuinam proſapiam exprimendo, etenim ait: *Sciens quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit*; tunc addit: *Surgit a cœna, ponit veſtimenta ſua. Et cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe, miſit aquã in peluim, & cepit lauare, &c.* Abrahã Gen. 8. viſis tribus peregrinis aiebat illis: *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne pertranſeas ſeruum tuum, ſed afferam paxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri.* Vt bene notat Orig. in Ioan. 13. non ipſe Abraham aquam ſumit, neque eam portat de facto, nec lauat peregrinorum pedes, ſed tantum ait: *afferam paxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri*: Ieſus autem non offert, non promittit, ſed de facto exhibet miniſterium, ipſe aquam portat, ipſe mittit in peluim, ipſe lauare cœpit, quæ alacrioris animi eſt diligentia. Et cur in hoc reſpectu Chriſti Ieſu remiſsius Abrahamus egit; cum Ieſus adeò alacris, & ſtrenuus in eo ſeruili opere ſe geſſerit? Cauſam inſinuat Ioannes illis verbis: *Sciens quia à Deo exiuit, &c.* Vt enim regalior erat Ieſus, & nobilior Abrahamo, ſic redactus ad formã ſerui alacrius, & expeditius ſeruilia munera omnia implebat. Ait D. Chryſoſt. ibi. *Quid additur, A Deo exiuit, & ad Deum vadit? Hoc eſt digna eo facit, qui inde profectus eſt: Non enim priuſquam diſcumberent, ſed poſt omnium diſcubitum ſurgit à cœna, inde non ſimpliciter lauat, ſed ponit veſtimenta ſua, ac linteo ſe præcinxit. Neque his contentus, ipſe peluim impleuit, ipſe nemine iuſſo, omnia fecit, exemplo docens, non remiſſe, & frigide opera, ſed quam diligentiſsime facienda.* Equidem innata nobilitas in ipſis operibus ſerui manifeſte clarebat; vt enim remiſsi ſerui eſt officia ſolum offerre, nec exhibere; ſic diligentiſsimi ſerui eſt, non offerre, ſed de facto præſtare, & nihil prætermittere eorum, quæ ad exactam ſeruitutem pertinent. Sed talem ſeruum nouit ſolus agere ille, qui à natura vere Dominus erat. Vt dicat D. Auguſt. hom. 1. in præſenti:

Pſal. 122

Gen. 39.

D. Amb.

Ioan. 13.

Orig.

Chryſoſt.

D. Aug.

sentì: *Cum se sciret à Deo exisse, & ad Deum pergere non domini Dei, sed hominis serui impleuit officium.* Non quidem de tractauit seruilis formæ, quam subierat, officium implere. Hoc est enim validissimæ, præstantissimæque mentis, quod strenue, & perfecte ad impleat munus, ad quod redacta fuerit. Aiebat Psalm. 16. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Et scirè cupis quæ scientia, vel quæ sapientia transfundatur à diebus, noctibusque? Ait Theodor. ser. 4. de Natura hominis: *Hanc eamdem legem dies, ac nocles indesinenter obseruant; neque cum protenduntur superbè se efferunt; neque cum contrahuntur iniquo animo ferunt, sed alternis vicibus tempora mutando, rursus cum ratio ipsa exigit sine vlla disceptatione debitum soluunt, neque in vicem reluctantur, sed quietissimè accipiunt; reddùtque.* Tam quieti in Decembris angustias dies veniunt, quam in Iunij latitudinem. Vt sic doceant humanas mentes, quid facere debeant.

Psal. 16.

Theod.

§. XVII.

Exuat omnino veterem hominem, qui ad mensam filiorum Dei admitti volunt.

AD ministerium portandi aquas, & ligna cædendi pro Sanctuario, & altare Dei Gabaonitæ admittuntur, minime ad discumbendum cum filijs, sed ad laborandum cum seruis. Ait enim: *Decreuitque eo die eos esse in ministerio cunctì populi, & altaris domini cædentes ligna, &c.* Quibus constat deputari Gabaonitas, vt altari seruiant in lignis cædendis, & aquis portandis, sed non constat de putari, vt de altario edant. Et quando illis labor indicitur, cur non offertur illis, & mensa? *Dicebantur in principio capitis esse induti veteribus vestimentis.* Vnde non miror, quod relinquantur in seruorum labore, & non admittantur ad filiorum mensam, quæ solum capit eos, qui vniuersam vetustatem exuerint. Aiebat Psalm. 127. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Expende, quibus comparandi sint filij, qui in Dei mensa accipi debèt, nimirum, *sicut nouellæ oliuarum*, vt primus illorum gressus sit, quod exuta vetustate nouis vitæ luminibus splendeant. Quod sapienter ponderat D. Chrysost. in epist.

Psal. 127.

Chrysost.

ad Ephes. hom. 4. inquiens: *Filij enim tui, ait scriptura, sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Nihil hic vetustum, nihil immite, nihil acerbum. Tales enim nouæ plantulæ ad proferendam bonã frugem, fructum sanè quam admirabilem accomodæ sunt. Sed & fortes, & vegetæ sunt, ita vt omnes consistant in circuitu mensæ salutaris.* Expende illud: *Nihil hic vetustum, &c.* arcendâ in primis est vetusta vita ab hac mensa, in qua acquiritur æterna salus. Non in vetustate, sed in nouitate vitæ ambulandum ei est, qui velit filiorum Dei mensam participare. Vt moneat Paul. 1. ad Corinth. 5. *Expurgate vetus fermentũ, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non infermento veteri, &c.* Vbi non agnus de ouibus, sed Christus de Deo, & virgine comedendus proponitur in altari, qui eo accubiturus accedit, necessum est, vt exuat omnem vetustatem, & quasi nouo vitæ splendore vestitus appareat. Ait ibi D. Ansel. *Nouã itaque conspersio debemus esse, id est, omnes innouati, & infusione Spiritus Sancti vnum per charitatem effecti, vt pascha manducare simus idonei, quia pascha nostrum immolatus est Christus, ad cuius esum inuitamur.* Vbi de altare sumere Christum debemus, omni veteri homine debemus spoliari, vt innouati tantum epulum percipere mereamur. Nemo enim vinum nouum mittit in vtres veteres, disrumpentur enim quamprimum illo hausto. Sic Matth. 9. accesserunt discipuli Ioannis ad Iesum dicentes: *Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Meritò dolebant se ieiunos esse, cum viderent discipulos Iesu saturos, & minimè ieiunantes. Et cur ij saturi, illi ieiuni? Ait Dominus ibi: *Numquid possunt filij sponsi lugere, quandiu sponsus est cum illis? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur, &c.* Expende hanc vltimam rationem nimirum, *Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres;* quippè cum rationem peterent illi, cur ipsi ieiuni essent, Apostoli autem saturi? pulchrè respondit obijciens illis vetustatem vitæ, in qua erant, & propter quam non debebant admitti ad epulum diuinum. Ait Paschasius ibi: *Contra eos ista dicuntur, conquirentes, quare nos, & Pharisæi ieiunamus, discipuli autem tui non ieiunant? Id circo mox audiunt Euangely præceptã dum in vetustate*

Ad 1. Cor. 5.

D. Ansel.

Matth. 9.

Paschas.

sunt, seruare nequaquam posse. Et ipsi vires vinum nuptiarum continere non poterant. De quo Architriclinus sponso dixit: Seruasti bonum vinum, vsque adhuc. Quod denique vinum, nec dum Pharisæi quibant ferre vetustate corrupti. Vires autem noui, scilicet Apostoli & eorum imitatores, illo replebantur. Ecce tibi ieiuni erant à cœlesti vino, qui in vetustate erant, qui veterem hominē in se amabant nutrire, ideò miseram inediam patiebantur. At vero qui in nouitate vitæ ambulabant, non poterant videri ieiuni, sed semper saturi diuino conuiuio. Quo respiciens
Psal.118 Psalm. 118. aiebat etiam queribundus Dauid: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando consolaberis me? Quia factus sum sicut vter in pruina.* Vter in pruina tugatur, vetustatisque faciem induit, ideò Dauid talem se factum dolebat ob defectum consolationis diuinæ. Cur ergo, ait, subtrahit mihi Deus suam consolationem, quando præ senio rugor, & cōtrahor, sicut vter in pruina, qui promit vetustatē suam? Ideò sanè subtrahitur consolatio diuina, quia vetustatem exhibes, diuinæ autem consolationis vinum non iungitur vetustis.
Pascas. Ait Pascas. lib. 5. in Matth. *Pruina infidelitatis procul dubio istos congelauerat, id circo vetustate consumpti mustum Euangelicæ prædicationis suscipere nequibant, neque præcepta seruare. Quod bene dispensator salutis prouidens nouas vires de prælo crucis replet ebrietate spiritus, veteres autē vacuos deserit, ne peior scissura fieret.* Sic veteres vtres reijciuntur, & noui admittuntur, vt cœleste capiant vinum. Quo etiam spectans
D. Basil. D. Basil. in Psal. 32. ait: *Vtres noui in Euangelio nominantur, qui de die in diem vitæ genus renouant, & vinū nouum de vera vite capiunt. Qui veterem hominem nondum deposuerunt, vtres sunt veteres, quibus neutique commisti potest infusio vini noui. Nemo enim mittit vinum nouum in vtres veteres, ne vinū effundatur, & illi vtres prorsus dispercant, nulla enim venia digni, si bonum ac nouum effundant merum.* Qui in vetustate est, non ad conseruationem, sed ad effusionem cœleste excipit merum, quo aditum occludit ex se veniæ, vt qui tantas diuitias perdit.

CAP. DVO DEZIMVM.

Quinque regum expugnatio.

Textus Historia.

GABAONITARVM Fœdus cū Israelitis male audiuit apud Adonisedech regem Ierusalē; qui missis nuntijs quinque Amorrhæorum reges viciniores conuocat, vt vna in Gabaonitas irruerēt. Igitur Adonisedec rex Ierusalem, Oham rex Hebron, Pharas rex Ierimoth, Laphia rex Lachis, Dauir rex Eglon iunctis viribus Gabaoni tarū expeditionem adoriuntur, eorumque Regiam ciuitatem Gabaon validissimè oppugnant. Sed profuit oppugnatis recens amicicia firmata cum Iosue, qui monitus de amicorum periculo per eorum nuntios, & certus de victoria oraculo diuino, validissimam pugnatorum manum instruit, nocturnis tenebris pergit, primaque luce hostes percutit improuisos, & ab amicorum mænibus fugat. Dumque miseri fugientes, & palantes ab Israelitis percutiuntur, maiorem in cladem incidunt, cælitus enim lapidibus emissis acrocior illos tempestas involuit, quæ penitus homines absumit. Veritus tamen Iosue ne tantæ victoriæ dies deficeret, diuino plenus halitu Soli imperat, retardet tantisper cursus suos, donec Israelitarum hostis superfit nullus. Iosue dixit, Sol autem anhelantis flammæ cursus infrænans, per insolitas diei moras dilato vespere lucem fixus astrinxit. Nec Luna suis legibus mota pigræ stationis limen excedens, ordinem consueti gressus exercuit, vt sic iam vero Iesu famulatura sydera notarentur. Supererant adhuc tot hostibus quinque eorum reges, qui latibulum quæritantes, confugerant ad notam speluncam iuxtā vrbem Maceda. Quod vbi nuntiatum fuit Iosue, iubet ingenti saxo obturari os speluncæ, militesque adhiberi, quiobseruent, ne vllum latentibus detur effugiū. Mane nouo post aliqualem quietem militum, nullo iam perstrepente hoste, educuntur reges e carcere speluncæ, quos seuerus Iosue suorum pedibus conculcari iubet, deinde interfici, mox agi in crucem; quà pependerunt vsque ad vesperam diei, & inde sublata cadauera multis lapidibus in primā speluncā obruta fuere. Quorum strage maxime confirmatus Israelitarum exercitus ad alias euolauit ciuitates, quas cum regibus suis funditus euertit. Hæ fuere Maceda, Lebna, Lachis, Gazer, Englon, Hebron; omnemque terram montanam, & cāpestrem; à Cadesbarne vsque ad Gazam, & Gosem vsque ad Gabaon suæ ditioni Israel iuxta præceptum domini subiecit.

PARS MORALIS circa textum.

STante Sole ad vocem Iosue, optimum erit, quod stylus pergat, & tanti ducis victorias in nouam lucem, nouumque solem impellat, quod vitiorum magis suspē dat tenebras.

Iosue cap. 10. Quæ cum audisset Adonisedec rex Ierusalem, quod scilicet cæpisset Iosue Hai, & subuertisset eam (sicut enim fecerat Iericho, & regi eius, sic fecit Hai, & regi illius) & quod transfugissent Gabaonitæ ad Israel, & quod essent fœderati eorū, timuit valde. Vrbs enim erat Gabaon, & vna ciuitatum regalium, & maior oppido Hai, omnesque bellatores eius fortissimi. Misit ergo Adonisedec rex Ierusalem ad Oham regem Hebrō, &c.

§. I.

Summa miseria est in ipsis discriminibus non sibi homines cauere.

EX notis validissimis vrbibus euersis, & ex fœderato Gabaon cum Israele timens Adonisedec rex Ierusalem, misit ad quinque Amorræorum reges, qui secum veniant in bellum aduersus Gabaonitas. Sic enim ait. *Misit ergo Adonisedec rex Ierusalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharam regem Iarmoth, ad Iaphia quoque regem Lachis, & ad Dauir regem Englon dicens: Ascendite, & ferte præsidium, & expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Israel.* Sic Adonisedec rex Ierusalem visa euersione Iericho, & Hai, & fœdere Gabaonitarum aduersus eos exurgit. Cur non magis Gabaonitas imitatur, & fœderatur Israelitis? Cur non magis ex clade Iericho, ex Gabaonitarum fœdere cauet sibi, & pugnas fugit? Sanè si gladium strictum habuisset, post auditas euersiones Iericho, & Hai, post Gabaonitas fœderatos hostibus, illum ponere, & claudere in vagina debuisset; at stulta impiorum mens eo deuenit miseriæ, vt nec sapiat in periculis constituta. Dum Ioppè vastabatur à Romanis, Iosephus Iudæus atrocitate cladis victus, sese dedit Romanis captiuum. Audita fuit Ioppe vastatio, & Iosephi deditio à Ieroſolimitanis, quid tunc illi? Rem præsenti similem expendit Egesippus lib. 3. cap. 21. *Vbi Iosephum apud Romanos degere compertum, tanto odio prosequebantur, vt cuius primo mortem dolebant, eiusdem vitam, vel ignauiæ, vel proditionis indicem testarentur. Hinc maior in Romanos commotio, vt se de Iosepho vlciscerentur. Et quo magis eorum res inclinabatur, eo amplius in bello accendebantur. Vbi finis esse debuerat, inde exordium malorum capessebatur. Nam sapientibus aduersi exitus rerum ad cauendū magis documento sunt, ne rursus eadem accidant, quæ in male cesserunt, imprudentibus autem incentiuum miseriarum. Debuerat ergo Ieroſolymitanis causa sobrietatis esse sociorum periculum, sed quia noluerunt intelligere, vt bene agerent, in exitium vertit.* Ecce tibi vt clades sapientibus solent esse documentū ad cauendum, insipientibus incentiuum sunt miseriarum; & qui de visis cladibus cautelam deberet excipere, audaciæ excipit materiam, qua pereat. Hæc sanè est notissima conditio eorum, qui irremediabiliter ad exitium tendunt, qui quidem nec in periculis sapere nouerunt. Quis ignoret famem illam, qua Samaria opprimebatur tēpore Elisæi? Eò fames deuenit, vt fœminæ duæ paciscerentur de filijs comedendis. Quid tunc? Ait textus 4 Reg. 6. *Quod cum audisset rex scidit vestimenta sua: & ait rex: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisæi, &c.* In tanta famis calamitate, vbi matrum auditur rabies filios comedentium, non est, qui sapiat, & quærat verum Deum, quin imò rex bellum instaurat aduersus Deum, mortē minitans eius prophetæ. Quanta hæc miseria? Sapienter ait D. Aug. ser. 211. de tempore: *Proh nefas! Horrenda cadauera, & columbarum stercora peccator populus vescitur, nec Dei cultum quærit. Inquinatas carnes, & horrendas escas fames, & necessitas posuit, & adhuc figmentum hominum duritia colit. Pabula denegantur, & illicita a peccatoribus exhibentur.* Plane extremæ miseriæ est argumentum, quod impij, vel in medijs calamitatibus constituti, non

Egesippus.

4. *Reg.* 6.

D. *Aug.*

non cauant receptui, sed maiora instaurẽt continuo bella. Et vnde cautelam deberent adiscere, qua finem imponerent pugnis aduersus Deum; indese accingant, vt multiplicent offensas.

§. II.

Reprobi animi vile putant non ad maiora crimina audere, cum possunt.

AVdita Iericho, & Hai clade; & Gabaonitarum fœdere cum Israelitis Adonisedech rex Ierusalem, & timet sibi, & vicinos reges conuocat, vt bellum aduersus Gabaon moueant. Dicit enim textus: *Timuit valde:: Misit ergo Adonisedech rex Ierusalem ad Oham regem Hebron, & Pharam regem, &c. dicens: Ad me accedite, & ferte præsidium, vt expugnemus Gabaon.* Cur non magis conuocat reges aduersus Iosue, quam aduersus Gabaon? Gabaonitæ vicini erant, & socij ab æuo; qui sine vicinorũ damno, fraudulento consilio salutem suam emerant. Iosue solus hostis erat, cum populo suo. Cur autem Adonisedech maluit rebellare in socios, & vicinos, quàm in publicos hostes totius Chananæorum generis? Nonne magis nefarium erat socios perdere; ea solum ratione, quod saluti suæ consuluerant; quam publicos hostes sui regni? Cur ergo arripuit, quod magis nefarium erat, dimittens, quod excusabile videretur? Vel cur non potius elegit Gabaonitarum fraudem æmulari, quàm eos adeò nefarie perdere? Parum erat ad reprobum animũ, si in paruis sceleribus, minimisque ausis immoraretur, cuius est semper adviciorum summa procedere. Furenti Sodomitarum populo in Loth, vt produceret illis angelicos iuuenes, quibus abuterentur; Loth vt populi rabiem leniret, duas offert filias virgines, Gen. 19. *At illi dixerunt, Recede, &c.* Non acquiescunt offerenti duas puellas virgines eorum libidini; sed maiori impetu pro iuuenibus instant. Et cur non magis acquiescunt in fœminealuxurie? Vt reprobi erant, sic fastidiebant mediocria vitia, currentes ad summa. Accinit Claudius Marius lib. 3. in Genes. inquiens. Gen. 19.

At ille volens populi mollire furorem
Insani, natas, quibus illibata manebat
Virginitas, offert, quoscunque optarit in vsus.
Ast effrœna cohors in deteriora profundi
Lapsa mali, vitioseſe immiscere minori
Vile putat, nisi se summis etiam implicet, &c.

Sic reprobi animi vile putant minoribus se immiscere criminibus, & summis inhiãt. De Iuda dixit Ioann. cap. 12. *Fur erat, & loculos habebat, & ea, quæ mittebantur, portabat.* Quando ergo omnia quæ Apostolis dabantur, portabat; cur non contentus est circa illa suum furtum exercere? Cur magis amauit nummos comparatos ex traditione magistri, quàm ex crumena communi? Reproborum nequissimus vile putauit nisi ad summum aspirauerit criminum. Ait D. Leo serm. 16. de Pass. *Vt finem tuæ cupiditatis expleres, patebant tibi furta de loculis. Sed animum interdictorum admonitum, quod minus licuit, amplius incitauit, nec iam placuit quantitas pretij, quàm magnitudo peccati.* Quid horribilius? Delectantur equidem isti summis criminibus, fastidiũt mediocria; & parua. Nec miror, quod sic afficiantur reprobi erga summa delicta; quando & iusti qui semel aliquod admisserunt delictũ, iam non nisi maximum aliquod præsumant. Matth. 26. Petrus iam primo negauerat simplici verbo Christum, tunc iterũ interrogatus de illo: *Iterum negauit cum iuramento, quia non nouit hominem.* Quo circa Sanctus Laurent. Iustinian. de triumphali Christi Agone, cap. 8. ait: *Iterum cum iuramento negauit Petrus, quia non nouisset hominem, addidit negationi iuramentum, vt peccans supra modum fieret peccator.* Nescit peccator in minoribus quiescere, nisi summa facinorum petat. Ioan. 12. D. Leo. Matt. 26. Agone 8.

§. III.

Ira, quod cupit malum, certo inferendum præsumit.

COnuocatis regibus dicebat Adonisedech; *Vt expugnemus Gabaon, &c.* non solum impugnandos à se Gabaonitas aggreditur, sed iam certò expugnandos præsumit. En stultissima irati animi præsumptio, semper quod cupit malum, non dubitat futurũ. De notissimo illo Goliath dicit text. 1. Reg. 17. post Dauidem visum, *Maledixit Philisthæus Dauid in dijs suis. Dixitque ad Dauid, veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & bestijs terræ.* Vbi notter posuit, *Maledixit*; explicat Chrysost. *Vsus magno verborum fastu tumultuabatur, armaturamque suam omnem monebat.* Sic plenus ira, & furore agebatur in Dauidem, faustuosisque verbis pueruli stragem à se 1. Reg. 17. Chrysost.

facien-

faciendam predicabat, vt daturus erat eius carnes auibus. Sed vndetam certo hostis inexperti carnes auibus promittebat? Sanè conceptus furor pro certo statuebat malum, quod inferre tentabat. Sapientissime
Paul. Or. ait Paulus Oros. lib. 2. cap. 16. *Expers consilij furor dolorem virtutem putat, quantumque meditatur iræ, tantum promittit audaciæ.* Hoc notissimum est quotidie inter iras humanas, iratus enim homo rabiem cordis sui, valentiam censet, & virtutem fortitudinis, qua sine resistentia possit, quod cupit inferre malum. Et inde prædicat minutatim quæ facturus est hosti, quasi in eo nullum sit dubium, nulla difficultas appareat. Sic de Holopherne in Achiorem irato ait textus Iudith. cap. 6. *Indignatus Holofernes vehementer dixit ad Achior: Gladius militiæ meæ transiet per latera tua, & confixus cades inter vulneratos Israel, & non respirabis vltra, donec exterminaris cũ illis, &c.* Sic barbarus explicabat singulariter vulnera, quæ Achiori illaturus erat post Israelitas deuictos, & quæcumque dictabat illi indignatio, faustuose effutiebat, reputans pro rebus confectis, quidquid suggerebat illi furor. Sed satius consolabãtur Achiorem Israelitæ dicentes: *Deus patrum nostrorum, cuius virtutem tu prædicasti, ipse tibi hãc dabit vicissitudinem, vt eorum magis tũ interitum videas.* Eu quam hoc commune est, quod patiantur illi malum, quod irati credebant se alijs illaturos! Exod. 15 Exod. 15. *Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare, &c.* Multa facturus præsumebat ira percitus; sed vel halitu Dei adeò versæ sunt res, vt omnia ipse perferret.

Iosue cap. 10. Castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam. Habitatores autem Gabaõ vrbis obsessæ miserunt ad Iosue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, & dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio seruorum tuorum, ascende cito, & libera nos, ferque præsidium, conuenerunt enim aduersus nos vniuersi reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis. Ascenditque Iosue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi.

§. IIII.

Regum notio ex bellis.

NOn duxi in præsenti prætereundum, quod locutus textus de ciuitatibus, & prouincijs Chananæorum, in singulis Regem memoret; cuius nutu omnia agantur. Vt Adonisedech rex Ierusalem, & Oham rex Hebron, & Phara rex Ierimoth; Iaphia rex Lachis, Dauir rex Englon, qui simul reges Amorræorum vocantur. Quorum fuit conuenire, exercitumducere, Gabaon oppugnare. In sola autem Gabaon vrbe nullus rex memoratur. Præcedenti capite solum dicitur: *Qui habitabãt Gabaon audientes cuncta, &c.* Modo ait solum textus: *Habitatores Gabaon vrbis obsessæ miserunt ad Iosue, &c.* Ad quatuor reges Amorrhæorum misit Adonisedech rex Ierusalem, vt simul conuenientes Gabaon oppugnarent; ad Iosue autem non rex Gabaon, sed habitatores vrbis miserunt. Et cur in sola Gabaon sic prætermittitur rex, vt nulla eius mentio appareat, quando reges primo in alijs nominantur? An quia non erat rex in Gabaon? Erat sanè sicut in alijs vrbibus, sed quia ipse solus ex vniuersis Chananæis bellum non cogitabat, sed pacem fraudulento consilio mercabatur: Ideò sic ibi reticetur, quasi nõ esset; & alij vniuersi nominantur, qui prælia, & certamina meditabantur. Regis enim notio ex bellis, & certaminibus magis inter homines clarere solet. Me in hanc cogitationem impulit id etiam, quod accidit in Iericho cap. 6. Ibi enim Iericho ostenditur clausa, vt nullus inde egrederetur aduersus Israelitas: explicatur amplius, vt circundatur vrbs, vt cadunt muri, vt Israelitæ intrant, & omnes perimunt, nec vnum permittunt euadere, & nulla in tota illa Iericho expugnatione, & clade mentio regis illius vrbis inuenitur: sed neque in cap. 7. dum oppugnatur Hai, auditur mentio regis illius; cap. autem 8. sic ait: *Quod cum vidisset rex Hai festinauit mane, & egressus est cum omni exercitu ciuitatis, &c.* Ecce tibi in duarum vrbium clarissimarum reges habentium censu nulla mentio regis facta est, vsque dum rex ostenditur procedens in certamina. Dũ

intra

intra vrbem clauditur rex, dum domi sedet, dum non tractat arma, dum non præliatorem agit; quasi non sit rex, sic silentio
D. Synes. obnubilatur. Aiebat D. Synes. lib. de regno ad Archadium: *Bellorum imperator artifex est, vti sutor calceamentorum.* Ergo vti etiam sutor; vel alius quispiam artifex ex operibus suæ artis noscitur, adeò vt minime faber habeatur, qui nulla opera fabrilia nouit, nec sutor, qui nullos vnquam fecit calceos. Sic nec rex, nec imperator inter homines celebratur, qui bella non tractat, vt quæ sunt opera regiæ artis. Quo forsam
Iob 19. spectat illud Iob, cap. 19. aiens: *Cum sederem quasi rex circumstante exercitu, &c.* Cū ait, *Quasi rex*, putat Caietanus significari non verum regem esse, sed formam tantū, & quandam similitudinem regis habere. Et quando circunstantem habet exercitū, cur dicitur quasi rex, hoc est, iuxta Caietanū, figura, & similitudo regis? Cur nō magis verus rex inde habetur? Rationem innuunt illa verba, *cum sederem*; qui domi sedet quietus, & si circum stantes habeat armatorum exercitus, merito rex verus non habetur, sed sola figura, & similitudo regis. Propria enim notio regis inde sumitur; si ipse cum res id exigit ad bella procedat.
1. Reg. 8. Hinc Israelitæ fastiditi iudices suos, petierunt regem à Samuele dicentes; 1. Reg. 8. *Rex erit super nos, & erimus nos quoque, sicut omnes gentes, & iudicauit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnauit bella nostra pro nobis.* Ecce tibi petunt regem, vt egrediatur in campum, & pugnet; sed hoc ipsum non posset præstare iudex? Cur ergo magis ad id regem volunt? Sapienter respō det Abbul. quæst. 237. in fine, id magis esse regum proprium; quippè regia dignitas inter bellicos tumultus floret. Quo spectans Theodohadus rex Gothorū de inauguratione sua locutus; qua rex creatus est;
Cassiod. 10 31. ait apud Cassiod. 10. Var. 31. *Authori nostro gratias humillima satisfactione referentes indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more maiorum scutorum suppo sito, regalem nobis contulisse, præstante Deo, dignitatem. Vt honorem arma darent, cui bella opinionem pepererant. Non enim in cubilibus angustus, sed in campis late patentibus electum me esse noueritis; nec inter blandientium delicata colloquia, sed tubis concrepantibus sum quæsitus; vt tali fremitu concitatus desiderio virtutis ingenitæ Regem sibi Martium Geticus populus inueniret.* Sic Rex vere regius merito extollebatur, quod fuerit non domi, sed in cāpo, inter bellicas tubas, inter strictos aduersus hostes gladios inauguratus.

§. V.

In conspectu diuini gladij, eò perueniemus; vt ea, quæ modo hostilia videntur, appetamus, & amata fugiamus.

QVi dura obsidione opprimebantur Gabaonitæ, vicinorum suorum tela fugientes, ad Israelitas confugiunt, qui notissimi hostes omnium Chananæorum habebantur. Sic dicit text. *Habitatores Gabaon vrbis obsessæ miserunt ei, Ne retrahas manus tuas ab auxilio seruorum tuorum, &c.* Quam hoc mirabile! Chananæi homines ad notissimos Chananæorum hostes confugiunt, ab illisque auxilium, & præsidium expectant, & socios suos, & finitimos suos, & vicinos suos prorsus pauent. Vnde hoc? Vnde Gabaonitæ Chananæi sperant de Chananæorum hostibus auxilium? Notanter dicebat textus: *Habitatores Gabaon vrbis obsessa miserunt ad Iosue*, quippè arcta obsidio sic fecit homines sapere, vt vicinos hostes putent, & comunes hostes auxiliatores clament. Glossa ex Ioseph lib. 5. cap. 1. ait: *Gabaonitæ videntes se peti, & hostes ad oppugnationem expediri, Iesum in auxilium aduocant. Ad hoc enim ventum erat, vt à suis quidem perimi se putarent, & ab eis, qui in interitum Chananæorum venerant, saluari se existimarent.* Eo deducti sunt arcta illa obsidione, vt in amicis mortem viderent suam, in communibus hostibus vitā, & salutem, & plenam incolumitatem. Proh Deus immortalis, quam certo hoc omnibus hominibus accidet, cum in arcto mortis ponantur, cum iam iam diuinæ iustitiæ militibus cingantur. Tunc sanè eo deuenient, vt à suis perimi putent, hoc est, à rebus sibi amicis, cum quibus vixerant; quas in proximo amabant, tanquam à veris hostibus timeant, & fugiant; & ab eis; quæ in interitum hominum venisse putabantur, saluari se existimabūt. Quid magis homini modo hostile, quam mortificatio, quam ieiunium, quam clamores pauperum? Quid magis amicum, quam diuitiæ, quam voluptas, quam conuiuia, quam dignitates? Hæc modo quærūntur, coluntur, vt amica seruantur, illa timentur, reijciuntur. Sed eu cum ingruētibus hostibus coarctetur anima,

ma; cum cogatur exire è carne, cum vndique videat strictos diuinæ iustitiæ gladios; quam vere cognoscet se à suis perimi, à proximis carnis desiderijs necari, illaq; detestabitur; vocabit autẽ, ieiunia, pœnitentiam, pauperes, quę in perniciem data censebantur, & in ijs veras diuitias, veram salutem positam clamabit. Dives ille purpuratus, qui epulabatur quotidie, nec iacentem videbat Lazarum, vbi obsessus satellitibus
Luc. 16. diuinæ iustitiæ fuit, Luc. 16. clamabat: *Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Quid mirabilius! Qui inter preciosissima pocula nutritus fuerat, qui fulgẽtibus vndique ministris cingebatur, sordidos, tabidosque pauperes fugiebat, & Lazarum præcipue aspernabatur; modo non vina præciosa, non ditia pocula meminit, non comptulum, cincinnatum ministrum vocat; sed vnum pauperem Lazarum, pauperiusque aquæ poculum, sibi clamat in refrigerium dari. Cur bone residuum aliquid vinorũ tuorũ non magis petis? Cur non ad refrigerij ministerium comptulum aliquẽ ex ministris tibi postulas dari? Cur magis recurris ad Lazarum, ad vilem potũ aquæ? Equidem vbi diuinæ iustitiæ gladijs cingebatur, eo deuentum erat, vt vere à suis se perimi putaret, & ab eis, qui in interitum suũ fuisse crediderat, saluari se existimaret. Me-
D. Zeno. rito dicebat D. Zeno serm. de Resur. *Ardoribus suis implorando refrigerium, Lazarum verum diuitem sero cognoscit.* Qui in fastidiũ, & penuriam, & crucem suam natus credebatur; tandẽ agnoscitur veri refrigerij fons, verarum diuitiarum radix: & detestans, fugiensque sua, illum vocat, pro illo in auxi-
Iob 33. lium clamat. Hinc Iob. cap. 33. ait: *Increpabat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit. Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis.* Præsignat hominem in vltimis constitutum, morborum satellitibus circũdatum, cui iam imminet telum diuini iudicij; huic ergo quæ in hac vita amabilia fuerant, iam horrori, & terrori esse incipiunt. Ait enim: Abominabilis ei fit cibus ante
Greg. desiderabilis. Proquo D. Greg. lib. 24. Moral. cap. 18. ait: *Solutioni ergo carnis appropinquans nonnunquam terrore vindictæ etiam iusti anima turbatur. Cui & siquid tranquillum in hac vita sapere potuit, mortis articulo interueniente concutitur, vt iure dici debeat abominabile, &c.* Quæ amica, & fauorabilia sunt in hac vita carnali, mortis articulo eũ aspectum induunt, quo tremorem, & sui abominationem pariant.

§. VI.

Iesus non patitur suos sub alterius dominio videri.

NVlla est ciuitas in toto Iosue libro, cuius cum mentio fit, non fiat etiam mentio illius regis; de sola Gabaon nunquam rex memoratur; siue enim fœdus ineundum sit, siue auxilium quærendum, id nõ regi tribuitur, sed ciuibus eius. Quippè in præsenti dicit: *Habitatores autem Gabaon vrbis obsessæ, miserunt ad Iosue, & dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio seruorum tuorum, &c.* Solent equidem in simi libus periculis reges prouidere auxilia suis ciuibus; ad eos namque præcipue spectat nuntios mittere, & præsidia quærere. Et cur in sola Gabaon, sic rex obmutescit, vt nil faciat, aut loquatur; vnde ostendatur esse? Cur habitatores Gabaon soli per se ipsos sine rege proponuntur mittere ad Iosue nuntios, & eius auxilium petere? Soli Gabaonitæ de omnibus Chananæis se Iesu seruos esse profitentur, dum aiunt: *Ne retrahas manus tuas ab auxilio seruorum tuorum.* Et merito, qui serui sunt Iesu ostenduntur sine alio rege; vt innuatur, quam proprium sit verissimi Iesu, quod non patiatur suos sub alterius dominio videri. Hinc Isaiæ *Isaiæ 35.* cap. 35. aiebat: *Deus ipse veniet, & saluabit vos.* Non equidem misit Angelum, aut legatum aliquem, qui salutem hominum procuraret, sed ipse Deus per se ipsum venire voluit, vt saluaret homines. Et cur id negotium non commisit alteri, nimirum Angelo? Ait D. Athanas. hom. in Euang. de Pas- *D. Atha.*
sion. & cruce: *Dominus immortalis, & incorruptibilis, & pro immortalitate sua bonus, & humanus, vt pote boni patris bonum Verbum, creaturam suam negligendam non putauit, neque permisit alium quenquam suorum operũ dominum esse.* Quisquis hominem redimeret, aliquod ius dominij supra hominẽ acquireret, ideò Dei filius cauit committere creatutæ alicui hominum suorum redemptionem; ne suum opus sub alio videretur esse domino: ne homo qui Dei erat, posset habere alium dominum, cui tantum bonũ redemptionis deberet, & cui par obsequiũ, ac Deo redderet. Hinc repulsi à Deo Iudæi sunt, & hinc admissæ sunt gentes. De Iudæis ait 1. Reg. 8. quod petierunt à Sa- *1. Reg. 8.*
muele regem, sicut habebant gentes Regẽ; proquo statim Dominus, *Non te*, ait, *abiecerunt*

cerunt, sed mē, ne regnem super eos. Et cur ex eo, quod vellent Iudæi sibi dari hominē regem, Deus se getit quasi excluſus ab illis; neque eis amplius se regnaturum fatetur? Cur admiſsio regis temporalis, eſt excluſio diuini regis? Volebant regem ad eum modum, quo gentes habebant reges, quibus pari cultu, & reuerentia animi seruiebant, ac dijs ſuis seruiebant. Quod maximè offenſiuum eſt diuinæ maieſtati, non enim patitur, quod ſui pari affectu, cordiſque cultu alteri seruiant. Nec miror; quod qui ſic afficitur ad dominos temporales, excludatur à Deo, ſicut excluſi Iudæi fuere. De gentibus autem admiſsis ait Prouerb. 31. *Regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas, &c.* Sub quibus verbis gentilitatem explicari putat D. Greg. lib. 31. cap. 12. Et merito gentilitas admiſſa à Deo ſignificatur per locuſtam, quæ non habet regem, quando quiſquis in Dei seruitium venerit, vnum Regem & dominum Deum agnoſcere debet, nec vllum alium colat, niſi propter Deum. Quam Theologiam nouit Eccleſia Gentium; quæ Chriſtum accepit vt vnum, & ſolum dominum, nec alios colere cæpit niſi propter Deū. Quo traho Anaſtaſium Nicenum quæſt. 46. qui ex hoc Prouerb. loco ait: *Regem non habebant gentes, in eas enim regnum obtinebat peccatū, nunc autem cum Deo crediderunt, cœleſtem militant militiam* Regnabat in Gentibus peccatum, regnabat Idolatria, regnabat Iuppiter, regnabant Imperatores, quos omnes miſeræ nationes pari affectu, pari cultu colebant. Et quando apud Gentes Imperator, aut rex Deus non extitit? Sed vbi illuminatæ fide ſunt, totum creaturarum regnum Deo poſtpoſuerunt, regem non habent niſi Deum; *cœleſtem militant militiam*, hoc eſt, vni Deo seruiunt; cæteris propter Deum. Is enim eſt Deus verus, qui minime patiatur parem habere creaturam in imperio. Ipſe ſolus dominus, ſolus rex noſter eſſe debet; hoc eſt omnibus alijs anteponendus, & ſuper omnes colendus. Solus autem, qui Deum verum non colit, ſed idolis seruit, ſic habet Reges, vt eis pari cum dijs ſuis honore seruiat. Dan. 3. poſt conſtitutam regiam ſtatuam, vt adoraretur, ait: *Cadentes omnes populi, tribus, & linguæ adorauerunt ſtatuam auream, quam conſtituerat Nabuchodonoſor rex.* De quo ait D. Cyril. Alex. hom. Epheſi habita, quæ ponitur in Concil. Epheſ. tom. 6. cap. 12. *Deteſtandus Nabuchodonoſor auream ſtatuam erexit, vt omnes illam promi adorarent. Illi vero, quippe quibus vſitatum eſſet creaturæ creatoris loco ſeruire, paratiſſimi ad id corruērunt, incorruptibiliſque Dei gloriam in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis mutauerunt.* Expende illa: *Quibus vſitatum eſſet creaturæ loco creatoris*, quippe à creaturarum cultu facilis tranſitus eſt ad adorationem, vel vmbræ Regū: apud quos creaturæ dij habentur, nunquam non & reges temporales prēualēt incordibus eorū; & parem, imò ſuperiorem locum cum dijs tenent. Non ſic qui ad verum Deum tendunt, ij enim vnicum Deum habent dominum, reliquos omnes principatus non æſtimant niſi propter Deum, & poſt Deum. Felix, qui ſic vnum Deum ſpectat, vt nullum alium dominum videatur habere, is maximè firmabitur in Deo. Hoc in ſua diſcipula præſtantiſsimum volens Ieſus oſtendere, vt plorantem vidit Magdalenam ad monumentum, ait illi Ioan. 20. *Mulier, quid ploras? Quem quæris?* Non ignorabat, quem quæreret Maria, ſed oſtendebat, quam ſapienter illa nullum aliū, quam Ieſum quærebat. Vnde Orig. ibi: *Tu ſcis, quia te ſolum quærit, te ſolum diligit, pro te omnia contemnit, & tu dicis, Quem quæris? Tota pendet ex te, tota manet in te, tota ſperat de te, Ita quærit te, vt quærens nihil cogitet, nihil quærat præter te.* Quid fœlicius?

Prou. 31.

Anaſt.

Dan. 3.

Cyr. Al.

Ioan. 20.

Orig.

§. VII.

Deus nunquam non aderit ijs, qui propter ſe malum patiuntur.

GAbaonitæ petunt à Ioſue auxilium, quod ipſe per ſe immediate præbet, aic enim: *Aſcenditque Ioſue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo, &c.* Non alteri commiſit Ioſue, quod amicis Gabaonitis auxilium ferret, vt ſolent facere mundiales reges, ſed ipſe per ſe iuit, & affuit oppreſsis. Et quando mundiales principes dū cibus ſuis committere ſolent negotium auxilij ferendi, cur Ioſue per ſe ipſum id præſtitit? Gabaonitæ malum illud patiebātur, propterea quod cum Ioſue, & Iſraelitis fœdus inierant, dicebant enim reges Amorrhæi: *Oppugnemus Gabaon, quare tranſfugerit ad Ioſue, &c.* Hinc merito Ioſue voluit per ſe adeſſe ijs, qui ſui cauſa in diſcrimine erant; in eo perfectiſsime verum Ieſum filium Dei exprimens, qui neſcit non adeſſe illis, qui propter ſe videt in afflictione eſſe. Tres pueri hebræi vt noluerunt auream ſtatuam adorare, vni & vero Deo adoratio-

nem

nem exhibentes, sic coniecti sunt per regis imperium in flammantem fornacem. Quid tunc? Inter flammas erant canentes Deo sine læsione vlla, quod vt videret accedens
Dan. 3. Rex Dan. 3. ait: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis est in eis, & species quarti similis filio Dei.* Cum tres missi essent in flammas, quartus alius cum illis apparebat, qui videbatur esse filius Dei. Sed quid filius Dei habebat cum flammante fornace? Si volebat tres illos pueros ab igne custodire illæsos; mandasset id negotium angelis suis, sic enim communiter facere consueuit, vt
Matth. 4. ait Dauid relatus Matth. 4. *Angelis suis mãdauit de te, &c.* Cur modo non etiam mandauit Angelis suis de custodiendis pueris illis? Cur maluit id præstare per se? Erant pueri illi in illo discrimine ignis propter Deum, is est autem Deus, qui nesciat per se non adesse ijs, qui sui causa mala susceperunt.
D. Zeno. Pulchre ait D. Zeno lib. 2. serm. 35. *Pice, & stupa armatum excitatur incendium æstuantibus globis, rubescit quoque ipsum alienis ignibus cœlum. Illic præcipitantur insontes; ibidem propter quem præcipitãtur, inueniunt.* Felix, qui in discrimina propter Deum venis; nullo præcipitaberis, vbi non tibi adsit Deus; quocũque perveneris iactatus propter Deum, ibi Deum ipsum inuenies, qui tibi adsit, magnumque sua præsentia indat refrigerium. Quo consilio pristini illi Christiani in cæmenterijs, in quibus martyrum corpora sepeliebantur, crucem erigebant, cuius rationem reddens D. Paulinus sic ait in rem præsentem.

Quam bene iunguntur ligno crucis ossa piorum.
Pro cruce vt occisis; in cruce sit requies.

Adeò Deus studet per se adesse auxiliaturus, & refrigeraturus eos, qui pro se patiuntur; vt & crucem suam prouiderit, nullo modo abesse à martyribus, qui pro illa mortem oppetebant, sed sub eius brachijs requiem acciperent. Vt enim crux Christi erat, sic non poterat non adesse illis, qui
Isaias 35 decumbebant propter illam. Isaiascap. 35. huc respiciebat dicens: *Deus ipse veniet, & saluauit vos.* Sic enim amauit Deus subuenire homini suo, vt quæ ad eius redemptionem pertinebant, ipse per se voluerit efficere, adeò vt non solum à cœlis in terram descenderit, sed & vsque ad infernum iuerit edducturus inde suorũ animas. Et cur hæc omnia ipsa per se voluit efficere? Cur non potiùs Angelis suis commisit, vt de inferno patres eriperent? Casus hominum magna ex parte inde occasionaliter venerat, quod natura humana vniebatur Dei filio,

quod ingentia dona ab illo accipiebat; inde enim raptatus inuidia diabolus conatus fuit hominem perimere, iuxta illud Sap. 2. *Sap. 2.*
Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Itaq; diabolus inuidens homini cõiunctionem cum Deo, inuidens item dona multa à Deo in homines descendentia, inuasit hominem trahẽs illum in mortem, trahens in carcerem inferni etiam iustos. Hinc Dei filius videns suorum beneficiorum occasione hominem tot diaboli inuidias pertulisse, non alteri eius redemptionem comisit, sed ipse venit auxiliaturus, & persecuturus hostem vsque ad infernum, & inde suos
Theod. edducturus. Ait Theodotus hom. 1. de Christi Nat. habita tom. 6. Concil. Ephes. cap. 9. inquiens: *Nefas enim erat, vt inuidia diaboli gratiam domini superaret; sed neque decebat, vt Dei donum diaboli insidijs quasi deuictum cederet. Et quid dominus facit? Accedit ad seruum non maiestate herili, non Angelorũ satellitia præmittens, non Angelorum phalangas ciens, &c.* Vbi Deus vidit hominẽ, propter suam cum Deo coniuctionem, inde accepta diabolicæ inuidiæ occasione, periclitari, non alijs commisit eius salutem, sed ipse per se venit ipse suum opus à potestate diaboli eripuit. Hinc Iob cap. 13. dice- *Iob 13.*
bat: *Et ipse erit saluator meus.* Non enim alium saluatorem sibi mittendum credebat, sed venturum ipsum Deum. Et vnde hoc putabat Iob? Cur non posset alius mitti? Omnia quæ patiebatur à Satana, ideò patiebatur, quia iustus erat, & simplex, & rectus, & perfectus Dei seruus; vbi autem Satanas cæpit mala inferre iustis odio Dei; Deus non defuit illis, sed statim venit auxiliaturus illis, qui sui causa tot mala præfere-
D. Aug. bant. Quo spectans D. Aug. quæst. 58. ex nouo testam. ait: *Postquam autem iustis multa mala intulit Satanas, Iob, Ioseph Ieremiæ, Isaiæ, Zachariæ, & cæteris prophetis, & iustis. Id circo cõmissus est Christus à Deo patre suo, qui illum vinceret, & se manifestaret.* Expende illa: *Id circo commissus est Christus, &c.* Qui iusti multa patiebantur à diabolo, nõ propter aliud, quam propter iustitiam, & Deum; id circo Christi aduentus decretus est, non enim patitur Deus, per se nõ subuenire, ijs qui patiuntur propter se. Felix, qui ob Deum, & virtutem aliquid pateris; nullo proijcieris, vbi tibi Deus auxiliaturus non adsit.

Iosue cap. 10. Irruit itaque Iosue super eos repente, tota nocte ascendens de Galgalis. Et con-

turbauit eos dominus à facie Iſrael, contriuitque plaga magna in Gabaon, ac perſecutus eſt eos per viam aſcenſus Bethhoron, & percuſſit vſque Azeca, & Maceda. Cumque fugerent filios Iſrael & eſſent in deſcenſu Bethheron dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, vſque ad Azeca, & mortui ſunt multo plures lapidibus grādinis, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael, &c.

§. VIII.

Quod perſuaſus ab alio facis, id non tam tuum, quàm perſuaſoris videtur.

NOn ſolum Deus dicitur perterruiſſe Amorræos, ſed & eos perſecutum fuiſſe, & fugientes percuſſiſſe; ait enim textus: *Conturbauit eos dominus à facie Iſrael, contriuitque plaga magna in Gabaon, & perſecutus eſt eos per viam aſcenſus Bethheron, & percuſſit vſque ad Azoca, & Maceda.* Non miror, quod Dominus dicatur eos cõ turbaſſe; proprium eſt enim Dei magnos exercitus pauore implere, quo fugæ ſe dedant. Sed illud valde mirandum eſt, quod dicatur Deus illos fugiẽtes perſequi, vſque Bethheron, paſsimque percutere. Et qualiter Deus perſequebatur, percutiebatque fugientes? An quia ipſe per ſe, vt nobilis dux apparens illos inſequebatur? Minime; ſed Ioſue, Iſraelitaſque omnes ſuis impulſibus, ſecretiſque hortationibus impellebat, vt fugientes perſequerentur, & occiderent. Quod autem faciebat Ioſue, & omnis Iſraelitarum exercitus, in perſecutione, & occiſione hoſtium, id merito tribuitur factum à Deo, quia Deus ipſos hortabatur ad id, & mouebat. Nihil enim eſt magis ſolemne, quam quod opera magis putentur eſſe perſuadentis, quam exequentis. De nobiliſsima Machabæorũ matre ait 2. Macab. 7. *Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes ſeptẽ filios ſub vnius diei tempora conſpiciens: ſingulos illorum hortabatur, &c.* Quid tunc? Dũ mater hortata dicitur filios ad mortem ire; non immerito aſſeritur illos ipſa occidiſſe. Ait enim ſapienter D. Zeno ſer. de Reſurrect. *Machabæa mater ſpe ſuccincta futurorũ, Anthiocho ſæuienti, libẽter ſimul ſeptem filios, non dicam, extulit, ſed ipſa potius ſuis hortamentis feliciter occidit, religioſe confidens ſe Deo filios genuiſſe, nõ mũdo.* Quid pulchrius? Dum ipſa filios hortabatur, filios monebat de morte pro Deo fortiter oppetenda, felicisſime illos mactabat Deo. Merito enim hortatori tribuitur, quod eius ſit hortamentis. De Pilato in Ieſu cauſa dicit Matth. 27. *Ieſum autem flagellatum tradidit Iudæis, vt crucifigeretur.* Nec myſterio vacat, quod in hac traditione Ieſu, qua à Pilato tradebatur Iudæis, vt crucifigeretur, meminerit Matthæus flagellã. Cæteri Euangeliſtæ ante hanc traditionem meminerãt ſeorſim flagella Ieſu; cur & Matthæus non etiam antea illa meminit? Cur ſolum meminit flagellatum Ieſum, quando traditum à Pilato oſtẽdit, vt crucifigeretur? Sanè voluit nũc monſtrare, quòd facinus proprius Pilati erat, qui ſuo proprio Marte flagellauit Ieſum; crucifixit autem non ſuo, ſed Iudæorum conſilio & hortamentis. Ait Sanct. Hypolit. apud Gelaſium Papam aduerſus Euthychem; *Hominem quidem Ieſum facile eſt intelligere, cum eſurit, & fatigatur: à Iuda trahitur, & contumeliam patitur, à Caypha, & ab Herode deſpicitur, à Pilato flagellatur, & Iudæis ligno configitur.* Expende illa: *A Pilato flagellatur, à Iudæis configitur*; quippè expendens, quid ſinguli fecerint aduerſus Ieſum; de Pilato ſolum ait, quod flagellauerit, de Iudæis, quod crucifixerint. Sed & Pilatus eum cruci tradidit, cur ſolum dicitur flagellaſſe? Flagellauit à ſe, crucifixit à Iudæis perſuaſus, ideò merito ſolum illi tribuitur, quod ex ſe fecit, non quod fecit ab alijs tractus.

2. Mac. 7

D. Zeno

Matt. 27.

§. IX.

Iacula Dei certiſsima in perdendis impijs.

AB Iſraelitis fugientes Amorrhæos excepit cœleſtis tempeſtas, qua obductum nubibus cœlum lapides grandinis cæpit iaculare in eos. Dicit namque: *Cum fugerent filios Iſrael: dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo.* Iſraelitæ inſe-

infectabantur percutientes Amorrhæos, Amorrhæi fugiebant, & ecce tempestas immissa à Deo, in lapidibus grandinis, qui perdebant Amorrhæos. Sed quãdo Amorrhæi erant tam iuncti etiam in fuga Israelitis, quod illorum gladijs percuterentur, quomodo fieri potuit, vt Soli Amorrhæi caderent sub lapidibus grandinis, & non etiam Israelitæ? Percussurus dominus primogenita Ægypti iubet populũ suum domi contineri, in superdomus superliminaria tingi agni sanguine; vt sic signatos, & custoditos mortis plaga pertransiens minime perdat. Cur etiam modo percussurus Amorrhæos lapidibus iaculatis à cœlo, non magis cauet, vt Israelitæ separentur, longeque sint à percutiendis, ne inuoluantur eorum pœna? Sto à sententia Serarij in præsenti quæst. 12. qui asserit illa mala Exodi illata fuisse per Angelos malos; hæc autem per bonos Angelos, quibus Deus vtebatur, vt lapides iaceret. Quæ autem iacula à Deo veniunt, certo, ac destinato ictu malos petunt, bonis & iustis parcunt. Exod. 19. *Ecce caperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem.* Sic inter tonitrua, & fulmina, Deus veniebat, vt legem Moysi daret. Sed quis auderet tunc illi monti appropinquare? Quis tonitrua, & fulmina non timeret, & fugeret? Nonne ille Deus omnes arceret à se, ingentique terrore percuteret? Absit, ea enim sunt iacula, quæ à Deo mittuntur, vt certo, & destinato ictu impios quatiant, bonos & iustos relinquant securos, & impauidos. Quo respiciebat Theodotus hom. de Nat. Christi habita tom. 6. Concil. Ephes. in Append. 5. cap. 2. aiens: *Sic aliquando Iudæis apparuit, timorem inijciens indeuotis, nec concutiens famulum, sed gratia magis, ac bonitate euocans eum.* Quid mirabilius? Horrenda sonabant tonitrua, falmina iaculabantur, perstrepebant ignes à Deo excitati; quæ ad multitudinem populi directa indeuotos timore feriebant, famulum autem nec contingebant, quin potius eum replebant gratia, & bonitate. Sic solent iacula per bonos Angelos à Deo dimissa cretissima esse inconcutiendis malis, bonisque seruandis. Nemo ignorat fornacem illam incensam à rege Babylonis, vt seruos Dei cremaret; in illam missi sunt tres pueri Hæbræi sanctissimi. Quid tunc? Ait Daniel, cap. 3. *Erupit flamma, & incendit, quos reperit de Chaldæis. Angelus autem domini descendit cum Azaria, & sotijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, &c.* Ecce tibi ignis, qui incendebatur aduersus seruos Dei, illos inter se prætermittit illæsos, & Chaldæos inuadit. Vnde habuit ignis illi, quod intactos reliquerit pueros sibi obiectos, & Chaldæos cremaret? Ait textus: *Angelus descendit, & excussit flammam, &c.* Vbi Angelus domini flammas illas cæpit gubernare, illæ in impios certissimæ ferebantur, nec iustos viros poterant tangere. Vt merito exclamet D. Zeno lib. 2. serm. 30. *O admirabile incendium! O vere spectaculum Deo dignum! Qui audiunt, timent; qui incenderant ardent: qui incensi sunt sanctificati, & in columes de camino procedunt.* Merito solius Dei dignum hoc opus videtur, quod flammæ inter iustos discernant; & sic ad impios tendant, eosque consummant; vt iustos licet propinquiores minime lædant. Quo spectans etiã Theodoretus ait: *Ex hac dissipatione flammarum, & depulsione à corporibus iuuenum, ministerio Angeli facta, in tantum ignis è fornace effusus est, vt ad quadraginta nouem cubitos extra fornacem sparsus, omnes, quos in eo spatio Chaldæos inuenit, ad vnum combusserit.* Quid diuinius? Vbi Angelus Domini ignem depulit, quid fecit ignis? Præteriens illæsos tres pueros, imò illis factus roscidus vętus; solos inuadit Chaldæos impios, quos vertit in cinerem. Sic sapiens flamma Dei manu impulsa certo in malos dirigitur, vt bonos non pertingat. Quo spectans Psal. 28. ait: *Vox domini intercidentis flammam ignis.* Solus enim diuinus halitus sic valet flammas intercidere; vt pars impios perimat, & pars iustos custodiat immunes. Ex quo D. Basil. ibi: *Intercidit ignis flammam Deus, quando caminus supra cubitus quadraginta nouem se effuderat, eosque, qui circumstabant, ambussit. E diuerso eadem flamma Dei præcepto intercisa per quam suauem, ac iocundissimam respitationem pueris tribuit, &c.* Sic ibi.

Exod. 19.

Theod.

Daniel. 3.

Theod.

Psal. 28.

D. Basil.

§. X.

A peccatis certissimæ veniunt pœnæ in peccatores.

TRaditi erant omnes isti Amorrhæi in Iosue manus, iuxta illud superius dictũ: *In manus enim tuas tradidi illos*; nihilominus plures eorũ euaserant Iosue manus, qui perierũt sub lapidibus grãdinis. Dicitnãq; textus: *Et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij*

filij Iſrael. Et cur plures euaſerunt Ioſue manus quibus erant traditi, qui minime euaſerunt iacula grandinum à cœlo vibrata? Quo myſterio Deus voluit, ne poſſet Ioſue omnes percutere, quos tamen certiori ictu percuſsit grando? Inuenio in præſenti grandinum iaculatione illud notanter dictum; nimirum *Dominus miſit lapides magnos de cœlo, &c.* Exod. 9. dicitur Deus etiã miſisſe grandinem, ſed non dicitur miſisſe eam de cœlo; quippè ait: *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, &c.* non ait, quod dedit de cœlo grandinem, vt cum in præſenti, dicitur dediſſe de cœlo lapides, aliquid intelligamus magis conducens ad id, ne vllus Amorrhæus nõ percutiatur. Quippè in cœlo erant omnium Chananæorum idola, nempe & ſydera, & Sol, & Luna, quæ colebant Chananæi omnes, à quibus ſimilem idololatriam ſumpſerunt Iſraelitæ poſtquam ibi deuenerant, vt notat Lyranus Actor. 7. num. 43. Vbi autem lapides in Amorrhæos contorquẽtur de parte idolorum ſuorũ, non miror, quod nullus eorum lethalem ictum euadat. Sic de Idolis, de peccatis noſtris diriguntur tela in nos, vt nullus euadat pœnam eorum, dum in illis manere velit. Iudic. 3. Aod vbi creatus eſt Saluator, & iudex Iſraelitarum animo decreuit occidere regẽ Englon, cuius rei gratia fecit gladiolum vtraque parte à cutum, accepitque munera, quæ Regi referret. Intrauit ergo ad regem cũ muneribus, quibus exhibitis ab aula egreditur reuerſurus in terram ſuam. Sic re prorſus infecta redibat ad ſua; quid tunc? Ait text. *Erreuerſus de Galgalis, vbi erant idola dixit ad regem, Verbum ſecretum habeo: & rurſus ait: Verbum Dei habeo ad te:: Extenditque Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextro fœmore, infixitque eam in ventrem eius, &c.* Itaque egreſſus à Rege iturus in terram ſuam peruenerat in Galgala, vbi erant idola; vixque eo peruenit, & inde in aulam reuerſus regem interfecit. Et cur quando primo ingreſſus eſt aulam, & regi munera obtulit, non illum curauit interficere; ſed magis poſtquam re infecta pergebat in patriam, à Galgalis reuerſus eum interfecit? Erant in Galgalis Idola, ibi à Rege poſita, iuxtà id textus: *reuerſus de Galgalis vbi erant Idola*, ne miremur, quod inde certius directus fuerit in regis mortem, ex nullo enim magis, quam ex peccatis diriguntur tela, quæ conficiant peccatores. Aiebat ibi Lyranus: *Vſque ad illum locum redierat cum ſocijs ſuis, ſed quando vidit Idola, quæ Eglon poſuerat in Galgalis:: ex hoc fuit accenſus ad reuertendum, vt occideret regem Englon.* Non inuenerat prius locum, nec modum, quo regem percutere poſſet, ſed vbi peruenit ad Galgala, & vidit Englonis idola, ex hoc accẽſus, ſic directus in miſerũ reuertitur, vt minime errauerit ab ſcopo. Quando enim peccata non dirigunt certiſsimam pœnam in proteruos peccatores? Hinc monebat dominus Matth. 16. *Cauete à fermento Phariſæorum*: fermentũ vocans malitiam, & peccata eorum. Sed quid fermentum cum peccatis? Ait Tertul. lib. 4. in Mar. *Quia poſt fermentationem cluanus, vel furnus Gehennæ ſequatur.* Vt fermentatio furnum, ſic peccatum certiſsimum infert ſupplicium peccatori. Vt dicat D. Bern. ſerm. 11. in Pſal. Qui habitat, *Vbi malum, flagellum quoque appropinquet, neceſſum eſt. Semper enim malũ pœna cõmitatur.* Crede mihi, certiſsima naſcitur pœna ex peccato ab anima nõ excuſo; Ex quo lucem capit vnus è Patribus Concilij Epheſini Reginus nomine Cypri Epiſcop. qui hom. habita tom. 6. eiuſdem Concilij, cap. 8. de Neſtorio ait: *Cum parua adhuc erant, quæ auſus es, igni, terræque hiatu, teque tuoſque conatus compeſcere debebamus: quo, vel hac ſaltem ratione ſimplicioribus pœnas dependiſſe videretur; nam nobis iam dependiſti, & denuo dabis. Quandoquidem Dei Verbum, quod à te diuiſum eſt, olim in die iudicij ineuitabile inuidentiæ tuæ ſupplicium decreturum eſt.* Expende illa; *Nam nobis iam depẽdiſti, &c.* quippè vt ſimplicioribus pœnas dare hæreticus videretur, de facto cremandus erat. Reſpectu autem ſapientiorum, & ſi de facto non cremaretur; iam videbatur in pœnis eſſe. Sed quando nihil mali de facto patiebatur, quomodo poteſt dici pœnas iam luiſſe reſpectu ſapientiorum? Videntes hæreſim eius, & peccatũ animo inſitum, adeò inde dirigendam in eum certiſsimam pœnam, & ineuitabilem ſciebant, vt quaſi præſentem illam haberent. Qui enim ſapiens eſt in iaculis mittendis, in prima ſagittæ directione videt iam illam certiſsime ad ſcopum ferri. Sic qui ſapiens eſt, in peccatis hominis, certiſsimam iam eius videt pœnam.

Exod. 9.

Iudic. 3.

Matt. 16

Tertul.

D. Bern.

Epiſc. 6.

Ioſue cap. 10. Tunc locutus eſt Ioſue domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis; Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.

Aialon. Steteruntque Sol, & Luna donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro iuſtorum? Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpacio vnius diei. Non fuit antea, nec poſt tam longa dies obediente domino voci hominis, &c.

§. X.

Oratio Deo facta efficaciſsima ad omnia.

NVllum aliud proprium Ioſue opus in præſenti oſtenditur, quam, quod orauit ad dominum, dum ait: *Tunc locutus eſt Ioſue domino, in die, qua tradidit Amorrhæum in conſpectum filiorum Iſrael.* Fateor in illa die à Deo traditũ fuiſſe morti Amorrhæum; ſed & eumdem percutiebat Ioſue. Cur ergo prætermittens Ioſue opus, ſolius Dei opus meminit? Cur non ait: Locutus eſt Ioſue domino, in die, qua ipſe percutiebat Amorrhæum; ſed maluit dicere, in die, qua Deus tradidit Amorrhæum? Vbi dicitur Ioſue locutus domino, eius alia opera tacentur; efficaciſsima enim eſt oratio facta Deo. Aiebat dominus Matth. 28. *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et cur nos Dominus paruulorum imitatores voluit eſſe, vt cœleſtia comparemus, ad cœlumque vſque noſtrum extendamus imperiũ? De filio ſuo dicebat Pſal. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam ſuam, &c.* Nos autem cur potius in paruulos, quam in gigantes conuerti iubet, vt pertingamus cœleſtia? Vt doceat neceſſariam valde nobis eſſe orationem, & nobis vane de viribus noſtris fidendum non eſſe. Ex quo ſapienter ait Paul. Oroſius in Apolog. contra Pelag. fatus: *Infans nihil in ſe habet, niſi quod diligit blandientem, & quod panem ſuum non in ſudore ſuo, ſed in precibus ſperans alimoniam vitæ, ſimplici petitione conſequitur, quam fiduciali operę nõ meretur: quatu comparatione commonitus conuertere ad infantiam, vt reuertaris ad vitam.* Ludebat bonus cum Hæretico, qui proprijs naturæ operibus præſumebat pertingere cœleſtia. Quem monet, vt magis paruulos ſpectet, quorum eſt non in ſudore vultus ſui, ſed in prece; & petitione, & lachrymis alimoniã vitæ prætẽdere. Vt inde diſcamus omnes, non præſumere de proprijs operibus, ſed prece pulſare Deum; quæ, & ſi naturæ opera deſint, potens eſt gratiam trahere ex Deo, qua ſibi acquirat cœleſtia opera, & præmia. Et quid non confieiat oratio de fiduciali corde contorta? De vltimo Machabæorum fratre dicit 2. Machab. 7. *Tũc rex accenſus ira in hunc ſuper omnes crudelius deſæuit, indigneferens ſe deriſum. Et hic isaque mundus obyt per omnia in domino confidens.* Cuius & pugnam, & triumphum celebrãs Marius Victorinus ait.

Dũq; tacet, tacituſque rogat, quę debet, & orat,
Non ſenſit rapidos ſubiectos cratibus ignes,
Corpus inane fuit, mater gauiſa dolore eſt,
Et dixit: Vici, vincamque, ſi ſæpius orem.

Quid pulchrius? Plane vbi oratio de fiduciali prodierit corde, in clariſsimas procedet victorias. De oratione ſæpiſsime dictũ eſt, & in præſenti, & in cæteris tomis, vt patebit ex indicibus.

Matt. 18

Pſal. 18.

Paul. Or.

2. Mac. 7

§. XII.

Virginibus vel cœleſtia ſydera ſubijciuntur.

PRimus Ioſue auſus eſt ſyderibus imperare, dum ait: *Sol non mouearis, &c.* Nõ id auſus fuit Moyſes patrator tot miraculorum; ſed quando id Moyſes minime fuit auſus, cui Ioſue audet? S. Hier. lib. 1. in Iouinian. Moyſem typum putat fuiſſe nuptiarum, Ioſue autem virginitatis, quem & cæteri patres hac præcellenti virtute clarum faciunt. Quare non miror, quod qui præcellenti fulgebat virtute virginitatis imperium ſuum ad ſydera extendere audeat; quorum ſanè eſt virginibus ſuum præſtare famulatũ. Cantatiſsimus ille Ioſeph Gen. 37. dicebat: *Vidi per ſomnium, quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me.* Quantum hoc ad puerum, quod ſe coli, & adorari à Sole, Luna & ſtellis viderit? Sed quando hũc ſibi cultum Syderibus deferri ſomniabat? Quando puer nobili virginitatis baltheo inſigniebatur, & præparabatur, vt pro virgineo pudore contra laſciuientis fœminæ tela glorioſe decertaret. Ait D. Aldhemus lib. de Virg. cap. 27. *Non immerito à limpidiſsimis Solis, ac Lunæ luminaribus, ac reſiduis ſtellarum ſyderibus ſomno ſopitus adorari, veneratique videtur, dum in pulcherrimo pubertatis decore, &*

Gen. 37.

D. Ald.

re, & formoſi vultus florens venuſtate, formoſiore fretus virginitate ſtrophoſam muliebris auducia muſcipulam declinauit. Quid pulchrius? Vbi formoſa virginitate floret, vbi neſcit carnis voluptates Solem, Lunam, & ſtellas in ſuum videt venire famulatum. Hinc Apocal. 12. ait: *Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona duodecim ſtellarum.* Ecce tibi vt mulier traxit in ſuum obſequium Solem, Lunam, & ſtellas, ex quibus & veſtes, & calceos, & coronam ſibi fecit. Sed vnde mulier tantam virtutem habuit, qua ſic in ſuum obſequiū traheret omnem miliciam cœli? Ait D. Ber. ſerm. in ea verba: *In ijs quoque ſydereum plane irradiat decus, quod virginitatis primiceria, quod ſine corruptione fœcunda.* Vbi in muliere virginitas radiare cepit, ne mireris, quod ab illa, & propter illam cœleſtium ſyderū irradiet decus. Ea eſt enim tantæ virtutis poteſtas; vt de Sole, & Luna, & ſtellis faciat ſibi decus, & ornamentum.

Apoc. 12

D. Bern.

§. XIII.

Sub Ieſu halitu non aſtrorum imperium, aut prædominatio, ſed obſequium ſentitur.

QVIS Aſtrologorum non miretur hominem aſtris imperantem? Et tamē aſtris homo imperat, aitque: *Sol ne mouearis contra Gabaon, &c.* Vbi eſt hic illa aſtrorum in homines prædominatio ab Aſtrologis credita? Sanè hic non aſtra prædominantur hominis, ſed homo dominatur aſtrorum, nempe homo, qui Ioſue, hoc eſt, Ieſus dicitur: ſub cuius nominis auſpitijs non inuenies aſtra dominantia, ſed ſubdita. Vt dicat D. Baſil. Sel. orat. in Transfigurat. de Sole in preſenti Ioſue obediente; *Nomen domini in conſeruo honorauit.* Felix homo, qui ſub diuiniſsimo Ieſu nomine viuis, nunquam aſtra maligna tui dominabuntur, ſed tu magis illa ſub tuo dominatu accipies. Matth. 2. de Magis venientibus ad Ieſum ait: *Et ecce ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret, ſupra vbi erat puer.* Antecedebat, inquam, venientes ad Ieſum ſtella; & qualiter antecedebat? An predominans voluntatum eorum, vt eos traheret ad puerum? Abſit; dum enim illi ſub halitu Ieſu irent, non dominatum, ſed obſequium ſtellarum debebant experiri. Ait D. Thom. in cat. ex D. Aug. *Vt Chriſto ſtella plenum redderet obſequium, temperauit gradum; donec Magos perduceret ad puerum. Obſequiū præbuit, non imperium adduxit, ſupplices oſtendit, hoſpitium radianit ampliſsimo lumine, & tecta nati perfudit, & ſic diſceſsit.* Expende illa: *Obſequium præbuit, non imperium*; quippè ſub Chriſto ambulantes, & currentes ad Chriſtum, nullam in ſtellarum prædominationem, ſed cęleſtium omnium ſyderum famulatum, & obſequium debebant præſentire. Pulchrè gentiles in hoc confiſcit Tertul. in Apol. dicens: *Certe veſtri condemnati mœrent, deonerant ſemet ipſos, mentis malæ impetus, vel fato, vel aſtris imputant: nolunt enim ſuum eſſe, quia malum agnoſcunt. Chriſtianus vero quid ſimile?* Equidem error gentilium eſt, quod putent ſe viuere ſub aſtrorum dominatu; Chriſtiani autem nil tale cogitant ſcientes, & ſydera, & omnes alias creaturas ſibi datas in ſeruitium, non in imperium. Aiebat Ioſeph Gen. 3. *Vidi per ſomnum quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas adorare me.* Et quidem in Ioſeph non impletum videtur hoc ſomnium, quando mater lunæ nomine ſignificata non potuit eum adorare; nec fratres inuidentiæ tenebris obuoluti rectè per ſtellas exprimi poſſent, vt notabat D. Aug. in cat. Lyppom. Cui ergo accidit hoc, quod à Sole, & Luna, & ſtellis adoraretur? Ait D. Iſidorus, cap. 31. in Gen. *Somnium illud in Chriſto præcipue impletum eſt. Ipſe enim eſt, quem Sol, & Luna, & ſtellæ adorant, de quo Sole dictum eſt, Laudate eum Sol, & Luna.* Sanè in Chriſto deficit imperium aſtrorum; ipſe enim eſt, qui omnem cœli militiam trahit in obſequium, & famulatum ſuorum. Ante Chriſtum prædominabantur ſtellæ, vt ait Act. 7. *Conuertit autem dominus, & tradidit eos ſeruire milicia cœli,* & vt mancipia vilia homines à paſsionibus ſuis reptabātur, vt ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ;* vbi Ieſus apparuit, de eius halitu accepimus, quod dominemur aſtris, quod effugiamus paſsionum tyrannidem. Quo reſpitiens D. Proclus hom. de Nat Chriſti ait: *Ille igitur, qui ſuapte natura rex eſt, humanam naturam tyrannide oppreſſam non deſpexit.* Imò illam fecit, vel paſsionibus, vel ipſis aſtris ſuperiorem eſſe. Quo reſpiciens 4. Aſdræ. 7. ait: *Quoniam repoſita eſt gloria altiſsimi protegere eos, qui tarde conuerſati ſunt; nos autem peſsimis vijs ambulabimus. Et quoniam oſtendetur paradiſus,*

D. Thom.

Tertul.

Gen. 37

D. Iſid.

Act. 7.

Rom. 1.

D. Procl.

4. Aſd. 7.

ſus, cuius fructus incorruptus perſeuerat, in quo eſt ſecuritas, & medela: nos vero, non ingrediemur, in ingratis enim locis conuerſati ſumus. Et quoniam ſuper ſtellas fulgebunt facies eorum, qui abſtinentiam habuerunt; noſtræ autem facies ſuper tenebras nigræ. Sic recenſet felicitates eorum, qui in mediatoris, & protectoris noſtri Ieſu adiutorio commorantur; vt eius gloria protegentur, vt paradiſum inuenient reſeratum, in quo & ſecuritas eſt, & medela vniuerſi mali. Sed & illud addidit: *Super ſtellas fulgebunt eorum facies*, vincent enim ſtellas in ſplendore, & principatu. Ne vllus iam de Aſtrorum malicia quæratur, Chriſtum habens in cuius nomine cœleſtium, & infernorum genu curuatur.

§. XIIII.

Felicitas humana à nomine Chriſtiano operibus declarato.

MErito Ioſue dominatur aſtris, dum Soli imperat: *Sol ne mouearis contra Gabaon, &c.* vt enim Saluatoris Ieſu nomen habebat, ſic populum ſuum ab hoſtibus ſaluabat. Et cui non obſequantur aſtra, nomine, & rebus geſtis Chriſtum effigianti? Ait Iuſtin. Mar. in Gloſſa: *Acceptiſtis terram Chanaan tanta virtute fuſis, fugatiſque hoſtibus, vt Sol ipſe curſum ſiſteret ſpectando res gerentem veſtrum ducem Ieſum, recens cognominatum.* Expende illud: *Res gerentem Ieſum recens cognominatum*; quippè aſtra non ſolum ſpectabant in Ieſu, vt nomine cognominabatur Chriſtiano, ſed vt res nomine dignæ ab illo gerebantur. Vt enim nomen ſine re inane eſt; ſic res ſine hoc diuino nomine non cenſentur. Quando enim & res, & nomen Chriſtianum habes, non mireris, ſi aſtris dominaris. Hinc dicebat Eccleſiaſtes, cap. 7. *Melius eſt nomẽ bonum, quam vnguenta prætioſa.* Symachus poſuit: *Super vnguentum bene olens.* Sed video Matth. 25. prudentes virgines in cœleſtis ſponſi cubile admitti, eo quod oleũ ſecum habebant, in lampadibus; fatuas autem reijci, quia *acceptis lampadibus nõ ſumpſerunt oleum ſecum.* Et quando olei ſubminiſtratio virgines commendat, cœleſtiſque regis ſponſas facit; quod nomen cum iſto oleo poteſt comparari? Quomodo fieri poteſt, quod nomen bonum ſit ſuper vnguentum prætioſum, quando vel oleum reginas cœli facit? Ait Olympiod. in Eccleſiaſtẽ. *Melius eſt habere nomen bonum, hoc eſt, Chriſtum habere in portione, ac ſorte propter fidei Chriſtianæ Sacramentum, & vocari eius cognomine Chriſtianum, quam ſine illius fide, in eleemoſinas, facultates ſuas profundere. Multi namque gentilium ſine fructu animæ ſuæ fortunas ſuas erogant indigentibus. Si tamen hoc fecerint, affectu miſericordiæ moti, ipſi tamen in cognomen hoc ſanctum aliquo pacto perueniẽt.* Hoc quippè eſt homini melius, ſi in portione ſua Chriſtum habeat, ſi ſic ſe operibus Chriſti conformet, vt de eius etiam nomine in operibus ſuis cognominetur. Vbi enim hoc diuiniſsimum nomen deſit, quid ſi opera virtutum moralium ſuperſint? Cõiungenda hæc duo ſunt, & nomen, & opera vt ſummum felicitatis in hac vita teneas.

Iuſ. Mar.

Eccleſ. 7.

Matt. 25

Olymp.

§. XV.

Non in Aſtrorum virtute, ſed in Dei auxilio, & hominis cooperatione victoria veniunt.

IN proceſſu victoriæ iubet Ioſue cœli aſtra quieſcere, & minime in conſueto curſu procedere, ait enim: *Sol ne mouearis contra Gabaon, &c.* Et Sol, & Luna, & omnia cœli aſtra imperio Ioſue quieuerũt, vt concors eſt expoſitorum ſententia. Sed qui in aſtrorum curſu, & concurſu victor erat, cur non magis timet aſtris imperare quietem? Quis Aſtrologus neget in inſolita illa cœlorum quiete magnum fuiſſe diſcrimen, quod ſicut in curſu quieſcebant, quieſcerẽt etiam in progreſſu benignæ affluentiæ? Quando ergo in eorum curſu ſuã proſperitatem experiebatur, magis debebat optare, quod curſus procederet; & ſi ceſſaret, timere. Cur ergo Ioſue nihil veritus iubet omnia cœleſtia quieſcere, & minime procedere? Sapiens homo, vt locutus fuerat cum Deo nihili æſtimat conſtellationes, concurſuſque cœleſtes, ſciens non aſtrorum virtute, ſed in Deo auxiliante, & homine cooperãte victorias obtineri. Ex quo D. Amb. lib. 4. Exam. cap. 7. multis ridet Genithiacorum conſtellationes. Ait enim. *Redempti ſunt Apoſtoli, & congregati ex peccatoribus non vtique natiuitatis ſuæ ſtella, ſed Chriſti eos ſanctificauit aduentus, & hora dominicæ paſſionis redemit à morte. Latro*

D. Amb.

ille damnatus, ille cum domino crucifixus, non beneficio natiuitatis ſuæ, ſed fidei confeſſione ad paradiſi æterna tranſiuit. Ionam in mare non vis natiuitatis, ſed diſſimulatæ diuinæ præceptionis præcipitauit offenſa. Petrum de carcere imminenti morte perimendũ Angelus Chriſti, non ſtellarum ſeries liberauit. Sic bonus Genethlicorum vanitatem perimit, fauſtas infauſtas ve horas natiuitatis humanæ à conſtellatione ludibrio habet. Non aſtra, ſed Dei gratia, ſed cooperatio noſtra facit victorias reportare. Proquo Prudentius lib. 2. aduerſus Symachum aiebat.

Non fero Romanum nomen, ſudataque bella
Et titulos tanto quæſitos ſanguine carpi.
Detrahit inuictis legionibus, & ſua Romæ
Pramia dimiuuit, qui quidquid fortiter actũ eſt,
Adſcribat Veneri, palmã victoribus aufert.

Sanè non ferendus eſt, qui vt attribuat Syderum curſibus, gloriam ſuam detrahit facinoribus humanis. Non equidem Saturni, aut Iouis, aut Veneris, aut Solis aſpectus eſt, qui facit fortunas humanas; ſed Dei auxilium, ſed dexteritas, & induſtria humana, quæ ſcit Deo cooperari. Sanè Abrahamus ſapientiſsimus erat aſtrologus, qui eductus à Chaldæa, multiſque opibus auctus cum hærede careret, valde angebatur apud Dominum. Dominus autem, vt ſeruum conſolaretur, illum edducens foras

Gen. 15. ait Gen. 15. *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei: Sic erit ſemen tuum. Credidit Abram Deo, &c.* Poſt vias ſtellas, in quibus Deus ponebat ſigna futuri ſeminis, adhuc dicitur Abrahamus credidiſſe domino. Et cur aſtrologus homo non etiam aliquid fidit ſtellis? Cur non dicitur ſuſpexiſſe illas, indeque auſpicium ſumpſiſſe de promiſſa ſibi prole? Vt aſtrologus erat, ſic & fidelis erat; ideò non in virtute aſtrorũ, ſed in verbo, & auxilio domini fiduciam ſuam conſtituit totam. Ait Cæſarius frater

Nazian. Nazianzen. Dial. 3. *Patriarcham quidem Abrahamum hiſtoria aſtronomũ vocans, nuſquam ponit ipſum pro dijs habuiſſe, vel coluiſſe ſtellas. Non enim iuxta leges ſyderum, ſed iuxta pietatem in Deum, primum ſibi metipſi, & deinceps Iſaaco filio ſuo circumciſionis acutum cultrum adhibuit. Neque ſecundum aſtronomiam, ſed diuinã promiſsionem ex ſterili, & decrepita cõſorte ſobolẽ ſe procreaturũ credidit, cũ qua ab adoleſcentia, & florenti ætate vſque ad ipſam canitiẽ verſatus erat. Nunquã certe aſtronomiæ paruit, nec tunc quidem, cum aſtrorum epiſex per tentationem filium immolare præcepiſſet. Neque aſtra ſequens, ſed Deo obediens, Chaldæam cũ Meſopotamia Syriæ permutat.* Sic ibi, multaque deinceps addit de vanitate aſtronomiæ, quæ apud illum videri poſſunt.

§. XVI.

Non ſeruiendum eſt, ſed imperandum temporalitati.

COnueniant huc temporales homines, quorum in corde, & in ore verſatur illud tritum prouerbium, nimirum: *Seruiendum eſt temporibus*; & videant ſtrenuiſſimum ducem non ſeruientem; ſed imperantem temporalitatum omniũ dominis; quippè clamat: *Sol ne mouearis contra Gabaon, & Luna contra vallem Aialon.* Pro cantatiſsimi ducis præſtãtia, qui neſcit ſeruire temporibus, ſed magis fatagit, vt ſibi tempora ſeruiant, quo proculdubio triumphabit de hoſtibus. Felix ille, qui non in ſeruitio, ſed in imperio eſt reſpectu temporalium omniũ. Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Quid felicius mulieri, quam quod in cœlo appareat? Exempta iam de valle lachrymarum nobilis triumphatrix apparebat in ſublimi cœlorum. Et quibus alis ad tantam ſublimitatẽ aſcendere potuit? Præter quam, quod ſtellæ ſeruiebant ei ad coronam; & Sol veſtiebat illam; erat *Luna ſub pedibus eius.* In Luna temporalia omnia ſignificantur bona, quæ non in capite, neque in corde ad imperium; ſed in pedibus ad ſeruitium poſita fœminam extollebant ad regna cœlorum. Aiebat de hoc Ruper. lib. 7. in Apocal. *Hæc mulier ex tunc rectè dicitur amicta Sole, ex quo Chriſtum verum iuſtitiæ Solem accepit in repromiſsione. Luna ſub pedibus eius, id eſt, temporalium bonorum claritas ſub adminiſtratione eius. Luna namque pro ſui mutabilitate rectè mundi huius bona mutabilia ſignificat, quibus ſtultus ſeruit, ſapiens imperat.* Ecce tibi Chriſtiane vera ſapientia, veræque ſapientiæ fœlicitas, quod temporalibus bonis imperes, minime ſeruias. Quod ſic ad mundiales omnes ſplendores, & commoditates accedas, tanquam ad ſeruos tuos, non tamque ad dominos. In imperando diuitijs fœlicitas eſt, in ſeruiendo miſeria, & ruina. Fuit Abrahamo vxor ſterilis; fuit & ancilla concubina fœcunda; quem non habuit ex vxore filium, ex ancilla accepit. Quid tunc? Cum ancilla ſe

Apoc. 12.

Rupert.

matrem

matrem agnouit ex Abrahamo eo insolentiæ deuenit, vt ludibrio haberet dominam suam Saram. Quæ cõquesta est apud Abraham de ancillæ insolentia; cui ille ait Gen. 16. *Ecce ancilla tua in manu tua est, vtere ea, vt libet.* Sic dilectam ancillam tradis iratæ dominę, ò bone? Nonne in delitijs tibi hæc ancilla erat? Nonne tibi filium genuerat? Fateor, sed ancilla erat, nec in eius affectione Abrahamus exuerat dominum. Pro quo ait D. Aug. lib. 16. de Ciuit. Dei: *Demonstrauit Abraham non se amatorem seruũ, sed liberum fuisse genitorẽ, & in Agar Sarę coniugi pudiciciam custodisse: ait enim, Ecce ancilla tua in manibus tuis, vtere ea quomodo tibi placuerit. O virum viriliter vtentem fœminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter.* Expende illud: *Demonstrauit Abrahãnon se amatorem seruum, &c.* etiam in carnalium voluptatum vsu non seruum, sed dominum agebat, vel impotentibus carnis affectibus imperabat, minimè seruiebat. Vtinam sic saperent, temporarijs voluptatibus, lucrisque qui student; nè velint temporalitatem esse vilia mancipia; sed malint affectibus imperare, quam seruire. Aiebat Cant. 2. *Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur.* In leua temporalia bona intelliguntur, in dextera spiritualia. Ideo notanter posuit leuam sub capite, vt ostendat, quam debeant temporalia non imperare, sed seruire. Ait Rup. lib. 4. in Apocal. *Iuxta illud Deutheron. In dextera eius ignea lex. Sapientia vero dicit: Infinistra eius diuitiæ, & gloriæ. Et nonnulli quidem de vtraque parte acceperunt, vt Dauid, & Salomon, de dextera scilicet librum, de sinistra diuitias, & gloriam; qui cum scientia legis, diuitias quoque habuerunt temporalis regni; & vtraque dona Dei fuerunt; sed expedit omni animæ cui hæc data sunt; vt quod à dextera datum est, habeat in iucunditate; quod autem à sinistra, teneat sub se, & moderetur liberali dispensatione, dicatque: Leua eius sub capite meo, &c.* Itaque temporalia debent esse in seruitio, non in imperio.

Gen. 16. D. Aug. Cant. 2. Rupert.

§. XVII.

Christianæ virtutis est sic tuæ vtilitati consulere, vt minime communi bono officias.

LOngiori die egebat Iosue, vt glorioſe prælium conficeret, quod sanè obtineret, vnius Solis refrænans cursum, at ille non solum cursum Solis, sed & Lunæ cohibuit. Ait enim: *Sol contra Gabaon ne moueanis, & Luna contra vallem Aialon, &c.* Et quando ad diei prolongationem sola sufficeret Solis quies, cur etiam quies mandatur Lunæ, quæ minime necessaria erat? Nõ erat Lunæ quies necessaria Iosue victoriæ, sed erat necessaria orbi, erat necessaria cõmuni cœlorum concentui, & armoniæ. Nã si stante Sole, Luna ad consuetum pergeret cursum; haud dubium quin totus cœlorum concentus periret, ex dissonis astrorum cursibus multa mala orbi euenirent. Hinc bonus Iesus simul cum Sole mandat quiescere Lunam, ne sibi prospiciens communi cœlorum concentui officiat, malumque orbi inferat. Relucebant equidem in Iosue veri Iesu Christianæ virtutes, quarũ est sine communi damno suis prospicere. Exod. 14. pergentes Israelitæ in promissionis terram impediebantur interiecto mare: tunc ait text: *Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud dominus, flãte vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisaque est aqua.* Sic sub Moyse creatura maris diuidebatur, absumebatur, vt populus Israel pergeret securus in terram promissionis. At Matth. 14. cum Petrus è naui Iesum vidisset super fluctus ambulantem ait: *Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. At ipse ait, veni. Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum.* Cur non magis Petrus petiuit, vt diuideretur mare, & siccarentur aquæ, vt sic ipse, sicut Patres eius pergeret per siccum in mari? Vt loquebatur cum Iesu, sic præstantius, & melius flagitat, vt ambularet, nullam inferens mari scisionem, quæ sanè officeret communi cursui nauium. Nec enim patitur Iesu virtus, quod tibi aliquod bonum velis, cum communi aliorum damno. Ait D. Amb. serm. 47. *Legimus filios Israel per mare rubrũ siccis ilineribus ambulasse, & ad securitatem gradientium, ne laberetur vnda, in soliditatem quandam eam fuisse mutatam. Quanto hoc melius vbi ambulante Petro, nec mutatur vnda, nec labitur, nec solidatur aqua, nec refugit? Melius, inquam, est, vbi eadem vnda, quæ fluctuat, & sustentat, vbi idem gurges, qui mergitur, & famulatur. Illic vt portaretur, per mare populus Israel, meatum suum natura perdiderat; hic portatur in aquis Petrus, & cursum suum fluenta non perdunt.* Ecce tibi quam aliter pergit sub Iesu Petrus, quam sub Moyse pergebat Israeliticus populus; illic, dum populus ad sua progrederetur, nulli rei cõ-

Exod. 14. Matt. 14. D. Amb.

sulitur, nec si totus naturæ cursus sit perdē dus, ait enim: *Illic, vt portaretur populus, meatum suum naturā perdidit*; at hic dum pergit Petrus ad Iesum, sub eiusque graditur imperio; hoc cauetur, ne lædatur communis cursus naturæ; ambulat enim Petrus, & proficit, *& cursum suum fluenta non perdunt*. Christianum equidem est, pro tua vtilitate, communes bonorum cursus alijs obuenientium non perdere. Nec vt tu augearis, communia damna cæteris inferre. Quo forsam spectans Baldad Suhites Iob. 25. dicebat de Deo: *Potestas, & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.* Vbi Septuag. singulariter legunt; *Qui facit vniuersitatem in altissimo*; hoc est iuxta Nicetam in cat. Græca, *in filio*. In filio enim suo Iesu Deus vniuersitatem facit, vniuersitatem attendit, cauens ne propter particularia ali quorum commoda, quod ad vniuersitatem spectat, pereat. Vt videat, quam longe absit ab spiritu Iesu filij Dei, qui vt suis consulat, non veretur vniuersitati damnum inferre. Christi hostis fuerūt illa verba Isaiæ 14. *Ponam sedem meam ad Aquilonem.* Et quantum fuit hoc Angelo, quod sedem regni vellet in plaga aquilonari, siue australi? Sanè non esset multum malum, nisi vt ad hanc sedem pergeret, totam cœlorum concordiam, & vniuersitatem perderet, aut inquietaret? Ex quo illi ait D. Bern. de Gradibus humilit in 1. gradu superbiæ: *Ponā, inquis, sedem meam ad Aquilonem. Cæteris adstantibus cœli colis, dum tu solus sedere affectas: fratrum concordiam, totius cœlestis patriæ pacem, ipsius, quantum est inte, quietem trinitsatis infestas.* Hoc non Christianū est, sed diabolicum, quod vt tibi quietem pares, non vereris pacem omnium turbare, & concutere bonorum omnium vniuersitatem.

Iob. 25.

Isaiæ 14.

D. Bern.

§. XVIII.

Prudentissimi hominis est, sic occurrere præsentibus, vt maximè caueantur futura mala ingruentia.

NOn egebat bonus dux Iosue Luna, vt diem prolongaret, sed tantum Sole, nihilominus ait ad vtrumque: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.* Quid tibi cum Luna ad diem præsentem? Sanè ad diem præsentem non egebat Luna; at egebat illa ad futuros dies, ad tempora subsequentia, quæ omnia alterarentur, perderentur, si modo Luna à consueta armonia cū Soledisiungeretur. Prudens autem homo sic consulit tempori præsenti in statione Solis, vt simul caueat futura mala in Lunæ statione. Quid enim profuisset in diem vnum triumphare, & gaudere; si post modum ex dissonantia, & turbatione astrorum vniuersi affligerentur? Hinc dominus mordebat Iudæos Ioan. 5. *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed hæc dico, vt vos salui sitis. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.* Erant equidem duo Sydera mundi Ioannes, & Christus; Ioannes lucebat de Christi coniūctione, vt Lucifer matutinus de Solis vicinitate splendet, cuius annuntiat aduentū. Iudæi præsentanea Ioannis luce affecti sic in illam hæserunt, vt nihil præter Ioannem cogitarent; nec attenderent ad splendidissimum iubar Christi, cuius Ioannes nuntius erat, sed solum Ioannem quærerent. Quantum hoc? Pulchre ait: *Voluistis ad horam exultare in luce eius*, solam præsentaneam, & horariam lucem Ioannis amabāt, nihil æstimantes æternam, quæ duratura erat in sęcula, inde miserè euanuerunt. Prudentius accipientes Ioannem, simul Iesum ab illo mostratum accipere deberent, at mīseri horaria luce Ioannis contenti, Iesum prætermiserunt, quo in æternas tenebras deuenere. Ait Rup. in præsenti: *In hoc vos reprehendo, quod dum lucerna Ioannis ad æternam futuri regni gloriam vos inuitaret, voluistis potius exultare ad horam, in luce eius, id est, temporalem presentis regni prærripere fœlicitatem.* Ioannes Christo iunctus fulgentissimum sydus erat, futuram æterni regni fœlicitatem ostendens. Iudæi hanc coniunctionem non volebant, contenti quod Ioānes pro illis staret, gaudentes in temporaria, & præsentanea luce eius, quam dum haberent, nihili æstimant, quod Iesus prætereat, & sic attenti ad sola præsentia, in futuris calamitatibus misere dispereunt. Sic stulti, sic insipientes homines ad horaria, & temporaria hæc attenti; dum ad horam triumphent, & delitientur, omnium futurorum malorum occursus non verentur.

Ioan. 5.

Rup.

§. XIX.

§. XIX.

Humana conditio neſcit ſe intra neceſsitatem continere.

SVfficiebat Solis ſtatio, vt cupitum Ioſue haberet in prolongatione diei, ſed tamen maluit & Soli, & Lunæ ſtationẽ indicere aiens: *Sol contra Gabaon ne moueaˉris, & Luna contra vallem Aialon.* Et quando ſtatio ſolis ſufficiebat, cur etiam Lunã ſtare iubet? Cur non magis illam in ſuo curſu dimittit? Sufficiebat Sol, fateor, ſed conditio humana non nouit ſe intra neceſsitatis metas continere, æque enim fertur ad neceſſaria, & ad ſuperflua, ſi in conſpectũ ſimul veniant. Ioann. 6. pauit dominus in deſerto quinque millia hominum, de quibus ait textus: *Poſt quam impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite, quæ ſuperauerũt fracmenta, &c.* Diſcipulis iubet, vt colligant fracmenta, quę ſuperauerant poſt homines ſatiatos, & impletos. Cur potius id munus colligendi fracmenta, non mandauit aliquibus, ẽ ſaturatis? Cur etiam illud voluit per Apoſtolos fieri? Non ſine miraculo forſan fiebat illa collectio, licet enim ſatiati eſſent homines, & pleni, adhuc mirum erat, ſi permitterent ſibi ſubtrahi fracmenta, quæ ſupererant. Vt merito dicat D. Gaud. tract. 11. de Paral. *Iam quinque panibus hordaceis, & duobus piſcibus ſatiauerat, maiore miraculo conuiuium ſoluens. Amplior enim cibi appoſiti quantitate reliquiarum cumulus inuenitur, tot populorũ famelicis cohortibus ſatiatis.* Expende illud: *Maiore miraculo conuiuium ſoluens*; quamuis enim ſatiati iam erant, & repleti, & tantum reliquiæ quædam ſupereſſent; miraculum putat grã de, quod conuiuium diſſolueretur, quod conuiuæ deſiſtere à menſa vellent. Sic putabantur aſſecti etiam ad illa fracmentorum ſuperflua, vt miraculum eſſet, ſi ab illis auerterentur. Et quis homo nõ currat ad ſuperflua, etiam ſi mille detineatur catenis? Pluerat dominus manna coram Iſraelitis Exod. 16. quibus ſtatim ait: *Colligat vnus quiſque ex eo, quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita. Iuxta numerum animarum veſtrarum, quæ habitant in tabernaculo, ſic tolletis. Fecerunt itaque filij Iſrael, & collegerunt alius plus, & c.* Ecce tibi permittebantur à Deo colligere cœleſtem panem vſque ad ſufficientiam; illi autem collegerunt alius plus, neſcientes ſe intra neceſsitatis menſuram continere. Vt merito dicat ibi Rupert. *Tentationem inciderunt, & inſidi reperti ſunt. Primum quia audito ſermone domini dicentis: Colligat vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficit ad veſcendum, collegerunt alius plus.* Ea eſt humanæ naturæ cupiditas in ſibi conuenientia, vt miraculum ſit, ſi coerceatur, ne ad non neceſſaria contendat: ad quæ, vel ruptis legum diuinarum catenis ſolent paſsim homines contendere.

Ioan. 6.

D. Gaud.

Exod. 16

Rupert.

§. XX.

Sub vno Ieſu Dei filio dona ſuperabundantia ſunt.

AVdio Ioſue ſtationem Solis, & Lunæ, petere, cum ad prolongandum diem ſufficeret, quod Sol fixus hæreret. Cur ergo ſimul & Lunæ ſtationem petijt? Crediderim id iam veniſſe ex Dei halitu in Ieſu exiſtente; cuius eſt non ſeruire indigentiæ, ſed ſuperabundantia dona offerre. Quo forſam reſpexit Abbul. quæſt. 21. dicens: *Cauſa adhuc conuenientior aſsignari poteſt, quare Ioſue orauerit ſtare Lunam, ſcilicet, quod Deus mouerit ipſum ad orandũ hoc.* Deus enim in Ieſu non neceſsitati, ſed ſuperabundanti copiæ ſeruit. Exod. 16. de manna colligendo ait: *Colligat vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita: Fecerunt que filij Iſrael: & collegerunt alius plus, alius minus. Et menſi ſunt ad menſurã gomor, nec qui plus collegerat, habuit amplius.* Sic neceſsitati ſeruiebat panis ille, vt ſupra indigentiæ menſuram, nec minutum quid ſupereſſet. Quam aliter ille alius panis, qui in deſerto etiam datus fuit quinque hominum millibus fameſcentibus; de quo ait Ioan. 6. *Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fracmentorũ ex quinque panibus ordaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant.* Illic nec minutum mannę ſupereſt de ſufficienti menſura; hic poſt ſaturationem hominum tot fracmentorum cumuli ſuperfuerunt! Et quando illic nihil permittebatur ſupereſſe; cur hic tot adduntur fracmenta ſuper indigentiam? Illic Deus in Moyſe operabatur; hic in Ieſu; cuius dona ex ſuperabundantia notantur. Ait D. Baſil. Sel. orat. 33. *De cœlo manna quondam Iſraelitis dabatur, ſed quia miraculi adminiſter ſeruus erat, neceſsitati quoque donum ſeruiebat, Nunc autem profuſior, quam neceſsitas poſtulârat, ſuppeditatio auctoritateſtaˉ*

Abbul.

Exod. 16

Ioan. 6.

Baſil. Sel.

testatem testatiorem facit. O quam ostenditur Iesus author, vbi supra necessitatē dona dantur. Vnus Iesus est, qui superfluenter, & abundanter nostris occurrit necessitatibus; aliorum enim creaturarum dona, sic circinantur iuxta indigentiam, vt eius mensuram nequeant superare. Hinc Elias, cap. 17. lib. 3. Reg. volens occurrere viduę indigenti ait illi: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, &c.* Et cur gratiā Dei ad tam paruas mensuras contraxit, quæ vel hydriam, vel lecythum non excederent? Erat non Iesus, sed Elias, qui vt seruus necessitati soli seruiebat. Ait D. Basil. Sel. orat. 33. *Elias oleo viduæ persua sit, vt fontis instar flueret, & exiguus farinæ modius cum tempore non imminuebatur, sed quantum in vsus naturæ absumebatur, tantum gratia refundebat.* Expende illud: *Quantum in vsus naturæ insumebatur*; nulla enim maior mensura illius gratiæ erat, quam quæ exigentia naturæ petebatur. Quod iuxta naturæ exigentiam erat necessarium, id gratia illa præstabat, supra exigentiam, & necessitatem, nec minimum aliquid concedebatur.

Elias, 17.

Basil. Sel.

§. XII.

In omnibus præsentissima est Dei potentia suis assecliis.

DIxit Soli, & Lunæ Iosue ne mouerētur, *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.* Quanuis enim vnius Solis lux, tunc sufficeret, vt dies ad victoriam prolongaretur, tamen simul & Lunæ mandauit quiescere; vt in omnibus tam diutnis, quam nocturnis astris diuinam potentiam suis præsentissimam testaretur. Si enim tantum ad Solem locutus fuisset, putaretur forsam soluta in die potens esse; & expectarent hostes noctem, quasi tunc illum inualidū possent prosternere. Sic 3. Reg. 20. vbi Syri viderunt Israelitas triumphatores in vertice montis clamabant: *Deus montium est dominus, & nō est Deus vallium,* & sperabant in vallis congressu illos vincere posse. Eodem modo putarent Cananæi de Iosue, si tantum sisteret Solem, quod cum Sole valeret, & spectarent nocturnis tenebris sub Lunæ principatu vinci posse. Ideò Deus mouit hominem, vt non solum sisteret Solem, qui solus pro tunc videbatur necessarius, sed & Lunam sisteret, vt sic ostenderetur, quām valeret in omnibus. Exod. 3. promiserat dominus suis: *Educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi: ad terram fluentem lacte, & melle.* Itaque diuinorum promissorum abundantia, & diuinus fauor populo præstandus in illam terram differebatur. Sed & in deserto pluit illis manna, in abundantia, multaque alia bona illis suppeditauit. Et quando diuina promissio pro impendendis in terra Chananæorum stabat; cur & extra illam, in vasto solitudinis tanta illis largiebatur? Vt ostenderetur diuina potentia in omnibus posse fauere suis assecliis. Ait pulchrè D. Chrysost. hom. in dictum Apostoli: *Nolo vos ignorare fratres*, quod patres nostri, &c. *Concluſurus illos erat in vnum orbis locū & iussurus, vt sibi ibi perpetuo ministrarent, neque templum, neque altare alicubi aliud fundarent, sed oblationes, & sacrificia sua illuc ferrent. Ne igitur separato religionis ritu prouidentiam suam illic concludi putarent, quasi vnius regionis Deus esset, prius suam virtutem in aliena regione declarabat, in Ægypto, in Eremo.* Plane si solum se Deus effunderet in terra promissionis, ibique omnem suum cultum haberet, suamque potentiam exhiberet, putaretur solius regionis illius esse dominus. Id eo extra regionem illam in Ægypto, & eremo multa fecit, vt testaretur in omni regione, & loco valere, & præsentissimum esse suis assecliis. Sic vbi ostēdenda erat eius potestas, non intra certas sufficientiæ regulas claudebatur, sed super abundanter etiam se extendebat ad alias. Hinc Ioann. 6. postquinque hominum millia saturata panibus paucis, ait discipulis suis: *Colligite, quæ superarunt fracmenta.* Et quando in multiplicatione panū intendebat dominus turbas illas cibare, quid necessum fuit, vt post illos saturatos, fracmenta multa super essent? Merito voluit, vt supra necessitatem illorum, cui fuerat satisfactū, adhuc multa fracmenta supereſſent, vt eius potentia ostēderetur valere non solum ad illos saturandos, sed ad omnes alios. Ait D. Basil. Sel. orat. 33. *Ideò nunc dominus panes multiplicat præter necessitatem, in potentiæ defensionem, eumque omnibus cogitandum relinquit, qui escam porrigit omni carni.* Expē de illud: *In potentiæ defensionem*; quippè nec crederetur eius potentia exhausta in satiādis illis, præter necessaria ad eorum saturitatem, prouidit, vt supereſſent alia, quibus ostendebatur, quam esset sufficiens omni carni satiandæ.

Exod. 3.

Chrysost.

Ioann. 6.

§. XXII.

A Iesu cum Maria omnis victoria venit.

VT Triumpharet Iosue de hostibus, non solum pro illo Sol stetit, sed simul & Luna, ait enim: *Steteruntque Sol, & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis.* Non enim solius Solis, sed & Lunæ simul parabat auxilium, vt victor de hostibus existeret. Quo respiciens Tertul. lib. 3. carminis in Mar. aiebat.

Solem cum Luna statuit, dum vinceret hostē.

Vt hinc discat Christianus quorum debet sibi parare auxilium, cum de hostibus triūphare cupit. Crede mihi, hostem humani generis non vincimus, nisi nobis sistamus Solem cum Luna, Christum cum Maria. Quippè sine Maria non vult Iesus vincere inimicum. Ait Paul. ad Gal. 4. *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suū factum de muliere.* Esto quod voluerit Dominus homo fieri, vt hominem redimeret, cur necessum fuit, quod fieret homo ex muliere? Cur non magis vitault carcerem muliebris vteri? Ait D. Irinæus lib. 5. aduers. Hæres. *Nec enim iuste victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim homini dominatus est ab initio, semet ipsum contrarium statuens homini. Propter hoc, & dominus semet ipsum filium hominis confitetur, &c.* Itaque diabolus non solū aggressus est Adamum sed cum muliere; cuius infirmitate vsus virum sibi subiecit: vt autem æquali ratione diabolum aggrederetur, de illoque obtineret victoriam, non solus debuit illum petere, sed & cū fœmina; ideò nasci de Maria voluit, vt vna cum matre prosterneret hostem. Vt dicat Irinæus: *Nec enim iuste victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum.* Nisi enim cum matre Iesus irrueret in hostem, semper hostis queri posset, quod non fuerit ipse victus eo modo, quo ipse vicit hominē, quando ipse per mulierem, & cum muliere vicit. Vt ergo ad æqualitatem veniant nobis de hostibus triumphi, ad futurus est nobis Iesus simul cum Maria; sic enim disposuit ipse, vt in humanis triumphis obtinendis simul mater eius interueniret. Hinc Martha postquam fiduciam accepit, quod frater esset suscitandus ab inferis, vocare festinat Mariam sororem suam. Ioan. 11. *Abit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, &c.* Et cur necessum fuit vocari Mariam? Vt Iesus se parabat triumphare de morte in Lazaro suscitato, sic prouidit, vt saltem in nomine interesset mater sua, ne putaremus nos vllum à nobis consequendum triumphum sine interuentione Iesu, & Mariæ. Ait Chrysolog. serm. 64. *Mittitur Martha ad Mariam, quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat materni nominis baiula, vt videat homo Christum virginalis vteri habitasse secretum; quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulchris.* Sic in omni triumpho de morte, de inferis prouidendus est nobis Iesus simul, & Maria. Hinc Ioan. 20. vbi ipsa Magdalana plorans circuniret sepulchrum saluatoris, iam Iesum habebat præsentem, & non agnoscebat, & putans hortulanum esse, cum illo loquebatur, & à lachrymis non temperabat. Quid tunc? *Dicit ei Iesus; Maria: Conuersailla dicit, Rabboni, &c.* Ad solam præsentiam Iesu, à lachrymis non desistebat; vbi in Iesu ore sonuit nomen Mariæ statim luctum deuicit, & conuersa est in gaudia lætissima. Orig. ibi: *O mutatio dextera excelsi! Conuersus est dolor magnus in gaudium magnū: mutatæ sunt lachrimæ doloris in lachrymas amoris. Vbi Maria audiuit, Maria, præsentit in nomine quandā singularē vocationis dulcedinem, & per eam cognouit ipsum, à quo vocabatur esse magistrum suum.* Sic de Mariæ nomine à Iesu prolato agnouit Magdalena, quod antea minime agnouerat, & lachrymas prorsus deuicit, & luctum. Vt sciamus de Iesu iuncto cum Maria omnia nobis bona venire, & tunc hostilia bella confici, & pacem stabiliri, cum dominus Iesus venit cum Maria. Ad Rom. 10. dicebat Paul. *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem.* Circa quæ D. Cyril. Alex. hom. in Nestorium habita in Concil. Ephas. tom. 6. cap. 6. ait: *Sunt enim admodum specioſi pedes euangelizantium pacem. Quam pacem? Dominum nostrum Iesum Christum, quem peperit Maria, sicut ipse voluit.* Itaque plena victoria, & pax, quæ annuntiatur à Iesu venit de Mariænato. Nisi enim Iesum videamus Mariæ iunctū, vix possumus sperare pacē à creaturis, vix possumus re portare victoriam ab inimicis, aquibus periclitamur in vita.

Paul. Ad Gal. 4.

D. Irin. 5

Ioan. 11.

Ioan. 20.

Orig.

Rom. 10.

§. XXIII.

In aulis principum religioſiſſimi quinque periclitantur.

AD Vocem Ioſue ſteterunt Sol, & Luna; ait enim textus: *Stetitque Sol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere, &c.* Sed & Ezechiæ regi Ieruſalem datum à Deo ſignum in Sole eſt; ait enim Iſaias cap. 38. *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum per quas deſcenderat in horologio Achaz in Sole, retrorſum decem lineis. Et reuerſus eſt Sol decem lineis, &c.* Ecce tibi Ioſue Sol ſtetit in medio cœli, Ezechiæ autẽ non ſtetit Sol, ſed retrocеſſit decẽ lineis. Et cur ad Ezechiam non magis ſtetit Sol, ſicut ad Ioſue, ſed retrorſum verſus eſt? Myſterium inſinuant illa verba: *Deſcenderat in horologio Achaz in Sole*; quippẽ cum Ioſue retinuerat Sol altitudinem ſuam, ſolũque conſiderabatur in medio cœli eſſe; at cum Ezechia conſiderabatur deſcendẽs ad horologium Achaz, quod nimirum Achaz rex in aula ſua fecerat, ne miremur, quod vel candidiſſimi radij Solis ad aulas principum accedentes retrorſum cogantur conuerti. Nuſquam alibi Sol retrorſus conuerſus dicitur niſi in horologio Achaz. Potuit in cœlo vim pati à Ioſue oratione, ſed non potuit retrorſum conuerti; at in horologio Achaz, in Ieroſolymitana Regia nõ ſolum conſuetam viam perdidit, ſed & retrorſum eſt conuerſus. Et quæ lumina non periclitentur in aula, quando ibi & Sol retrocedit? Crede mihi Chriſtiane, & magna palatia fuge, quæ vel clariſſimas, conſtantiſſimaſque vitas retrocedere cogent, vel obducent tenebris. Matth. 2. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam dicentes; Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudeorum? Vidimus ſtellam eius in oriente, &c.* Equidem viderant in Oriente ſtellam, quæ Ieſum natum nuntiabat, quæ de recens nati Ieſu radijs fulgebat, ſed vbi ingreſſi ſunt Ieroſolymam, & Herodis Regiam minime vident illam ſtellam, ſed poſtquam inde egreſſi ſunt, iterũ eam vident refulgentem. Et cur ſolum dum Ieroſolymis ſunt, ſtellæ illius viſionẽ perdiderunt? Non miror, dum interponitur, & curia, & Regia Herodis Elcypſim patiatur Chriſti renuntiatrix ſtella. Ait in præſenti D. Amb. *Stella ab his videtur, & vbi Herodes eſt, non videtur. Vbi Chriſtus eſt, rurſum videtur, & viam monſtrat.* Hoc eſt commune aſtris omnibus, quæ à Sole lucẽ accipiunt, quod per interpoſitũ corpus inter illa, & Solẽ, illa luce vacuentur. Sic vbi terra interponitur inter Solem, & Lunam, Luna ſuperfuntitur tenebris. Itaque vbi è regione Lunæ terra eſt, Luna non videtur; vbi autem è regione Lunæ Sol eſt, Luna & videtur, & ſplendet. Quod ergo terra, ſiue corpus opacum interpoſitum inter Solem, & Lunam facit; id preſtant mundiales aulæ inter poſitæ inter Solẽ iuſtitiæ Chriſtum, & eius ſtellas. Vbi ſtellæ Chriſti, prædicatores eius, nuntij eius Chriſtum è regione habent, fulgentiſſimæ ſunt in Eccleſia eius. Aſt vbi, è regione aulas habent, prorſus coguntur obtenebreſcere. Non videtur ſtella Chriſti, vbi Herodes eſt, vbi Regia eſt; de huius enim interpoſitione obnubilantur clariſſimæ Chriſtæ ſtellæ.

Iſaias 38.

Matt. 2.

§. XXIV.

Nõ eſt, qui in aulis principum puras monſtret veritates cœleſtes.

NON Poſſum non mirari, quod in Ioſue ſigno, in clariſſimo cœlo oſtendatur ſtetiſſe Sol, dum ait: *Stetitque Sol in medio cœli, &c.* at in ſigno Ezechiæ, cum per Solem fieret, nulla ibi ponatur cœli mentio; dicit enim Iſaias 38. *Ecce ergo reuerti faciam vmbram linearum per quas deſcenderat in horologio Achaz in Sole, retrorſum decem lineis. Et reuerſus eſt Sol decem lineis, &c.* Et quidem non ſolum in horologio Achaz apparuit illa Solis retroceſsio, ſed etiam in cœlo ipſo facta fuit, vt concors eſt ſapientiorum expoſitorum ſententia, vt ex Hieron. Cyrill. Procop. Haymo, Lyrano, Hugo, Adamo, & Dioniſ. Areopag. & Clauio noſtri probat Pater Cornelius à Iapide ibi. Cur ergo quando conuerſio illa facta fuit in cœlo; nulla ibi cœli mentio, ſed ſolum horologij Achaz; cum in ſtatione Solis per Ioſue, explicatiſsime dicatur facta in cœlo? Signum ſolis oſtendebatur Ioſue in campo; ſignum autem Solis oſten-

Iſaias 38.

oſtendebatur Exechiæ in Regia ſua, & fallar, ſi in Regijs, pura, & clara proponatur cœli veritas? Auditis Magis Herodes vocauit Scribas, & ſapientes populi, & ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur? Quid illi? Matth. *At illi dixerunt ei. In Bethleem Iudæ, ſic enim ſcriptum eſt per prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minimaes, in principibus Iuda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Ijs finierunt Scribæ prophetiam Michææ de loco natiuitatis dominicæ; at Michæas, cap. 5. alia etiam addit pertinẽtia ad regnũ eius cœleſte. Dicit namque: *Et tu Bethleẽ paruulus eſt inmillibus Iuda; ex te mihi egredietur, qui ſit mihi dominator in Iſrael: & egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Michæas dicit, quod reget populum Iſrael, ſed in ſuper addit illud: *egreſſus eius à diebus æternitatis*, quibus cœleſtis imperij eius æternitas demonſtratur. At Scribę hanc vltimam particulam prorſus prætermittunt. Et cur non magis expreſſerunt integram prophetiam? Erant in Regia, & cum Rege, cui adulantes nihil cœleſte, & æternũ, nihil quod temporarium hoc regnum excederet, demonſtrarunt. Ait D. Chryſoſt. hom. 7. in Matth. *Cum enim dicerent, quia ex Bethleem proceſſurus eſſet, qui regeret Iſrael: nequaquã tamen id quod ſequitur, addiderunt, in adulationem profecto regis, vt ad humanæ gratiæ lucrum veritatis damna proficerent. Quid vero illud erat? Et egreſſus, inquit, eius à diebus æternitatis ab initio.* Et vtinam hoc malum finitum fuiſſet in Scribis illis, qui diſſimulatione cœleſtis veritatis lucrum captabant ex temporario principe. At pro dolor, vix & modo aula inuenitur, in qua cœleſtis regni veritas pure tinniat. Aulã fugiat, qui amat puram veritatẽ perſuadere. Ierem. 38. *Audiuit autem Abdemelech Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod miſiſſent Ieremiam in lacum; porro rex ſedebat in porta Beniamin. Et aggreſſus eſt Abdemelech de domo regis, & locutus eſt ad regem dicens: Domini mi rex male fecerunt viri iſti, &c.* Vt nouit facinus commiſſum in Dei prophetam; ab aula egreditur, vt foras regem conueniat; dicit enim: *Eggreſſus eſt Abdemelech de domo regis.* Cur non magis domi expectat regem? Sanè qui regi amabat perſuadere veram prophetæ ſanctitatem, & innocentiã, & pietatem erga Deum, ab aula egreditur, ratus, vel aulæ parietes luciſſimæ veritati offundere tenebras.

Mich. 5.

Chryſoſt.

Ierem. 38

§. XXV.

Nulli poteſtati inglorium eſt, quod propter ſeruorum vtilitatem aliqua in ſe exhibeat ſeruilia.

IOSVE Locutus eſt ad aſtra, & Deus fecit, quod aſtra ſtarent, ait enim text. *Non fuit autea, nec poſtea tam longa dies, obediente domino voci hominis, &c.* Expende illa; *Obediente domino voci hominis*, & miror, quod ſcriptor non vereatur dicere de Deo, quod homini obediat. Et quis eſt homo, vt illi obedientiam præſtet Deus? Nonne homo ſeruus eſt, Deus autem abſolutiſsimus omnium dominus? Ergo & indecens, & inglorium videretur domino, quod obedientiam exhibeat homini? Abſit; nulli enim poteſtati, aut ſublimitati ingloriũ eſt, quod aliqua exhibeat ſeruilia propter vtilitatẽ, & bonum ſeruorum. Hinc Paul. ad Philip pen. 2. *Hoc enim ſentite in vobis; quod in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet ipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, &c.* Sanè abſolutiſsimus Dominus, & ipſiſsimus Deus non dedignatus eſt apparere ſub ſeruili forma, & ſeſe ſubdere omni homini, ſciens illo modo multũ poſſe proficere ſaluti ſeruorum ſuorum. Ex quo ait Theodotus hom. 2. de Natiuit. habita in Concil. Epheſino tom. 6. cap. 10. *Neque enim turpe eſt clementi domino, ſi in ſerui vtilitatem in quibuſdam ſeruilibus cum ſeruo communicet.* Quis adeò rationis expers hoc nõ æſtimet? Quod præcellens natura ſe dimittat in vtilitatem, & bonum inferioris; id nõ poteſt illi eſſe indecẽs, aut indecorum. Tobias iunior quærens mercenarium aliquem viatorem, cuius opera vteretur, cap. 5. *inuenit iuuenem ſplendidum, ſtantem, præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum: Et ignorans, quod Angelus Dei eſſet, &c.* Ecce tibi Angelus Dei, & forte vnus è primis cœli principibus, non veretur formam mercenarij induere, vt Tobiã ducat, & reducat. Quis vnquã ptobro duxit Angelis, quod tales ſe exhibeãt hominibus? Ergo nec vllí alij poteſtati, nec diuinæ indecẽs eſt, quod pro homine ſuo aliqua velit exercere ſeruilia. Ex quo ſapiẽter argumẽtatur Proclus,

Paul. Ad Philip. 2.

Epiſcop. Cyzici hom. de Nat. habita in Conſil. Epheſ. tom. 6. cap. 7. inquiens: *Quodſi ignominioſum eſſet Deo, in vterũ, quem ipſe formarat, illabi; erit ergo & Angelis quoque probroſum hominibus obſequi.* Quando autem nulli probro Angelis ducitur, quod obſequium præſtent hominibus; nec id poteſtati vlli probroſum erit, nec Deo ipſi, qui ſe pro ſuis ſeruis vſque in formam ſeruilem dimittit. Hinc Centurio ille Matth. 8. dicebat ad Ieſum: *Tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nã & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, & dico huic, vade, & vadit, &c.* Sic bonus volebat Ieſum facere, vt ipſe faciebat. Et cur non magis credit Deum aliter operaturum, ac operabatur is, qui homo erat? Sanè nõ putabat Deo indecorum, quod ſponte ſeruos ſuos æmularetur. Ait D. Baſil. Sel. orat. 19. *Video ego quoque tuarum curationum agmina, video miraculorum virtutes eſſe in expectatione, dum annuas. Mitte, vt ego milites, mitte ipſe contra morbum imperium, rebus paruis minores quoque imitare; Deus quo hominibus gratificetur, homines imitetur.* Nec putat indecorũ Deo, quod ad hominis imitationem deſcendat, vt homini gratificetur. Nulla eſt adeò magna natura, & ſublimis, quæ non ambiat etiã ſeruilia opera, per quæ magnũ aliquod bonum operentur. Vnde idem D. Baſil. Sel. Virginitatem Mariæ extollens ait orat. 39. *O virginitas, per quam Angeli humanam gentẽ pridem auerſati, iure meritoque geſtiunt ad hominum ſeruitium deſtinari.* Sic ſublimiſimæ naturæ Angelicæ hominibus ſeruire geſtiunt, quos nouerunt conſeruos. Et de Ieſu ait D. Damaſcen. in carm. de Epiphania.

Mortale noſtrum conditum Dei manu
Genus, â tyranno deuoratum ad ſe trahit
Chriſtus:
Peragens opus, quo maius, aut diciqueat
Nam venit ad nos, ferret vt nobis opem.

Merito putat magnum diuinæ benificentiæ opus, quod opem deferat ſuis ſeruis.

§. XXVI.

Nulla abiectio ſponte ſumpta ob bonum aliquod honeſtum indecora eſt maieſtati.

NE Mihi obijcias, quod ait: *Obedite Domino voci hominis*, quando enim nõ coactus hominis imperio, ſed ſponte ſua Deus homini obediebat, nullum inde oriebatur diuinæ maieſtatis detrimentum. Hinc Hæreticos perdit Nazianzen. qui paſsionẽ Deo indecoram putabant. Ait enim orat. 42: *At tu ea quidẽ, quæ minuunt, atque extenuãt, profers; quæ autem efferunt, præteris: atque id quidem expendis, quod paſſus ſit, quod autem ſponte, non adiungis.* Et quidẽ vbi paſsiones, & abiectiones ſponte, & libere ſuſcipiuntur ob finem honeſtum, minime debent indecoræ Deo videri. Paul. ad Gal. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum de muliere, factum ſub lege*, nec dubitat prædicare de filio Dei, quod ſit factus de muliere, quando ad id non naturæ indigentia, ſed ſponte ſua, & mera voluntate ſua peruenit. Ex quo aiebat D. Baſil. Sel. orat. 39. *O aluum ſanctam, Deique receptricem! In qua deſumptum eſt peccati chyrographum, in qua Deus factus eſt homo, permanens Deus, & geſturi vtero ſuſtinuit, & ad noſtræ generationis humilitate ſe deiecit, nõ exinanito gloriæ patriæ ſinu, quo maternos amplexus oppleret. Non enim in ea, quæ ſponte agenda ſuſcepit, ſeſe partitur Deus: quin potius manens in omnibus indiuiſus ſalutem mũdo confert.* Quæ agenda ſponte ſuſcipiuntur, non diuidunt in Ieſu Deũ, quaſi Deus dedignetur ſibi ea tribuere; quin potius quaſi propria ea exhibet, vt mundo afferat medelam. Matth. 27. clamat Ieſus: *Deus Deus meus, vt quid derelinquiſti me?* Ex quo ait Arnold. Carnot. ibi de diabolo: *Derelictum vidit ad tempus, & penitus poſſe extingui arbitratus eſt: Sed abiectio voluntaria non expers erat omnipotentiæ.* Sic ibi.

Ioſue 10. Fugerant enim quinque reges, & ſe abſconderant in ſpelunca vrbis Maceda. Nuntiatumque eſt Ioſue, quando inuenti eſſent quinque reges latentes in ſpelunca vrbis Maceda. Qui præcepit ſocijs, & ait: Voluite ſaxa ingentia ad os ſpeluncæ, & ponite viros induſtrios, qui clauſos cuſtodiant. Vos autem nolite ſtare, ſed perſequimini hoſtes, & extremos quoſque fugientium cædite, nec dimittatis eos vrbium ſuarũ intrare præſidia, &c.

§. XXVII.

§. XXVII.

Hoc valde lethale peccatori, quod se tenebris obnubilet, ne appareat.

DESPERATI De victoria miseri Amorrhæorum reges, se bello subtrahunt, & fugientes nigræ se dedunt spelunce, dicit namque: *Fugerāt enim quinque reges, & se abscōderant in spelunca, &c.* Et sane lethalissimum est hoc suffugium peccatori, vt se abscondat; qui magis possit viuere, si maliciam suam in aperto constituisset, cōfessus illam. Rex etiam Dauid post perpetratum scelus cum Bersabeth, statim quæsiuit latibulum, quo prorsus celare tur adulterium illud, 2. Reg. 11. fecit ab exercitu venire Vriam Ethæum Bersabeth virum, vt cum vxore dormiret, & sic nesciretur vxoris furtum. Venit autem Vrias, stetit coram rege, prospera victoriarū nuntiat, at rex parui æstimat victorias audire; vnum attendens, vt militem suadeat ire ad vxorem suam. Sed tota regis sapientia man
2. Reg. 11 sit victa à fideli milite, qui dicebat: *Arca Dei, & Israel, & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rē hanc.* Vide regem, & vide militem. Rex totus erat in eo, vt occultaret facinus suum per ingressum militis ad vxorem suam. Miles autem licet ignorans facinus, è contra pugnabat, ne in domum suam iret, & tandem vicit miles. Et vnde factum est, quod miles sic reluctaretur regi in re adeò homini naturali? Equidem id veniebat ex prouidentia diuina cauente, nè Dauid cum facinore suo ocultaretur, vt quod illi esset lethalissimum. Rem pulchrè expendit D. Chry-
Psalm. 50 sostom. in Psal. 50. inquiens: *Rex iniquitatem scelere vult celare. Scripsit itaque, vt ad se veniret Vrias; venit Vrias de castris. Audiuit rex, quod miles vicerit, & dolet, quod ipse sit victus. Miles victoriam annuntiat, & rex præconfusione sua peccatum timet confiteri. Vide itaque clementiam Dei, quomodo immutat consilia hominum, qui in malis suis celare cupiunt, quod admittunt.* Timebat cōfiteri rex peccatum suum, imò amabat illud tenebris obducere, sed non prævalebat in astutia sua, operante id clementia Dei; à clementissimo enim Deo venit, quod pecatores latibula non inueniant peccatis suis, sed magis illa per confessionem publicent. Hinc Samaritanæ fœminæ post longas gratiæ promissiones, antequam illi donaret aquā viuam, ait Ioan. 4. *Voca virum tuum*: sciebat *Ioan. 4.* illam esse tunc viduam, nec habere legitimum virum, sed turpem amicum. Cur ergo dicit, vt vocet virum? An volebat adesse il lud turpitudinis mancipium? Absit, sed volebat, ne mulier absconsam seruaret maliciam suam, sed vt illam produceret in lucē, & per confessionem, aquam viuentem reciperet. Quo spectans D. Gauden. tract. de *Gauden.* Paral. ait: *Iam dominus Samaritanæ illius mulieris vitia occulta prodiderat, & confessam spirituali fonte mundauerat.* Et mundicies, & sanitas Samaritanæ per Iesum in eo fuit constituta; quod nil in ea occultum, & cælatum maneret, sed omnia vitia in lucē prodirent, & sic confessa vitam reciperet. Caue peccator latibula, magis ama confessionis lumina, ijs tendis in vitam; illis pararis ad extrema supplicia. Hinc Thamar Gen. 38. furata soceri concubitum, non occultabat vterum, ait enim text. *Post tres menses nuntiauerunt Iudæ dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere.* Per tres menses intumescebat *Gen. 38.* vterus, & illa non occultabat; sed & Elissabeth mater Ioannis, vt in senectute conceperat, sic vt ait Lucas cap. 1. *Occultabat se mensibus quinque*; hæc per quinque menses se occultat, illa nec trium mensium vterum occultari permittit. Et cur illa non magis se occultat, quam hæc? Hæc erat sancta, & iusta, quæ in sanctitatū occultatione nullum sentiebat periculū. Illa peccatrix erat, & inde merito cauet latibulū, lethale enim est peccatoribus, quod velint abscondi, & latere facinora sua. *Lucas 1.*

§. XXVIII.

Quam parem dolorem pariunt gaudia mundi.

QVI Tanta exultatione in prælium coierant reges, nūc misere coeunt in speluncam, inde ad exitium venturi. Sic de illis primo dicebatur: *Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorū, & castrametati sunt circa Gabaon oppugnantes eam.* Modo autem de eisdem dicitur: *Fugerant quinque reges, & se abscōderant in spelunca, &c.* ibique ingenti lapide ad ostium speluncæ obuoluto tenebantur concluſi à Iosue. Compone modo horum regum primam congregationem in prælium, & secundā in spelunca. Primo congregati-

exultabant, & inſultabant, modo congregati in obſcuro ſpecu miſere conficiuntur. Qua alacritate ſe mutuo reſpiciebāt in prælio? Quo dolore ſe mutuo reſpiciunt in ſpelunca? Sic ſic mundialia gaudia finiuntur,

Thren. 2. vt parem ſibi dolorem parturiant. Threnor. cap. 2. aiebat Ierem. *Repulit dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ, tradidit in manus inimici muros turrium eius, vocē dederunt in domo domini ſicut in die ſolemni.* In media ciuitatis Ieroſolimitanæ ruina dicuntur Iudæi vocem dediſſe ſicut in die ſolemni. Sed quid clamor luctus cum die ſolemni? Plane ſolemnitatum mundialium gaudia menſuram futuri doloris ex ſe inferunt. Ait Rupert. lib. 1. in Ierem. cap. 42.

Rupert. *Vocem dederunt in domo domini, ſicut in die ſolemni. Ac ſi diceret, Nunquam altius in gaudio ſolemnitatis cecinerunt, quam nunc in angustia, & dolore clamauerunt.* Ecce tibi, vt mundiali ſolemnitati, & gaudio reſpondet dolor, & anguſtia in exitio. His oculis velim, quod homines reſpicerent gaudia mūdi, nimirum vt certiſſimas dolorum, anguſtiarumque menſuras; quibus ad æqualitatem in fine reſpondeat dolor, & anguſtia. Eiuſdem menſuræ erit dolor venturus, cū

Gen. 3. gaudio peccantium. Hinc Gen. 3. ad mulierem dicitur: *In dolore paries*: circa quæ D. Baſil. Sel. orat. 3. ait: *Cum fructu interdicto, te non abſtinueris, fructu vteri tui miſere cruciaberis.* Sic fructus interdictus cum gaudio ſuſceptus iam fructum dolorum, & cruciatum deſignabat. Quis ignotet gaudia Philiſtinorum, quando percuſſerunt Iſraelem, & captiuam duxerunt Dei arcam? At par facinori illos ſtatim concuſsit plaga. Dicit

1. Reg. 5. enim 1. Reg. 5. *Aggrauata eſt manus domini ſuper Azotios, & percuſsit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ, & agri, in medio regionis illius, & nati ſunt mures.* De qua plaga ait D. Auguſt. lib. 2. mirab. ſcript. cap. 7. *Conuenienter dominus illis vtranque pœnam parauerat, qualem rerum ipſarum conueniens ratio exigebat: quatenus qui miſera animalia diuino cultu venerabantur, per miſerrima animalia in aduentu dominicæ legis caſtigarentur. Et qui tabernaculi domini interiora, id eſt, arcam extra limites ſuos protraxere, hi interiorum ſuorum foras prominentium fœda affigerentur clade.*

Sic peccantium gaudia ſimilem dolorem, & anguſtiam ſibi pariunt.

§. XXIX.

Pœnalia hominum mala reduntur à vero Ieſu in bonorum cauſas.

VT Ioſue audiuit clauſos eſſe reges in ſpelunca, iubet lapidem admoueri ſpelunceæ ad oſtium; ſic enim dicit: *Voluite ſaxa ingentia ad os ſpelunca, & ponite viros in duſtrios, qui clauſos cuſtodiant.* Sic lapis ingens detinet miſeros ad ruinam, cui aſsidēt milites cuſtodes. Quo vbi peruenio non poſſum non meminiſſe diuiniſsimi regis Ieſu, qui in ſpelunca ſepulchri depoſitus fuit, & ingenti lapide concluſus, cui etiam Phariſæi addiderunt cuſtodiam militum. De quibus ait Matth. 27. *Illi autem abeuntes* Matt. 27. *munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cū cuſtodibus.* Ioſeph Abarimathia ſaxum ingens aduoluerat ad oſtium monumenti; at Phariſæi militum cuſtodiam adhibuerunt. Sed quando reges Amorrhæi appoſito lapide, cuſtodibus adhibitis concluſi erāt in ſpelunca; cur etiam verus Ieſus paſſus eſt concludi in ſpelunca ſepulchri admoto lapide, & ſimiliter cuſtodibus adhibitis? Cur non magis fugit, vel vmbram eorum, quibus perditi ſunt regum nequiſsimi? Quæ ſaxa, & milites vexarunt Amorrhæorum Reges; hæc ſimiliter Ieſu adhibita eius illuſtrarunt potentiam, quę mala hominum pœnalia in gloriam nouit conuertere. Quo ſpe-

Iſaias 33. &ans Iſaias cap. 33. iuxta Septuag. lectionem ait: *Hic habitabit in excelſa ſpelunca petræ fortis: Regem cum gloria videbitis.* De quo D. Hieron. in Matth. 27. ait: *Quod in ſepulchro ponendus eſſet, prophetæ teſtimonium eſt dicentis: Hic habitabit in exciſa ſpelunca petra fortiſsima, ſtatimque ſequitur: Regem cum gloria videbitis.* Ecce tibi Reges Amorrhæorum, & Regem cœlorum; & illi, & hic in ſpelunca clauduntur, ſub ingenti ſaxo deliteſcunt, à militibus cuſtodiuntur. Sed illic videre erat Reges in ſummis calamitatū tenebris, hic videmus noſtrum diuiniſsimū Regem cum gloria. Eſt equidem talis Ieſus rex noſter, vt quæ impijs in pœnam ſunt in ſe ſuſcepta conuertat in gloriam, & in cauſas ingentium bonorum. Hinc aiebat

Marci 16 Marci, cap. 16. *Qui crediderit, & baptizatus erit, ſaluus erit.* Et mirabar, quod mundi ſalus conſtitueretur in baptiſmo aquæ. Cur tibi Deus placuit elementum aquæ, vt in illo conſtituere s ſalutis humanæ ianuam?

Fuerat

Fuerat elementum aquę primum, quod aduersus peccatores insurrexit, adeò, vt exceptis octo animabus, vniuersos homines
Gen. 6. suffocaret Gen. 6. Inde Iesus ad hoc elemẽtum accedit, illamque facit humanæ salutis causam, vt quis sit Iesus demonstretur, cuius est lethalia peccatoribus conuertere in fontes sanitatum. Pulchrè accinit D. Damascen. in carm. de Epiphania fatus.

Te scimus olim, Christe rex, & maxima
Planeque mira perpetrans, cunctos aquis
Orbem per omnem perdidisse vltricibus,
Contra obruisse, nunc aquis nostrum scelus,
Nostri misertus dum saluti prospicis.

Quibus perdiderat aquis vniuersum orbẽ, eisdem modo gignit mũdi salutem. Is enim est Iesus noster, qui sciat mala cuncta pœnalia conuertere in bonum mundi; & de ijs, quæ perdebant homines, vniuersis mẽdelam perficere.

§. XXX.

Tota miserorum fœlicitas in eo est, quod Iesu pateat accessus ad illos.

DICTVM Est Iosue, quod reges latèrent in spelunca, qui statim dixit: *Volvite saxa ingentia ad os spelunca, & ponite viros in dustrios, qui clausos custodiant.* Quid miserius? Spelũca occluditur, ne vel Iesu ipsi pateat accessus ad conclusos. Magna sanè hæc iam erat inclusorũ pœna, quod à bonis, & iustis longè separati manerent.
D. Dionis. Merito enim dicebat D. Dionis. Areop. epist. 10. *Iniqui discipulos Iesu ciuitatibus pellunt, illi ipsi sibi, quæ merentur profecto tribuentes; dum à sanctis scelesti dirimuntur, atque recedunt.* Hoc putat sanctus iniquorum meritum esse, vt à sanctis recedant, vt nullus ad illos pateat, nec discipulis Iesu, nec ipsi Iesu accessus. Quando tota illorum fœlicitas esset, si ad illos Iesus accederet. Ait
Isaias 33. de Iesu Isaias cap. 33. iuxta Septuag. *Hic habitabit in excelsa spelũca petræ fortis.* Spelunca erat, in qua latro diabolus omnia hominum corpora abscondebat; imò, & erat spelunca, qua ipsas etiam sanctorum animas detinebat. Quid noster Iesus? Iusit ne, vt sibi illa spelunca lapidibus obstrueretur? Absit; sed ipse vsque ad illam speluncam per se descendit, iuxta illud: *Habitabit in excelsa spelunca, &c.* Iosue minimè accedit ad speluncam latentium regum, quin iubet ostium eius obstrui lapide ingenti;

Iesus autem speluncam per se intrat, in eaque habitat, vbi conduntur corpora humana, vel vbi animæ sanctorum delitescebãt. Et cur quando Iosue sibi obstruit aditum speluncæ regum, Iesus spelunças, vel sepulchri, vel inferni perse ingreditur? Illic ostẽdebatur infelicium reproborum conditio, quorum in malis nullus patet Iesu accessus nec aditus. Hic ostenditur tota fœlicitas humana posita in eo, quod in nullo pœnali loco existat, ad quem Iesus per se accedere no valeat. Sic enim desinent omnia mala, & sincera fœlicitas plaudet. Ad hæc loquitur D. Damascen. orat. in Sabath. Sãct.
D. Dam. *Nunc Verbum ad serpentem descendit in terræ viscera latitantem, eumque diuinitatis suæ hamo, sub corpore, tanquam vermiculo abscondo extrahit: quosque dum viribus adhuc pollebat, miserandum in modum absorserat, eosdem nunc euomere compellit, in diuitys suis gloriantem, inanem dimittit.* Proh Iesu, in quantum hominum bonum, vsque in terræ viscera descendis! Ibi serpentem vectem diabolũ perdis, & tuos facis in salutem procedere. Et explicatius adhuc: *Iesus in monimento ponitur, in terra sepultis, obliuionique datis annumeratur: æreæ nunc conteruntur portæ, ferrei confringuntur vectes; portæ, inquam, illæ æternæ nunc auferuntur, terræque fundamenta reteguntur, fremente licet, atque exhorrescente inferorum custode.* Sic vbi Iesus intrat mortuorum speluncam, mille aperit vias salutis, quin nigri custodes resistant. Felix ille, qui licet tenebrosis specubus sepultus accessum præbuerit Iesu, nunquam non cõcipiet spẽ vitæ. Sanè tota fœlicitas nostra est, quod pateat Iesu ad nos accessus, nullo enim malo obruemur. Isaias cap. 11. di-
Isaias 11. cebat: *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauernã reguli, qui ablactatus est, mittet manus suas.* Ecce tibi, vt diuinissimus infans manus suas mittit in cauernas regulorum; non enim iubet ostia eorum occludi, quin potius ipse intrat, & omnia lustrat, repagulaque tentat manu sua. Quid tunc? Omnia inde mala exsufflat.
D. Dam. Ait D. Damascen. supra: *Natus, datusque nobis puer, in foramen aspidũ descendens, vexat, interimit, perdit arrogantem illum, magnaque iactantia insolescentem. Nunc inferorum sedes cœlum efficitur; infima terræ lucte complẽtur, cæcisque visus restituitur.* Quæ non bona parturiantur, vel in specubus terræ delitescentibus, dum eo Iesus accedat? Noli timere homo, quouis concludaris spelæo; tantum cura, ne ostium Iesu obstruatur, sed magis vt pateat illi accessus. Si enim Iesus accedat, si vel mittat manum suam in foramina ea-

na cauernæ, etiam renuentibus inferorum cuſtodibus, mille vias ſalutis ſuis hominibus aperiet. Gen. 9. vt daret Deus ſignum fœderis mundo ait: *Arcum meum ponam in nubibus, &c.* Et cur arcus in nubibus ponitur in ſignum ſerenitatis? Dum nigris obcluditur nubibus aer, ſi in illis arcus apparet, ſignum eſt, quod è regione iam clarus Sol rutilat, trahit enim arcus de aduerſo Sole colores. Vnde euidentiſsime patet, quod totus mundus nõ cadit ſub pluuia. Id quod ſapientiſsime notat D. Aug. lib. 1. aduerſua legis, & Prophetarum contrarios, cap. 20. in ſpirituali animæ dilubio. Licet enim ſcelerum nubibus denſiſsimis obſcuremur; ſolet aliquando diuiniſsimi Solis radius accedere ad illas nubes, interque obſcuritatem peccatorum fulgere. Quid tunc? Si Solis Ieſu radius, vel tenebroſa corda pertingat, ibique quaſi inter nubes effulgeat; iam manifeſtiſsimum ſignum eſt appropinquãtis ſalutis.

Ioſue cap. 10. Reuerſuſque eſt omnis exercitus ad Ioſue in Maceda, vbi tunc erant caſtra, ſani, & integro numero, nulluſque cõtra filios Iſrael mutire auſus eſt. Præcepitque Ioſue dicens: Aperite os ſpeluncæ, & producite ad me quinque reges, qui in ea latitant. Feceruntque miniſtri, vt ſibi fuerat imperatum; & edduxerunt ad eum quinque reges de ſpelunta, &c. Cum educti eſſent ad eum vocauit omnes viros Iſrael, & ait: Ite, & ponite pedes ſuper colla regum iſtorum. Qui cum perrexiſſent, & ſubiectorum colla pedibus calcarent, rurſum ait ad eos: Nolite timere, nec paueatis, confortamini, &c.

§. XXXI.

Tunc euidentiſsime regnum cadit peccati, cum muta fiunt homini labia, ne iuſtis obloquantur.

ECCE Signum diuinæ victoriæ, & certiſsimæ ruinę regni peccati, nimirum ait: *Nullus que contra filios Iſrael mutire auſus eſt.* Ex hebræo ait: *Non mouit in filios Iſrael vllus linguam ſuam*: ex quo obmuteſcunt linguæ in hominibus, ne ſanctos percutiant, clariſsimum eſt ſignum ruinæ, qua peccati regnum incipit perire. Antiochus ille tyrannus, vt plenus diabolico ſpiritu 2. Machabæor 7. ſic aggreſus conſtantiſsimos iuuenes pueros fratres Machabæos, *iuſsit ei, qui prior fuerat locutus amputari linguam, &c.* Hoc fuit primum in puero Machabæo certamen, quod fuit in Iobo vltimum; quippè Iob poſt prælia mille, poſt ſpoliationem bonorum, poſt raptos filios, poſt morbos, poſt carnes exeſtas, adhuc dicebat, cap. 19. *Derelicta ſunt tantum modo labia mea, &c.* Et cur Iobo poſt tot prælia derelinquuntur adhuc, quæ ad vocem pertinent; cum Machabæo in primo congreſſu eripiatur lingua? In Iobo nunquam deſperauit malignus victoriam; ſed ſemper credens ſe prævaliturum, vocis inſtrumenta relinquebat, ſi forte inde maledicta aliqua proſilirent. In nobili autem Machabæo, ſic miratur inuencilem iuuenem, vt prorſus oſtendatur de illo vincendo deſperaſſe, & ideò, vel linguam ei auferri iubet minime eius malicię pro futuram. Ait Euſeb. Gallicanus ſer. de Sanct. Romano in re ſimili: *Quaſpe vltra inſaeuum corpus belluina graſſaris immanitas? Propter hoc ſolum hactenus in reliqua membra ſeuiſti, vt aliquem fructum crudelitatis tuæ ex afflictione ſuſciperes: ſed dũ vocis myniſterium rapuiſti, iam deuictoria deſperaſti.* Ecce tibi diaboli victoria deſperatur, eo ipſo, quod vocis inſtrumenta auferantur. Hoc equidem euidentiſsimum ſignum eſt labentis regni peccati, quod labia malignantium aduerſus iuſtos muta fiant. Balac Madianitarum rex in maximas auguſtias redactus, eo peruenit, vt totum victorię ſuę negotiũ in eo conſtitueret, quod Balaam populo Iſraelitarum malediceret. Ibat ergo Balaam maledicturus, at angelico gladio correptus, prorſus ad maledicendum fit mutus, ait enim ipſe Num. 23. *Quo modo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione deteſter, quem dominus non deteſtatur? De ſummis ſilicibus videbo eum, &c.* Ecce primum regni impiorum ruituri indicium, nimirum, quod hæreat maledica lingua. Ait Hugo Victorin. ſerm. 75. *Ipſe denique cognito, quod contra Deum graditur, dum eius maledicere populo conatur: timore corripitur, & ſi non à malignitate prauæ voluntatis, à malignitate tamẽ detractionis refrænatur. Et eius male-*

2. Mac. 7

Iob 19

Euſeb.

Num. 23

Vict. 75

maledictio in benedictionem vertitur, & bona de iustis satagit, licet inuitus, prædicare. Balaam quoque gladio filiorum Israel perimitur, &c. Expende coniunctum hoc, nimirum maledica lingua refrænatur, & principatus impiorum perditur; vbi maledicus silet aduersus iustos, cadunt diaboli vires. Vtinam obmutescerent humanæ linguæ, & fallar, si vlla diabolo victoria veniret; qui in tantum prævalet, in quanto habet hominum linguas solutas. Numer. 12. ait: *Num. 12.* *Locuta est Maria & Aaron contra Moysem, &c.* Quæ circa D. Amb. in 1. cap. D. Lucæ in fine ait: *Maria vbi prolixius est locuta cũ fratre, nequaquam sui pœnam sermonis euasit.* Idem fuit, & in Mariâ illa linguam esse solutam, & peccati regnum stabiliri. Hinc Actor. 16. mulier quædam spiritum diabolicum habens clamabat in dies laudãs Paulum Apostolum, & Barnabam dicens: *Act. 16.* *Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis:: Dolens autem Paulus, & conuersus spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exyt eadem hora.* Sic Paulus non passus est diabolum vti humana lingua, nec in bonum, sciens inde regnum eius posse stabiliri; sed diabolum & tacere coegit, & exire. Ait D. Chrysost. orat. 3. in Iudæos: *Chrysost.* *Dixit spiritui: Exi ab ea. Qua de causa? Quoniam clamabat: Isti homines serui Dei altissimi sunt. Tacentes enim non perinde decepissent simplices, loquentes autem multos simpliciores erant attracturi, persuasurique, quo nimirum sibi in alijs rebus auscultarent.* Maluit Paulus linguam diabolo eripere, vt ne mutiret quidem, sciens inde regnum eius minime prævaliturum. Ideò de nobili triumphatore Iesu ait Luc. cap. 11. *Luc. 11.* *Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus;* primum dæmonium eiecit, quam muti solueretur lingua; ne si lingua solutæ Dæmoni iungeretur, eius regnum stabiliret.

§. XXXII.

Non parui doloris, & pœnæ res est ingenuo viro, quod teneatur reges coram offendere.

MISERORVM Regum colla à suis militibus calcari Iosue præcipit, & iam calcantes ea hortatur ijs verbis: *Nolite timere, nec paueatis, confortamini, & estote robusti, &c.* Et cur necessum erat tot, tantisque verbis robur indere militibus, vt conculcarent captiuos, & ligatos reges? An miseri reges aliquomodo obsistere poterant, vel poterant aliquem inferre metum calcatoribus suis? Mimime, sed ingenuis animis Israelitarum adeò durum erat, & acerbum, sic reges opprimere, vt roborandi essent in facinore, quasi ipsi aliquid magnum paterentur. Et quando in genuo animo non pœna est, quod teneatur offendere regem? Notissima est historia trium puerorum Hebræorum; quando erecta fuit imago aurea à rege Babyloniæ, vt adoraretur, Daniel. cap. 3. Tunc inter regis famulos, in ipsa aula inuenti sunt tres Hebræi pueri regijs expensis nutriti, qui iuxta Dei veri legem nõ poterant imagini adorationem exhibere. Ij adducuntur coram rege, quibus rex iubet, vt quam primũ procidant, & adorent imaginem, alioquim flãmanti fornaci tradendi. Ad hæc vno ore dicunt: *Non oportet nos de hac re respondere tibi: Ecce enim Deus noster quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ò rex liberare. Quodsi noluerit, notum sit tibi, rex, quia Deos tuos, non colimus, & statuam auream, quã erexisti non adoramus.* *Daniel. 3.* Sic tres pueri lege diuina constricti seseRegi Babylonio opposuere. Et quanto doloris illis fuit hæc oppositio, & regis contemptus? Sapienter Tertul. lib. aduersus Gnosticos in illa putat totum martyrij tormentum perfectum. Ait enim? *Itaque conditionales minas regis executiunt. Non habemus, inquunt, necessitatem respondendi huic tuo imperio. Est enim Deus noster potens eruere nos de fornace ignis, & tunc manifestũ erit tibi, quod neque imaginem tuam adorabimus. O martyrium sine passione perfectum, satis passi, satis exusti sunt, quos propterea Deus texit, ne potestatem eius mentiri viderentur.* *Tertul.* Expende illa: *Satis passi, satis exusti*, qui enim sic videbantur regem contemnere, eiusque conculcare imperium, satis reputantur passi, satis exusti, vt qui, vel ante passionem corporis, totum martyrij tormentum sustinuerint. Tormentum equidem est non leue ingenuis mentibus eo deduci, vt cogantur reges contemnere. Quo spectabat ipse rex Dan. 3. quando miratus puerorum indemnitatem medijs in flammis aiebat: *Dan. 3.* *Benedictus Deus Sidrach, Missach, & Abdenago, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum: & verbum regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua, &c.* Ad idem refert, quod tradiderint corpora sua, & quod immutarint verbum regis; quasi

res eſſet eiuſdem pœnæ, & afflictionis. Nec maior afflictio inueniatur in traditione corporis, vt torqueatur, quam in contemptu regalis imperij. Inſinuabat id Dauid, quando infenſiſsimum ſibi regem habens
1.Reg.24 in ſpelunca 1.Reg. 24. ſuccidit particulam purpureæ Chlamydis. Subdit enim ſtatim textus: *Poſt hæc percuſsit cor ſuum Dauid, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Non enim ſine intimo cordis ſui dolore bonus Dauid eo deductus eſt, vt pallium ſcinderet regis, vt credamus ingenuis animis non paruo eſſe dolori, quod regiam dignitatem offendant. Fuerat equidem præciſio illa pallij aliquomodo iniurioſa Sauli, vt notat Caietan. ideò facta fuit à Dauide tam ingenti dolore, quam ſi præſcinderetur ſibi particula cordis, adeò familiare eſt bonis dolere in regum offenſione.

§. XXXIII.

Ad magnam Dei veritatẽ ſpectat, quod quis etiam contra animam ſuam non vereatur Reges.

EGRESSVS Ioſue aduerſus validiſsimum exercitum Amorrhæorum regum, nullam facit exhortationẽ ſuis militibus, ſolum enim ait textus: *Aſcendit Ioſue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortiſsimi. Dixitque dominus ad Ioſue: Ne timeas eos, in manus enim tuas tradidi illos, nullus ex eis tibi reſiſtere poterit. Irruit itaque Ioſue ſuper eos, &c.* Ecce tibi vt Ioſue fortiſsimos milites ſuos in prælium aduerſus quinque reges armatos ducens nihil illis dicit, nec cõfortari iubet, ſed accepta Dei promiſsione tacitus in hoſtes ruit. At vero poſt debellatos hoſtes, poſt captos reges, & ligatos, vbi eorum colla calcari à ſuis iubet, nunc multus eſt in adhortandis, cõfirmãdis, ſtimulandiſque ſuis. Quippẽ ait: *Nolite timere, nec pauſatis, confortamini, eſtote robuſti, &c.* Et cur non iubet eos confortari, quando conflicturi erant cum armatis, & eos confortari iubet, quando conculcaturi exercitus viſebantur; modo reges quinque clare viſuntur, vt autem homines regibus clare viſis contrarientur, & non magis illos vereantur, & à parte illorum fiant, magna & extraordinaria virtus requiritur. Tres pueri Hebræi poſiti coram rege Babylonio, vel adorent eius imaginem, vel mittantur in flammantem caminum, ſic aiunt Dan. 3. *Ecce Deus noſter* Dan. 3.
poteſt eripere nos de camino ignis, & de manibus tuis, ò rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi, ò rex, quia Deos tuos non colimus, &c. Quæ verba argute ponuntur à Tertul. in
Tertul. rem præſentem lib. aduerſus Gnoſticos; ait enim: *Eſt enim Deus noſter potens eruere nos de fornace ignis, & ex manibus tuis, ò rex, & tunc manifeſtum fiet tibi, quod neque idolo tuo ſamulabimur, neque imaginem tuam aureã adorabimus.* Expende illa: *Et tunc manifeſtum fiet, &c.* quippè, cum potentia Dei appareat concomitans illos, & conſeruans illæſos in medio flammantis camini, tunc manifeſtum fiet, quam longe illi ſint à regis cultura in malũ animæ ſuæ. Tanta enim Dei virtus, & potentia requiritur, vt ſe exhibeat homo etiam propter Deum Regi aduerſarium, & inimicum. Ait 3.Reg. 18. *Vo-* 3.Reg.18
cauit Achab Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ. Abdias autem timebat dominum Deum valde. Nam cum interficeret Iezrael prophetas dimini, tulit ille centum prophetas, & abſcondit eos, &c. Hoc mirabile erat in Abdia, quod ſæuientibus Achab, & Iezabel regibus in prophetas domini, ipſe contemnens regia decreta, fouebat prophetas; nec cotidiana regum conſuetudine, potuit à pietate in Deum ſeparari. Et vnde tanta virtus in homine, qua obſiſtat regibus etiam cum vitæ periculo? Ait Theodor. quæſt. Theodor.
53. ibi: *Abdias autem tunc erat valde pius. Nam primum quidem cernens prophetas occidi à Iezabel, non ſolum occultauit, ſed etiam pauit. Nec timuit eius, quæ dominabatur cruẽ tam ſæuitiam, ſed omnibus prætulit pietatem. Hæc enim ſunt viri diuina meditantis, & ſcientis vim diuini ſpiritus.* Niſi enim ſciret vires diuini Spiritus, eaſque multis expertus in ſe fuiſſet, non ſic regum placitis obſtitiſſet. Magna equidem Dei virtus eſt, quæ facit homines, vel in ſalutem animæ ſuæ à regibus deſciſcere. Elias etiam Achabo contrariatus famem terræ inuexit, furoremque regum fugiens ſedit in torrente Carith. 3. 3.Reg.17
Reg. 17. *Corui quoque deferebant & panem, & carnes mane, &c.* Quod miratus Tertul. lib. contra Phychic. cap. 8. ait: *Deferant cor ui, qui illum liberalius paſcerent? An difficile Angelo fuerat aliquem alicunde de conuiuio regis miniſtrum cum inſtructiſsimo ferculo raptum ad Heliam transferre, ſicut Danieli in lacum leonum eſurienti prandium meretium exhibitum eſt?* Sapienter putat bonus magiſter illam cibi parſimoniam in pane, & carne Heliæ per coruum allatam non

fuiſſe,

fuiſſe, ex eo quod non potuiſſet Angelus Dei alicunde regium miniſtrũ rapere, qui inſtructiſsimum ferculum eſurienti miniſtraret. Et illud valde notandum, quod non dicatur Angelus non difficile poſſe rapere miniſtrum regium de menſa regis Iſrael; ſed notanter dicit, *Non difficile Angelo fuerat aliquem alicunde de conuiuio regis miniſtrum cum inſtructiſsimo ferculo raptũ, &c.* Verbum enim *alicunde*, nullum regnum determinat, nullam regis menſam deſignat in particulari, de qua difficile fuiſſet Angelo afferre aliquem Heliæ liberalius miniſtrantem. Cur ergo non magis deſignauit regnum Iſraelis, ad quod pertinebat Helias? Cur cauit nominare aut menſam, aut Regiam Achabi regis, quæ præſentiſsima erat, vt inde facilius Angelus miniſtrum raperet? Vt nouit Achabum Heliæ aduerſantem, forſam non putauit angelicæ eſſe virtutis inde miniſtrum inuenire, qui regi vellet obſiſtere, vt prophetã paſceret. Ideò cauit nominare miniſtrum de Iſraelis regno; eſſet enim ibi ſingularis difficultas, quę vires angeli excederet; nã facere, quod homo Regibus morem non gerat, nõ angelicæ, ſed diuinæ videtur eſſe potentiæ.

Ioſue cap. 10. Percuſsitque Ioſue, & interfecit eos, atque ſuſpẽdit ſuper quinque ſtipites; fuerũtque ſuſpenſi vſque ad veſperum. Cumque occumberet Sol, præcepit ſocijs, vt deponerent eos de patibulis. Qui depoſitos proiecerunt eos in ſpeluncam, in qua latuerãt, & poſuerunt ſuper os eius ſaxa ingentia, quæ permanent vſque in præſens. Eodem quippè die Macedam cæpit Ioſue, & percuſsit eam in ore gladij, regemque illius interfecit. &c.

§. XXXIV.

Maximè ad ſalutem populi cõducit extirpatio nefariorum.

AVDIS A Ioſue peſſundatos reges, & interfectos, & ſuſpenſos; ſic enim dicit: *Percuſsitque Ioſue, & interfecit eos, atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites, &c.* In quo non crudelitatem tyranni, ſed clementiam debemus æſtimare ſaluatoris, cuius etiam eſt omnimodà extirpatio nefariorũ. Cum Iſraelitæ premerentur ſeruitute ſub rege Moabita Englon; excitauit dominus eis ſaluatorem nomine Aod, qui diſsimulato negotio cum rege ad aulam profectus eſt; quid tunc? Ait Iudic. cap. 3. *Ingreſſus eſt Aod ad regem, ſedebat autem in æſtiuo cenaculo ſolus, dixitque: Verbum Dei habeo ad te, qui ſtatim ſurrexit de throno. Extenditque Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextro femore ſuo, infixitque eam in ventrem eius, &c.* Iudic. 3. Quibus illud notandum venit, quod cum Aod vellet interficere regem Englon, dixerit ſe ad illum habere verbum Dei. At Deus nullum verbum oſtenditur feciſſe de interficiendo rege; qualiter ergo Aod ait ſe tale verbum Dei habere? An bonus populi Iſraelitici ſaluator in eo mentitus eſt? Abſit; eo enim ipſo, quod à Deo ſaluator populi ſui creatus eſt, intelligebatur verbum Dei habere, vt interficeret nefarium quemquã populo infenſum. Ait D. Aug. quæſt. 20. in præſenti: *dixit Aod: Verbum Dei mihi ad te rex. Sed poteſt non eſſe mendacium, quandoquidem verbi nomine ſolet etiam factum appellare ſcriptura, & re vera ita erat. Quod autẽ dixit, verbum Dei: intelligendum eſt hoc illi Deum, vt faceret, præcepiſſe; qui eum populo ſuo excitauerat ſaluatorem.* Ex quo à Deo ſaluator excitatus fuerat Aod in populo ſuo, habebat iam ab ipſo Deo, quod perſequeretur, & interficeret, & funditus extirparet nefarios, & nocẽtes. Saluatoris enim pientiſsimi eſt, ſine venia deſtruere eos, qui morte ſua populo damnum eripere, & commodum poſſunt afferre. Sic cum Saul præuaricatus eſt legem domini in Amalechitarum prędã; ſtatim dominus ait 1. Reg. 15. *Pœnitet mè, quod conſtituerim Saul regẽ*; & de illo proijciendo à regno agit cum Samuele. Quanta hæc ſeueritas Dei? Cur non magis ſemel peccanti pepercit? Cur tam cito, & tam irreconciliabiliter agit de eo pellendo? Non ibi ſpectes nimiam ſeueritatem Dei, ſed potius ingentem bonitatem, & benignitatem eius in populum Iſraelis, de qua benignitate proueniebat, quod noxium illi hominem pœnitus expelleret. Ait Theodor. ibi quæſt. 33. *Verbis ergo vſus eſt Deus humanis loquens cum hominibus, & dixit: Pœnitet mẽ, quod vnxerim Saulem regem, pro eo quod eſt: Volo alij dare regni poteſtatem, facere autem, vt hic à regno ceſſet propter meã benignitatem, & in homines beneuolentiam.* 1. Reg. 15. Theod.

Expen-

Expende motiuum diuinum Saulis depellendi, nimirum ait Deus, *Propter meam benignitatem, &c.* de benignitate enim ſaluatoris, non de crudelitate tyranni venit, quod noxia membra amputentur.

§. XXXV.

Scelerum turpitudo ea eſt, quæ vel piiſſimos, & benigniſsimos in ſe concitet.

NE Mihi reſpicias, quod reges peſſundentur, & turpiter interficiãtur, ſed & illud conſidera; quod id per Ioſue fiat, quippè dicit: *Percuſſitque Ioſue, & interfecit eos, atque ſuſpendit, &c.* Ioſue ille, cuius nomen ſalutem halat, cuius placidiſſimos mores vbique teſtatur ſacra lectio, cuius manſuetudo, & benignitas nota eſt populo hæbræo; ille, inquam, Ioſue tãtus, tam benignus, tam ſalutaris reges Amorrhæorum peſſundatos percuſsit, interfecit, ſuſpendit. Tanta eſt ſceleratorum hominũ turpitudo, vt vel à benigniſsimo ſic tractari debeat. Moyſes vbi idolum à populo adoratum vidit, in puluerẽque comminuit, ſic ad Leuitas loquitur Exod. 32. *Ponat vir gladium ſuper fœmur ſuum; ite, & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.* Quid ſeuerius? Interea tamen clamabat ad dominum: *Peccauit populus iſte peccatum maximum, feceruntque ſibi Deos aureos; aut domitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Quid amantius? Sanè maxime amabat, qui ſic ſe deuobebat pro ſuis popularibus, quos nihilominus percutiebat, mactabat. Quid ergo crudelis erat iſta mactatio profecta à corde ſic amante? Abſit; ſed tanta erat turpitudo commiſsi peccati, vt vel à benigniſsimo amatore extorquere deberet vindictã adeò maximam. Ex quo ait D. Aug. lib. 22. contra Fauſtum, cap. 79. *Comparans ergo vnuſquiſque pie prudens illam eadem, & hanc precem, videt profecto, apertiſsimeque videt, quantum malum ſit animæ, per ſimulacra dæmonum fornicari, quando ſic ſanit, qui ſic amat.* Non equidem crudelitati dandum Moyſi, quod idololatras mactet; ſed ſceleris magnitudo cauenda magis; quando ſic in ſceleratos ſeuit, qui ſic homines amabat, vt pro illis ſe opponeret diuino gladio. Quid maius de ſcelerum fœditate dicatur? Vt eam horream, non neceſſum eſt, quod videam ſceleratos excarnificari, æternis deputari flammis: hoc enim ſufficit, quod videam ſæuire in eos eum, qui tantus eſt hominum amator. Iſaias 1. ait Dominus: *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam dominus locutus eſt: Filios enutrui, & exaltaui, ipſi autem ſprenerunt me: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis: Super quo percutiã vos, &c.* Duo inuenio in ijs verbis maxime notanda; alterum, quod ſe patrem gentis illius Deus nominet, nec ſolum patrem, ſed & indulgentiſsimum nutritorem, ait enim: *filios enutrui, & exaltaui.* Alterum, quod ſimul in illos tot maledicta contorqueat, illoſque pene inſanabili plaga feriat. Et cur cum ſic percutis domine, patrem te eſſe meminiſti? Vt fœditatem exaggeret ſceleratorum, quæ tanta eſt, vt vel ab amantiſsimo parente tantam plagam extorquere poſsit. Quo ſpectans D. Zeno lib. 3. ſerm. 35. ait: *Infelix culpa eſt fratres, in qua locum qualiſcumque non inuenit excuſatio! De teſtabilis certe filius, quem pater pius, quẽ pater damnat inuitus.* In damnatione filij per patrem, non patris crudelitas accuſatur, ſed filij fœdiſsima vita maxime explicatur, quæ vel à pio parente ſic debeat tractari. Eu impiorum hominũ infelicitatẽ. Caue homo, caue peccata; in quæ vel benigniſsima viſcera, vel paterni animi neſciunt iacula non contorquere lethalia. Gen. 9. euigilans Noe in filiũ, & nepotem iratus ait: *Maledictus Chanaam ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Quæ verba miratus Origen. non Noemi iracundiã notat, ſed filij ſcelus nefarium. Ait enim lib. 1. in Iob: *Nihil iuuit Chanaam, neque Dei colloquium, neque creatoris benedictio, neque patris iuſtitia, cum ipſe declinauerit à iuſtitia, vt impietatem arriperet, propter quam redactus eſt in maledictum, & ſeruitutem. Nam ipſe pater Noe, qui eius libertatem, atque generoſitatem erat defenſurus, ipſe iuſto Dei iudicio, in maledictum, atque ſeruitutem eum condemnauit.* Quanta eſt hominis culpa, quæ damnationem accipit à pio parente, à quo defenſionem debebat ſperare? Hinc horreo, cum audio Matth. 21. *Intrauit Ieſus in templum Dei & eyciebat omnes, vendentes, &c.* Sed & Ioan. 2. ait: *Et cum feciſſet, quaſi flagellum de funiculis omnes eiecit, &c.* Quid durius? Flagellum ſuſtinent, à quo deberent ſperare remedium.

D. Aug.

D. Zeno.

Gen. 9.

Iob 1.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Ex damnatorum numero nullum refrigerium miseris oritur.

NON Singuli, sed quini reges modo à Iosue interficiuntur, suspenduntur, ait enim; *Percussitque eos Iosue, & interfecit, atque suspendit super quinque stipites, &c.* An quia quinque in pœnam venerant, mitiorē experti sunt iudicem? Absit; namque apud Iesum damnatorum numerus non extorquet refrigerium vllum. Matth. 2. quinque etiam erant fatuæ virgines, quæ sponsi ostium pulsabant, vt sibi reseraretur, & pateret aditus ad cœlestes nuptias. An quia quinque erant, cum illis actum est mitius? Minime, sed eadem asperitate repelluntur, dicente domino: *Nescio vos.* Sapienter ibi D. Chrysost. hom. 6. ad Pop. Anth. ait: *Neque virgines quinque altera ab altera vllam inuenerunt veniam, sed præys, quæ benefecerunt, & hæ condemnatæ, & punitæ sunt.* Vanissima est vilissimorum peccatorum persuasio, quæ in numero damnatorum, aliquid sibi mitius apud cœlestem iudicem præsumit. Non equidem Virgines fatuæ, quia quinæ pulsarunt, mitius accepe runt responsum, sed eadem verbi asperitate repulsæ sunt. Sed & in consummatione sæculi, non tantum quinæ, verum millenę, & millenæ cogentur ad sinistram æterni iudicis. Ibi erunt innumeri, qui esurientes minime cibauerunt, ad quos respiciens Iesus Matth. 25. dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius, esurui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Plane siquis numerus peccantium profuit, nusquam maior numerus inuenitur, quam vbi hæc sententia proferenda est à iudice. Miteſcet ergo tanto numero peccantium viso æternus Iudex? Nullo modo, non enim ex numero refrigerium nascitur miseris apud Iesum Diu. Chrysost. supra: *Peccatores peccantes nō adiuuant delictorum communicatione. Etenim qui Christum non cibauerunt, neque potauerunt, multi erant: sed nihil sibi inuicem profuerunt.* Crede mihi, nil proficit numerus damnatorum in æterna miseria; nec minuitur dolor ex consortio perituri. Imò aliquādo, quod quis cum multis pereat, magis adauget ruinam. Dicebat cuidam Isaias, cap. 14. *Tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stips inutilis, pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci.* Expende illa: *Et obuolutus cum his, &c.* quæ quidem minime ponuntur ad minutionem pœnæ, sed ad maiorem exaggerationem illius. Inde enim ostenditur miserior, quod obuolutus cum multis procelat in extremam ruinam. Quod diabolo attribuens D. Aelredus in Allegor. Filmāni ait: *Diabolus pollutus dici potest sanguine scilicet multorum, quos gladio iniquitatis occidit. Obuolutus malicia, & desperatione, vt reparari non possit. Cuius sicut, quam cæterorum maior est malicia, ita intolerabilior erit, & pœna. Licet enim cum cæteris perditis ad profundum laci, id est profunda descendat inferni: in ipso tamen profundo acriora expendet supplicia.* Non equidem consortium multorum eum iuuabit, quominus acriores pœnas luat. Imò inde magis eius acuetur supplicium.

Matth. 2 — Chrysost. — Matth. 25 — Chrysost. — Isaias, 14 — D. Aelr.

§. XXXVII.

Ingens pōdus sustinet supplicij, qui euolantes ad Iesum impedit, & retrahit.

IN Nullos acrior Iosue extitit, quam in hos quinque reges, quos & calcibus conculcare iubet, & interfici, & suspēdi in ligno, & in spelunca detrudi, & ingentia saxa poni super illos. Ait enim: *Et posuerunt super os eius saxa ingentia.* Illud erat antiquitus cum de functis misericordiæ argumentum, quod iniecta terrā super illos dicebatur: *Sit tibi terra lenis.* At cum ijs miseris regibus nihil leue amat esse Iosue, post conculcationem, & mortem, & crucifixionem super illos euoluens saxa ingentia, & grauissima. Nec miror; ij enim conuenerant aduersus Gabaonitas, eo quod ad Iesum transierant fœderati cum illo: & nunquam non graue pondus supplicij sustinet, quisquis transeuntes ad verum Iesum cœli principem impedit. Castigaturus dominus serpentem Gen. 3. ait ad illum: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes, &c.* Et quam terram illi comedendam tribuit? An leuem illam, quam communiter precabamur defunctis? Absit, sed terram grauissimam, subquā prematur miser; vt enim euolantem ad Deum hominem pestifero halitu infecit; sic non poterat

Gen. 3.

non grauissimum experiri supplicium. Ait Imperator Leo orat. in exalt. crucis habita apud Grethser. nostrum tom. 2. Iam suprà pectus lubricus serpens serpit. *Cum enim ex diuina illa celsitudine sponte exciderit, nõ amplius abdicabit sese malicia, quæ humi repit. Terram adhuc comedit grauem illam, quæ ei dolores conciliat, eo quod conatus sit, eum qui perviscera misericordiæ ex limo terræ ad cœlestem beatitudinem euectus erat, rursus ad limum terræ detrudere.* Nil leuè experietur, quisquis retrahit à Iesu eos, qui euolarant ad illum: sed sub ingenti pondere supplicij torquebitur. Quo spectans dominus Matth. 18. ait! *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Et cur in supplicio eius, qui scandalizat cõfugientes ad Iesum, meminit molæ asinariæ? Est quidem illorum proprium, quod sub ingenti grauedinis pondere premantur. Ait enim Orig. hom. 5. in Matth. *Asinaria mola impõnitur scandalizanti vnum de pusillis in Christum credentibus, vt demergatur in profundũ maris. Asinaria autem mola non irrationabiliter dici potest corpus grauissimum hominis mali, quod semper deorsum trahit, quod suscipiet in resurrectione vnusquisque peccator, vt demergatur in abyssum.* Ecce tibi grauedo summa, & pondus ingens, quod expectat reprobos vniuersos in resurrectione carnis, iuxta Origenis sententiam datur illis, qui confugientes ad Iesum scandalizauerint. Exod. 15. de Ægyptijs, qui Israelitas confugientes ad Deum reducere in captiuitatem tentauerant, ait: *Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Notanter in præsenti dixit quasi plumbum, vt ostendat propriam pœnam eorum, qui retrahunt confugientes ad Deum, qui sub ingenti premuntur grauedine, vt ad imum profundi tendant. Vt dicat de ijs Lyppom. in cat. *Velut talento plumbi malicia graues, & importabiles Deo, & hominibus abijciuntur in abyssum infernicum Satana discruciandi sempiter.* Et sapienter eos Deo, & hominibus importabiles nominat; quis enim ferat eos, qui scandalis insudant ponendis?

Matt. 18

Orig.

Exod. 15

Lyppom.

§. XXXVIII.

In ipsis peccatorum penetralibus pœna summenda est, pro eo, quod retraxeris aliquem à Deo.

QVAM Speluncam miseri reges sibi ad præsidium elegerant, eamdem sepulturam, & locum supplicij sortiebuerunt. Dicit enim: *De positos proiecerunt in speluncam, in qua latuerant; & posuerunt super os eius saxa ingentia.* Et cur miseros in eam speluncam coniecerunt, in quam latuerant? Sanè pœna eorum, qui persecuntur confugientes ad Deum, ibi debet esse, vbi peccatores suum præsidium posuerunt. Quisquis ergo confugientes ad Iesum retrahis, aut persequeris, vt reges isti Gabaonitas persecuti sunt; nosce pœnę tuæ locũ, nimirum illum ipsum, qui præsidium peccatoribus præbet. Ibi aut voluntaria pœna summenda, aut coacta patienda: hæc ad condemnationem, illa ad medelam. Dicebat Iesus Matth. 18. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Expende illa: *Expedit ei, &c.* Verba enim sunt insinuantia aliquod conueniens, & conducens homini, quod ad molam asinariam religatus demergatur, vsque ad profundum maris. Sed cur non magis expediat ei, quod sicut passer transuolet in montem Dei, & ibi peccatum suum defleat? Cur non magis expediat assumere pennas columbæ, & alta cœli petere, quam molæ asinariæ alligatum in profundum maris demergi? In profundo maris intelligitur locus, vbi Draco magnus quiescit, vbi peccatores habẽt suũ regnum; qui autem confugientes ad Deum persecutus est; tunc sanè sibi faciet rẽ conuenientissimam, si ipsas peccatorum sedes petat, in ipsisque sceleratorũ penetralibus, vbi præsidia maliciæ constituerat, ibi demissus, & humiliatus satisfactionem exhibeat Deo. Ait Orig. hom. 5. in Matth. *Qui scandalizauerit vnũ de pusillis, quos Christus ostendit credentibus in se, expedit ei, quasi vtile ad medelã peccati, vt suspẽdatur mola asinaria ad collũ eius, & demergatur in profundũ maris. Sic enim reddẽs dignã vindictã in mari, vbi & Draco habetur, quẽ formauit Deus ad illudendum ei; & sic quod expedit passus; postea*

Matt. 18

Orig.

erit extra dolores, qui sunt in profundo. Quid pulchrius? Hoc sanè conuenientissimum est homini, qui alios à Deo retrahit, vt in ipso regno peccati, in ipso Draconis penetrali, in ipsis latronum speluncis dignâ de se vindictam summat, & satisfactionẽ præbeat Deo. Notus est Paulus in Christiano rum persecutione; vt conabatur à Christo separare vniuersos; vt perdebat eos, qui Iesu nomen dederant. Tandem Damascum proficiscebatur, vt affligeret Christi seruos, sed medio in itinere cæcatus oculis carneis, interius illuminatus est. Quem vt reciperet Ananias fidelissimus Iesu discipulus admonitus de cœlo; ipse opponebat Pauli rabiem in Christianos, cui ait dominus Actor. 9. *Videquoniam vas electionis est mihi iste :: Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pati pro nomine meo.* Nec multum distulit, sed antequam Paulus Damasco exiret, nouit in se latam sententiam mortis à Iudæis, quam vt effugeret, per murum in sporta dimissus est. Sed cur Damasci prouidit Deus recens conuerso Paulo mortis sentẽtiam? Qui ibi intenderat præsidium suæ maliciæ constituere, quo retraheret à Iesu homines; ibi decuit dare aliquales pœnas Deo. Ait Paul. Oros. in Apollog. de libero arb. *Anania de Paulo dicitur: Ego monstrabo illi, quanta patietur propter nomen meum; vt cum Paulus ibi solueretur, vbi ligasset persequendo Christum, mox patiendo pro Christo tribulatus vsque ad mortem, in resurrectione glorificatus existeret.* Vbi ligabat ipse assecias à Christo remouendo, & perfidis præsidium constituendo, ibi pro Christo tribulationem mortis pertulit, vt in gloriam resurrectionis pararetur.

Actor. 9.

Paul. Or.

§. XXIX.

Peccatorum pœna non est opus naturæ infirmæ, sed quasi violentia latronis.

AVDIO Quod, *depositos proiecerunt in speluncam, &c.* Et quidem qui pœnas scelerum luebant, merito ad speluncam reptantur; ne videantur in morte sua aliquid soluisse naturæ debitum, sed magis cessisse ad partes latronum. Non enim de natura venit pœna peccatorum, sed de violentia latronum. Hinc Ioann. 11. dicitur: *Iesus ergo rursus, fremens in semet ipso venit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus ei.* Itaque monumentum Lazari erat spelunca lapide occlusa. Et cur necessum fuit notare à diuino scriptore, quod Lazari monumentum erat spelunca? Vt Lazarus figura erat peccatoris, sic mors eius ostendebatur non tam ad naturæ debitum pertinuisse, quam ad violentiam latronis, & ideò iacens in spelunca proponitur. Ait D. Petrus Chrysol. serm. 65. *Dixisse suffecerat, venisse ad monumentum, quid est, quod tanto pere speluncam Euangelista commemorat? Spelunca plane, vbi homine diaboli latrocinium collocauit; spelunca vbi virum fraus condidit mulierum, spelunca vbi Dei plasma mortis rapacitas includebat.* Et merito, quod pœnale erat in peccatore, ostendebatur pertinere ad violentiam latronum. Quo spectabat illud dictum à Iesu Luc. cap. 10. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuino relicto.* Orig. hom. 34. in Luc. Chrysost. hom. 3. August. serm. 37. de Tempore, & Beda in præsenti sub hac similitudine intelligunt lapsum generis humani. Quẽ lapsum ideò putat Ericus significari per descensum hominis à Ierusalem in Iericho; quia via hæc speluncis latronum abundabat. Ait enim: *In quo itinere ferunt latrones in quibusdam speluncis, ac foueis latitare, atq; sub inde de transeuntibus prædas agere.* Quo supposito notandum illud nimirum: *Descendebat ab Ierusalem*; prius ostenditur homo descendisse ab statu iustitiæ, & pacis, in quo perpetua in se pace fruebatur, ad statum peccati; ex quo autem ad hũc statum descendit, iam quidquid sequitur, vel spoliationis, vel plagarum à latronibus peragitur. Vt dicat Orig. hom. 34. in Luc. *Quia voluit ipse, & descendere, propterea in latrones incidit. Qui descendentem eum de Ierusalem, cum descenderet in illos, spoliauerunt, & imposuerunt ei plagas.* Et quid nisi violentia latronum manet eũ, qui à gratia descendit in culpam? Latronum furor est, qui conficit peccatores miseros. Vbi præcedit culpa, statim in te latronũ furor acuitur. Quod etiam insinuant verba illa: *Spoliauerunt eum & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto:* Circa quæ S. Titus Bostrorũ Episcop. ait: *Damones hominẽ illũ temperantia, fortitudine, cæterisq; virtutũ indumentis misere exutum, peccatorũ vulneribus sauciatũ, seminuum relinquerunt; nec enim facile est illis lethalia vulnera prius alicui inferre, quã virtutũ præsidys, & monumentis ipsum spoliarint. At vbi primum*

D. Petr.

Luc. 10.

Orig.

Orig.

virtutum arma abſtulerunt, ſtatim citra inter miſſionem cadunt, & ſæuiunt, neque ante ſæuiendi, & cadendi finem faciunt, quam mortem intulerint. Sic ille, quibus clare oſtendit, quam ſequatur totus latronum furor aduerſus eum, qui fuerit ſpoliatus virtutibus. Cum primum homo virtutem exuit, ſeſeque dat in vitia, quidquid à violentia latronum venit, in ſe experitur. Adeò vt etiam dominus dicat Apocalypſ. 16. *Ecce venio ſicut fur*: ne peccator tribuat naturę ſuæ infirmitati, quidquid patitur poſt culpam: ſed magis id violentiæ latronum tribuat, quæ in dormitantes peccatores acuitur.

CAPVT DEZIMVM Tertium.

Bellum Iabinicum.

Textus Hiſtoria.

AT Vero Iabim rex Aſor, qui inter omnia regna Chananæorum, quæ ad Septentrionem vergebant, principatum tenebat, clade vicinorum indignatus, & magis ſeruilium hominum victorijs, vniuerſos pene Chananææ regulos ad bellum conuocat. Simulque omnes quidquid erat in ditione ſua pubis validæ congregantes, cum prope immenſæ multitudinis exercitu ad Aquas Meron conuenerunt, vt Iſraelitarum nationem funditus perderent. Interea non ceſſabat Ioſue, qui iuſſus à Deo non timere, & victoriæ oraculo confirmatus, collecta bellatum manu aduerſus ſecuros hoſtes inuolauit, quos, operante Deo, paruo temporis ſpatio ſic confregit, vt nullæ eorum reliquiæ remanerent. Deinde Aſoram petit, amplam quidem, & cantatiſsimam vrbem, & muris validis ſubnixam; eã tamẽ expugnauit, & cum vniuerſis ciuibus in cinerem redegit. Non ſic cum alijs munitis vrbibus factum eſt, quas vt non facile capiebat Ioſue, captas & ciuibus vacuatas ſuo populo reſeruabat, vt in expugnatis regionibus & præſidia, & munimenta haberent. Quod autem valde mirandum eſt, in tot clariſsimarum vrbium funere, nulla inuenta eſt (Gabaon excepta) quæ miſericordiam à tanto duce comparare ſtuderet. Sic Deus illas ad exitium currere permittebat. Igitur in expugnandis vrbibus, in deſtruendis hoſtibus, in ſubneruandis equis, & curribus perdendis adeò fidus Ioſus extitit Deo, vt nec in minimis deflecteret ab eius præcepto; ne miremur, quod ſe etiam illi oſtenderet fidelem in adimplendis promiſsionibus de ſubiuganda terra.

PARS MORALIS in textus litera.

MAXIMVM Nos vocat Chananęorum bellum, vt ſic pateant maxima etiam auxilia à Deo in ſuos venientia; quæ & creſcere conſueſcunt, vbi hoſtiũ rabies, & impugnationes creſcunt.

Ioſue cap. 11. Quæ cũ audiſſet Iabim rex Aſor miſit ad Iobab regem Madon, & ad regem Semeron, &c. Et egreſsi ſunt omnes cum turmis ſuis, populus multus nimis ſicut arena, quæ eſt in litore maris, equi quoque & currus immenſæ multitudinis. Conueneruntque omnes reges iſti in vnum ad Aquas Merom, vt pugnarent contra Iſraelem.

§. I.

Obduratus hominis furor cæciſsimus.

AVDIT Iabim vicinorũ cladem extremam factam à Ioſue, cui ęthera ipſa ſtante Sole fũerant famulata; & nihilominus bellatores in prælium cogit. Sic text. *Quæ cũ audiſſet Iabim rex Aſor miſit ad Iobab, &c.* Quid ferocius? Audit cladẽ vicinorum, & cœlos pugnãtes pro Iſraelitis, & nihilominus audet in certamẽ exire; adeò cæcus eſt obduratus humanæ mẽtis furor. Pharao ille expertus fuerat cęlũ, & terrã, & omnia elemẽta aduerſus ſe pugnare pro Iſraelitis; inſuper vidit mare ſcindi, vt illis pręberet viã; & interea eos inſecutus clamabat. Exod. 15. *Perſequar, & cõprehendam, diuidã ſpolia, implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Quid ais miſer? Quomodo interficias, quos mare ipſum tutatur, & prębet ſecurã viam? Sed talis eſt obduratus hominis furor, qui clariſsima quęq; cõmoda, aut incõmoda nõ videat Exod. 5

videat. Ait Lyppom. in cat. *Dixerat ante hostis: Persequar Israelē vindicabor pro omni voto, & desiderio meo, euaginabo gladium, contumaciter insistebat crudelissimus hostis. Tanta correptus erat vesania, vt in mare ipsum sese credere tanto miraculo non deterritus, ausus fuerit, & intrare cum tanto exercitu, quid enim non audeat obdurata impietas, & furor tyrannicus?* Caue homo, ne tyrannicus furor, & impius tuo in corde obduretur, inter clarissima diuinitatis miracula aduersus Deum obcæcatus audebit. Ad stellæ apparentis miraculum stupefacti Magi venerunt Ierosolymam quæsituri recens natum regem Matth. cap. 2. Tunc Herodes in noui regis præconio turbatus: *Congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt, in Bethleem Iudæ. Sic enim scriptum est, &c.* Quanta hæc Scribarum, & Sacerdotum feritas? Vident Magos ductu noui syderis venire adoraturos regem promissum in lege, vident etiam Herodem alienigenam turbatum in ortu eius, & aliquid mali molientem aduersus eum. Cur non magis abscondunt locum natiuitatis impio regi? Cur reuelant mysteria legis tyranno, & mittunt margaritam ante porcum, vt conculcet eam? Fecit hoc obduratus eorum furor, & crudelitas. Vt dicat Chrysol. serm. 5. de Epiph. *Quando Christum Iudæus Herodi scelere prodebat, tunc Magus Deum Christum muneribus fatebatur. Hinc est, quod gentilis, qui erat nouissimus factus est primus: quia tunc ex Magorum fide est gentium credulitas dedicata, & Iudæorum est notata crudelitas.* Sola enim obdurata hominum crudelitas, & furor potuit sic obcæcari, vt inter conspicua noti Dei signa audeat truculento hosti recens natum puerulum committere. Hæc Iudæi, sed crudelius quid meditatur Herodes. Ipse enim postquam audiuit de stella famulante puero, postquā resciuit prophetiam de illo clam vocatis Magis Matth. 2. ait: *Ite, interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renuntiate mihi, vt ego veniens adorem eum.* Sic impius mortem inferre parat ei, quem scit Christum esse in lege promissum, cui æthera famulari videt. Quid magis furiosum? Pulchrè ait Hilar. Arelat. *Quam cæca feritas? Credebat, quod comprehendere Deum fraudibus posset. Fallitur ergo stulti furor tyranni: Christum non potest inuenire perfidia.* Expende illud: *Quam cæca feritas:* Fallar enim si quis inueniatur affectus adeò cæcus, vt obduratus animi furor. Adhuc rem vrget Sanct. Thom. Archiep. Valent. serm. 1. in Epiph. inquiens: *O dementiam singularem! Messiam tot retro sæculis à Deo promissum, à prophetis prænuntiatum, à patribus expectatum, & nunc demum sydereo lumine demonstratum, in sanus homuncio iugulare conatur. Mira hominis stoliditas, vaticinia interrogat, & necem parat.* Quid magis cæcum, & stultum?

Matth. 2.

Chrysol.

Matth. 2.

§. II.

Cōscientia reprobi ipsa sibi supplicium est, etiam dum abest pœna.

VICINORVM Cladem audiens Iabim ab Israelis peractam, ardenter curat similem à se depellere cōuocans in auxilium regum fortissimorū exercitus. Dicit enim: *Quæ cum audisset Iabim rex Asor misit, &c.* Nulla in se contorta viderat tela; minime irruentes hostes sentiebat; & tamen totus est in conuocandis bellatoribus, in struendo exercitu, in parandis curribus, quibus hostem depellat. Quam vere dixit Sapiens cap. 17. *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.* Antequam in se experiatur flagellum homo nequam, ipsa eius sibi conscientia supplicium est, nunquam non sibi præsumens quid sæuum. Ex quo dicebat D. Leo serm. 5. de Epiphania: *Nec tamen dici potest, nulla ibi esse vltio, vbi nulla conuersio est: quia mens dura, & ingrata iam sibi supplicium est, & in conscientia sua patitur, quidquid Dei bonitate differtur.* Bonus Deus locum parans pœnitentiæ, differt supplicium peccatoribus, vt impune viuant medijs in sceleribus. Et quid sentiendum est de hac dilatione pœnæ? An pertinet ad misericordiam, vel ad vltionem? Spectandus est fructus in ea; si peccator interea conuertitur ad Deum, misericordiosissima fuit dilatio illa pœnæ; at si peccator non conuertitur, si nullam præbet spem emendæ, tunc dicit Leo: Non dici potest, nulla ibi esse vltio, vbi nulla est conuersio, quippè dura mens suis semper peccatis inhærens, non raro diuinam vltionem præ libat, & sibi non parum supplicium est, dum præsumens sæua in conscientia sæpe patitur, quod Deus in effectu amat illi differre. Quo spectans Iob cap. 20. ait de Impio: *Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.* Itaque in media bonorum opulentia,

D. Leo.

Iob. 20.

lentia, quando in maiori abundantia videtur eſſe, tunc mille anguſtias, mille æſtus patitur, & ſic æſtuat, quaſi iam ſupra ſe omnes calamitates receperit. Ait Nicetas in cat. Græca: *Fortaſſe etiam neque illius bona florebunt, verùm in ipſo flore contabeſcent. Quod ſi eius vita referta, bonisque omnibus cumulata videatur, nihilominus omnis calamitas, ac neceſsitas tunc temporis in eum incurrent, vt neceſſum ſit eius animum doloribus redundare.* Sic impius dum in bonis eſt, dum permittitur viuere in abundantia ſua, non omnimodam poſſidet quietem; quin crebro ingruentium calamitatũ ſpicula præſentiat, & ſemper illi reſponſum mortis reddat cõſcientia.

§. III.

Hic in hominibus lethalis prorſus affectus, quo in omnibus victoriæ de proximis ſtudent, nec vnquam vinci ſuſtineant.

VIDENT Aſtra præliantia pro Iſraele, & pereuntes vicinos vniuerſos, & adhuc inſtant certamini etrones reges, quippè ait: *Quæ cum audiſſet Iabim rex Aſor, miſit ad Iobab regem: Conueneruntque omnes iſti reges in vnum ad Aquas Meron, vt pugnarent contra Iſraelem.* Nabuchodonoſor rex, vt vidit ignem fornacis famulantem pueris hæbræis, & ſtatim ceſſit, & ſe victum fatetur Deo Dan. 3. Et Darius ſimiliter Dan. 14. vbi vidit Leones fauentes Danieli, non cunctatus eſt victoriam Deo Iſraelitarum cedere. Quando ergo Nabuchodonoſor, & Darius viſis miraculis non dubitant victoriam cedere Deo; cur Iabim, & reges Chananæi ſeptentrionales poſt viſa aſtra famulantia Iſraeli, ad huc inſtaurant prælium, & in arèna ſunt contra Iſraelem? Sanè hic eſt deploratorũ prorſus hominum affectus, qui neſciat vnquam victoriam cædere, qui nequeat vinci ſuſtinere. Huc adeſt Carthuſ. in præſenti fatus: *Ecce quanta eſt malitiæ, excæcatio, & obſtinatio cordis humani? Impij iſti viderunt ſuperadmirabilem ſtationem Solis, & Lunæ in cœlo, nec tamen compuncti ſunt, ſed Deo, ac Iſraeli adhuc ſe opponere præſumſerunt. Nabuchodonoſor viſa puerorum incorruptione inſor-* Carthſ.

nace ardente, Deum Iſrael eſt confeſſus, ſimiliter Darius, viſo quod Daniel à Leonibus manſit illæſus. Hi autem viſis tot, & tantis mirabilibus non ſunt moti niſi ad reſiſtendum. Eu humani cordis affectus neſciens cedere, vinci ſuſtinere neſciens, ſed ſemper pro victoria decertans! Fallar ſi quòd ſit certæ obſtinationis, & deploratæ damnationis argumentum euidentius. Sanè hęc eſt obſtinatio, & obcæcatio penè irremediabilis humanæ mentis. Apocalyp. cap. 16. *Et abyt primus, & effudit phialam ſuam in terram, & factum eſt vulnus ſæuum, ac peſsimum in homines, qui habent characterem beſtiæ, & eos qui adorauerunt imaginem eius.* Scire cupis, qui ſint, qui characterem beſtiæ geſtent? Merito enim habentibus beſtiæ characterem vulnus ſęuũ, & peſsimum infligitur, quod incurabile videatur eſſe. Sed qui ſunt, in quibus effulgeat caracter beſtiæ? Ego vix aliud ſingularius beſtiæ, nimirum diabolo inuenio, quam hoc, quod vinci neſciat, & nunquam prorſus cedat. Quippè poſt Dei potentiam notam, poſt eius manum expertam in mirabilibus ſanctorum, in proprijs calamitatibus, & tormentis, nunquam amat victum haberi, ſed ſemper inſtaurat bellum aduerſus Deum, & ſanctos eius. Qui ergo non ſuſtinet vinci, ſed per fas, nefaſque ſemper ſtudet victoriæ obtinendæ, is characterem habet beſtiæ; & licet liber appareat, iam deputatur inter mãcipia eius. Ait D. Amb. ibi: *Sunt nonnulli ita irrebocabiles, vt quamuis ſciant prauam eſſe aſſertionem ſuam, nullo modo ab ea reuocari poſſunt, timentes vinci ab hominibus. Cætera vitia, medicamento pœnitentiæ ſanantur; iſtud autem ſolum eſt, quod à ſe ſalubre medicamentum excludit, neſcilicet per confeſſionem, & pœnitentiam victi eſſe videantur. Quicumque ergo tales ſunt characterem portant diaboli.* Ecce tibi affectus immedicabilis, qui medelam expuat; ecce tibi affectus in quo deplorati Angeli inuenies expreſſiſſimum characterem; nimirum ſi in nullo ſuſtineas victum apparere, nec vnquam victi morem ſcias gerere. Obſtinatio eſt, peruicacia eſt, quod ſemper pro victoria decertes, etiam quando ſalutare fuerat victi habitum, & fugam capeſſere. Addit Amb. exemplum: *Ferunt auis quædam eſſe, quæ ſerpentem vincit, & comedit, ſed poſt paululum veneno illam perimit. Similiter & iſti gaudent ſe viciſſe proximos, ſed talis victoria interfectrix eſt animarum illorum.* Sanè aui illi nimis lethale eſt ſtudium victoriæ de ſerpente reportandæ, dum enim ſtudet ſemper vincere, nec deſtitit donec vorauerit ipſum ſerpentem, vorato veneno etiã ipſa miſere perit. Apoc. 16 D. Amb.

Tale

Tale est studium semper vincendi in hominibus; qui ne videantur cessisse, ne videantur victi abscedere, nihil non vorant serpẽtinum, quo tandem in immodicabilem incidant ruinam. Satius fuisset aui, congressum fuisse serpentis, quo viueret. Et satius est homini, qui sciat se ostendere victum.

Gen. 49. Gen. 49. ait Iacob: *Fiat Dã coluber in via, cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrorsum.* Sed qui ascensor equi non prius serpentem percutiat, ne admorso equo cadat ipse? An erit aliquis eques, qui sinat à serpente morderi equum suum, vt inde ipse in terram decidat? Plane eques ille, qui vehitur aliquo vitio tamquam equo, etiam si videat vitium suum illud feriri, & morderi, taceat, non studeat victoriæ, sed magis victi habitum summat; si enim in eo vincatur, triumphat, & remediabiliter præcipitatur, si vincat. Ex quo

Philo. ait Philo lib. de Agricultura: Hoc tale quid dam est. *Huc contendendum esse tanquam ad rem egregiam, vt nemo nostrum patiatur mentem suam vectari ab affectu, aut vitio: Sed si quando cogatur aliquem ascendere, det operã, vt quam primum desiliat, vel decidat. Tales enim lapsus inclitam victoriam afferunt. Ideò quidam prouocatus ad conuitiandi certamen, in hoc, inquit, nunquam descendero, in quo victor victo fit deterior. Ergo tu quoque noli primus esse in huiusmodi certaminibus. Quod si quando maiori vi coactus fueris in certamẽ descendere, ne te vinci pudeat, sic enim demum si vincaris, victor euades.* Quid pulchrius? Crede mihi, sæpe salutare est, quod sustineas vinci; vt prorsus lethale, quod in nullo velis non vincere.

§. IIII.

Hostis virtutum cunabulis maximè obsistit.

NON Possum non meminisse locum, in quo conuenerunt pugnatores isti aduersus Israelitas; dicit enim: *Conuenerunt que omnes reges isti in vnum ad Aquas Meron, vt pugnarent contra Israelem.* Per Aquas Meron intelligunt multi apud Serar. quæst. 4. Iordanis illam partem, quæ inter eius exortum est, & stagnum Genezareth; Nec mysterio vacat, quod hostes conuenerint aduersus Israel ad aquas Iordanis, in quo nostra regeneratio adumbrabatur, & initium duxerat Israelitarum in terram promissionis ingressus: quinimo credi-

derim eo significari, vt virtutum cunabulis hostes maxime insidientur: & ibi aduersus recens in virtute natos instaurent prælia. Ad Iordanem baptizandus à Ioanne ille ster diuinissimus Iesus venerat, fœcundas aquas, vt inde filij Dei per illas regenerarentur. Et vix baptismum absoluit, & ait Matth. cap. 4. *Tunc Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Tunc, inquam, cum aquas Iordanis sanctificarat, nostramque in illis regenerationem constituerat; statim imminent hostiles incursus, pugnæ, & bella intentata à Dæmone. Ostendebantur enim, vt ait D. Chrysost. quod per aquas baptismi regeneratos manẽt dura ab hostibus prælia. Nec miror, quod iũcta sint cum aquis baptismi hostilia prelia; nil enim antiquius est hostibus humani generis, quam virtutum cunabulis imminere. Pulchrè enim ait D. Cyprian. serm. de Ieiunio, & tent. Christi de hoste nostro diabolo: *Omnia virtutum genimina in ipso ortu strangulare molitur.* Is est hostis humani generis, qui currat semper ad primum virtutum exortum, vt antequam adolescant, ipsas inuadat. Putat enim maximè conducere ad plenitudinem victoriæ, si in primo exortu virtutes opprimat. Hoc diaboli ingenium imitabatur Herodes, quando illusus à Magis, & iratus valde Matth. 2. *Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleẽ.* Vt posset Iesum occidere, penituque à mundo eijcere, confugit ad cunabula puerorum, reputans, quod si cunabulis obsistat, possit perimere dominum. Quo spectans D. Leo serm. 5. de Epiph. ait: *Herodes in diabolo quoque fremit, & auferri sibi iniquitatis suæ regnũ in ijs, qui transeunt ad Christum, ingemiscit. Vnde si paruulos interficiat, Iesum sibi videtur occidere. Quod vtique facere sine cessatione molitur, dum primordijs renatorum Spiritum sanctum eripere, & quandam teneræ fidei velut infatiam tentat extinguere.* Ecce tibi diabolica ars, vt primordijs renatorum insidiatur; vt eo dirigit aciem suam, vbi apparet nouarum exortus virtutum. Si enim tenera virtutũ genimina inuadat, actum putat de regno Christi.

Matth. 4.

D. Cypri.

Matth. 2.

D. Leo

Iosue cap. 11. Dixit dominus ad Iosue: Ne timeas eos: crãs enim hac eadem hora ego tradã omnes istos vulnerandos in conspectu Israel, equos eorũ sub neruabis, & currus igne combures.

Venitque Iosue, & omnis exercitus cum eo aduersus illos ad Aquas Merom subito, & irruerunt super eos, tradiditque illos dominus in manus Israel. Qui percusserunt eos, & persecuti sunt vsque ad Sidonem magnam, & Aquas Masere photh, &c.

§. V.

Perditio nulla est ei, qui Deo seruit in bonum.

HOC Nouum in præsenti bello Dei præceptum est ad Iosue, quod nimirum dicit: *Equos eorum subneruabis, & currus igne combures, &c.* De hostium enim præda mandat equos subneruari, curusque comburi; at Num. 31. cum similiter Israelitæ percussserint Madianitas, de illorum præda ingens multitudo pecorum asinorumque reseruatur; dicit enim text. *Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, onium sexcenta septuaginta quinque duo millia, boum septuaginta duo millia, asinorum sexaginta duo millia, &c.* Nec iubet Deus aliquem asinum subneruari, sed omnes incolumes reseruari mandat. Cur ergo perimi vult in præsenti Chananæorum equos; qui iumenta Madianitarum amabat reseruari? Nonne equi præciosiores sunt, quam iumenta? Cur illi pereunt, & ista reseruantur? Equi solum valebant, vel adinanem ostentationem, vel ad prælia, vt sub illis homines caderent. Iumenta autem in nullum seruiunt malum, sed omnimodo seruiunt humanis vtilitatibus, imò & iumentũ fuit, in quo saluator Ierosolymã intrauit. Hinc merito pereuntibus equis iumenta reseruãtur; nulla enim ex Deo particularis perditio venit ei creaturæ, quæ in bonum hominum scit domino famulari. Ad hæc Origines hom. 15. in præsenti: *Quid est, quod de asinis quidem non scriptum est, quia subneruati sunt, nec Madianitarum spolia interempta dicantur, sed profuisse Israeliticis vsibus, de istis autem præcepit ipse dominus, & dixit, equos eorum subneruabitis? Lex nihil de equis, sed de asinis mandat, vt pote de animalibus, quæ ad humanos labores iuuandos, & ad onera eorum portanda videntur existere, equi vero magis ad hominum perditionem, hoc enim est, quod per illos geritur in bellis. Et saluator ostenditur, supra asinum sedens, nunquam autem equo sedens refertur.* Non miror, quod equus reijciatur à Deo, vt qui vel solam ad ostentationem inanem, vel ad hominum perditionem seruire valet; iumentis autem detur in columitas, quæ & vtilia sunt hominibus, & vero Iesu Dei filio dorsum præstarunt, vbi Ierosolymam saluaturus homines intrabat. Et quis Deo in bonum seruit, qui perditionem non fugiat, & lucrum capiat? Dicebat Ioannes Baptista Matth. 3. *Ego quidem baptizo vos in aqua, in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit Spiritu Sancto, & igni.* Et quidem baptismus Christi in aqua etiã institutus fuit; aqua enim salutari abluimur, cum regeneramur. Cur ergo supresso nomine aquæ baptismi Christiani solum meminit Spiritum Sanctum, & ignem? Cur ibi ignem expresse ponit, & aquam tacet? Nota est historia ex Dan. 3, vbi tres pueri Hebræi missi sunt propter Dei nomen in igneam fornacem; quibus cadentibus in medias flammas, Angelus domini *excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, &c.* Sic ibi ardentes ignes conuersi sunt in roscidam auram, vt Dei seruis possint in tali æstu opitulari. Qui aergo ignis suam hebetauit aciem, imò aquæ temperiem induit, vt irrorans pueros sanctos Deo seruiret; fecit Deus, vt in admirabili hominũ regeneratione eius magis ostenderetur viuidissima, & ardentissima efficacia in consumendis peccatis. Pulchrè canebat D. Damascen. in hymno de Epiphan.

Assyriorum reddidisti roscidam
Flammam, gerebat Christe quæ typum tui;
Vnde induisti nunc adurentes aquas
Aduersus hostem dimicans absconditum.

Quando flamma roscida facta fuit, vt seruis Dei seruiret; non ideò suam naturam perdidit, sed quas tunc in Dei seruitio vires amisit, eas recuperat in Christiano baptismo, vbi aqua ignea sit, & adũrens Spirituales etiam nequitias. Sic nobilitatur, & triumphat, qui vtile hominibus aliquod exhibet domino seruitium. Ioan. 2. *Vt gustauit Architiclinus aquam vinum factã, &c.* Fecit illud Iesus ad manifestandam gloriã suam, vt aquam in precioſum vinum commutaret, & vile elementum formam precioſi liquoris indueret. Et cur ad tantam nobilitatem eleuauit in primis aquam? Ait D. Maxim. serm. 1. de Epiphan. *Nec dubitandum charissimi, quia ipse aquas traduxit in vinum, qui eas ab initio concreuit in nubes, duræ ut in*

Orig.

Matth. 3.

Dan. 3.

Ioan. 2.

D. Max.

uit in gladiem, Ægyptus vertit in sanguinem, & hebræis sitientibus manare arida de rupe præcepit, qua innumerabilium populorum multitudinem stillicidio noui fontis, vice maternorum uberum nutriebat. Quæ aqua toties Deo in sui populi beneficium seruiuit; non dubitandum, quod mirabili erat conuersione nobilitanda, vt in primis gloriam creatoris sui, seruatoris nostri ostenderet mũdo. Sed & illud notandum, quod vt hanc commutationem mirabilẽ faceret Iesus, prius voluit, vt ministri hydrias aqua implerent; vt scirent serui Iesu, quam vtile sit dispendiũ quodlibet in Dei seruitium. Dicit enim D. Amb. serm. 4. de Epiphan. *Ministri hauriũt aquam de puteis, vinum in hydrys inueniunt: atque vtiliore dispendio perdunt, quod impleuerant; reperiunt, quod deerat.* Sic solent inueniri, qui Deo seruiunt.

D. Amb.

§. IIII.

Vel Dei halitus potentior ingenti exercitu aduersus hostes.

ET Si Iosue cum exercitu irruat in hostes, non ipse vnum tetigit antequam vniuersi à Deo traderentur in manus eius. Quippe ait: *Venitque Iosue, & omnis exercitus cum eo aduersus illos ad Aquas Merom subito, & irruerunt super eos; tradiditque illos dominus in manus Israel. Qui percusserũt eos, &c.* Quidquid ad strenuum ducem spectarat, Iosue perfecit, in industria, in celeritate irruendi cum exercitu in hostes; at qui hostes caperet, traderetque Israelitis gladijs non dicitur Iosue, sed vnus Deus, dum inquit: *Tradiditque illos Deus, &c.* Et quidem vacant vniuersæ creaturarum vires, nullius momenti sunt exercitus validissimi, vbi vel solus Dei halitus est aduersus hostiles potẽtias. Nonne armata cohors in hortum venerat, vt Iesum comprehenderet? Ipse tamen solus armatis occurrit, seseque voce sua manifestat dicens: *Ego sum.* Quid tunc? Ait Ioann. cap. 13. *Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Nulla creaturarum manus, nullus Angelorũ exercitus apparuit; sola vox dicentis, *Ego sum*, audita est; & continuo armatæ phalanges corruunt. Ex quo ait D. Amb. lib. 22. in Luc. *Locutus est, & ceciderunt retrorsum. Quo mihi legiones Angelorum? Quo mihi cœlestem exercitũ? Vox domini sola plus terret. Hanc ille ad demonstrandum diuinæ maiestatis indicium, qui in pectore Christi recumbabat, elegit.* Equidẽ sola Dei vox plus valet ad terrendos hostes, quam mille legiones Angelorum, quã omnis milicia terrestris, & cœlestis. Quis ignoret futuri Antichristi valentiam, immensasque copias, quibus sibi subiugabit mundum? De illo tamen ait Paul. 2. ad Thessalon. 2. *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem interficiet dominus Iesus in Spiritu oris sui.* Circà quæ ait D. Ansel. *Quem interficiet Spiritu oris sui, diuina scilicet potestate, & imperio maiestatis sua, cuius iussisse fecisse est, non in exercitus multitudine, neque in robore militum, non in auxilio Angelorum. Sed quomodo tenebræ Solis fugantur aduentu.* Argutius ad huc Chrysost. in rem nostram: *Quemadmodũ enim ignis irruens passim minuta animalcula, etiam antequam plane aduenerit, procul adhuc diffusus torpefacit; & consummit; ita Christus. Sufficiet solum iubere, & adesse ipsum, atque ista omnia peribunt.* Quid verius? Minuta animalcula, vel ad odorẽ ignis torpescunt, & ad flammas rapiuntur; sic vniuersi hostiles exercitus, vbi Deus adest, in extremum exitium veniunt. Quo etiam respiciebat Paul. 2. ad Thessalon. cap. 1. aiens: *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis.* Expende illud: *A facie domini*; non enim gladius, non arma, nõ fulmina, sed vel nutus faciei eius sufficit perdere vniuersos. Ibi D. Chrysost. hom. 3. *A facie, inquit, domini. Dicitur hic facilitatem rei gerendæ exprimere. Non opus erit, multo negotio, sed sufficiet aduentare, & apparere Deum, & omnes mox in pœnis erunt ac supplicio. Præsentia dum taxat ipsius alijs quidem lux erit, alijs verò supplicium.* Sic vel faciei diuinæ apparitio sceleratos omnes dabit exitio. Sed in super notandum est illud ibi ab Apostolo dictum nimirum: *Et à gloria virtutis eius*; non enim à sola Dei ira, sed vel à radio gloriæ eius vniuersæ aduersariæ potestates perimuntur. Hinc de Antichristo locutus Paulus supra, cap. 2. vt interficiendus est à Iesu, inquit: *Et destruet illustratione aduentus sui eum.* De quo ait D. Ansel. *Illustratio aduentus Iesu non incongruè intelligitur aliqua claritas pranuntians aduentum eius, quã tanta sit, vt visa ea, mox præ timore moriatur ille pestifer.* Tam facile est Deo vniuersas potestates in interitum mittere.

2. Ad Thes. 2.

Chrysost.

2. Ad Thes. 1.

Chrysost.

Paul.

Ansel.

Ioann. 13

D. Amb.

Iosue cap. 11. Fecitque sicut præceperat ei dominus, equos eo rum

rum ſubneruauit, curruſque combuſit igni. Reuerſuſque ſtatim cæpit Aſor: regemque eius percuſsit gladio. Aſor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. Percuſsitque omnes animas, quæ ibidem morabantur; non dimiſit in ea vllas reliquias, ſed vſque ad internecionem vniuerſa vaſtauit, ipſamque vrbem peremit incendio. Et omnes per circuitum ciuitates, regeſque, &c.

§. VII.

Fidutia in vno Deo validior omnibus armis.

EXPENDE Conſequentiam, de ſubneruatis equis, curribuſque combuſtis ad expugnationem Aſor venit: dicit namque: *Equos eorum ſubneruauit, curruſque combuſit igni. Reuerſuſque ſtatim cæpit Aſor, &c.* Ab exitio curruum, equorumque irruit in Aſor validiſsimam vrbem, & cæpit eam. Nec miror, vt enim equos, curruſque, mundialem fortitudinẽ, & valentiam belli demittebat, fiduciam in vno Deo induebat, quæ omnibus armis eſt
1. Reg. 17 valentior. Dauid 1. Reg. 17. Saulis armis indutus, vt exiret aduerſus Philiſthæum, arma à ſe in primis depulit; dicit namque: *Non poſſum ſic incedere, quia vſum non habeo. Et depoſuit ea, &c.* Pugnaturus, imò triumphaturus arma deponit regia. Sed ſi arma expellit, qualiter triumphauit de armato hoſte? Vt arma depellit, fiduciam induit in Deo, quæ ſuper omnia arma valet vniuerſos hoſtes conterere. Ait D. Chry-
Chryſoſt. ſoſt. hom. 1. in Pſal. 50. *Proiecit arma, & induit fiduciam: egreditur nudus, & loricatus fide.* Non inermis procedit nobilis triumphator, ſed quà regia arma depoſuit, fiduciam induit in Deo, & Dei ſibi adſciuit omnipotentiã, vt hoſtes perderet. Ea eſt enim
Deuth. 6. fiducia, quæ te adglutinet fortitudini Dei. Ait Deuth. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis.* Quæ verba ſic Philo legit: *Dominum Deum tuum timebis, & cum ſolum coles, & adglutinaberis ad eum.* Hoc faciat, quiſquis amat ſuper omnia poſſe, ni mirum Deum timeat, vnumque colat, & ſeſe ei adglutinet. Qui enim ſibi adiunctum habet Deũ? Quid non poſsit? Sed ſcire cupis, quomodo homo ſeſe Deo adiungere, adglutinareque poſsit, vt eius induat, vel aduerſus mortem valẽtiam? Ait Philo lib. de migrat. Abrah. Philo
Adglutinaberis ad Deum. Quo glutine? Nimirum pietate, ac fiducia. Nã vis virtutibus mortalis natura cum immortali vnitur, & coaptatur. Indue fiduciam, & habes tibi adiunctã omnipotentiam Dei, qua vel ipſam poſsis mortem conterere. Zara Æthiops egreſſus aliquando eſt contra Iſraelitas cum exercitu ſuo, decieſcentena millia pugnatorum erant in illo, & trecenti currus. Quibus obuiam ibit Aſa rex Iuda; ſed quibus armis auſus eſt ire aduerſus tantam multitudinem? Ait ipſe 2. Paral. 15. *In tuo nomine* 2. Par. 14
habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem Domine Deus noſter, tu es, ne prævaleat contra te homo. Exterruit itaque dominus Æthiopas coram Aſa, &c. Vidiſti Aſa armatum Dei fiducia tot hoſtilibus curribus prævalentem; ſed accipe illum 2. Paral. 16. quærentem auxilium à Syris, cui ſtatim ait Dei propheta: *Quia habuiſti fiduciam in rege Syria, & non in domino Deo tuo, id circo euaſit Syriæ regis exercitus de manu tua. Nonne Æthiopes, & Lybies multo plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia, quos cum domino credidiſſes, tradidi in manus tuas? Oculi enim domini contemplantur vniuerſam terram, & prabent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent.* Sic Aſa rex vbi fiduciam induit, habuit ſibi adiunctam omnem fortitudinem Dei, qua validiſsimos contriuit exercitus; vbi autem non Deo fidit, ſed auxiliatricibus Syrorum armis, expoſitus mãſit hoſtibus nudus, & inermis. Nec immerito; ait enim D. Chryſoſt. hom. 1. in Chryſoſt.
Matth. *Quoniam autem nec accipere oportet auxilium ab inimicis Dei, docet nos ſupradicta hiſtoria de Aſa. Qui enim petit auxilium ab inimicis Dei, de auxilio Dei deſperat, validiores ſibi exiſtimans inimicos Dei, quam Deum.* Et cur non pereat, qui tam ſiniſtrè ſentit de Deo? Conueniant huc mundiales principes, & metuant ſibi auxilia quẽrere ab inimicis Dei, ſi enim illorum cauſa iuſta eſt, magis fidant in Deo, qui ſolus poteſt vniuerſos hoſtes facili negotio proſternere.

(†)

§. VIII.

§. VIII.

Obedientiæ virtus supra meritum munerari solet à Deo.

PROMISERAT Deus, Iosue totum illũm hostium exercitum tradendum, qui erat ad aquas Merõ, sic enim dicebat: *Tradã omnes istos vulnerandos, &c.* Modo autem non solum illi traditi sunt, sed in super tradita est Asor; quippe ait: *Fecit Iosue sicut præceperat ei dominus, equos eorum subneruauit, currusque combusit igni. Reuersusque statim capit Asor, &c.* Nihil in illa promissione dixerat dominus de Asor, neque de alijs ciuitatibus, sed solũ de exercitu fuerat locutus. Cur ergo supra id, quod debebat ad promissionem suam implendam tu, addidit Deus, quod non solum exercitum interficeret Iosue, sed & Asor cantatissimam vrbem expugnaret, & alias plures? Huius diuinæ largitatis causam explicant verba illa: *Fecitque Iosue, sicut præceperat ei dominus, equos eorum subneruauit, &c.* Vbi autem Iosue sic obediuit Deo, vt nec minimum demandatis eius præteriret, factum est, vt vltra merita, multa alia donaria prorsus indebita à Deo reciperet, vt nimirum expugnaret & vrbes, quod tunc nõ fuerat illi promissum. Paulus ad Heb. 12. dicebat: *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectionem, & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.* In quo Iesu sanguis loquebatur melius, quam Abel? Nonne sanguis Abel iure exigebat à Deo satisfactionem? Sed, & Iesu sanguis, etiam iure agebat cum Deo de redimendis peccatoribus; ex quo ergo capite ostenditur sanguis Iesu melius loqui, quam Abel? Plane Abel solam iustitiam loquitur; at Iesu sanguis, vt per obedientiam effusus est, non solum iustitiam flagitat pro nobis, sed insuper donatiua alia, quæ vltra debita nostra, obedientiæ respondeant. Pulchrè ad hæc ait D. Cyprian. serm. 1. de Baptismo Christi in fine: *Non minus hodie in conspectu patris oblatio Christi est efficax, quam ea die, qua de saucio latere sanguis, & aqua exiuit, sed semper reseruatæ in corpore plagæ salutis humanæ exigant præcium, & obedientiæ donatiuum requirant.* Expende illud: *Obedientiæ donatiuum requirant*; non solum enim Deus obedientiæ exhibet precium, sed vltra debitam mercedem multa etiam alia solet exhibere gratiosa donatiua. Abrahamus obediens Deo iugulum petebat carissimi filij Gen. 22. *Et ecce Angelus domini de cœlo clamauit dicẽs, Abraham, Abrahã: Ne extendas manum super puerum, neque facias illi quicquam; nunc cognoui, quod timeas dominum, &c.* Hæc inter lætus Abrahamus in ariete consumabat sacrificium inceptum in filio. Quid tunc? *Vocauit autem Angelus domini Abraham secundo de cœlo, dicens: Per me metipsum iuraui, dicit dominus, quia fecisti hanc rem, &c.* Cur Deus nõ contentus fuit primo illo colloquio cum Abrahamo facto, sed & insuper illum affatur secundo? Nonne primo satis præmiarat facinus exhibitum; cur necessum fuit, secundo etiam ad illum venire? Fateor in primõ, Abrahamo satisfactum à Deo fuisse, si facinoris precium requiras; at quia opus obedientiæ fuit vltra debita, alia erant addenda donatiua. Vt dicat D. Chrysost. hom. 47. in Gen. *Sufficiebat quidem iusto præmio, quod viuus rediret Isaac, & quod meritus erat illam eximiam laudem, nempe quod dicit: Nunc cognoui, quod times Deum tu. Verum tamen is, qui donis certare cupit, & beneficijs, semper vincit mentem nostram, coaceruat etiam nunc remunerationes, & inquit iteram ad illum: Per me metipsum iuraui, &c. Tu quidem non pepercisti, propter meum mandatum, ego autem peperci propter tuam obedientiam. Propter hanc tuam obedientiam remunerans te, benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Vide cumulatam benedictionem.* Supra id quod sufficiebat, addidit Deus, quia sic solet remunerari donatiuis obedientia.

Gen. 22.

Chrysost.

Hab. 12.

D. Cypr.

Iosue cap. 11. Omnemque præ dam istarum vrbium, ac iumenta diuiserunt sibi filij Israel cunctis hominibus interfectis. Sicut præceperat dominus Moysi seruo suo, ita præcepit Moyses Iosue, & ille vniuersa compleuit. Non præterijt de vniuersis mandatis, nec vnum quidem verbum, quod iusserat dominus Moysi. Cæpit itaque Iosue omnem terram mõtanam, & meridianam, terramque

que Goſen, &c. Multo tempore pugnauit Ioſue contra reges iſtos.

§. IX.

Laſciuia perdit vrbes, deſertaque facit regna.

NON Poſſum in præſenti diſsimulare, quod inter ſeruatas prædas, notanter recenſeantur iumenta. Ait enim: *Omnemque prædam iſtarum vrbium, ac iumenta diuiſerunt ſibi filij Iſrael, &c.* Ecce vt expreſſe memin t iumenta hoſtium reſeruata ſibi à filiis Iſrael, eo ipſo prælio, quo iuſſum fuit illis iugulare vniuerſos equos ab hoſtibus captos. Dicebat nãque ſupra: *Equos eorum ſuffoderuabis, &c.* Et cur, qui ſic fuit mãſuetus in iumenta, adeò acer, & ſeuerus fuit in equos? Intelligit Origin. hom. 15. in equo animal laſciuiſſimo luxuriam, quæ dominabatur illarum gentium, ideò reſeruatis iumentis feriuntur equi Dei ſententia, & merito quando laſciuia nationis erat, quæ populabatur illa regna. Proh laſciuiæ malum! Crede mihi homo, cum vrbes ciuibus nudantur, cum frequentiſsima regna abeunt inde ſerta pereuntibus hominibus vniuerſis, in tanta ruina principatũ tenent equini mores hominum, qui eos in vltimam deſolationem præcipites ferunt. *Mar. 6.* Hinc Mar. cap. 6. Ioannes Baptiſt. clamabat ad Herodem: *Non licet tibi habere vxorẽ fratris tui.* Non miror, quod publice argueret regem, qui adulter erat publicus; ſed miror, quod & Reginam etiam morderet publice. Cur non magis principi fœminæ condeſcendit? Cur non magis femineæ infirmitati in Regina indulget? Cur ſic illam coram omnibus traducit? Vbi laſciuam fœminam vidit, nullam iam credebat frequentiam hominum in regno manſiſſe, ſed regnum, & Regiam in deſertum abijſſe. Ait D. *Baſil. Sel.* Baſil. Sel. orat. 18. *Videns Baptiſta Reginam libidinis adminiſtram, contra dignitatis, & naturæ rationem debaccantem, quas olim voces in eremo iecerat, repetebat, vox clamantis in deſerto, &c.* Dixerat in eremo exiſtens, quod eſſet vox clamantis in deſerto; quam vocẽ repetit in Regia Herodis exiſtens, dũ enim ibi fœminam laſciuiæ debaccantem videt, iam frequentiſsimum regnum deſertum putat. Laſciuia enim de populatur vrbes, frequentiſsima regna in deſertum facit abire. Sic Gen. 4. Caini generationes memorans peruenit, vſque ad Sellam vndecimum nepotem illius, & ait: *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator, & faber, in cuncta opera æris, & ferri. Soror vero Tubalcain Noema.* Et quando Tubalcain malleatoriam artem diu exercuit, credibile eſt ab ipſo etiam fuiſſe filios generatos; cur ergo ſacer ſcriptor de illius filijs ſilet, eius autẽ ſororem manifeſtam facit? In cæteris alijs filij nomen ſolum exprimebatur, nulla fœminarum, nec filia, nec ſoror ex nomine memorabatur; in Tubalcain malleatore, & fabro ferrario; non filius, ſed ſoror Noema exprimitur. Cur factum eſt hoc adeò nouũ, & inuſitatum in hoc malleatore? Noema eſt voluptas carnis; vbi autem apparuit iſtud par Tubalcain, & Noema, faber ferrarius, & voluptas carnis, Vulcanus, & Venus iuxta prophanas fabulas; iam nullæ generationes hominum numerantur, ſed mũdus hominibus orbatur, vniuerſis extermi nio traditis, vt dilubio abſorbeantur. Nõ longe ab hoc aberat D. Aug. lib. 15. de ciuit. cap. 20. fatus: *Progenies ergo Adam per Cain ſceleratum vndenario numero finitur, quo peccatum ſignificatur, & ipſe numerus fœmina clauditur, à quo ſexu initium eſt peccati, per quod omnes morimur. Commiſſum eſt autẽ vt voluptas carnis, quæ ſpiritui reſiſtit, ſequeretur. Nam ipſa Noema, id eſt, voluptas interpretatur.* Eccetibi, vt ſceleratorũ progenies prorſus ceſſauit, vbi ventum eſt ad Noema; in qua voluptuoſæ fœminæ notabantur. Ex inde nullus homo nominatur, ſed mors omnium, & interitus annuntiatur, & dilubium ſequitur, quod vniuerſum mundum deſertum faciat. *Gen. 4.* *D. Aug.*

§. X.

Non opera in ſe nude ſumpta, ſed in cauſa, & fine eorum habent prætium, & æſtimationem coram Deo.

SI Victorias, & bella Ioſue ſpectes, fecit ille, quod multi alij mundiales Imperatores fecerunt in expugnãdis vrbibus, & euertendis, in perimendis hoſtibus abſque vlla venia. Plenæ ſunt hiſtoriæ ſimilibus regnorum excidijs factis ab Imperatoribus, & tyrannis ſæculi. Quid ergo annumerabitur illis Ioſue? Abſit, licet enim

Ioſue

Ioſue opera in expugnandis regnis, perdendiſque hoſtibus non abſimilia ſint operibus ſæcularium tyrannorum; tamen in cauſa, & fine longe fuerunt ſuperiora, & diuerſa. In illis enim cauſa erat propria ambitio, & lucri amor, & innata crudelitas; in Ioſue autem tota cauſa fuit Deus. Ait enim textus: *Non prætergreſſus de vniuerſis mandatis, nec vnum quidem verbum, quod iuſſerat dominus Moyſi. Cæpit itaque Ioſue omnem terram, &c.* Ecce vt in capiendis regnis, expugnandis vrbibus, hoſtibus perimendis vnum hoc ſpectabat Ioſue, nimirum, quod verbum domini factum Moyſi, & ſibi adimpleretur. Et totum pretium, & valor operum ex cauſa, & fine debet cenſeri, vt illa præſtantiora ſint, quorum finis, & cauſa
Pſal. 47. ſit Deus. Hinc clamabat Pſal. 47. *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam, de gente non ſancta.* Cum iudicium Dei exoptat, non petit opera ſua deſcerni, ſed cauſam. Et cur non petit, vt opera, & facinora potius eius diſcernantur? Nouit vates, quod opera etiam ſanctiſsimorum hominum ſæpe inferiora ſunt operibus peccatorum, vel ſaltem æqualia, ideò recurrit ad cauſam, aqua venit & operum valor, & pretium. Ait S. Thamas Archiep. concion. 2. de aduent: *Non labores, non ſudores, non pericula, & diſcrimina; non famem, ſitim, & aſperitates volo, vt dyndices: hæc enim omnia & auarus pro lucro, & guloſus pro cibo, & elatus pro honore, & lubricus, pro voluptate cumulatius paſſus eſt. Non ergo opera nuda iudices, non agones ſolos dinumeres, ſed diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, de populo vano, hæc eſt iudicij tota ratio, hoc pondus, hoc totius ſpei meæ vnicum firmamentum, quia laborum meorum, & operum tu domine cauſa, tu finis, propter te, & ad te ſunt facta.* Sanè ſi opera, & facinora humana nude ſpectentur, vix vlla adeò ardua inueniuntur, vel in ſanctiſsimo, quæ non inueniantur in impijs, & voluptatum, & honorum mancipijs. Non ergo nude cõſideranda ſunt opera, ſed ex cauſa, & fine, quo fiunt; cauſa enim & finis eſt, qui preciumdant operibus, quo ſancti diſcernuntur ab impijs.
Pſal. 115 Hinc Pſal. 115. ait: *Pretioſa in conſpectu domini, mors ſanctorum eius.* Vbi mirandum eſt, quod mors dicatur in pretio eſſe apud Deum; quando ea noſcitur in mundum veniſſe diaboli inuidiâ; quomodo ergo pretioſa potuit eſſe mors, quæ inuenta fuit à diabolo, vt ſuos aſſeclas affligeret? Si mors per ſe nude ſpectetur, infamis pœna eſt ſceleratorum, quam ſuſtinent etiam nequiſsimi. At ex cauſa aliqua, vel fine, vt ſi pro Deo, & virtute ſuſcipiatur, tunc merito precioſa dicitur. Ideò notãter dicebat pſaltes, *Mors ſanctorum eius*, nimirum mors amore ſanctitatis ſuſcepta, ea in pretio eſt, coram oculis diuinis. Ex quo Tertul. aduerſus Gnoſtic. ait: *Honorata eſt apud illum mors religioſorum ipſius, vt canit Dauid, non opinor iſta communis, & omnium debitum. At qui iſta etiam ignominioſa eſt ex elogio tranſgreſſionis, & merito damnationis; ſed illa, quæ in ipſo additur ex teſtimonio religionis, & prælio confeſſionis, pro iuſtitia, & Sacramento.* Tertull.
Ecce tibi, quæ infamis erat mors per ſe nude ſumpta, dum pro Deo, & virtute ſumitur, precioſa fit, & glorioſa in conſpectu illius. Semper enim cauſa ſpectanda eſt, vt pretium, & valorem habeant opera. Hinc poſt Ieſum crucifixum dicit Matth. 27. *Et impoſuerũt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt Ieſus rex Iudæorum. Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones, &c.* Non ad caput latronum, ſed ad caput Ieſu mortis cauſa ſcripta eſt, vt ex illa appareret mors Chriſti non infamis, ſed glorioſa. Ait namque Euthym. ibi: *Scripſit ergo Pilatus dictam cauſam: inſtituitque, vt ſcripta cunctis nota fieret, ne poſſent ſua malicia Iudæi Chriſto aliã cauſam affigere, ſimulque hos notauit, & illi patrocinatus eſt, quod propter inuidiam eſſet crucifixus.* Matth. 27. Sic cauſa patrocinabatur Ieſu, ne in cruce latronibus ſimilis videretur. Et quando cauſa operis non diuidit inter bonos & malos? De bona Iudith dicitur, cap. 10. *Lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrto optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitrã, &c.* Quæ ſpectans D. Aldhelmus lib. de Virg. cap. 28. ait: *Ornatus fœminarum rapina virorum vocatur. Verum quia hoc in Bethuliæ obſidione pro contribulibus dolitura compatientis affectu, non caſtitatis de fectu fecit Iudith; id circo ſalua pudoris reuerentia celebre trophæum reportauit.* Sic ibi. D. Aldh.

§. XI.

Triumphus Chriſtianorũ breuioris eſt conflictus.

EXPENDE Illud nõ ſine myſterio notatũ, nimirũ: *Multo tẽpore pugnauit Ioſue cõtra reges iſtos.* Nunquã nõ fuit Iſraelitis lõga, & diutina pro regno pugna, quę Chriſtianis breuiſsime cõficitur. Act. 7. Stephanus adhuc erat in primo cõflictu, & iã ſibi regna cęleſtia patẽtia videbat, ait enim: *Ecce video cœlos apertos, & filiũ hominis ſtantẽ â dextris Dei, &c.* Pro quo ait Sanctus Thom. Archiep. Valent. concion. 5.

in Nat. Dom. *O magnã gratiã redẽptionis, iã nos fratres nõ tetra limbus, sed hians paradisus expectat: cur stamus? cur pauemus? Pauebant exire patres, quia quãuis boni, inferna lustrare necesse erat. Nũc vero Stephanus cælos âpertos videt, hiantẽ gloriã, patẽtẽ paradisianuã, latus agonẽ aggreditur, prouocatus âpræmio. Cur enim celerem pertimeat pugnã, qui æternã sibi parari videt coronam? Cur momentaneos lapidum paueat ictus, cui cœlestis gloriæ patet introitus?* Compone hæc nimirum *celerẽ pugnam, momentaneos lapides*, cum illis videlicet, *Multo tempore pugnauit Iosue*; quippe longiores pugnæ fuerũt patribus antiquis, quando vel in inferno detinebantur longissimis sæculis antequam ad cœleste regnum peruenirent. Nobis autem christianis breuissimæ pugnæ sunt, momentaneique labores, quando patentia habemus cœlestia regna in vicino. Hinc Matth. 20. operarij dominicæ vineæ primo mane conducti mirantur gratiam illorum, qui vndecima hora venerant in vineam; quibus par merces tribuitur. Dicit enim de illis textus: *Accipientes murmurabant aduersus patrem familias dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.* Se sub pondere totius diei, & æstu laborasse murmurant, quando alij vna hora tantum laborantes parem retributionem consecuntur. Et cur ij tam horarijs laboribus retributionem acquirunt? Christiani ij sunt; illi Israelitæ; qui non nisi post diuturni temporis labores, poterant ad regnum peruenire. Quo spectans D. Greg. hom. 19. in Euang. inquit: *Quasi ergo post murmurationem antiqui patres denariũ accipiunt, qui post longa inferni tempora ad gaudia regni peruenerunt. Nos autem qui ad vndecimam venimus, post laborem non murmuramus, & denarium accipimus: quia post mediatoris aduentum in hoc mundo venientes ad regnum ducimur, mox vt de corpore eximus, & illud sine mora percipimus, quod antiqui patres, cũ magna percipere dilatione meruerunt.* O fœlicitas Christianorum! Laborarunt quidem antiqui patres pro obtinendo cœlesti regno, & multo tempore in hac vita, & in inferno detenti spectabant beatam spem; at nos qui sub Iesu halitu viuimus, sine mora vlla, sine dilatione, vnius horæ pugna, cum primum ab hoc exilio eximus, regnum tenemus. Facit hoc veri Iesu præsentia; qui præ oculis positus nescit non breui finire pugnas suorum fidelium. Aiebat latro Luc. 23. *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Cui statim dominus respondit: *Hodie mecum erit in paradiso.* Hodie, ait, eris in paradiso, antequam Petrus, antequam vllus Apostolorum regnum cœlorum tenebis. Et cur domine sic latroni acceleras possessionem regni cœlestis? Erat illi, cordi, & oculis Iesus crucifixus; qui vbi fidem latronis impleuit, non patiebatur illum aliqua dilatione regni torqueri. Aiebat D. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. de populo christiano: *Cui primo redditur merces, quia in crucifixum credens dominum difficultate fidei, magnitudinem meruit præmiorum.* Sanè qui fidei oculis crucifixi Iesu gloriam percipit, & in magnitudine, & in celeritate præmij cæteros antecedit.

Matt. 20.

D. Greg.

Luc. 23.

D. Hier.

Iosue cap. 11. Non fuit ciuitas, quæ se non traderet filijs Israel, præter Hæbæum, qui habitat in Gabaon: omnes enim bellando cæpit. Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent, sicut præceperat dominus Moysi.

§. XII.

Dona Dei, quæ in cooperatione hominis fundantur firmiora, & securiora esse solent.

PRO MISERAT Dominus Israelitis omnes Chananæorum ciuitates, quas denique expugnauit Iosue, & bellando cæpit. Dicit enim textus: *Omnes bellando cæpit.* Et cur necessum fuit pugnare pro ciuitatibus à Deo promissis? Cur non magis sine Israelitarum pugna, & labore traditæ sunt eis? Sanè dona Dei firmiora, & vtiliora in cooperatione hominum fundari debebant. O quam fallitur, qui nimis attendit ad ea Dei dona, quæ mere gratuito à Deo veniunt, nec hominis cooperationem expectant: illa præcipue æstimanda sunt, quæ in virtutum validissimis operibus fundantur, vt quæ firmiora, & securiora esse soleant. Exod. 31. *Dedit dominus Moysi completis huiuscemodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimo-* Exod. 31.

simonij scriptas digito Dei. At videns Moyses vitulum adoratum à populo Exod. 32.
Exod. 32 *Proiecit de manu tabulas, & confregit eas.* Verum post supplicium de reis sumptum rediens Moyses iterum ad Deũ Exod.
Exod. 34 34. audit ex Deo : *Scribe tibi verba hæc, &c. & scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Ecce tibi primo apparuit Moysi Deus, & locutus cũ illo tabulas legis præbuit diuino exaratas digito ; quas peccata populi confringi fecerunt. In secundo autem apparet etiam Deus, iubetque, vt Moyses tabulas accipiat, & in illis ipse scribat verba legis. Et quando primæ scriptæ sunt solo digito Dei, cur secundæ non similiter scribuntur à Deo? Cur magis voluit, vt secundæ Moysi digito scriberentur ? Ait D.
D. Aug. Aug. lib. 2. Quæst. in Exod. quæst. 156. *Posteriores vero tabulæ tamdiu mansuræ, ac in tabernaculo ac templo Dei futuræ, iubente quidem Deo, tam ab homine excisæ sunt, quam ab homine scriptæ.* Expende illud: *Tamdiu mansuræ, &c.* quippè in quibus longioris æui duratio procurabatur, Dei gratiæ adiungebatur labor humanus ; vt discamus æternãda Dei dona magnis virtutum operibus ex eius gratia factis debere fundari. Nõ enim sic stabilia solent esse, quæ in mera Dei gratia, quam quæ in virtutum illustrissimarum cooperatione fundantur. Hinc Matth. 20.
Matt. 20. post operarios ad vineam conductos ait: *Cum sero esset factum, dicit dominus vineæ procuratori suo: voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis.* Cur non potius à primis incepit? Cur maluit vltimis primo
Chrysost. loco gratificare? Ait D. Chrysost. hom: 34. operis imperf. *Quare non à primis vsque ad nouissimos, sed primum à nouissimis ? Attende, naturalis est ratio. Omnes autem qui ante aduentum Christi fuerunt, quasi ex operibus suis facti sunt sancti. Gentes autem ex gratia Christi.* Itaque in vltimis maior gratia, in primis plures labores ostendebantur; adeò
Ioan. 4. vt diceret Iesus Ioan. 4. ad Apostolos : *Illi laborauerunt, vos in labores eorũ non introeistis*; non quod antiqui patres, non operarentur etiam ex Dei gratia; sed quia in illis minores erant gratiæ, minora auxilia, ideò labores eorum, & sudores eminebant magis. In Christianis autem sic auxilia diuina, & gratiæ exundauerunt, vt ipsi videantur quasi nihil operari. Ideò in quibus plus emicant diuinæ gratiæ, minor datur dilatio præmij, nec labor expectationis permittitur dilatari. In quibus autem sub minoribus gratijs, & auxilijs plus laboris apparet, iis creditur diuturnitas expectationis maior. Dona enim Dei quæ in maiori labore hominum fundantur, adeò firmum, & stabile fundamentum habent, quo possint contendere cum temporis diuturnitate.

§. XIII.

Nullum est malum, quod Iesus non expellat.

NOTANTER Dixit textus de Iosue; *Omnes enim bellando cæpit*; vt ostenderet, quam à Iesu omne malum
Orig. superetur. Ait enim Orig. hom. 15. in Iosue: *Non dixit, quia aliquos cæpit Iesus in bello, & aliquos non, sed cæpit omnes, & peremit. Omnes enim species peccati purgauit dominus Iesus, omnesque destruxit.* Nulla mali vis tanta est, quam Iesus non perimat. Licet enim Tartarus sua in homines euomat venena, dum Iesum habeas, est tibi aduersus omnia illa remedium. Ioan. 14. *Non turbetur cor*
Ioan. 14. *vestrum, neque formidet, creditis in Deum, & in me credite.* Ecce tibi aduersus omnes mũdi turbellas, aduersus formidines vniuersas, quale remedium proponat, nimirum, *Creditis in Deum, & in me credite*: dum enim fide Iesum teneas præ oculis, nihil restat,
D. Amb. quod timere debeas. Ex quo ait D. Amb. ser. 8. in Psal. 118. *Scient dominus cito nos frangi solere, ait etiam Apostolis: Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Si te cupiditas tenuerit, dicat tibi Iesus Christus; Non turbetur cor tuum. Siquis terror ingruerit. Dicat tibi Christus. Non turbetur cor tuum, neque formidet. Si qua tibi supplicia persecutor inflixerit, dicat tibi Iesus. Non turbetur cor tuum. Si in mari nauiganti grauis fluctus insurgat, tempestas atra desæuiat, tibi dicat Iesus : Ego sum, noli turbari.* Nullus malus occursus homini aderit, aduersus quem in vno Iesu non habeat, & remediũ, & arma. Sine Iesu vacua, & inania erant omnia; vbi Iesus apparuit, simul visa est omniũ remediorũ, & bonorũ
Ad Gal. plenitudo. Quo respiciebat Paul. ad Gal. 4. inquiẽs: *Quando venit plenitudo tẽporũ, misit Deus filium suum, &c.* Circa quæ sapienter S. Thomas Archiep. Valent. inquit: *Plenitudo tẽporũ illa est, in qua ostenso omnium fine Iesu consummatus est mũdus; nã vsq; tunc vacuus erat, & imperfectus.* Quidẽ ante Iesum tot tantisque carebat mũdus ad salutẽ vtilissimis, & prestãtissimis, vt vacuus videretur. Vbi autẽ venit Iesus, cũ illo venit omnium plenitudo, vt nihil possis requirere, quod in eo non inuenias cumulatissime. Deficiant licet mundana omnia, in vno Iesu habes omnium necessariorum, & vtilium, & salutarium plenitudinem. Di-

Actor. 3 cebat Petrus Actor. 3. *Argentum, & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do; In nomine Ieſu Nazareni ſurge, & ambula.* Dē erat illi argentum, & aurum; ſed erat in corde eius, & in ore eius Ieſus, & inde ſuppetebant omnia, quibus poſſet vniuerſas in-
D. Amb. firmitates dimittere. Ex quo D. Amb ſer. 8. in Pſal. 118. ait: *Reliquiſti Petre, quæ habebas, & cæpiſti, quæ non habebas, Chriſtus tibi portio, Chriſtus tibi poſſeſsio eſt. Illius nomen tibi muniſicum, illius nomen tibi eſt fructuoſum, illius nomen tibi tributa dependit, & bona tributa non pecuniæ, ſed gratiæ. Portio tua non ariditate ſiccatur, non imbre diluitur, non frigore vritur, non tempeſtate quaſſatur.* Quid pulchrius? Poſt dimiſſa omnia bona mundi, adhuc in vno Ieſu hābet omnia, quibus poſſet aduerſus omnes indigentias pugnare. Quæ gratia, quod rēmedium non eſt illi, ad omnia mala, qui Ieſum habet?

§. XIIII.

A diuinæ lucis radio mollefiunt corda humana, vt ſalutem capiant.

CVM Ait: *Domini ſententia fuerat, quod indurarentur corda eorum, & c.* auſit, quod Deus credatur indurare poſitiue corda hominum, ne ſalutem capiant. Corda enim humana velut cera ſunt; cera autem vbi feritur Solis radijs mollefit, & tenereſcit; vbi autem Sol ſuos retrahit radios, ſtatim denſatur, & obdurātur. Sic humana corda, eo ipſo, quod Deus ſuæ lucis radios contrahat, ipſa obdurantur, & obcæcantur, ne quid percipiant ſibi ſalutare. Quod enim tenereſcant, & ſalutaria percipiant, de radijs venit diuinæ gratiæ. Ait
Iſaias 53. Iſaias cap. 53. *Reuelauit dominus brachium ſanctum ſuum in conſpectu omnium gentium, & viderunt omnes gentes terræ ſalutem, quæ à domino Deo noſtro eſt.* Licet ſalus facta eſſet in medio terræ, multiſque miraculis ſe oſtēderet, non illam viderēt homines, nec perciperent, niſi Deus eorū corda pararet ſuæ miſericordiæ radijs. Prius Deus reuelat brachium ſuū, oſtendit ſuæ beneficentiæ radios mollefacientes corda humana, de in de ſequitur, quod homines percipiant ſibi ſalutaria. Niſi enim Dei radius præcedat, duricies eſt, cæcitas eſt, vniuerſa hominū
D. Leo. corda lapidaſcunt. Adhæc ait D. Leo ſer. 6. de Epiph. *Cum cernimus homines mundanæ ſapientiæ deditos, & à Ieſu Chriſti confeſsione longinquos de profundo erroris ſui reduci, & ad cognitionem veri luminis aduocari, diuinæ procul dubio gratiæ ſplendor operatur, vt mentes, quas ſuo fulgore contigerit, & miraculo moueat, & ad eum adorandum præcando perducat.* Expende illud, *Et miraculo moueat*; multa licet miracula conueniant, vt oſtendant viam ſalutis, nihil efficient, niſi ſplendor diuinæ gratiæ præcedat, qui ſplēdor corda mollefacit, mentes illuminat, & facit, quod vim miraculorū percipiat. Prodigus ille in ſummā calamitatem venerat, ita vt porcos paſceret, qui fuerat regie nutritus: dumque diu inter porcos ageret, ſine cognitione erroris ſui, tandē ait Luc. cap. Luc. 15.
15. *In ſe conuerſus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meū, & c.* Sanè antea omnia bona ſua diſsipauerat, & ad extremam redactus fuerat pauperiē; nec tamen domū patris ſui meminit, nec ad illam curauit reuertere, ſed magis adhæſit vni ciuium regionis illius, à quo porcis cuſtodiendis prepoſitus fuerat. Cur poſthanc præfecturam magis reſipuit? Cur cum fame coactus quærebat ciuem, cui adhæreret, nō magis curauit domum paternam quærere, quam quæſiuit, cum porcorum præfecturā accepit? Cauſam oſtendunt verba textus ſequentia, nimirum: *Cū autē adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens, & c.* Equidē non miſeriæ, non calamitatis hominem facerent reſipiſcere, niſi pater accurriſſet, illūque longe adhuc ſtantem radijs ſuæ clementiæ illuminaret, & molliretur, vt domum patris agnoſceret, & ſenſum illius abundantiæ teneret. Quo crediderim ſpectaſſe D. Syneſium in Hymno 1. ſic dicentem.

Ille vero tibi propriùs in conſpectum ſe dabit
Parens, manus porrigens.
Præcurrens enim aliquis radius
Illuſtrabit ſemitas
Pandetque tibi intellectualem
Campum, pulchritudinis originem.

Hoc facit pater cęleſtis, ne corda indurentur, cæcentur, præmittit ſuæ miſericordiæ radiū efficaciſsimū; ſub cuius luce, & calore ſoluūtur corda, vt veræ pulchritudinis, & abundātię percipiāt ſenſum. In diuiniſsimi radij abſentia, lapidaſcūt humanæ mētes, at vbi affulget benigniſsimæ pietatis radius, vel ipſi ſaxei montes tanquācera liqueſcunt, & regiæ domus, glorioſæq; ciuitatis percipiunt ſensū. Niſi diuinus radius prēueniēs ingerat cordibus noſtris ſaporē Ieruſalē cœleſtis, ſine vllo ſalutari opere, inſtar lapidum rigeſcemus. Aiebat Pſalm. Pſal. 136
136. *Si oblitus fuero tui Ieruſalē obliuioni de-*

tur

tur dextera mea. Adhæreat lingua mea fauci-bus meis, si non meminero tui. Rem dicit propheta manifestissime coniunctam, nimirum, quod si in corde suo non appareat clare memoria cœlestis Ierusalem, lingua faucibus hæreat, & sic inutilis manet; quasi nō sit dextera. Dum enim cœlestis radius non sic corda mollefacit, vt in eis imprimatur memoria Ierusalem cœlestis, nec est dextera ad operandum, nec lingua ad recte loquendum. Vt clamet S. Thomas Archiep. S. Thom. Valent. ser. in Quinquag. *O verba ignita! O feruidum viatorem. Ita est, fratres, obliuiscitur dextera, & lingua palato haret, si deest memoria Ierusalem; torpet manus in opere, si Ierusalem, non habetur in corde.* Dum diuinus radius non illustrat in corde semitas Ierusalem cœlestis, gustumque eius facit percipi; quasi invtilis trucus heret homo sine lingua, sine dextera. Væ homini, cui pater cœlestis radios clementiæ suæ efficacis nō præstat, sanè obdurabitur in malo sicut petra!

Iosue 11. In illo tempore venit Iosue, & interfecit Enacin de mōtanis Hebrō, & Dabir, & Anab & de omni monte Iuda, & Israel, vrbesque eorum deleuit. Non reliquit vllum de stirpe Enacin in terra filiorum Israel absque ciuitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus solis relicti sunt. Cæpit ergo Iosue omnem terram, sicut locutus est dominus, &c. quieuit que terra à prælijs.

§. XV.

A vero Iesu quotidie nostri instaurantur triumphi, nostra multiplicantur bona.

SEMEL Iosue postrauit semen Enacin, eorumque subuertit vrbes, & statim quieuit, nec vltra ad triumphos cō parandos progressus dicitur. Ait enim: *Iosue interfecit Enacin de montanis :: vrbesque eorum deleuit ::: quieuitque terra à prælys.* Exterminatis enim semel gygantibus illis Iosue destitit à prælijs, nullo amplius dicitur suos nobilitasse triumpho. Sic deficit semper creata virtus; à qua si pendeas, magnūque ex illa accipias, tandem eo deueniat, necessum est, vt nihil possit præstare tibi. Felices nos, qui sub vero Iesu viuimus, qui non cessat pugnare pro nobis, multisque nos in dies nobilitare triūphis. Ioan. cap. 5. de piscina probatica locutus ait: *Angelus autem domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat.* Certum, & determinatum erat tēpus, quo Angelus descendebat aquis commotis vnū sanaturus. A vbi Iesus descendit, non certo anni tempore, sed singulis horis in aqua inuenimus salutem. Vt dicat Tertul. lib. de Baptist. cap. 5. *Proficiente itaque in hominibus gratia Dei, plus aquis, & Angelo accessit: qui vita corporis tenebat, nunc spiritum medentur: qui temporalem operantur salutem, nunc æternam reformant: qui vnum semel in anno liberabant: nunc quotidie populos conseruant, deleta morte per ablutionem delictorū.* Sufficiebat antiquitus aquis, & Angelo, semel in anno salutē vni impertiri; postquam autem accessit gratia Christi, in aquisque reluxit, iam non semel in anno, sed singulis horis instaurantur beneficia, & quotidie deleta morte peccatorum nouis triumphis insignimur. Nescit enim in suis, non multos progressus facere virtus Christi. Ioan. 2. post aquam vinum factam dicebat Iesus: *Haurite nunc, & ferte Architriclino.* Aqua vinum facta datur semel gustanda Architriclino, at vinum factum sanguis Christi omnibus singulis diebus porrigitur, in peccatorum remissionē, & hominum salutem. Quod notans D. Amb. serm. 19. inquit: *Si gloriosum est aquā in vinum mutare, quanto est gloriosius peccata in iustitiam commutare, & mores potius temperare, quam pocula? Audeo dicere illas hydrias non solum illi conuiuio, sed vniuerso mundo preciosam illam ministrare substantiam, nisi quod nobis melius administratur. Constat illos ex illis vasculis hausisse ebrietatem, nos haurire iustitiam; illos percepisse vini poculum, nos calicē salutaris accipere; & si dicisas est, apud illos pertransisse, quod biberant, apud nos vero permanere, quod sumsimus.* Expende illa nimirum, *Hydrias non solum illi conuiuio, sed vniuerso mundo, &c.* quippè quæ de manu diuina factum vinum ministrabant, non solum conuiuatoribus illis sufficiebant, sed & modo, vniuerso mundo ministrant fructum gratiæ. Imò, vt iterū expendo, *Apud illos pertransisse, quod biberant, apud nos permanere, quod sumsimus.* Vt enim illi nil diuinum, sed creatum ibi suspicabantur, sic

Ioan. 5.

Tertull.

Ioan. 2.

D. Amb.

breui exhauserunt, quod bibebant; nos autem, qui non creaturam, sed creatorem gustamus, singulis diebus habemus permanentem, & inexhauribilem fontem gratiarum. Quod enim de Dei manu venit, quotidie in cordibus nostris instauratur, multiplicatur.

§. XVI.

Validissimo quouis vitio exsufflato, reliqua facile depellentur.

PENE Omnibus percussis Gygantibus Chananæorum, aliquos reliquit Iosue in tribus vrbibus: ait enim: *Interfecit Enacin de montanis, &c. Non reliquit vllum de stirpe Enacin in terra filiorũ Israel, absque ciuitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus solis relicti sunt.* Et quando omnes Gygantes extirpabat, cur maluit relinquere eos, qui in ijs tribus vrbibus erant? Cur non potius omnes à se interfectos ostẽdit. Putauit bonus dux, quod multis Gygantum in montana Hebron, & Dabir interfectis, reliqui similiter facile posse interfici crederentur. Quis enim magnum aliquem expugnat, qui non credatur reliquos similes etiam posse tradere neci? Sic prorsus Christianus per id ipsum, quod magnũ aliquod vitium extirpet, facile creditur extirpare posse omnes reliquos. Matth. cap. 8. referens miraculum, quo dominus permisit dæmones ejectos ab hominibus abire in porcos, dicit hos dæmones à duobus fuisse expulsos hominibus, ait enim: *Occurrerunt Iesu duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sæuissimi, &c.* Marcus autem cap. 5. de eodem locutus in vno tantum homine putat fuisse dæmones illos: *Exeunti Iesu de naui statim occurrit de monumentis in Spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. Et neque catenis iam quisquam poterat eum ligare, quoniam sæpe compedibus, & catenis vinctus, dirupisset catenas, &c.* Et quando Matthæus duos fuisse illos sæuissimos dæmoniacos, cur Marcus non meminit nisi vnum? An contrariatur Marcus Matthæo? Absit, sed Marcus eo intentus, vt ostenderet potentiam Christi domini, non multum curauit de numero furiosorum, sed de ferocia incredibili, magnitudine que mali, reputans, quod si semel ostenderet tut Iesus expulisse vnum ferocissimum, facile crederetur posse idem facere in reliquos similes. Ait Victor Antiochen. in Mar. ibi: *Ad ostendendam illius virtutem, qui miraculum patrarat, nihil omnino referebat vnius ne, an duorum, vel etiam plurium mentionem faceret. Qui enim vnum vsque adeò insanum, & immanem sananerat, & duos, & plures etiam similiter affectos, curare poterat.* Quid pulchrius? Sufficiebat, quod diceretur, vel vnus validissimus demoniacus à Iesu sanatus, vt simili modo de pluribus alijs similimis agi posse crederemus. Vbi enim quis immane aliquod vitium à se depellit, speret facile à se, & reliquos similes depellendos. Ioan. 16. aiebat dominus ad suos: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum.* Ac si hostes numerentur, aquibus in mundo premimur, tres communiter à doctoribus numerantur, isque Gygantæo robore clari, nimirum Mundus, Diabolus, & Caro. Cur ergo cum Dominus suos ad victoriam obtinendam confirmat, tantum ponit vnum à se hostem superatum aiens, *confidite, quia ego vici mundum*? Quid si diabolus occurrerit? Quod si caro insultauerit? An non habebimus, vnde confidamus, cum dominus nil dixerit ibi de diabolo, & carne? Absit; vbi enim à se, vel vnum validissimum hostem conculcatum prædicat dominus, in similem triumphum reliquos agendos tradit. Ex quo sapienter D. Leo ser. 2. de Resur. Dom. cap. 4. fatur: *Ibi blandiuntur deceptiones, hic grauescunt labores. Sed adest nobis vtique Christi victoria, qui impletur, quod ait: Nolite timere, quia ego vici mundum. Siue ergo contra ambitionem sæculi, siue contra concupiscentias carnis, siue cõtra hæreticorum insidias dimicemus, dominica cruce semper armamur.* Non te moueat Christiane, quod Iesus à se dicat in cruce solum mundum deuictum; eo enim ipso, quod tam immanem belluam ibi superauit, consequens est, vt etiam à crucis trophæo habeas arma, quibus cæteros omnes hostes valeas superare. Siue caro voluptatibus suis confirmata in arenam prosiliat, siue diabolus veniat serpentinis sibilis armatus, siue hæretici athæi insurgant, omnes facile vinces, ex quo videas per crucem à Iesu mundum superatum. Nunquã enim non vincet omnes reliquos hostes, qui validissimum superare valuit.

Matth. 8

Marc. 5.

Victor. Ant.

Ioan. 16.

D. Leo

(†)

§. XVII.

§. XVII.

Non parua Dei miseratio est, quod infirmas mentes ad gaudia amoris, non ad passionis bella vocet.

DE Iosue triumphis illud natum est, nimirum, *Quieuit terra à prælijs*: quod etiam Iesus verus facit in sua Ecclesia, subtrahens certamina sanguinis, conflictus cum tyrannis, & tormentis, vt infirmiores mentes non cum dolore cõfligant, sed cum amore perueniant ad Deum. Hinc Cant. 3. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani; columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Ierusalem.* Itaque ferculi medium totum charitate impleuit diuinissimus Salomon, & quando lectulum armatis circumstat, qui gladios tenentes & bella, & profusionem sanguinis indicerent accedentibus; in hoc ferculo solam charitatem voluit apparere. Et cur in lectulo armatorũ conspectum, in ferculo caritatem solam posuit? Ait ipse: *Propter filias Ierusalem*, propter infirmas mentes, quæ in sanguinolentis bellis deficeret, vt charitatis ardore saluentur. Ait Sanctus Thomas Archiep. Valen. ser. 1. in Quinquag. *O domine quam pulchrum est ferculum, sed ascensus arduus; quis ascendat per illum? Sed nolite diffidere, nam media charitate constrauit propter filias Ierusalem tenellas, & delicatas: sanguinem, in charitatem, crucem in amorem commutauit. Non exigitur hodie à te Christiane mors, non sanguis, non supplicia, ama, & regna. Quid facilius quam amare? O quam constrata est via, & quam plane, vt diligendo peruenias, quo peruenit Laurentius patiendo!* Scit Deus regni vias suis fidelibus accomodare; vbi nouit fortes, validosque athletas, bella vocat, persecutiones permittit, vt per ferrum, & ignem brauium æternæ vocationis rapiatur. Vbi autem delicatas, teneraſque suorum mentes præuidit, quidquid sanguinolenti belli est, facit cessare, sola permittit amoris certamina; conuertens praua in directa, & aspera in vias planas. Sicque comphanatam, & quietam viam cœlestem reddidit, vt facilius quã mũdo, cœlo nascamur. Aiebat enim Ioan. 3. dominus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnũ Dei.* Renascitur Phœnix ex flammis, nec mirarer, quod ad possessionem regni cœlestis tenendam omnes homines cogerentur similiter ex flammantibus caminis renasci. Sic pueri hebræi, Sic Laurentius, & alij renascebantur; sed pientissimus dominus fortibus relinquens duriora certamina, infirmis & tenellis ea paranit, quibus facilius cœlo, quã sæculo possent renasci. Ex quo D. Zeno lib. 3. cap. 17. ait ad bapt. zãdos: *Iam vos sempiterni fontes calor salutaris inuitat, iam mater nostra adoptat, vt pariat. Sed non ea lege, qua vos matres vestræ pepererunt, quæ & ipsæ partus dolore gementes, & vos plorantes sordidos pannis sordidis alligatos huic mundo dedititios intulerunt. Sed lætabundentes, cœlestis libera peccatis omnibus absolutos, non fœtidis cunis, sed suaue redolentibus sacri altaris fœlicitèr enutrita cancellis.* Equidem pariunt nos mundo matres nostræ sordidos, immundos, plorantes, filios iræ, innumeris obnoxios calamitatibus; at fons viuificus nos cœlo parit mũdos; nullo dolore gementes, sed multa suauitate perfusos. Habes à vulua matris, quod doleas; habes à bynda baptismi, quod gaudeas. A bilis ad panem lachrymarum duceris, in sudore vultus tui panem tuum; ab hac ad panem Angelorũ curris, quo facili negotio longam cœlestis regni viã percurras. Huc trahe dicta tom. 2. de Christ. Fig. lib. 5. cap. vlt. §. 9.

D. Zeno.

Cant. 3.

S. Thom.

Ioan. 3.

CAPVT DECIMVM Quartum.

Distributio terræ per tribus Israel.

Textus Historia.

HEGITVR Occisis per Iosue triginta, & vno regibus Chanaæorum, nouem tribus, & dimidia Israelitarum seperatim sibi habitationem fecerunt, & à bellorum excusi puluere, arearum puluerí foecundo in sederunt. Eripuit enim dominus senem ducem Iosue à tumultu belli, ne in vitæ portu, tempestates mundialium fluctuum sustineret. Insuper virum admonuit de magnitudine terræ, quæ adhuc expugnanda restabat, & quæ tandem in Israelitarum possessionem ventura erat. Quare mandat dominus, vt ante expugnationem ipse Iosue hostilem adhuc terram in partes secet, singu-

gulasque singulis tribubus assignet; auidius nãque, & acrius pro notis sibi adscriptis partibus pugnabunt, cum occasio tulerit. Nec mora; Iosue singularum tribuum terminos distinguit, vt vniuersæ spectarẽt partes suas; vna Leui tribus relicta est sine sorte, quæ reliquarum dono duo, & quadraginta accepit vrbes, in quibus viueret.

PARS MORALIS circa textus literam.

SOPITIS Bellis non infrugifera pax innenitur; manus enim gladio feriata non semel operam nabat stylo; vt nos discamus etiam post bella, pacis succos ad calamum vsque deducere.

Iosue cap. 13. Iosue senex provectæque ætatis erat, & dixit dominus ad eum: Senuisti, & longæuus es, terraque latissima derelicta est, quæ nec dum sorte diuisa est, omnis videlicet Galilæa Philisthiin, &c. Omnium qui habitabant in monte à Libano vsque ad aquas Maserephoth, vniuersique Sidonij. Ego sum, qui delebo eos, à facie filiorum Israel.

§. I.

Dona semper referunt donatoris manum.

OBTINVERAT Iosue à Chananæis tantum terræ, quadtum sufficiẽs erat, ad populi sui, qui tunc erat, mãsionem, & ideò quiescens non curabat alia expugnare, sed quietus, & contentus manebat, vt notabat Abbul. quæst. 8. in cap. 13. Cui sic quiescenti adest dominus aiens: *Terra latissima derelicta est, quæ nec dum sorte diuisa est, omnis videlicet Galilæa Philisthinorum, &c. Ego sum, qui delebo eos, &c.* Et quando Iosue datum fuerat à Deo, quod deleret præcedentes nationes, cur similiter ei non datum est, quod deleret cæteros, qui restabant? Cur vnus Deus sibi assumit potestatem delendi reliquos, eamque eripit Iosue? Deletio eorum, qui restabant, erat superabudans, & maximè excedens indigentiam populi Israelitici tunc præsentis; at deletio præcedentium fuerat, & necessaria, & mensurata indigentiæ populi; ideò Deus illam assumit, quæ superabundans tunc videbatur; & Iosue solam illam permisit, quæ indigentiæ populi mensurabatur, vt vel ipsa dona manum donatoris mõstrarent. Exod. 16. cauebat Moyses de manna colligendo: *Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula capita, iuxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in tabernaculo, sic tolletis, &c.* Expende illud: *Quantum sufficit, &c.* nil illi permittebat, quod supra sufficientiam esset, quod posset superare. At Iesus Dei filius Ioan. 6. sic pauit ingentem multitudinem, vt multum panis superaret, dicebat enim: *Colligite, quæ superauerunt fracmenta, &c.* Et cur in hoc conuiuio christiano prouisa fuit superabundantia; in illo autem mannæ, solum permittebatur, quod indigentiæ esset satis? Ait D. Basil. Sel. orat. 33. *Quia in manna miraculi administer seruus erat, necessitati quoque donum seruiebat.* Sapiebant dona donatorum manum; vbi donator dominus magnificus, & ditissimus est, sic donum ostenditur in superabundantia; at vbi donator est seruus, donũ etiam seruire cogitur necessitati, ne vltra id quod sufficit, extendatur. Nunquã enim dona non referunt donatorem. Hinc Ioan. 6. clamabat Dominus de se ipso: *Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quibus non paruam differentiam assignat inter viuificum Christi panem, & manna; quando manna proficiebat quidem ad temporalem vitam aliqualiter conseruandam, ad mortem tollendam non proficiebat, & minus ad æternitatem tribuendam. Panis autem viuificus Christi, & mortem abigit, & æternitatem concedit. Vnde hoc? Sanè quia donator eius immortalis est natura, & æternus, ne miremur, quod eadem appareant in donis eius. Ait D. Cyril. Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 19. *Magna certe sunt, quæ à magnis aguntur: ideò, quæ à Deo nobis præbẽtur, digna profecto diuinâ magnificẽtia sunt. Si enim credis panem de cœlo descendisse, quod quidem quam maximum est, cur non credis æternam ab eo vitam credentibus immitti? Decet enim æterna esse, quæ ab æterno donantur.* Quid pulchrius? A magno donatore magna prosiliũt, ab æterno æterna; qualis enim fuerit datoris manus, talia erunt dona ab

eà col-

Ab. 18

Exod. 16

Basil. Sel.

Ioan. 6

Cyri. Al.

eà collata. Inde apparens Iesus post resurrectionem suam Ioan. 20. *Ostendit eis manus, & latus. Gavisi sunt ergo discipuli viso domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis.: accipite Spiritum Sanctum.* Ecce tibi apparens discipulis duo facit; in primis ostendit illis manus, & latus; de inde pacem donat eis; & Spiritum Sanctum. Et cur ante dandũ Spiritum Sanctũ facit, vt videant, & probent eius manus, & latus? Forsam putabant tunc discipuli se non videre verum hominẽ, sed aliquod veri hominis phantasma, vt Luc. cap. 24. putabant; ideò Iesus antequam donum vllum porrigeret, hoc curauit, vt certi fierent de veritate carnis in manibus, & latere, vt de veris manibus vera dona expectarent, quæ minime possent esse vera de phantasmate manuum. Hinc Tertull. lib. 3. in Mar. cap. 8. perimit hæreticum putãtem in Iesu non verum esse hominem, sed
Luc. 14. phantasma. Ait enim: *Cum mendaciũ deprehenditur Christo caro, sequitur, vt & omnia, quæ per carnem Christi gesta sunt, congressus, contactus, conuictus, ipsa quoque virtutes mendacio gesta sint: non potest vere actum credi, sine corporis ipsius veritate, nihil solidum ab inani, nihil plenum à vacuo perfici licuit.* Sequantur, necessum est, dona donatoris manum: si manus inanis, & vacua est, quomodo plenum quid, & solidum præstabit? Probetur prius plena virtute, & veritate manus, vt talia dona credãtur. Sapienter enim dixit D. Paulinus in S. Felicis Natali 8.

Humanis opibus sperare salutem,
Nulla salus, nec enim mortem mortalia pellent.

§. II.

Ex super abundantia promissionum maximè confirmantur, rapiunturque humana corda.

SIVE Propter peccata Israelitarum, siue ob alias causas Sidonij non sunt deleti à Deo, vt bene notat Abbul. in præsenti. Cur ergo dominus sciens de facto nõ esse delendos Sidonios maluit tamen delẽdorum illorum promissionẽ Israelitis proponere? Ait enim dominus de omnibus Chananæorum nationibus, & de Sidonijs: *Ego sum, qui delebo eos, &c.* At de facto sine Sidoniorum terra, & Tyriorum, mansuri Israelitæ erant quieti, & cõtenti in sedibus suis. Cur ergo maluit Dominus illis proponere ea, quæ minime præstanda de facto sciebat? Equidem sciens Deus Israelitas timidos, & meticulosos ad conspectum hostium, vt illos confirmaret, & traheret; proposuit illis non solum ea, quæ de facto tenerent, sed & alia plura, & maiora, quæ propter suam culpam non consecuturi erant; ratus validissimum esse medium ad confirmãda, & rapienda humana corda superabundantiam promissionum. Contristatis discipulis de imminenti absentia Iesu ait dominus Ioann. 14. *Si diligeretis me, gauderetis* Ioann. 14
vtique, quia vado ad patrem, quia pater maior me est. Et quidem conducibilius videretur, si suam cum patre æqualitatem firmaret, dicens, quia patri coæqualis, & consubstantialis sum. Cur dissimulata æqualitate cum patre, patris maioritatẽ expromere maluit, aiens, quia pater maior me est? Nonne ad firmandos discipulos magis conduceret, si se ostenderet patri æqualem? Discipuli affecti ad humanitatem Iesu, quam oculis percipiebant, in illa putabãt habere, quidquid illis erat necessarium, & de eius absentia tristabantur. Ideò bonus medicus volens illos in illa tristitia, & metu consolari, ad eorum sensum locutus egit nõ de eo, quod illis sufficisset in humanitate, sed de superabundanti virtute deitatis, ostendens in patre esse quid maius omni cogitatu creato; sciebat enim humana corda maximè de-
superabundanti cõfirmari. Ait Isidor. Pel. *Isid. Pel.*
lib. 3. epist. 334. *Illud maius, quod ad filij extenuatione profertis, ex comparatione dictum, est, nõ autem ex incomparabili præstantia. Nec enim doctrinæ, sed consolationis dum taxat causa, hoc ad Apostolos, qui tanquam confestim perituri meiu confecti, ac pene extincti erant, dictum est. Quo nimirum bono animo essent, tanquam ipse ad eum, quem illi maiorem existimabant, proficisceretur.* Sic dominus vbi non doctrinam, sed consolationem, & confirmationem meticulosis præstabat, non contentus est proponere illis, quod sibi sufficiens crederent, sed ad quid maius, & superabundans confugit, locutus ad eorum cõparationem sensuum. Nunquam enim sic confirmantur humanæ mentes, quam vbi quid superabundantissimũ spectant. Hinc
Matth. 26. Petro volenti percutere minis- *Matt. 26*
stros Iudæorum comprehendentes Iesum obuiauit dominus aiens: *An putas, quia nõ possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? &c.* Sufficisset quidem, vel minimæ virtutis Angelus ad perdendos omnes illos Iudæos, & liberandos Apostolos cum magistro suo; cur ergo dominus proponebat

bat illis non vnum, aut duos Angelos, sed plusquam duodecim legiones? Ad quid tot legiones, quando vel vnus sufficiebat? Agebat dominus cum meticulosis Apostolis, ad quos confirmandos ad superabundantiam confugit, quæ maximè firmat humana corda. Ait Isidor. Pel. lib. 3. epist. 334. *Quid tanto numero opus erat, cum vnus dumtaxat, Ezechia regnum tenente, centum octoginta quinque hominum millia necasset, ac Persicam potentiam concidisset? Verum, vt dixi, ad ipsorum timiditatem, & opinionem locutus est.* Vbi timidas, & infirmitas mentis humanæ curatur, recurrendum est ad superabundantiam, vt proponantur illi plura quam necessaria.

Isid. Pel.

§. III.

Præsentia Dei nunquam fere non in spirituale bonum cedit peccatoribus.

NOTANTER De Sidonijs putat Orig. dictum à domino, *Ego sum, qui delebo eos, &c.* Quippè ait ille hom. 16. in præsenti; *Cum plurimas gentes numerasset Iesus, de solis Sidonijs dixit; Et omnes Sidonios ego exterminabo, &c.* Quod si aduertas ad scripturam sacram plurimis alijs Chananæorum gentibus perditis, & funditus extirpatis Sidonios inuenies perseueraſſe integros, & incolumes vsque ad Christi domini tempora. Quando ergo è multis Chananæis perditis Sidonij incolumes futuri erant; cur Deus sibi magis attribuit eorum perditionem? Cur magis voluit ostendere per suam præsentissimam manum delendos eos, qui nunquam de facto erant delendi? Sanè eo ipso, quod dicebat dominus Sidonios delendos esse persuam præsentissimam manum, clare ostendebat non ibi intelligendam esse deletionem materialem communem cum cæteris, sed aliam deletionem mysticam, quæ deletis eorum erroribus ad bonum spirituale pertineret. Vbi enim Deus per se adest, nulla solet intelligi perditio, quæ in bonũ spirituale non cedat. Quo refero illud Matth. 15. vbi ait: *Egressus inde Iesus secessit in partes Tyri, & Sydonis. Et ecce mulier Chananæa egressa de finibus illis clamauit dicens ei: Miserere mei domine, &c.* Ecce tibi, vt Dei filius ad infensissimos sibi Sydoniorum populos accedit, & inter eos agit, nec vllũ eorum delet. Vbi est ergo illa in Sydonios cõminatio, qua dicebat, Ego sum, qui delebo eos? Quæ est ista deletio Sydoniorum? Sanè ex quo Deus ad Sydonios accedit, inuenta est mulier, quæ totum Chananæorum errorem abigit, & ad verum Deum tendit fideque, & religione vincit Iudæos. Sic vbi intelligitur aduenies per se dominus, solet perditio peccatorum fieri. Quo respiciens D. Chrysost. hom. 53. in Matth. ait: *Cum enim audieris Chananæam; non poteris non meminisse iniquissimarum illarum gentiũ, apud quas etiam leges ipsius naturæ funditus euersæ fuerant; quod cum memoria repetieris, virtutem quoque aduentus Christi diligentius cogita. Qui enim electi sunt, ne Iudæos peruerterẽt, hi adeò ipsis Iudæis meliores fuerunt, vt terminis suis relictis, ad Christum accederent.* Proh deletionem peractam à dextera excelsi! Vide homo quid faciat Deus per se peccatori accedens; sic in eo omnia mala facit deleri, vt ad puritatẽ vitæ perueniat. Vbi Iesus calcauit Sidoniorum terminos, statim visa est mulier, quæ Sidoniorum, & Chananæorum errores exuens, ad clarissimum fidei lumen accedat. Talis est Deus cum ijs, ad quos etiam iratus accedit. Vt dicat Iob cap. 5. *Beatus homo, qui corripitur à Deo: increpationem ergo domini non reprobes. Quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* Vbi enim percussura accedat manus eius, magis instillabit salutem, & medelam. Quo spectans Dydimus in cat. Græca ait: *Arguit Deus, & flagellis arguit, non vt perimat, sed vt eum, qui corrigitur, seruet.* Licet Deus castigaturus peccatori accedat, dum tamen per se accedat, sic illũ vitijs destruit, vt virtuti seruet. Quo trahenda sunt dicta 1. tom. in Euang. lib. 1. cap. 2. §. 1. & 2. tom. lib. 11. cap. 7. §. 14. & alibi.

Matt. 15

Chrysost.

Iob, 5.

Iosue cap. 13. Et nunc diuide terram in possessionem nouem tribubus, & dimidiæ tribui Manasse, cum qua Ruben, & Gad possederunt terram, quam tradidit eis Moyses famulus domini transfluenta Iordanis ad Orientalem plagam. Ab Aroer, &c. percussitque eos Moyses, atque deleuit. Nolueruntque dispergere filij Israel Gessuri, & Machari: & habitauerunt in medio Israel vsque in præsentem diem.

Tribui

Tribui autē Leui non dedit possessionem, sed sacrificia, & victimæ domini Dei Israel, ipsa est hę reditas eius, &c.

§. IIII.

Maximè deitatis ostēditur virtus in superabundantia donorum.

IOSVE Mandat dominus, vt terram totam Chanaan diuidat statim nouentribubus, & dimidiæ; ait enim: *Nunc diuide terram in possessionem nouem tribubus, & dimidiæ, &c.* At iam supra §. 1. vidimus ex Abbulensi, vt Israelitæ contenti erant regionibus expugnatis, nec egebant latiori tunc terra, in qua degerent præsentes. Cur ergo Deus voluit adeò maturare diuisionē totius terræ Chananæorū, & assignare tribubus Israelis latissimas eius partes, quibus, pro tunc saltem, minime egebant? Nō equidem attendebat Deus populi necessitatem, sed suæ ostensionem diuinitatis, quę tunc maximè apparet, cum supra necessitatem sua dona concedit. Non absimile fecit dominus Matth. 14. in saturatione quinque millium hominum, dicit namque textus: *Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus aspiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit discipulis suis panes: discipuli autem turbis. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fracmentorum plenos, &c.* Quinque panes in tantam fracmentorum copiam multiplicauit, vt sufficerent satiandis quinque hominum millibus, & præterea duodecim pane pleni superarent cophini. Et cur necessum fuit, quod tot cophini pleni panibus superarent? Hominum turba minime egebant reliquijs illis fracmētorum; cur ergo Deus supra illorum indigentiam fecit illa superabundare? Ait Victor Anthiochen. in cap. 6. Marci; *Quin tantam reliquiarum vim facere visum fuit; nimirum, quo publice hinc constaret tantam rerum abundantiam magis prouenisse ad ostendendam facientis virtutem, quam ad explendum præsentis populi necessitatem. Moyses quondam manna Israelitis suppeditabat, verum id tantum ad necessarium vitæ vsum. Sic Elias viduæ farinam, & oleum multiplicauit, verum tantisper hoc solum, dū pluuia terram irrigaturæ descenderent. Quo ergo discrimen inter hos, & illum appareat, magnam residuorum copiam residuam fecit.* Expende illa: *Ad ostendendam facientis virtutem*; quippè in eo diuini productoris virtus ostenditur, quod supra indigentiam cō cedat dona sua. Creaturæ enim non operantur, nisi iuxta exigentiam naturæ. Sola Dei beneficentissima manus vltra indigentiæ metas se extendit, adeò vt à superabundantia donorum notissima fiat diuina virtus. Hinc explicata tot hominum saturatione, & residuorum fracmentorum collectione, statim Matth. subdit cap. 14. *Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum transfretū, donec dimitteret turbas.* Et cur post saturatos populos à se dimittit discipulos, & cogit eos intrare nauim, & sine magistro tranare fluctus? Cur non magis illos apud se retinet, eosque informat virtutis suæ ostensæ in miraculo? Ioan. 13. postquam eorum pedes lauit, aduocata concione ad discipulos ait: *Scitis, quod fecerim vobis?* & multis mysteria ibi latentia explicat. Cur modo post saturatum populum, non etiam vocat ad se discipulos, eosque docet facti miraculi virtutem? Cur placuit illos à se abigere, vt sine magistro inter fluctus irent? Habebant discipuli secum superabundantes illas panum reliquias; à quibus sanè possent edisci, quidquid in Iesu erat virtutis diuinæ; superabundantia enim doni vocalissima est, vt imbuat homines diuinorum mysteriorum notitia. Ait Euthym. ibi: *Compulit illos in nauigium conscendere, & præcedere in vlteriorem partem, vt secum habentes fracmentorum cophinos, per otium absente illo, curiosè fracmenta scisciterentur, ac confirmarentur.* Expende pulchra illa nimirum: *Fracmenta scisciterentur, &c.* quippè vt quis confirmari posset in fide diuinitatis, hunc notissimum magistrum habet, à quo virtutem eius valeat sciscitari; nimirum donorū superabundantiam. Dum supra exigentiam, & indigentiam naturæ præoculis habeas donum aliquod; ne tibi deficere putes magistrum diuinitatis explicandæ; ab illo sciscitare, illud vocalissimum est, & lulentissimum, vt te faciat incognitionem venire diuinitatis.

Matt. 14

Vic. Ant.

Matt. 14

Ioan. 13

§. V.

Quod à Iesu est, omnibus prodesse amat.

ANTE Iordanem prouisa fuerunt loca duobus tribubus & dimidię, nunc autem

autem nouen reliquis & dimidiæ locus datur, dicit enim. *Et nunc diuide terram in possessionem nouem tribubus & dimidiæ, &c.* Et cur similiter cum duæ illæ tribus cum dimidia susceperunt locum ante Iordanem, nō diuisa est terra cæteris nouen reliquis? Vel cur & modo non datur terra expugnata vni, aut duabus tribus, quibus sufficeret, relictis alijs, vt sibi locum compararēt vlterius, vt factum est ante Iordanem? Quæ ante Iordanem erant, disponebātur à Moyse; quæ modo fiebant; à Iosue disponebantur in typo diuinissimi nostri Iesu; cuius est dona sua sic præstare, vt non vni, aut alteri, sed omnibus sint salutaria. Hinc Luc. 5. *Et factum est, cum esset Iesus in vna ciuitatum. & ecce vir plenus lepra, & videns Iesum, & procidens in faciem rogauit eum dicens, domine si vis, potes me mundare. Et extendens manum tetigit eū dicens, Volo, mundare.* Quis credat ab Euangelista fuisse ignoratam ciuitatem, in qua Iesus fecit istud miraculū? Sciebat equidē Lucas ciuitatis nomen proprium, cur ergo illud dissimulauit? Cur noluit exprimere, quæ fuisset ciuitas illa spectatrix, & susceptrix miraculi? Ait D. Amb. lib. 5. in Luc. *Bene, vbi leprosus mundatur, certus non exprimitur locus, vt ostenda tur non vnum populum specialis alicuius ciuitatis, sed omnium populos fuisse sanatos.* Ne sanitas a Iesu procedens crederetur in vno illo leproso stagnata; non exprimitur ciuitas, in qua peracta est, sed incertus proponitur locus, vt magis credatur Iesu operatio omnia loca, & omnes populos peruadere. Non equidem is est Iesus, cuius virtus in vno occupetur, sed magis amat omnibus esse salutaris. Quo spectans illa fermēti parabola apud Lucam, cap. 13. *Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermēto, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.* Expende illud: *Donec fermentaretur totum*; non enim amat hoc fermentum partem aliquam fermentare; sed expectat, donec omnes fermentari possint. Et quis in hoc fermento intelligitur, adeò communis omnibus? Ait Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 201. *Cœlorum regnum fermento comparatum est, hoc est, domini, ac saluatoris nostri incarnationi, quæ vniuersum terrarum orbem conspersit; & vnius corporis ex nostra substantia, atque à Dei genitrice Maria sumpti coagmentationi, quæ homines omnes qui ab orbe condito extiterunt, ad nouum ortum renouauit.* Sic quidquid diuinissimi Iesu est, non in vno, aut alio stagnatur, sed ad omnes procedit. Sic Matth. 14. *Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus aspiciens in cœlum, benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. Et mā ducauerunt omnes, & saturati sunt.* Ecce tibi panis in Iesu manu, ad omnes suffecit, & ab omnibus manducatur. Sed qui panis est hic, qui sic omnibus sine diminutione porrigebatur? Ait D. Amb. lib. 6. in Lucam: *Hic panis, quem frangit Iesus, mystice quidem Dei Verbum est, & sermo de Christo: qui cum diuiditur, augetur, de paucis enim sermonibus, omnibus populis redundantem alimoniam ministrauit.* Et quidem nil Iesu adeò paruum est, quod non amet omnibus communicari, & ad omnes implendos valeat. Vide infra lib. 8. cap. 3. §. 8.

Luc. 5. D. Amb. Luc. 13. Isid. Pel. Matt. 14 D. Amb.

§. VI.

Non paruæ virtutis est, quod habens homo est Deo sufficientia, nihil ab alio velit.

NON Otiose notat textus de Israelitis, quod Gessuri, & Machari terram non eripuerint, ait enim: *Noluerunt que filij Israel disperdere Gessuri, & Machari, &c.* Cum facile possent horum populos expugnare, cāposque sibi asserere dilatātes suæ ditionis terminos, cur prorsus ab hoc abstinuerunt? Ait Abbul. quæst. 11. quod Machari, & Gessuri non pertinebāt ad terram designatam à Deo Israelitis, licet contermini, & vicini essent. Prisci autem illi Hebræi tantæ virtutis erant, vt cōtenti terrā à Deo sibi datā, nec minimum ab alijs acquirere vellent. Et si in vicinio esset terra Gessuri, & Machari, & facile capi posset, ab illa abstinuerunt, vt quæ sibi à Deo data non erat, diuinis donis, & muneribus contenti. Ioan. 6. paucis panibus satiauit dominus ingentem hominum multitudinem, & post illius saturationem: *dixit discipulis suis: Colligite, quæ superauerūt fracmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos, &c.* Discipuli iussu magistri sui colligunt fracmenta panum, quæ superauerunt, & relinquebantur à conuiuis. Sed cur conuiuæ relinquebant fracmenta illa; cur non magis seruabant ea, vt abundarent in posterum? Cum de manu Dei sufficientia accepissent, hoc de Iesu vicinio habebant, vt minime manum porrigerent ad cætera. Vnde illos cō-

Ioan. 6.

mendat

Vict. Ant. mendat Victor Antioch. in cap. 8. Marci ait: *Hactenus tantum beneficioris munere vsi sunt conuiuæ, quatenus necessitas postulabat. Nam & si magna reliquiarum vis superfuisset, nihil tamen inde secum asportarunt. Admonemur autem hoc exemplo per commode, nihil vnquam, grauiori necessitate seclusa propter habendi studium, subducendum.* Boni viri dum à Deo data sibi sufficientissima experti fuerant; nec manum tendunt, vt aliquid vlterius accipiant. Non afficiebantur habendi studio, sed contenti diuinis donis, vbi hæc sibi sufficere videbant, cætera contemnebant. Mulier illa Samaritana charissimam habebat Iacobæi fontis aquam; ex qua Iacob, & filij eius, & pecora biberant.

Ioan. 4. At accedens Iesus dicit ei Ioan. 4. *Omnis, qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autẽ biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Hæc dicebat Iesus; cui statim mulier: *Domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam, nec veniam huc haurire.* Dominus solum dixerat de aqua sua, quod tolleret sitim, at non dixit, quod tolleret voluntatẽ eundi ad alios fontes. Solet autem in hominibus accidere, quod nulla in eis sit sitis, nulla indigentia, & nilominus non cessent aliud, atque aliud requirere, propter habẽdi plura studium. Sed dominus in aqua sua sitis abolitionem promisit, de studio plura habẽdi nihil dixit. Mulier vero & istud spondet dicens; *Nec veniam huc haurire*; & quando Deus nihil dicebat de voluntate eundi ad hauriendam aquam ex fonte Iacob, neque vetabat accedere illo; cur mulier maluit statim proponere voluntatem suam, quod si semel sentiat à Iesu aqua extinctam sitim suam, non amplius ibit ad Iacobi puteum? Præstantissima fœmina iam de spiritu Iesu hoc ructabat, quod habens de manu Dei, quo indigentiæ suæ prouideret, & sibi sufficientia acquiret, cætera omnia contemneret acquirere. Ex quo ait

Theop. Theophilact. in præsenti: *Videtur hæc fœmina esse prudentior Nicodemo. Nã ille quidẽ eũ multa audiuisset talia, dicebat, quomodo possunt hæc fieri? Ista autem incipit contemnere etiam fontem Iacob. Nam dicit, si talem aquã habes, da mihi, vt non vltra veniã huc, ad hauriendum.* Proh fœmina prudẽtissima supra sapiẽtes viros! Vnum enim spectabat, vt à Deo donum acciperet, quo indigentiã non sentiret, semel autem indigentia sublata, sufficientibusque vndis acquisitis, vel Iacobi puteũ cõtemnit, nec ex corã positis fontibus vltra poculũ accipiet. Veniant huc mundiales homines; qui superabũdantissimis bonis à Deo acceptis, adhuc alijs vnde quaq; acquirẽdis inhiant; & discãt ab hac fœmina, vt quiescãt indigẽtia sublata, & minime alia vltra sufficientia requirant, contenti solis illis, quę à Deo acceperũt. Act. 3. Petrus dicebat pauperi claudo eleemosinã petenti: *Aurũ, & argentũ non est mihi, quod autẽ habeo, hoc tibi do, In nomine Iesu Nazareni surge, & ambula.* Donũ sanitatis fatetur se habere, sed negat se habere aurũ. Et quando tantũ donũ habebat, quod posset sanitatẽ claudis præstare; cur etiã nõ habet vel aliquid auri? Donũ illud à Iesu acceperat, aurũ nõ acceperat, & bonus contentus diuinis donis, alia contẽnebat, & à se ablegabat. Ait D. Amb. lib. 7. in Luc. *Itaq; non habeo, quod nõ dedit Iesus, sed quod dedit, habeo. In nomine Iesu surge, & ambula.* Sic bonus vltra id, quod à Iesu accepit, nihil aliud habere gloriabatur.

Act. 3.

D. Amb.

§. VII.

Ministris Dei indecorum est, quod terram sapiant.

VT Leuitæ diuino erant mynisterio dicati, sic textus cauit aliquid illis terrenũ designare, ait enim: *Tribui autẽ Leuinõ dedit possessionẽ, sed sacrificia, & victimæ Domini Dei Israel ipsa est hæreditas eorũ.* Sacrificia, & victimę ex terrenis fructibus cõstabant, quos securares viri domino offerebãt, vel pro tollẽdis peccatis, vel pro salute impetrãda. Cur ergo nõ dixit Leuitas debere sustẽtari siue agnis, siue vitulis, siue frugibus oblatis ad sacrificia; sed maluit dicere sustẽtari illos ipsis sacrificijs, & victimis? Nihil à terra acceptũ voluit nominare ad Leuitarũ sustẽtationẽ; quorum erat sic Deo vacare, vt nihil terrenũ, nihil nõ sacrũ, & diuinũ saperẽt. Sic Paul. 1. ad Cor. 9. *Nescitis, quoniã qui in sacrario operãtur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiũt, cũ altari participãt?* Ecce tibi, vt Dei ministri de sacrario, & de altari dicũtur participare ad sustẽtationẽ vitæ. Clarius dixisset illos sustẽtari debere, de rebus oblatis à sæcularibus in sacrificia; sed placuit dicere de altari, & sacrario cauens offendere Dei mynistros, si viderẽtur quid terrenum sapuisse. Pulchrè ibi Theophilactus ait:

1. Ad Cor. 9.

Theop. *Nõ dixit autẽ, ex afferẽtibus edunt, sed ex sacro, ne accipiẽtes pudefiãt, vt qui ab hominibus alantur.* Magna equidẽ ignominia, & verecũdia debet esse ministro Dei, quod terrenis inhiet, quod videatur, vel ad terrenorũ manus aspicere. Quidquid terrenũ est, expuat, qui deputatur in miniterium Christi. Luc. 4. ingressus Iesus domũ Petri videns socrũ eius febricitantem, *imperauit febri, &*

dimiſit illam. Et continuo ſurgens miniſtrabat illis. Expende illud, *ſurgens*; debebat enim
D. Amb. humi deiectis valedicere, quæ miniſtratura erat Chriſto Dei filio. Exquo D. Amb. lib. de viduis ait: *Surges illico, qui in terris iaces, vt Chriſto miniſtres. Noſtra enim conuerſatio in cœlis eſt, vnde & ſaluatorẽ expectamus dominum Ieſum.* Cœleſtia aſpiret, cœleſtia ſapiat, non terrena, qui dicatur miniſterio domini Chriſti. Eo enim promouet Ieſus miniſtros ſuos, vt nullam terrenam conſolationem percipiant. Matth. 14. compulit Ieſus diſcipulos ſuos aſcendere in nauicu-
Matt. 14 lã; aſcenderunt igitur illi, & nauigabant, Ieſus autẽ manebat in terra. Quid tũc? *Veſpere autem facto, ſolus erat ibi; nauicula autem iactabatur fluctibus in medio mari. Erat enim contrarius ventus.* Ecce tibi manens ipſe in
Matth. 8 terra diſcipulos tempeſtati commiſit. Non ſic Matth. 8. vbi dicitur de Ieſu; *Aſcendente eo in nauiculam ſecuti ſunt eũ diſcipuli eius, & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat.* Et hic, & illic tempeſtati cõmittit diſcipulos ſuos, at hic ipſe erat intra ipſam nauiculã, & licet dormiens tamen reſpiciebatur à diſcipulis. Verũ illic à nauicula abeſt nec ſe conſpiciendũ præbet. Quando ergo in prima tempeſtate conſpiciendũ ſe præbebat Apoſtolis in naui, cur modo ſe eorũ oculis ſubſtrahit? Volebat in ſuis diſcipulis omnem carnalem, terreum ve affectum purificare, ne afficerẽtur ad ea, quæ oculis cernuntur; ſed omnem conſolationem, quę à corporali conſpectu venit, vt terrenam excluderent. Quo ſpectans Euthym. ait: *Nunc rurſus diſcipuli fluctuant, & periclitantur, ſicut prius. Verum tunc quidem, cum eſſent imperfectiores, aderat & ipſe adconſolationẽ, quanquam dormiebat: nunc vero cum iam profeciſſent, aberat, vt nuſquam conſolationẽ habentes efficiantur fortiores.* Hęc eſt fortitudo diſcipulorum Chriſti, & miniſtrorum eius, vt nulla afficiantur terrena conſolatione, quæ ſenſibus percipitur; adeò, vt vel ipſa Chriſti terrena ſubſtantia ſe illis ſubſtraheret in periculis, vt aſſueſcerent ſine terrena conſolatione viuere, & inde maiorem firmitatem acquirerent.

Ioſue cap. 13. Dedit ergo Moyſes poſſeſſionem tribui filiorum Ruben iuxta cognationes ſuas. Fuitque terminus eorũ ab Aroer &c. vniuerſaque regna Sehon Regis Amorræi, qui regnauit in Heſebon, quẽ percuſſit Móyſes cũ principibus Madian, Heuæũ, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe duces Sehon habitatores terræ. Et Balaan filium Beor ariolũ occiderunt filij Iſrael gladio cũ cęteris interfectis. Factuſq; eſt terminus filiorum Ruben Iordanis fluuius. Hæc eſt poſſeſſio Rubeni tarum, &c.

§. VIII.

Luxuriæ pœnas ægre effugient, qui ſunt in eo crimine.

DVM Rubenitarum poſſeſſio recenſetur, ſimul ponitur Madianitarum ſtrages, & Ballaami occiſio, cum dicit: *Quem percuſſit Moyſes cum principibus Madian: Et Balaam filium Beor, &c.* Et quidem de Madianitarũ terra nihil pertinuit ad Iſraelitas, nec ad Rubenitas, cur ergo neceſſum fuit commemorari Madianitarũ ruinam, in ſuper, & Balaami ruinam in cenſu poſſeſſionis Rubeniticæ? In aliarum tribuum poſſeſſione numeratur ruina populorum illorum, in quorum terræ poſſeſſionem venerant illæ tribus, aut erant venturæ. Quando ergo de Madianitarum regione nihil Ruben cæpit; nec habuit vnquam aliquis Iſraelita, cur cum Rubenitarũ poſſeſſione mixta eſt commemoratio ruinæ Madian, & Balaami arioli? Fuerant Rubẽ, & Madianitæ, & Balaan in eodem crimine laſciuiæ: ſic enim Rubenum mulctabat pater Gen. 49. *Non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius:* Madianitæ propter filias proſtitutas conſilio Balaami pœnas dederũt Num. 31. Merito ergo qui in eodem laſciuiæ crimine fuerũt, & in pœna laſciuię inuenti ſunt, cõiunguntur, vt pateat, clarius, quam ægre effugiant laſciuiæ pœnas, qui ſunt in eius crimine. De Madianitarum interfectione dicebat dictũ caput. 31. Numer. *Cũque pugnaſſent cõtra Madianitas, atq; vinciſſent, omnes mares occiderũt, & reges eorũ: Balaã quoq; filiũ Beor interfecerũt.* Nec parua queſtio eſt, quomodo in hac pugna interfici potuerit Balaã, cũ cõſtet illũ à Madianitis iã receſſiſſe. Dixit enim Num. 24. *Surrexitque Balaã, & reuerſus eſt in locum ſuũ.* Si ergo certũ eſt, quod abierat Balaam, quomodo interfectus eſt cum Madianitis? Ait Abbul. quæſt. 14. in

Gen. 49.

Num. 31.

in cap. 13. Iosue: *Cum pugnarent Israelitæ contra Madian, inierunt quoque ad locum vbi habitabat Balaam, & occiderunt eum sicut Madianitas, ad idē enim facinus lasciuiæ vtrique pertinebant.* Quamuis abijsset malus, tamen pertinuit ad Dei prouidentiam, ne disiungeretur in supplicio ab eis, cum quibus fuerat in meditamento lasciuiæ. Raro enim qui in hoc conueniunt crimine, non
Mar. 6. etiam conueniunt in supplicio. Mar. 6. dicit: *Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui.* Expende, vt idem sit nomen in duobus libidinum mancipijs; vocantur enim ille, & illa, Herodes, & Herodias. Quid inde? Pulchrè in rem præsen-
D. Fulg. tem ait D. Fulgent. ser. 7. *Miranda res, si rectè discutias grauitatem prophetæ, luxuriam muliebrem, & Herodis sæuissimam feritatem. Dicite mihi, qui habetis cum Ioanne Baptista, Herodes, & Herodias, quos ad consortium adduxit nominum impuritas criminum? An timetis, qui vobis vocabulis coniungimini, in luxuria forsitam separemini? Estote certissimi, qui sicut vno consensu caditis in luxuriam, ita vno nomine suscipietis sententiam.* Expende ab illis: *Estote certissimi, &c.* certissima quippè est eadem pœna lasciuiæ illis, qui in eodem conuenerunt crimine, adeò, vt sub nomine rei vnius, censeantur & cæteri omnes similes vocari in suppliciū. Exod.
Exod. 32 32. in adorativituli reos exardescens Moyses iubebat Leuitis. *Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum*; & peracto supplicio dicebat: *Consecrastis manus vestras hodie vnusquisque in filio, & infratre suo.* Quibus clare ostenditur nulla fœminarum pœnas dedisse, cum multæ ado-
Num. 25 rassent vitulum. Sed Num. 25. Phinees, *arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem.* Et Leuitæ, & Phinees eodem religionis zelo, & Dei spiritu agitati in peccatores exurgūt; & cum vtriusque sexus peccatores inuenirentur; Leuitæ nullam fœminam percutiunt, sed tantum viros; Phinees autem parcit nulli, sed & virum, & fœminam occidit. Et quando Leuitæ parcunt fœminis, cur Phinees nullā fœminæ indulgentiam tribuit? Leuitæ castigabant idololatriā nudā, Phinees simul & impudentem lasciuiā,
D. Amb. quo in crimine qui simul sunt, simul in pœnam solent venire. Ex quo D. Amb. lib. ad Virg. lapsam, cap. 9. monet corruptorem virginis ijs verbis: *Nec tibi de multitudine peccantium similium blandiaris, & dicas; Nō solus hoc ego egi, multos habeo socios: sed reco-*

gita, quia multitudo sotiorum non facit impunitatem criminum: Nā Sodoma, & Gomorrha in totis quinque ciuitatibus innumerabiles vtique habitabant populi, & omnes pariter, qui libidinosè corpora sua tractabant, igneis imbribus conflagrati sunt. Minime iubat lasciuis peccātium multitudo; vt enim multi sunt in lasciuię crimine, sic etiā multi inueniuntur in pœna, & supplicio.

§. IX.

Proprium est Iesu filij Dei non labentia, sed æterna magis nobis parare.

EXPENDE Terminum bonorū assignatorum à Moyse Rubenitis, nimirū ait: *Factusque est terminus filiorum Ruben Iordanis fluuius.* Et merito fluuius ponitur terminus eis, qui munerantur à Moyse; vt videant eius in fluctibus, quàm fluxa, & labētia sint omnia, quæ possunt nobis dare creaturæ. Solus enim Iesus Dei filius est, qui non labentia, sed æterna, & permanentia suis ministrat. Apoc. 4. post thronū ag-
Apoc. 4. ni positum dicit. *Et in conspectu sedis tanquā mare vitreum simile chrystallo.* Non flumen labile, sed mare in chrystallum duratū ibi monstratur. Quod notans Victorinus ait: *Ante thronum tanquam mare vitreum simile chrystallo; donum baptismi per filium suum effudit. Cum autem dicit mare vitreum, aquā mundam, stabilem, non vento agitatam, non in procliuo defluentem, sed tamquam donum Dei immobile traditū ostenditur.* Expende illud: *Tanquam donū Dei immobile*; quippè, quod à Deo solet venire ex se immobile, & permanens est. Sic Ioan. 6. *Operamini non cibū,*
Ioan. 6. *qui perit, sed qui permanet in vitā æternā, quē filius hominis dabit vobis; hunc enim Pater signauit Deus.* Filius hominis dicitur à Patre Deo signatus; & quod signū patris Dei est in filio hominis? Iā dicebat: *Operamini cibū, qui nō perit; sed qui permanet in vitā æternā, quē filius hominis dabit vobis.* In eo enim, quod Iesus dat cibū nō pereuntē, sed permanētē, ostendit in se clarissimū signū Patris Dei. Ait D. Hilar. lib. 8. de Trinit. *Quis est,*
D. Hil. *quē signauit Deus? Filius vtique hominis, escam scilicet præbens vitæ æternæ.* Vt signum creaturæ est, quod ab illa non nisi fluxa, & labentia veniant; sic signum clarissimum patris Dei est, quod donētur nobis permanētia, & æterna. Proh miser homo, qui sub creaturis es, peruenies ad terminū beneficiorū ab illis veniētiū, & omnia instar flu-

minis labi, effluereque videbis. Quā aliter euenit ijs, qui Ieſum filium Dei ſpectant, à quo & ſolida recipiunt, & permanentia.

Paul. Dicebat Paul. ad Roman. de Filio Dei: *Semen Abrahæ apprehendit.* Et cur tantus

D. Irin. ſibi Abrahamides aduniuit? Ait D. Irinæ. lib. 4. cap. 27. *Sed neque Abrahæ amiciciam propter indigentiam aſſumpſit Dei Verbū exiſtens ab initio perfectus; antequam Abrahan eſſet, ego ſum, inquit: ſed vt ipſi Abrahæ donaret æternam vitam exiſtens bonus, quoniam amicicia Dei immortalitatis eſt condonatrix ijs, qui aggrediuntur eam.* Vna equidem Dei amicicia æternitatis, immortalitatiſque fructus affert; adquam nos Dei Verbum trahit. Verum extra tanti donatoris ianuam nihil eſt, quod non elabatur. Quod facile patet in illo filio prodigo Luc. 15. qui ac-

Luc. 15. cepta ſubſtantia profectus eſt, & abijt in regionem longinquam; *Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere.* Quæ verba tra-

D. Amb. ctans D. Amb. lib. 7. in Luc. ait: *Etenim qui recedit à verbo Dei eſurit, quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei. Qui recedit à fonte, ſitit; qui recedit a theſauro, eget. Merito ergo iſte egere capit, qui theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, diuitiarumque cœleſtium altitudinem dereliquit. Semper famem patitur ſui, qui alimentis perpetuis neſcit impleri.* Dum de manu Verbi Dei, de manu Ieſu non accipis alimenta perpetua, neceſſum eſt, vt in egeſtatem miſeram deuenias. Labentia ſunt, quæcumque habes ſine Filio Dei, & fluctibus illis tandem areſces. Quare miſer es, niſi te perpetuis bonis impleri de manu Ieſu aſſueſcas. Vnde aiebat ipſe

Ioan. 14. Ioan. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Quæ

D. Leo. verba ſic expendit D. Leo ſer. 18. de Paſſ. cap. 3. *Via ſcilicet eſt in forma conuerſationis iuſtæ, veritas in expectatione rei certæ, vita in perceptione felicitatis æternæ.* Sic per Ieſum habes & certa, & æterna. Vt dicat etiam

Ioan. 14. Ioan. 14. *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Et quomodo mundus dat? Mundus dat defectibiliter, nihil enim ſtabile dare nouit; Ieſus enim ſolus æterna, & ſtabilia præſtare ſolet. Quo

D. Chryſ. ſpectans D. Chryſoſt. hom. aduerſus Gentiles ait: *Pacem meam do vobis, non ſicut mundus dat pacem; hominum enim pax, ſtatim diſſoluitur, & varias habet viciſſitudines: verum quæ à Chriſto datur, ſtabilis eſt, imò firma, ſolida, immortalis, ſine carens, licet millia bellorum vndequaque ingruant, & quotidie millia inſidiarum parentur.* Sic quæ à Ieſu veniunt in nobis manent firma. Is eſt enim Ieſus, qui labentia omnia faſtidiat. Hinc regulo petenti ſanitatem filiæ ſeuerus reſpondet Ioan. 4. *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.* Quaſi indignans, quod ſigna diuina amarent. Sed cur non magis æſtimat, quod ad Dei ſigna currant? Ait

Ioan. 4. D. Aug. lib. 4. de Conſenſ. cap. 10. *Vſque adeo ſuper omnia mutabilia voluit mentem credētium attollere, vt nec ipſa miracula, quæ quamuis diuinitus de mutabilitate corporum fiunt, à fidelibus quari velit.* Sic faſtidiebat labentia, & mutabilia.

D. Aug.

Ioſue cap. 13. Deditque Moyſes tribui Gad, & filijs eius per cognationes poſſeſsionem, cuius hæc diuiſio eſt. Terminus Iaſer, & omnes ciuitates Galaad, &c. huiuſquoque finis Iordanis eſt vſque ad extremam partem maris Cenereth, &c. Dedit & dimidiæ tribui Manaſſe, &c. Tribui autem Leui non dedit poſſeſsionē, quoniam dominus Deus Iſrael, ipſe eſt poſſeſsio eius, vt locutus eſt illi.

§. X.

Nihil permanens, nihil non fluxum in terra,

NON Otioſe poſitū eſt illud: *Huiuſquoque finis Iordanis eſt*: ſed quaſi inſinuans nihil nō inueniendū eſſe intra mundi huius fines labens, & fluxum. Labentia flumina ſunt, quæcumque bona affluunt in mūdo; ad ſolos cęlorū fines ſpectant manentia, & ſtabilia. Quo ſpectans Ioan. 14. dominus: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Ecce tibi vbi manſiones eſſe dicit, nimirū in domo patris diuini, in hac autem mundi valle, nihil manens inuenitur, ſed omnia perpetuo ſunt præterlabētia curſu. Vt dicat Iſid. Pel. lib. 1. epiſt.

Ioan. 14. *Iſid. Pel.* 65. *Illic enim vere manſio eſt. Nā præſens vita tentoriū vile eſt; quod ſimul, atque cōpactū, ac firmū eſt, eodem temporis puncto ſoluitur:* Ocu los cōijce in latiſsimas mūdi poſſeſsiones, transfer earum terminos, quantumcumque potueris longe; nihil tandem non labens, inuenies ibi, nihil non rapidiſsimo curſu fluens. Dum in Thabor Ieſus fulgenti aſpectu canduit, dixit Petrus Matth. 17. *Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis faciamus*

Matt. 17

hic

Mar. 9. *hic tria tabernacula, &c.* De quo addit Mar. cap. 9. *Non enim sciebat, quid diceret.* Et cur nesciebat, quid diceret? Volebat in hac mundi valle cõstitutus permanentibus bonis frui, quod sanè non est huius terræ, sed solum pertinet admansiones diuinas. Sic Christianus Druthmarus ibi: *Quia viderat ad punctum delectabilia Petrus, volebat ibi semper immorari, ne ad terram descenderet, vbi pro certo cognouerat eum crucifigendum. Nesciebat, quod diceret, & fuerat oblitus sanctis promissum à Domino in cœlis regnum, non in terra; neque posse quemquam mortali circũdatũ carne, immortalitate frui, nisi prius morte gustata.* Equidem prius tibi exeundum de mundo est, quam aliquid obtineas perpetuum, & indefectibile. Ignorantia est, quod in hac mundi plaga, aliquid credas posse tibi firmum, & stabile venire. Cœlestis regionis propria est firmitudo, in hac valle præter labentia, & fluxa omnia sunt. Et adeò fluxa sunt mũdialia omnia, vt vix appareat vnius diei tota duratio mundi.

Gen. 2. Dicit enim Gen. 2. *Hic dies generationis cœli, & terræ, cum facta sunt, qua die fecit Deus cœlum & terram, & omne viride agri.* Quæ verba sic posita ponderans D. Amb. lib. 7. in Lucam 3 pulchrè addubitat, quare vnà die dicantur producta omnia bona mundi; cum paulò antea septem integri dies ostendantur consumpti in rerum conditione? Pro cui us solutione ait: *Cum enim supra septem descripsisset dies, postea vno die omnia facta esse complexus est, totum mundi tempus ostendens in conspectu domini tanquam diem vnum: eo quod ex incompositis, atque tenebrosis forma istius mundi operis claritate processerit. Ergo si dies totum est tempus mundi, habet vtique in sæculis horas suas, aut ipsa sæcula horæ sunt.* Quid labentius? Bonorum mundialium sæcula hora sunt; & tota mundi duratio vix vnum diem implet. Crede mihi nil durabile, nil non fluxum, & rapidissime fluxum inuenies in mundo: euolandum ad cœlum est illi, qui amat habere bonorum firmitudinem.

D. Amb.

§. XI.

In Iesu asseclis non diuisio, sed vnitas.

PARTITVRVS Tribum Manasse, vt dimidia maneret ante Iordanem notanter Moyses, non Iesus introducitur; dicit enim textus: *Deditque Moyses tribui Gad, &c. Et dedit dimidiæ tribui Manasse, &c.* Et merito à Moyse, non à Iesu tribus Manasse diuiditur ad possessionẽ; Iesus enim in suis non diuisionem, sed vnitatem diligit. Hinc Matth. 24. ait: *Vbicumque fuerit corpus, congregabuntur, & aquilæ.* Et quod illud corpus est, ad quod aquilæ sic congregantur, sic vniuntur? In communibus enim pabulis potius inuenio, & aquilas, & vniuersos passeres inter se pugnare, rostrisque, & vngulis aliam aduersus aliam insurgere, eo quod quæuis sibi integrum pabulum velit præripere. Quale ergo corpus est, quod similes pugnas se dat in alitibus? Crediderim esse corpus Iesu, cuius est amare vnitatem, & inseparabilitatem in suis. Ex quo D. Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corinth. ait: *Velimus inuicem vnitatem seruare, ad hoc enim nos inducit sacrificium istud formidandum, & admirabile, quod iubet nobis, vt cum concordia, & charitate maxima ad te accedamus, & aquilæ in hac vita facti, ad ipsum cœlum euolemus, vel potius supra cœlũ. Vbi enim cadauer, illic & aquilæ. Cadauer domini corpus propter mortem, &c.* Proh diuinissimi Iesu præstantiam! Pabulum suis parat, de suo corpore mensam facit, sed quę minime diuidat fratres, quin potius omnes vnanimes, & concordes faciat appropinquare. Mundiales pascuæ nesciunt non lites, & diuisiones, & discordias inter propinquissimos parere. Iesu autem mensa nõ nisi vnanimes, & concordes capit. Cum Iesus recumberet in Bethania in domo Simonis leprosi, nondum mensa sublata dicit Matth. cap. 26. *Tunc abyt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes ad principes Sacerdotum & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Et mirabar, quod qui vnus de duodecim ad mensam Iesu fuerat, in tantum maliciæ barathrum ceciderit. Et quando vnus erat de duodecim, vnde in tantum malum venit? Erat vnus numero, non affectu, non animo; & ideò à mensa Iesu excluditur, vt qui vnitatem nõ haberet cum cõdiscipulis. D. Hier. in cap. 14. Marci: *Vnus numero, non vnus merito: vnus nomine, non vnus numine, vnus corpore non vnus animo abyt ad principes, &c.* Non miror, quod qui vnitatem non habebat, qui vnus animo non erat, excluderetur à mẽsa Iesu, & iret ad sæculi principes, apud quos & discordiæ, & pugnæ pro nummo habendo crescunt in dies. In solo enim Iesu prævalet vnitas. Ioan. 5. agens de piscina Bethsaida ait: *Qui prior descendisset in piscinam post motionẽ aquæ sanabatur, &c.* Quod meditatus D. Aug. in Psalm. 102. ait: *Pis-*

Matt. 24.

Matt. 26.

D. Hier.

Ioan. 5.

cina curabat descendente vno, & hoc piscina turbata. Turbatio piscinæ in passione domini; veniens enim, & ignotus factus, turbauit aquã id est turbauit populum, & in tota illa perturbatione aquæ vnus sanabatur, quia in passione domini vnitas sanatur. Sic ibi.

§. XII.

Plus rapitur homo morum, quàm sanguinis cognatione.

MIRABAR, Quod dimidia tribus Manasse vellet scindi ab altera dimidia, vt esset cum Rubenitis, & Gaditis vltra Iordanem, dicit enim: *Dedit & dimidiæ tribui Manasse, &c.* Et cur dimidia tribus Manasse voluit à suis diuidi, vt maneret cum Rubenitis, & Gaditis? Putat Abbul. hanc dimidiam tribum Manasse fuisse maximè affinem Rubenitis, & Gaditis in pecore pascendo, & ideò cum illis maluisse manere in eo loco, qui videbatur pecori vtilior. Sic communiter fert natura, vt magis coniungat homines morum, munerumque communio, quam sanguinis communio. Matth. 26. dum cænat dominus in Bethania apud Simonem leprosum cum discipulis suis, accedit Maria Magdalena afferens alabastrum vnguenti, quod effundit super caput Iesu. *Tunc abyt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes Sacerdotum, & ait illis, &c.* Ecce tibi Maria, & Iudas: illa venit ad Iesum, hic abijt ad Sacerdotum principes: illa coronæ discipulorum iuncta vnguentum effundit in Iesum, hic iunctus cum Sacerdotibus agit de perdendo Iesu. Sed vnde hoc, quod Maria veniat ad Apostolos, & Iudas vadat ad principes? Puchrè ait D. Hieron. in cap. 14. D. Marci: *Abyt Iudas ad principes postquam exyt. Hic nox nocti indicat scientiam, vnumquodque animal ad sibi simile iungitur. Maria currit ad Apostolos, vt dies diei eructet verbum; & Iudas ad Iudæos, vt nox nocti indicet scientiam.* Sic quisque ad suis moribus similes currit, cum eisque arctissimè copulatur. Non requirit parentes, nec sanguine iunctos, qui habet moribus, & instituto propinquos. Hinc Iesus Ioan. 19. matri desolatæ prouidens illi adoptat Ioannem, de quo dicit Mariæ: *Ecce filius tuus:* deinde discipulo, *Ecce mater tua.* Sed qualiter fieri posset, quod Maria vnigenitum filiũ suum amittens, iret libens ad filiũ adoptiuum? Erat adoptiuus iste eiusdem virginei propositi cum Maria; & ideò eligitur, vt in quo propter morum similitudinẽ aliquomodo falleret Maria desiderium vnici filij. Quippè ait Arnoldus Carnot. tract. in hæc verba: *Probato, dilectoque discipulo pudor virgineus assignatur, vt testis esset idoneus virgo virgini. Vices filij naturalis, filius accepit adoptiuus, & transfunditur in ministrum filialis affectus, formaturque, & firmatur in ambobus pietatis vnicæ gratus, concorsque complexus non ex traduce naturæ, sed ex munere gratiæ. Vnum igitur contubernium Ioannis, & Mariæ virginitas accipit, & vnius moris in domo, vnum integritatis propositum, vnam habitationem meretur, communemque conuictũ.* Quid pulchrius? Abeũt in vnum affectum, in vnum cor Ioannes, & Maria, nec à se inuicem diuiduntur: vnde illis tanta concordia, tanta vnanimitas? An ex sanguine cognatione? Minime, ait enim Arnoldus; *Non ex traduce naturæ, sed ex munere gratiæ*; virtutum munera, morumque conformitas in duobus tenebat animum vnum; quod minime faceret natura. De illa enim dicebat Dan. 2. *Miscebuntur semine humano, non adhærebunt sibi, sicut ferrum misceri non potest testæ.* Non sic facit tradux naturæ vnanimos, & indiuisos, vt morum, munerumque similitudo.

Matt. 26

D. Hier.

Dan. 2.

§. XIII.

Non parum accrescit diligentia virtutis ex consortio similium.

CVM Rubenitis, & Gaditis dimidia tribus Manasse accipit pascualem campum de manu Moysi ante Iordanẽ; ait enim: *Dedit & dimidiæ tribui Manasse, &c.* Sed & in regionibus post Iordanẽ erãt loca pascualia multa, saltem quæ sufficerẽt pro pascendis pecoribus dimidiæ illius tribus Manasse. Cur ergo hæc dimidia tribus non magis amauit pascualia loca post Iordanem posita, in quibus posset esse indiuisa, & inseparata à suis? Cur maluit à suis diuidi, & cum Rubenitis, & Gaditis manere? Plane vt hæc dimidia tribus diligens erat in pascendis pecoribus, sic magis amauit esse inter illos, qui florebant diligentia simili; sciens virtutum diligentiam mirum in modum crescere ex consortio similium. Hinc Ioan. cap. 19. dum Iesus prouidebat filium matri, dicit ostendens Ioannem

Mulier

Mulier ecce filius tuus; deinde discipulo, Ecce mater tua. Et cur non magis Petrum, quam Ioannem dedit in tutelam & obsequium matris? Erat in Maria, & Ioane propositum virginitatis, quod ex consortio alterius in altero illustrabatur. Ait enim Petrus Da-
Dan. 1. mian. ser. 1. de Ioan. Euang. *Recte ergo virgo virgini ad obsequium traditur, & pro domino seruus vice filij subrogatur, vt virginalis pudicitiæ splendor ex vtraque persona sibimet inuicem congruat, & floridus intimi candoris aspectus, quod in se virere considerat, hoc vernare & in altero deprehendat.* Crescunt maxime in affectu virtutis, qui se mutuo considerãt in operibus eius fulgere. Cur enim non exurgat in cumulum castitãs, siue misericordia, siue modestia videntis in socio has omnes nouis fulgoribus enitescere? Ad
Pphil. 2. Philipp. 2. dicebat Paulus: *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum.* De Philippensium virtutibus non quodlibet gaudium, sed gaudij plenitudinem sperat, dum ait: *Implete gaudium meum.* Et cur non gaudiũ, sed gaudij plenitudinem petit? Præmiserat inter virtutes numeratas illud: *Si qua societas Spiritus*; in quibus autem eiusdem spiritus, eiusdem affectus erat societas, non poterant non eorum virtutes in cumulum excrescere. Adeòque in illis fundantur, & radicantur, vt diuinam originem acquirere videantur. Pro quo ait
D. Paul. D. Paul. 1. ad Corinth. 1. *Qui & confirmauit vos vsque in finem sine crimine in die aduentus domini nostri Iesu Christi. Fidelis Deus; per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi, &c.* Præmiserat Apostolus magnum illud promissum, quod nimirũ Chorinthij, sic erant in virtutibus confirmandi, vt sine vllo crimine in gratia adoptionis filiorũ Dei permanerent. Et vnde probat tantum promissum posse in Corinthijs stare? Ais pro illius ratione, & probatione: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius*; quippè vt fidelis Deus sine dubio promissum implebit, & vt illud impleat, vocauit vos *in societatem filij eius, &c.* Qui enim spiritu adoptionis agebantur, eo deducti, vt socij fiant filij Dei naturalis, statim habent emolumentum societatis, vt ipsi crescant, & permaneant in cœlesti illa natiuitate. Ait ibi
D. Amb. D. Amb. *Hoc nobis donet, vt quia credimus Christum filium Dei esse, hoc nos esse incipiamus mansuri in eadem dignitate, sicut manet Christus, quem credimus filium Dei. Societas enim fraternitatis est, &c.* Itaque ex societate Christi hoc habebant, vt videntes fidei oculi Christum esse filium Dei, & in filij Dei operibus exercitari; similiter in illis similis filiorũ spiritus excitaretur, adeò, vt sicut Iesus filius permanet, & illi filij sine vllo crimine perseuerarẽt. Crescit enim in te & firmatur virtus, & præstantia, quã vides in socio; nunquam enim, quod inte bonum est, de sociorum simili bono non augetur, & cumulatur. Habuerat Laban secum Iacob, cuius ad ingressum cæperant crescere diuitiæ eius; cum autem Iacob à biret à Laban, putans hic sibi idola erepta, cucurrit post Iacob, & ait textus Gen. 31. *Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & vtriusque famulæ, nõ inuenit.* Quod ponderans D. Amb. lib. 2. de Iacob, cap. 5. ait: *Quanta virtus, cui societas lucrum dabat, non irrogabat dispendium? Hoc est perfectum esse, adhærentibus sibi commodi plurimũ dare, nihil afferre incommodi.* Hoc infert societas bonorum, vt adhærentes sibi, in similitudine affectus magnũ percipiant augmentum commodorum.
Gen. 31.
D. Amb.

§. XIIII.

Qui diuinis accedunt, terrena expuant.

LEVITIS Nulla datur possessio terræ, dicente textu: *Tribui autem Leui non dedit possessionem, &c.* Cuius enim erat diuinis seruire ministerijs, terrena omnia à se ablegare debebat. Exuat terram, necessum est, qui diuinis obsequitur. Ioan. 19. Iesus agens in cruce matrem Ioanni commẽdauit, ait enim textus: *Deinde discipulo, ecce mater tua.* Et cur Ioanni tantum depositum credidit? Ait D. Amb. in Exort. ad Virg. *Matrem dominus de cruce discipulo suo dilectissimo tradidit, Sancto Ioanni, qui dixit patri, & matri suæ: Nescio vos. Denique vocatus à Christo, reliquit patrem, verbum secutus. Huic traditur Virgo, qui suos nesciat; huic traditur virgo, qui fratres suos non cognouit, & filios suos non sciuit. Ideoque benedixit eum lex: Date Leui viros eius, date Leui sortes eius. Vnde & matrem domini ipse suscepit.* Nõ ãtea deputatur Ioannes ministerio Mariæ Dei matris, quam probetur Leuitarum conditionem habuisse, dum terrenis omnibus se voluit exuere. Dum Leuita fit, terrenorum curam abijciens, omnibusque renuntians, diuinæ matris ministerio addicitur. Mar. 10. cæcus quidam clamans in via ad Iesum filium Dauid, tandem vocatur à
Ioan. 19.
D. Amb.

Chriſto. *Qui proiecto veſtimento ſuo exiliens venit ad eum.* Vt veniat ad Ieſum, prius proijcit à ſe veſtimentum, iam ex vocantis halitu ſciens, quam debeat terrena omnia exuere, qui amat miniſtrare diuinis. Aiebat ibi Victor Anthioch. *Quod cæcus hic fidelis collato beneficio dignus fuerit, id primo quidem patet ex ardenti eius inuocatione; mox vero ex eo, quod à Domino vocatus, cum omni alacritate exiliens ad illum accurreret: veſtemque qua indutus erat, quo ad curſum expeditior eſſet, abiecerit; tantum non veterem hominem ſeſe exuere, totumque ſe Chriſto dedere ſymbolo hoc teſtatum faciens.* Bonus cæcus vocatus à Chriſto, hoc prius curauit, vt veterem hominem exueret, vt terrena omnia cum veſte abijceret, ſeſe ita aptans miniſtrando Chriſto. Mihi crede non debite diuinorum myniſterio accedit, qui non prius terrenis renuntiat. Matth. 24. dicebat: *Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Cur ſolas aquilas meminit ad Ieſu corpus congregandas? Ait D. Chryſoſt. hom. 24. in 1. ad Corinth. *Aquilas autem appellat, vt oſtendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere eſſe commune, neque ad inferiora trahi & repere, ſed ad ſuperiora ſemper volare, & inſolem iuſtitiæ intueri, mentiſque oculũ acutiſſimum habere.* Ad alta tendat, renuntiet terrenis, neceſſum eſt, qui velit diuinis attendere. Sic Abrahamo dictum fuit, vt patriam cognationem deſereret, & peregrinus in mundo, nihil poſsidens fieret. Quod & ipſe perfecit, dicit nãque Gen. 12. *Egreſſus eſt itaque Abraham, ſicut præceperat ei dominus, &c.* De quo ait D. Irinæus lib. 4. cap. 11. *Iuſte igitur derelinquens terrenam cognationem omnem, ſequebatur verbum Dei, cum Verbo peregrinans, vt cum Verbo moraretur.* Vt poſſet cum diuino Verbo commorari Abrahamus, hoc merito in primis fecit, vt renuntiaret cognationi terrenæ, vt nihil in mundo terræ poſsideret. Dicebat Dominus Luc. 20. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* De quo D. Amb. lib. 9. in Lucam ait: *Bene prius, quæ Cæſaris ſunt reddenda decernit. Neque enim poteſt quis eſſe domini, niſi prius renuntiauerit mundo.* Prius quis quæcumque mũdi in ſe habet, mundo cedat, vt ſic poſsit miniſtrare Deo. Hinc Abrahamo manum in filium extendenti Gen. 22. ait D. Zeno lib. 2. ſer. 5. *O pater Spiritum captans, corpus vero mortemque contemnens!* Quo enim terrena contemnebat; eò citius ſpiritualia, & diuina captabat.

Vict. An. Matt. 24 Chryſoſt. Gen. 12. D. Irin. Luc. 20. D. Amb. Gen. 22.

§. XV.

Dupplicandus eſt virtutis conatus, vbi maius periculum timetur.

BIS In hoc eodẽ capite repetitur, quod Leuitæ poſſeſsiones terræ non haberent; namque ſupra verſ. 14. ait: *Tribui autem Leui non dedit poſſeſsionem*: & modo verſ. 33. eiuſdem capitis eadem repetit dicens: *Tribui autem Leui non dedit poſſeſsionem.* Et quando contentus eſt ſemel dixiſſe, quod cum cæteris tribubus factum eſt, cur ſemel & bis repetit, quod non dederit tribui Leui? Hoc erat ualde detrimẽtoſum Leuitis, ſi terrenis poſſeſsionibus nouaſſent operam; ideò multis cauet textus, vt debuerint eſſe à terrenis immunes, ſemper enim duplicandus eſt conatus aduerſuſea, quę poſſent minari periculum. Dicebat Ieſus Petro apud Ioannem, cap. 13. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Fatetur Ieſus de Petro eſſe mundum totum, & indigere adhuc, quod pedes lauet. Si propterea, quod totus mũdus eſt, non indiget, quod lauet manus, nec caput, cur indiget, quod lauet pedes? Nonne & in eo, quod totus mũdus eſt, etiam pedes ſunt ei mundi, & loti? Cur ergo præcipue pedes etiam ſi mundi intelligantur, adhuc indigent lauacro? Ait D. Amb. lib. 3. de Sacram. cap. 1. *Quia Adam ſupplantatus à diabolo eſt: & venenum ei effuſum eſt circa pedes, ideo lauas pedes, vt in ea parte, in qua inſidiatus eſt ſerpens, maius ſubſidium ſanctificationis accedet, quo poſtea te ſupplantare non poſsit.* Et ſi loti, & mundi ſint pedes, nouis ſemper debent exponi lauacris, vt pote qui magis de veneno, & inſidijs ſerpẽtis participant. Nunquam enim non addendus nouus virtutis conatus circa ea, quæ magis de periculis habent. Sic iuſti homines quæ ſemel lachrymis, & confeſsione peccata diluerant, iterum, & iterum illa trahunt in examen, iterum illa confitentur, nouiſque rigant lachrymis. Maius enim ſubſidium adhibendum eſt ijs, quæ maius periculum habent. Ioan. 20. apparens Ieſus diſcipulis ait: *Pax vobis*; & poſtpauca, cum diſcipuli gauderent in eius conſpectu: *Dicit iterum diſcipulis: Pax vobis.* Non contentus eſt dicere ſemel: *Pax vobis*; ſed iterum eamdem repetit vocem; eamdemque pacem diſcipulis indicit. Et cur eamdem repetit, niſi quia

Ioan. 13. D. Amb. Ioan. 20.

videbat

videbat discordiæ imminere periculum? Equidem non semel, sed & bis, & ter replicandum subsidium est, vbi maius apparet periculum. Chrysol. ser. 84. *Quid repetita pacis largitas ista manifestat, nisi quia quietē, quam sensibus indixerat singulorum, vult inter eos etiā repetita pacis donatione seruari, quos vtique non modica habituros esse de sua cunctatione certamina, dum vnus se in fide perstitisse iactaret, alter maereret.* Præuidebat Iesus in discipulis pericula imminentia discordiarū, ideò semel, & bis repetit ad illos donum pacis, vt doceat, quam duplicādus sit semper conatus virtutū in ijs, quę maiorem speciem periculi habent.

Chrysost.

CAPVT DEZIMVM Quintum. Calebo datur Hebron.

Textus Historia.

ACCESSIT Ergo in primis tribus Iuda, vt de Iosue manu acciperet locum possessionis; quem dum designat Iosue, cantatissimus ille exploratorum Caleb filius Iephone sibi Hebronis situm assignari deposcit. Is ergo, ait, sum, ò bone dux, qui quadragenarius ab Israeliticis castris Hebron veni exploraturus Chananæorum regiones; & cū de multis alijs exploratoribus me vnū habuisses & fidei, & alacritatis pro religione socium; & prolixam vitam, & præcipue lustratæ Hebronis situm de oraculo Dei, mihi acclamauit Moyses. Quod attinet ad vitam, ecce octogenarius viuo adeò validus, vt nihil in me diminutum sentiam virilis roboris. Qui me robustum nouerunt inuenem; & modo noscunt transenem, sed in eodem iuuentis robore. Cuius virtute impellor, vt petam assignatam mihi Hebronis possessionem, quam à validissimis, insuetę que magnitudinis incolis ereptā, mihi colligam. Annuit Iosue præstanti viro, & sortio; & ex tunc antiqua illa ciuitas Cariath Arbe, modo dicta Hebrō seruatur adscripta Calebi nepotibus.

MORALIS IN textus literam.

ANTE Nouem tribuum numeratas possessiones, exprimitur Calebi possessio, vt sciamus, quam præueniant cæteris in præmio, qui pro Deo, & virtute stare nouerint.

Iosue cap. 14. Sicut præceperat dominus Moysi, ita fecerunt filij Israel, & diuiserunt terram. Accesserunt itaque filij Iuda ad Iosue in Galgala, locutusque est ad eum Caleb filius Iephone Cenezeus: Nosti, quid locutus sit dominus ad Moysem hominem Dei de me, & de te in Cades barne. Quadraginta annorū eram, quādo me misit Moyses famulus domini de Cades Barne, vt considerarem terram, nuntiauique ei, quod mihi verum videbatur. Fratres autem mei, qui ascenderunt mecum dissoluerunt cor populi, &c.

§. I.

Cœlestia bona ea sunt, quæ nesciant diuidi, sed plena, & integra veniunt singulis.

HOC Commune est omnibus terrenis hominibus, quod dicitur factum ab Israelitis, nimirum, quod, *diuiserunt terram*; terrena enim omnia petunt diuidi, & in partes secari, vt sic possint ad suos asseclas peruenire; & sic per frequentes diuisiones, tandem euanescunt in plurimis. Nō sic cœlestia bona, quæ à multis integra habita, adhuc cæteris etiam manent integra, & perfecta sine imminutione, & diuisione vlla. Actor. 1. cum Apostoli suspensi starent post Christi domini in cœlos ascensionem; apparuerunt duo Angeli, qui dixerunt illis: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hinc Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in cœlum.* Assumebatur equidem Iesus in cœlum; sed non eum Apostoli perdebant; quin potius, vt assumebatur, sic

Actor. 1.

ſic integer, & plenus dicebatur reddendus. Quid pe ait: *Sic veniet, &c.* Et cur ſic veniet? Nam quæ ad cœlos bona ſpectant, nõ minuuntur, ſed in eadem integritate, & pleni
D. Aug. tudine alijs veniunt. Vt dicat D. Aug. ſer. 178. de Temp. *Sic veniet, inquiunt, manifeſtus, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum, quemadmodum nunc extollitur ſuper aſtra præclarus, & poliſecreta ſuſcipiunt, quẽ refundant.* Expende illa: *Suſcipiunt, quem refundant*; non enim cœli ſuſcipiunt, quem diuidant, quem ſibi, vel in parte retineant, ſed quem integre, & plene alijs refundant. Ea enim ſunt bona cœleſtia, quæ minui neſciant, ſed integra, & plena refundantur ſiugulis. Paulus 2. ad Cor. 3. aiebat de Moyſe: *Ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur, & c.* Habuit equidem aliquando in facie ſplendorem gloriæ, quæ & minutionem, & euacuationẽ patiebatur. At de eodem dicebat Lucas, cap. 9. vbi eos commemorat, qui Ieſum in Tabor comitabantur: *Erant autem Moyſes & Elias viſi in maieſtate.* Orig. legit: *Viſi in gloria.* Ecce tibi in primo gloria aderat Moyſi in parte ſecundum ſolam faciem, in ſecundo autem non in parte, ſed in toto aderat, vt nihil eſſet in Moyſe, quod nõ gloria coruſcaret. Et quãdo in primo ſolum aderat gloria ex parte, cur in ſecundo ex toto affuit? Erat in primo imago gloriæ temporalis, & euacuandæ, quæ diuiſionem patitur, & partita ſæpius euanet. In ſecundo autem erat Ieſu gloria, quæ cum plenitudine ſuos afficit, vt ex integro pleni, & glorioſi videãtur. Quo reſpiciens Orig. hom. 11. in Exod. aiebat: *Nil ergo in lege glorioſum habet Moyſes niſi ſolam faciem. In Euangelijs autem totus glorificatur ex integro. Ecce apparuerunt, inquit, Moyſes, & Elias in gloria colloquentes cum Ieſu. Hic non refertur, quod glorificatus eſt vultus eius, ſed quia totus apparuit in gloria, colloquens cum Ieſu.* Vbi ad Ieſu gloriam venit, non ex parte, ſed ex toto & integro manet glorificatus. De gloria enim temporali partem ſolum accipit, qua fulgeat ex parte ſecundum ſolam faciem; de Ieſu autem gloria, non ſecundum partem; ſed omni gloriæ immergitur, & totus in gloriam abit.
Matt. 17 Hinc Matth. 17. de Ieſu in Tabor transfigurato dicit: *Reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autẽ eius facta ſunt alba ſicut nix.* Dubitabat ibi Abbul. an claritas hæc eſſet, glorioſa illa claritas, quæ per Ieſum datur omnibus glorioſis corporibus, & quæ intra beatam Ieſu animam continebatur? Et negat claritatem hanc proprie dotem gloriæ fuiſſe, quia ſecundum partem, non ſecundum totum dabatur. Eſt enim propriũ cœleſtis gloriæ non ex parte, ſed ex toto, & integro communicari. Quo ſpectans D. Cyprian. ſer. de Reſur. ait: *Mirati ſumus in* D. Cyp. *transfiguratione, quæ facta eſt in monte præſentibus Apoſtolis Petro, & Iacobo, & Ioanne, quando ſicut Sol reſplenduit facies ſaluatoris, & veſtimenta eius candorem omnium exuperantia Apoſtolorum euetauere conſpectum: Sed momentaneus ille decor imaginem, non ſpeciem: ſimilitudinem, non ſubſtantiam, partem non plenitudinem transformationis mirifice explicauit.* Expende illa duo: *Similitudinem, non ſubſtantiam, partem non plenitudinem*; vbi enim ſolum pars datur, non plenitudo; ibi ſimilitudo tantum eſt, & imago, non vera cœleſtis gloriæ ſubſtantia. Vide dicta ſupra lib. 6. cap. 7. §. 20.

§. II.

A Ieſu ſpiritu potius ſpiritualia in ipſis carnalibus, & terrenis donis ſpectantur.

NON Otioſe cauet textus diuiſionẽ illam dicere factam à Ieſu, ſed â filijs Iſraelis factam, aiens: *Ita fecerunt filij Iſrael & diuiſerunt terram.* Et cur, filios Iſrael meminit in hac diuiſione, & non potius Ieſum Naue? Dicebat, quod *diuiſerunt terram*, quod nihil ſupra terram ibi diuidebatur, & ideò merito cauit ibi Ieſum nominare, de veri namque Ieſu ſpiritu venit, quod vel in terrenis donis magis ſpiritualia attendantur. Ioan. 2. primum miraculum exprimitur, quo Ieſus ſuam gloriam manifeſtauit; iuſsit enim hydrias ſex lapideas aqua impleri, quam in vinum ſuauiſſimum tranſmutauit. Ait enim text. *Vt autem* Ioan. 2 *guſtauit Architriclinus aquam vinum factã, &c.* Quæ verba ponderans Chryſol. ſer. 157. ſtatim ait: *Fœlices nuptiæ, fœlices illæ, quibus Chriſtus præſens eſt, quæ non luxui, ſed virtutibus conſecrantur. Quid ibi non tranſiuit ingratiam, vbi aqua âtranſiuit in vinum?* Sapienter enim argumentatur, ex eo quod à manibus Ieſu aqua in vinum tranſit, potius credens vitioſa omnia ibi etiam conuerſa eſſe in gratiam. Nũquam enim in donis Ieſu terrenis non magis debent ſpiritualia ſpectari. Diuiniſsimi Ieſu ſpiritus is

eſt

est, qui minime hæreat terrenis, sed magis spiritualia spectet. Cum de amico Lazaro defuncto, imò & sepulto interrogaret; ait
Ioan. 11. Ioan. 11. *Dicunt ei; Domine veni, & vide, Et lachrymatus est Iesus.* Ecce tibi, vt defuncto amico lachrymas donabat Iesus; sed tanti domini erat lachrymari in morte temporali, & corporali amici? Cur non magis filius Dei cauet videri lachrymis prosecutus defunctum hominem? Deflebat quidem Lazarum defunctū, sed magis in Lazaro deflebat mortem hominis spiritualem, qua Adamus à Dei gratia dilapsus terræ fossuris
D. Zeno. fuit traditus. Ait ibi D. Zeno: *Flebat Deus, & cum Lazarum potestate sua fretus mortis de vinculo reuocaret, præstabat pietatis officiū solatio lachrymarum. Flebat Deus, quod eos, quibus omnia donauerat, & in potestate redegerat, paradisi etiam floribus, & lilys, sine vllo labore præposuerat, diabolus docendo peccatū de omnibus fecit extorres. Flebat Deus, quod eos, quos fecerat innocentes, diabolus per maliciam suam fecit inueniri nocentes.* Sic in tanto lachrymarum suarum beneficio, non tā corporalem amici mortem, quam spiritualem generis nequitiam spectabat dominus. Id enim in primis Iesu cordi est, quod pertinet ad æterna, & spiritualia; non quod pertinet ad hanc terrenam substantiam, siue bonum, siue malū. Similiter Ioan. 11.
Ioan. 11. excitaturus Lazarum accessit; & ait textus. *Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, &c.* Alios mortuos excitarat Iesus, & infirmos curarat, & cæcos illuminarat, & non dicitur gratias externe egisse Patri. Cur ergo modo illas agit? Ait ibi textus: *Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eū.* Cōiunctum erat cum temporali resurrectione Lazari bonum spirituale multorum, qui fidē Iesu fuerunt amplexati; ideò in hoc præcipue exurgit Iesus in actionem gratiarum externam, vt ostendat, quanto plus gaudet spiritualia donare, quam corporalia. Ait
Orig. Orig. ibi: *Crediderunt maxime ij, qui venerant, vt tanquam obmortuum, & comploratū, eam, quæ casum fratris doleret, consolarentur. Quorum causa fortasse magis, quam eius, cui hæc euenerant, cum ad spelunca mortui venisset, oculis sursum erectis dixit: Patris gratias ago tibi, &c.* Quippè non sic pertinebat ad Iesum de corporalibus beneficijs, quam de spiritualibus à se præstitis gaudere.

§. III.

In negotijs mundialibus nulla solida, & certa veritas.

PRVDENTISSIMVS Homo Caleb memorans facinus suum, quo post exploratam terram promissionis inter aliorum exploratorum murmura, ipse solus cum Iosue pro bonitate terræ stetisset, caute ait *Nuntiauique ei, quod mihi verū videbatur.* Cur non magis ait, Nuntiaui, quod verum erat? Cauit merito vir sapiens in rebus mundialibus, negotijsque temporalibus, circa quæ, decem alij exploratores mentiebantur tanta, certo asserere verū esse aliquid, & ideò ait, nunciatum à se nō quod verum in se esset, sed quod verū sibi videbatur. Plane in ijs rebus, & negotijs mundialibus multum desipit, qui solidam, & certam putat esse veritatem. Ioan. 18. cum Pilatus coram se haberet mundi magistrum Iesum, in eiusque ore audire voluit verbum veritatis, quasi ad rem ignotā stupefactus ait? *Quid est veritas.* Ecce tibi, qui præsidebat omnibus forensibus negotijs, qui iura hominum, causasque bonorum temporalium tractabat; post muneris exercitij non paruum tempus ignorat veritatis vocabulum. Et vnde in iudice, & præside tanta ignorantia? Crediderim, quod ex rebus ipsis mūdialibus, & negotijs, quæ nullam solidæ, & certæ veritatis notitiam possunt ingenerare. Ait D. Hier. epist. ad Fi-
D. Hier. lias Geruntij: *Certe Euangelistæ adeò iustum fuisse Pilatum commemorant, vt innocentem mallet absoluere, quam punire, & tamen veritatem, quasi discere cupiat, inquirit. Quid ergo dicemus? Inanes sine dubio mortalium curas, & vniformem mundialium rerum prodidit falsitatem; ibique iudicia vera non esse, vbi sint mentita negotia, seque in rebus carentibus veritate, carere vero iudicio iudicat.* Quid pulchrius? Præses ille iustitiā videbatur amare, & pro iusto stare; & tamen vel nomen ignorat veritatis, quo ostendebat clare mū dialium omnium vniformem falsitatem; quando enim talia sunt omnia mundialia negotia, vt mendacijs scateant, mendacissimosque tractatores patiantur, quis adeò desipiat, vt putet interea solidam, certam ve attingi veritatem. Nequeunt sanè solida veritas, & negotia mundialia simul commorari. Hinc Matth. 21. *Introuit Iesus in templum Dei, & eyciebat omnes vendentes, &*
Matt. 21

ementes

ementes in templo. Et menſam nummulariorū, & cathedras vendentium columbas, euertit. Et dicit eis; ſcriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Sic Deus iraſcitur in eos, qui in templo negotiabantur. Sed & alij erant nocentiores, quam iſti; multi enim Sacerdotes nequiſsimi erant, hypocritæ multiſque pleni peccatis, nullos tamen ſic eiecit è templo, niſi negotiatores. Et cur magis iraſcitur in hos Ieſus, vt eos è templo expellat? Ait D. Irinæus lib. 4. cap. 5. *Veritas erat ipſe, qui loquebatur: & vere vindicabat ſuam domum, proiciens ex ea nummularios, qui & emebani, & vendebant.* Quippè, vt veritas erat ſolida, & certa Ieſus, ſic minime ſuſtinebat ſecū in vna domo ſua morari negotiatores mundiales. Nequeunt enim ſimul inueniri, & veritas & negotia mundialia, ſed neceſſum eſt, vt mutuo ſe excludant, adeò vt veritas non admittat hæc negotia, & hæc mundi negotia, nec ſolidæ veritatis nomen ſecum patiantur. Mū dialia omnia debet ſupergredi, qui ſolidam veritatem attingere velit. Ioan. 16. dicebat dominus: *Adhuc multa vobis habeo dicere: ſed non poteſtis portare modo. Cum venerit ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatē.* Sed cur Apoſtoli cum erant cum Ieſu, non poterant portare ſolidas doctrinæ veritates, ſed ad has portandas debebant ſpectare Spiritus Sancti aduentum? Dum cum Ieſu erant, nondum erant perfecti, adhuc erant mundialibus curis immerſi, per aduentum diuini Spiritus contempto mundo, & morte, ſuperiores imis his erant efficiendi, & propterea tunc aptiores exiſterent ad ſolidas veritates excipiendas, alijſque tradendas. Ait D. Leo ſer. 2. de Pentecoſ. *Vtique Apoſtoli poſteaquā Spiritus Sancti noua abundātia ſunt repleti, ardentius velle, & efficacius poſſe cæperunt, proficientes à præceptorum ſcientia ad tolerantiam paſſionum, vt ſubnulla iam tempeſtate trepidantes fluctus ſæculi, & elationes mundi fide ſupergrediente calcarent, & morte contempta omnibus gentibus Euangelium veritatis inferrent.* Itaque prius debuerunt omnia ſæcularia calcare, & ſupergredi, & tunc ſolum limpidiſsimam, & ſolidiſsimam veritatem inferrent Euangelij; vt non dicant: Verum nobis hominibus videtur, ſed *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Quid verius? Sanè in ſęcularibus bonis nulla apparet veritas. Matt. 4. Matth. 4. dicitur diabolus ſemel victus à Ieſu non abſceſiſſe, ſed iterum obluctans. *Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam illorum.* De quo ait D. Irinæus lib. 5. *Qui magnè confutatus, & ſemet ipſum colligens vniuerſam, quam habebat virtutem in mendacium ordinans, tertio oſtendit ei omnia regna mundi, &c.* Dum omnem ſuam virtutem inmēdacium ordinat diabolus, oſtēdit omnia regna mundi; nullibi enim mendacia ſcatent, & amplius apparent, quam in mundialibus.

D. Irin.

Ioan. 16.

D. Leo.

D. Irin.

Matt. 4.

§. IIII.

Auſpicatum eſt, quidquid in conſortio Ieſu aggrederis.

AD Obtinendam poſſeſsionem Hebronis, quam Celeb cupiebat, vide prudentiſsimum exordium petitionis eius dicētis ad Ieſum Naue: *Noſti, quod locutus ſit dominus ad Moyſem hominem Dei de me, & de te in Cades barne, &c.* Non ſolū ſuas, ſed ſimul ſuas, & ipſius Ieſu benedictiones aſſerit à Moyſe factas, dum ait: *De me, & de te;* & quando ſui vnius negotium agebat, cur maluit meminiſſe, quod ſimul ſecum Ieſus Naue ex ore Moyſi acceperat? Sanè ex Ieſu conſortio auſpicatam ſuā petitionem faciebat; quando enim Ieſus meus ſibi iunctos auſpicatos non reddit? Matth. 21. dominus Iſraeliticæ vineæ miſit filium ſuum vnigenitum Ieſum, vt frūctus vineæ perciperet. Viderunt eum coloni, & rabie perciti. *Apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Prius diuiniſsimum hęredem extra vineā eijciunt, & extra vineā eiectum occidunt. Quid tunc? Vbi extra vineam apparuit eiectus Ieſus, omnes gentes qui ſimul extra vineam erāt, auſpicium ſuæ ſalutis acceperunt. Ait D. Irinæus lib. 4. cap. 70. *Quoniam enim filium Dei reprobauerunt, & eiecerunt eum, cum eū occidiſſent, extra vineam, iuſte reprobauit eos Deus, & extra vineam exiſtētibus gentibus dedit fructificationem cultura.* Cum Ieſu omnia bona veniebant; vt eis bona omnia eripiebātur, à quibus abſcedebat eiectus: ſic omnia bona appropinquabant eis, ad quos veniebat. Non amplius ſterilitas manſit extra vineam, ex quo eo fuit Ieſus proiectus, ſed de eius conſortio omnes ibi exiſtentes in maximam gratiarum fęcunditatem exſurrexerunt. Quis enim de Ieſu cōſortio non creſcat in immenſum? Hinc pater ille familias qui ad nuptias filij ſui inuitabat Matth. 2. aiebat: *Altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias.* Cur voluit altilia precipue nominare? Vt præſtātiſsimos illos oſtenderet, & in ſumma omnium

D. Irin.

Matth. 2.

nium ſublatos, qui de menſæ diuiniſsimi
D. Hilar. Ieſu conſortio nutriebantur. Ait D. Hilarius can. 22. *Altilia vero ſunt homines ſpirituales, tanquam cœleſti pane ad euolandũ aues paratæ, & cæteros accepti cibi vbertate expleturæ.* Nec miror, quod vbi quis cœleſti pane Ieſu potitus eſt, eũque ſibi accepit; quod inde efferatur in alta, & omnium rerum capiat vbertatem, etiam alijs communicandam. Similiter poſt hominum ſententias auditas de filio hominis dicit dominus diſ-
Matt. 16 cipulis ſuis Matth. 16. *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Et quando audierat, quæ homines dicebant, cur maluit, quid diſcipuli ſentirent, nominatim interrogare? Erat ne in diſcipulis aliquid vnde maiora hominibus valerent ſuſpicari? Multa in rem præſentem inſinuat Paulus Emiſſ. hom. de Nat.
Epheſ. 6. habita in Concil. Epheſ. tom. 6. cap. 13. aiens: *Vos, qui me tres iam annos ſecuti eſtis, & qui meam virtutem, & prodigia vidiſtis, & ſuper mare ambulantem ſpectaſtis, & in eadem menſa mecum communicaſtis, &c.* Et de tam cõtinuis Ieſu ſotijs in via, & in mẽſa, quid magnum, & ſublime non poſſet ſperari? Plane is eſt Ieſus, qui adiunctus alicui eum ad ſummam gloriam euehat, & fœlicitatẽ.
Ioan. 11. De illo dicebãt Iudæi Ioan. 11. *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Et qualis erat iſta conſequentia prudentum hominum, quod ex eo, quod Ieſus dimitteretur, putarent ſic augendas vires Romanas, vt poſſent Ieroſolymam expugnare? Quid habebat Ieſu libertas commune cum augmento, & triumpho Romanorum? Credebant illi fore, vt Ieſus adiungeretur Romanis, & tantam de illo habebant opinionem, vt crederent eius conſortio non poſſe non Romanos in immenſum proſperari. Fuit aliquando Romanus miles nomine Iulianus, qui multas intulerat Iudæis clades, ſed tandem in bello cecidit; Iudæi autem vt viderunt ſtrenuum virum cadentem, accurrunt, vt cadauer capiant, ne Romani illud ante præriperent. Et cur Iudæi
Egeſipp. ſic contendunt, ne cadauer Iuliani rapiatur à Romanis? Ait Egeſipp. lib. 5. cap. 30. *Sic conſternati Iuliani ſoty fuerunt, ſic elati aduerſary, vt & corpus Iuliani in poteſtatem veniret Iudæorum, quaſi adhuc, & defunctum timerent, ſi Romanis reſtitueretur.* Sic prorſus in Ieſu meo Iudæi timebant, ne adiungeretur Romanis, credentes ex Ieſu conſortio in immenſum augendas vires Romanas, vt poſsint tutiſsima quæque expugnare.

Ioſue cap. 14. Iurauitque Moyſes in die illo mihi dicens: Terra, quam calcauit pes tuus, erit poſſeſsio tua, & filiorum tuorum in æternum: quia ſecutus es dominum Deum meum. Conceſsit ergo dominus vitam mihi, ſicut pollicitus eſt vſque in præſentem diem. Quadraginta, & quinque anni ſunt ex quo locutus eſt dominus verbum iſtud ad Moyſem: hodie octoginta quinque annorum ſum, ſic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum: illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat, &c.

§. V.

Amor in Deum facit hominem mundialibus dominari.

ECCE tibi premium hominis ſequentis amore Deum, quippè ait: *Terra, quã calcauit pes tuus, erit poſſeſsio tua, quia ſecutus es dominum Deum meum.* Proſequentis amore Deum poſſeſsio in terra eſt, quæ à poſſeſſore calcatur, ſub pedibuſque tenetur, non quæ poſſeſſorem teneat. Num. 13. ſocij Calebi murmurantes de *Num. 2.* terra explorata dicebant. *Terra, quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos.* At Calebo dicebat Moyſes: *Terra, quam calcauit pes tuus erit poſſeſsio tua.* Itaque eadem terra videbatur exploratoribus vorare habitatores ſuos; & dicebatur à Moyſe calcanda & poſsidenda à Calebo. Et vnde ſic ſupra terram eſſe poterat, quæ videbatur ſuos vorare? Ait Moyſes: *Quia ſecutus es dominum, &c,* Qui enim Deum proſequebatur amore, terræ dominabatur, qui autem terram amant, ijà terra vorantur. In Matth. 14. *Matt.* huius rei ſymbolum non obſcurum oſtenditur. Ait enim: *Deſcendens Petrus de naicula ambulabat ſuper aquas, vt veniret ad Ieſum. Videns vero ventum validũ, timuit, & cũ capiſſet mergi, &c.* Expende, vt Petrus dum ad Ieſum toto affectu ire contendit, fluctus maris calcat, illoſque ſubie ctos ha-

bet ſubpedibus. At vbi timor tempeſtatis amantis greſſum ad Ieſum retardare cæpit; iam non ipſe tenebat ſubietos fluctus, quin potius à fluctibus teneri, & abſorberi ipſe incipiebat. Et quid inde? Sanè expri mebatur fœlicitas proſequentium Ieſum cordis affectu, ij enim ſub pedibus habent mundialia bona ſibi ſubiecta, illorumque dominum in ſe oſtendunt; at alij prorſus abſorbentur à mundialibus bonis, & vt mi ſera mancipia ſub illorum flagello tenentur. Ait D. Aug. ſer. 13. de Verbis domini:

D. Aug. *Attendite, ſæculum quaſi mare, ventus validus, & magna tempeſtas. Vnicuique ſua cupiditas tempeſtas eſt. Amas Deum? Ambulas ſuper mare, ſub pedibus tuis eſt timor ſæculi. Amas ſæculum? Abſorbebit te. Amatores ſuos vorare nouit, non portare.* Quid magis ad rem? Sanè amantis Deum poſſeſsio erit in bonis, quæ eius obvoluantur pedibus, ſuper quæ gradiatur, vt dominus poſſeſſor. Terrena enim bona hoc habent, vt abſorbeant, & deuorent ſuos amatores; & portent, & ſuſtineant amatores Dei, eorum nutibus, & pedibus ſubiecta. Felix, qui Deũ ſequitur, & amore proſequitur, non dubito, quin illi bona omnia veniant ſub pedi-

Apoc. 12 bus. Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta Sole; & Luna ſub pedibus eius, &c.* Quæ eſt Luna ſub pedibus huius fœminæ? Ait Gloſſa: *Licet mundanis ſuſtentetur, non tamen affectat*: hoc eſt, mundana bona per Lunam ſignificata, quę non ſunt in affectu huius fœlicis; illam ſuſtentant, & portant. Nouerunt ſemper hoc facere mundana bona, nimirum ſuſtentare eos, qui amant Deum, & minime ſuſtentare, ſed vorare, ſed abſorbere eos, qui amant ea. Adhuc ſublimius de hac muliece ſentit Andræas Cæſarienſis ibi ex S. Methodio: *Mulier Sole induta eſt Eccleſia :: aſcendit autem ſuper Lunam, quia Synagogam ſub pedibus proſtratam habet.* Ecce tibi Eccleſia Chriſti, vt dominatur omnibus Synagogæ bonis, illamque cum illis habet ſub pedibus. Vnde Synagoga ſic vorata eſt à ſuis bonis, vt iaceat humi ſerpens; & Eccleſia ſic omnium dominatur, vt ſuperomnia euolet? Accipite ex Luc. 7. in typo Eccleſiæ,

7. & Synagogæ, vt Ieſus præfert Magdalenã Phæariſæo, & rationem prælationis inſinuans dicit Phariſæo: *Oſculum mihi non dediſti.* Quæ verba ponderans Seruius in cat. Græca ait: Comparans eam cum Synagoga ad Phariſæum ait quaſi in figura: *Oſculum mihi non dediſti. Quamuis enim Synagoga præcepta quædam obſeruauerit non tamen ex amore, ſed ex timore ſeruili, mancipij inſtar hoc faciebat.* Non amore proſequebatur Deum Synagoga, ſed ſuis bonis ſeruiebat, vt vile mancipium, ideò penitus vorata eſt, & abſorta humi repens ad omnium proiecta pedes. Eccleſia autem, quæ Deum amauit, ſe ſuper omnia ſuperpoſuit, & habet ad pedes ſubiecta. Id quod & tibi eueniet, ſi non ames ſæculum, ſed Deum amore proſequi velis: te mundialia bona poſita ſub pedibus ſuſtentabunt, ne pereas.

§. VI.

Verbum Dei hominis firmitudo, & valentia eſt.

SVI Roboris, & valentiæ firmitudinẽ etiam in extrema ſenectute memorans Caleb, ſic incipit: *Quadraginta & quinque anni ſunt ex quo locutus eſt dominus verbum iſtud ad Moyſem:: hodie octoginta quinque annorum ſum ſic valens, &c.* Quippè de Calebo proſperando ſemel Deus verbum Moyſi fecerat, ex tunc autem præterierunt quadraginta quinque anni, & deuenerat Caleb in annos octoginta, & quinque, nec vllam virium diminutionem ſenſerat, ſed & valens, & robuſtus & agilis in omnibus erat, quaſi in robuſtiori ætate eſſet. Nec mi ror, quando hominis firmitudo, & valentia à Dei Verbo procedit. Pſal. enim 24. dicit: *Pſal. 24.* *Firmamentũ dominus timentibus eũ.* Symachus apud Theodor. *Colloquiũ domini timẽtibus eum*: quaſi in idem recidant & colloquiũ domini, & firmamentũ ijs, qui timẽt, & ſequuntur Deũ. Vbi enim domini vox de ſuo homine tonat, neſcit natura infirmitatis, & imbecillitatis damnis concedere:

Ioan. 11. Ioan. 11. *Ieſus voce magna clamauit, Lazare veni foras. Et ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata.* Non ſolum ad Ieſu vocem mortuus recepit vitam, ſed ligatus pedes, & manus inſtitis, & ſudario oculis obuolutis procedebat è ſepulcro. Cur non magis expectat, vt ſoluantur vincula? Cur nititur cũ mortis ligaturis præcedere? Dũ reſonabat vox diuina, hominis natura nullũ infirmitatis impedimentũ nouit ſentire, nec imbecillitati cedit vlli. Ait D. Amb. D. Amb. Orat. de Fide Reſur. *Comprehende, ſi potes, quem admodum clauſis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradum dirigat. Manebant vincula, nec tenebant, tegebãtur oculi, ſed videbant. Videbat deniq;, quis reſurgebat, qui ambulabat, qui deſcrebat ſepulchrum. Virtute enim diuina præ-*

næ preceptionis operante natura ſuũ non requirebat officiũ, & tanquã in exceſu poſita, nõ iam ſuo ordine, ſed diuino nutui ſeruiebat. Ad vocem Dei præcipientis attenta natura, & ſui oblita infirmitatum ſuorum leges non curat, ſed robur, fortitudinemque diuinã induit. Vox enim Dei firmamentum, & robur proſe timentibus indit. Hin Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis.* Cur munus hoc ſibi magis Dei Verbum aſſumſit? Cur non creaturæ alicui demandatum eſt? Ait D. Athanaſ. in cat. Græca ad cap. 1. D. Lucæ: *Non enim merus aliquis homo ſe ipſum pro nobis tradidit, cum omnis homo ſit morti obnoxius. Nec vlla alia creatura. Omnis enim creatura mutationi ſubiecta eſt, ſed Verbum, &c.* Quæſitum eſt interomnes creatutas, ſiqua poſſet ſtare pro hominis vita & ſalute, & nulla iuuenta eſt, quæ non ſit ſubiecta mũtationibus, quæ infirmitatum damnis non ſubſit. Vnum Dei Verbum inuentum eſt, quod expuat infirmitatum damna, quod ſciat infirmiſsimis hominibus id robur præſtare, quo vniuerſas infirmitates rideant, & vitæ adhæreſcant immarceſcibili. Pro diuini Verbi virtutem! Sonet tanti Verbi vox in auribus meis, & annorũ mutationibus non timeo, & morti non timeo, ſed adhæreſcam vitæ. Luc. 19. Luc. 19, Zachæus publicanorum princeps *quærebat videre Ieſum, quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Et præcurrens aſcendit arborem ſycomorum, vt videret eum, quia in de erat tranſiturus. Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Ecce tibi publicanus homo mortalibus bonis inhians ſubito adhæreſcit vitæ. Et quo factus eſt Zachæus, vt vitæ adhæreſceret? Sonuit vox Dei in auribus eius, & fecit, ne homo damna imbecillitatis ſentiret, ſed ab arbore mortis ad arborem vitæ confugeret. Rem pulchrè tractat D. Chryſoſt. in cat. Græca Diu. Lucæ inquiens: *Egregius vtique auceps Ieſus ab arbore animam deducit calamo ſermonis. Protendit vocem omnia potentem allicere, attraxitque Zachæum inſtar pulli alicuius per alaſmentis illum apprehendens; & publicanorum princeps non ſecus ac viſco quodam agglutinatus fuit. Dominus itaque Zachæum venabatur, & ex arbore deducens dixit: Hodie in domo tua oportet me manere.* Solent equidem pueruli venatores auiculas in arboribus quieſcentes fiſtulę cantu attrahere, vt euolent ad ramum, quo agglutinentur viſco, & capiantur. Sic præſtantiſsimus auceps Ieſus, vt vidit Zachæum in arbore, ſermonis calamo illum allexit, & ab arbore mortis ad arborem vitæ illum traxit, cui agglutinatus quaſi viſco, omnia infirmitatis damna repelleret, & cum Ieſu permaneret.

Ioan. 1.

D. Atha.

D. Chryſ.

§. VII.

Gratitudo exhibita Deo maximè hominem in vita confirmat.

QVOD Caleb octogenarius valeat, & in iuuenili robore ſit, id gratus acceptum refert Deo dicens: *Conceſsit ergo dominus vitam mihi, ſicut pollicitus eſt, vſque in præſentem diem. Quadraginta & quinque anni, &c.* Sic bonus factori ſuo refert acceptam validiſsimam vitam; & ſic non miror, quod in tot annos vitam vegetam, & pugnacem producat. Solet enim gratus animus creatori, longiſsimam ordiri, imò & texere, & habere vitam. Luc. 16. Dominus dicebat: *Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt.* Quippè qui cum parum accipit à Deo, illi per gratiarum actionem fidelis eſt, & magna accipiet, in quibus fidelis ſit. Quod notans D. Irinæus lib. 2. cap. 64. ait: *Qui ſeruauerit datum vitæ, & gratias egerit ei, qui præſtitit, accipiet & in ſæculum ſæculi longitudinem dierum. Qui autem abiecerit eam, & ingratus extiterit factori ob hoc, quod factus eſt, & non cognouerit eum, qui præſtat, ipſe ſe priuat in ſæculum ſæculi perſeuerantia.* Ecce tibi, vt à gratitudine in creatorem vita æternatur, qui enim gratus eſt, vitam in ſæculum protendit; qui autem ingratus extat, eo ipſo non habet perſeuerantiam viuendi. Et vnde hoc colligit Irinæus? Pergit ipſe vbi ſupra: *Et ideò dominus dicebat ingratis exiſtentibus in eum; ſi in modico fideles non fuiſtis, quod magnum eſt quis dabit vobis? Significando nobis, quoniam qui in modica temporali vita ingrati extiterunt ei, qui eam præſtitit; iuſte non percipient ab eo in ſæculum ſæculi longitudinem dierum.* Sic ibi, quaſi robur, & longitudo vitæ proprium ſit gratitudinis præmium. Vt ij, qui acceptam referunt vitam ſuam Deo, factoremque ſuum multis prædicant, vix naturæ infirmitatem in longæuitate viuendi ſentiant. Dicebat Ieſus meus Ioan. 17. *Pater clarifica filium, vt filius clarificet te.* Vbi autem Ieſus pro claritate ex Patre accepta, claritatem illi amat referre;

Luc. 16.

D. Irin.

Ioan. 17.

ſapienter putat Magnus Hilarius illum ab omni creaturarum infirmitate alienum eſſe. Ait enim lib. 3. de Trinit. *Non ergo infirmus eſt filius, vicem clarificationis ipſe, cum clarificandus ſit, redditurus.* Merito ſanè ab infirmitate liberat eum, qui vicem reddere amat clarificatori ſuo; quaſi nequeat gratus animus non alienare à ſe omnes infirmitates naturæ. Ne miremur, quod Caleb octogenarius infirmitatem neſciat, qui gratiſsimus Deo refert acceptam vitam.

Ioſue cap. 4. Da ergo mihi mõtem iſtum, quem pollicitus eſt dominus, te quoq; audiente, in quo Enacim ſunt, & vrbes magnæ, atque munitæ, ſi forte ſit dominus mecum, & potuero delere eos, ſicut promiſit mihi. Benedixitque ei Ioſue, & tradidit ei Hebron in poſſeſsionem, &c.

§. VIII.

Magna non ſimplici petitione, ſed magnarum virium poſitione obtinentur.

PETIT Sibi dari Hebron antiquitus promiſſa à Deo, & nilominus addit: *Si forte ſit dominus mecum, & potuero delere eos, &c.* Cur ait: *Si forte?* Nonne id dominus promiſerat? Nonne promiſso Dei certa, & ſecura debebat eſſe? Cur ergo inſecuritate, & certitudine diuinorum promiſſorum tantus vir promit verba dubia? Præmittit vir tantus verba illa dubitationis, ne tantarum vrbium expugnatio credatur fuiſſe res petitionis ſimplicis, ſed ſudoris multi, ſed ambigui certaminis, ſed poteſtatis diuinæ. Quæ enim magna ſunt non ſimplici petitione, ſed magna poteſtate adhibita ſolent obtineri. Matth. 14. Videns Petrus Ieſum ambulantem ſuper aquas ait: *Domine, iube me ad te venire ſuper aquas.* Et dum iubetur ire, & pergit, ſubmergi incipit, vt clamare ad dominũ incipiat, & dexterram adhibeat Ieſus, vt illum liberet. Vt quid hæc permittuntur? Ne putaretur tantum miraculum fuiſſe opus ſimplicis petitionis, ſed multi clamoris, ſed ſollicitatæ potentiæ diuinæ. Vt dicat ibi D. Hieron. *Paululum ergo relinquitur Petrus tentationi, vt augeatur fides, vt intelligat ſe non facilitate poſtulationis, ſed potentia domini conſeruatum.* Quid pulchrius? Expende illa: *Non facilitate poſtulationis*: multum enim fallitur, qui de facili, & ſimplici oratione, ſperat ſe obtenturum magna. Neceſſum eſt enim, vt magna vis poteſtatis, & ſudoris adhibeatur, vbi magnæ ſunt difficultates ſuperandæ. De Ieſu Domino Luc. 22. dicit: *Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Orabat bonus pro depellenda imminente tempeſtate, & orabat in agonia, & in ſanguineo ſudore. Et cur orationi ſuæ voluit & agoniam, & ſudorem ſanguineũ addere, niſi vt doceret nos aduerſus magnas tentationes non ſimplici oratione ſtare? Ait Elias Cretenſis in orat. 4. Nazianzeni: *Ardenter orat, ac ſudor inſtar guttarum ſanguinearum de ipſo fluit: vt nos doceremur aduerſus tentationes arma precationis obijcienda eſſe.* Non precationem ſolam, ſed precationis armã docemur ſumere aduerſus pericula magna; quæ non expugnat oratio ſimplex & nuda, ſed multò ſudore & labore armata. Hinc dicebat Ieſus Mar. 9. *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & ieiunio.* Cur orationi ieiunium aduinxit, niſi vt oſtenderet, quam eſſet armanda oratio, quę erat diabolum expugnatura? Nõ enim facilitate orationis, ſed ieiunijs & laboribus armata oratio hoſtes deuincit. Ait enim Imperf. hom. 15. in Matth. *Sicut nec miles ſine armis eſt aliquid, nec arma ſine milite: ſic nec oratio ſine ieiunio, &c.* Quod eſt mĩles inermis aduerſus hoſtem validam, id eſt oratio ſimplex; quæ tunc valet, cum armatur vigilis, & laboribus multis.

Matt. 14

Hier.

Luc. 22.

Nazian.

Mar. 9.

§. IX.

Reincidentia in peccatis maiorem Dei iram trahit.

DVM Ventum eſt ad partitionem terræ, non otioſe de primaria & fortiſsima Iudæ tribu exurgit Caleb, qui Hebron ſibi expugnandam, & poſsidendã petat, inquiens: *Da ergo mihi montẽ iſtũ: in quo Enacin ſunt, & vrbes magnæ, atque munitæ, ſi forte ſit dominus meum, & potuero delere eos.* Ecce tibi vrbes Enacin, nimirũ Hebron in primis ad exterminationẽ petuntur. Et cur iſta Hebron petitur in primis ad ruinã? Supra cap. 11. Ioſue verſ. 21. iã dicitur capta Hebrõ à Ioſue; & in illa interfecti habitatores

tores eius, & fugati aliqui; qui postea vnà cũ vicinis, & sotijs reuersi iterũ Hebrõ re ædificarũt, & munierũt, vt magis probat Serarius, quæst. 7. in præsenti. Merito ergo Deus excitat suos in primis ad deletionem Hebronis, vt qui maxime iracatur in eos, qui semel compulsiã peccatis exire, iterum reddeunt ad illa. Sic Matth. 21. *Intrauit Iesus in templum Dei, & eyciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & c.* Hæc fecit Iesus semel iuxta Matth. at Ioann. 2. ait: *Prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolimam, & inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas; & nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit, & c.* A Matthæo non dicitur, quod Iesus fecisset flagellum, vt vendentes, & ementes de templo excluderet, à Ioanne autem id dicitur. Et cur iuxta Ioannem flagellum sumpsit, quod iuxta Matthæum nõ sumpsit? In Ioanne ostendebantur mercatores illi in idem reddijsse, nemiremur, quod magis sollicitent diuinam iram. Ait enim Victor Anthiochenus ad cap. 11. Marci: *Aggrauat autem Iudæorum causam non parum, quod domino idem factum semel itẽrumque repetente, ipsi nihilominus in sua illa arte cauponaria, & infami nundinatione obstinate vsque perstabant.* Iam semel Iudæi ciecti à negotiatione in templo facta, iterum ad illam redierant, in illa obstinate perseuerabant. Quod maximè coram Deo eorum causam aggrauabat, & diuinam iram sollicitabat. Imò supplicium maximè exacerbabat. Matth. 28. seruus ille regis, qui debebat centum millia talenta regi, audit ex ore regis, quod vænundetur ipse cum vxore, & filijs, ait enim textus: *Iussit eum dominus vænundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi, & c.* Itaque in tam immani debito, solam accipit sententiam seruitutis; at postquam ab hac dimissus ipse debitorem fratrem suffocabat, res deducta ad Regem durius attraxit supplicium. Ait enim: *Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum.* Non tradidit nunc rex homini seruituti, sed tortoribus; & cur cum primum iusserit illum vænundari, modo non vænundari, sed tradi tortoribus iubet? In primo & si magno, & immani debito mitius voluit agere cum illo; verum vbi secundo debitum incurrit, iam ibi mititas abscedit, & seueritas, magnusque rigor accurrit. Vt dicat Orig. hom. 7. in Matth. *Iratus tradidit eũ tortoribus. Et iam non iussit eum vænundari, & vxorem eius, & filios eius, quia peius eum oportebat pati, propter maliciam suam traditum tortoribus, & c.* Orig. Expende illud: *Et iam non iussit eum vænundari*, quasi vbi reincidentia interueniat, iam inde mediocres pœnæ obsolescant, & grauiora appareant supplicia.

Matt. 21

Ioan. 2.

Vict. An.

Matt. 18

CAPVT DECIMVM Sextum.

Tribus Iudæ sors.

Textus Historia.

PRIMA Post Iordanem distributæ terræ sors obtigit tribui Iudæ, cuius fines non infructuose sacer textus describit, illudque per prolepsin addit, vt Calebi ditio in medio ipsius tribus fuerit sita. Qui expugnatori munitissimæ vrbis dictæ Chariath sepher filiæ suæ nuptias promisit; ea erat Axa candidissima puella, quam post expugnatam vrbem Othoniel duxit, filius Cenez frater Caleb iunior. Suassa autem puella à viro suo expatre petiuit partem agri irriguis aquis speciatim fœcundam, quam libenti parentis animo obtinuit.

PARS MORALIS in textus literam.

DVM Regia Iudæ tribus sortitionem accipit in terra Chanaan; non otium erit, si scrutemur, quid inde ad cœlestia tenenda nobis obtingat.

Iosue cap. 15. Igitur sors filiorum Iudæ per cognationes suas ista fuit: A termino Edon desertum. Sic contra meridiem, & vsque ad extremam partem australis plagæ. Initium eius à summitate maris salsissimi, & a lingua eius, quæ respicit meridiem. Egreditur que contra Ascensum scorpionis, &

pertransit in Sina: ascenditque in Cadesbarne, & peruenit in Esron, ascendēs ad Addar, & circuiēs Carcaa. Atque inde pertrā-siens in Asemona & perueniens, &c. eruntque termini eius mare magnum, hic erit finis meridianæ plagæ, &c.

§. I.

Ijdem regnis, qui verbi Dei præconio fines sunt.

REGIÆ Tribus fines dum describuntur, sepienter posita illa sunt, nimirum: *Initium eius à summitate maris salsissimi, & à lingua eius, quæ respicit, &c.* Vocabatur lingua maris sinus quidam maris sic efformatus, vt patet ex Isaiæ, cap. 11. vbi similiter dicit: *& desolabit dominus linguam maris Ægypti.* Nec crediderim primum terminum regiæ tribus absque mysterio desummi à forma, & nomine linguæ, sed vt innuatur, quam pariter currant mundialis regni fines cum præconio verbi diuini. Quam latè enim lingua verbum Dei voluens personare debet, tam latè extendetur regnum cuius est illā deducere. Hinc Isaiæ, cap. 1. ait: *Visio Isaiæ filij Amos, quam vidit super Iudam, & Ierusalem in diebus Ozia, Ioathan, Achaz, & Exechiæ regum Iuda.* Sic dum Isaias prophetabat, solius regni Iuda mentio fit intra suos contenti fines. At Luc. 2. vbi ad verbi diuini ortum acceditur, ait: *Factum est in diebus illis exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, &c.* Iam hic non designatur regnum Iuda, sed totius imperium mundi. Et cur Lucas non morem gerit prophetis, & iuxta eorum calculum regnum Iuda meminit in ortu Christi domini, sed maluit imperium totius orbis meminisse? Tam prophetæ, quam Lucas imperiorum, regnorū ve latitudinem metiebantur ex latitudine verbi Dei in illis personātis. Vbi autē verbum Dei per Isaiā apud solos Iudæos personabat, sic Isaias non reputat regnum, nisi regnum Iudā. At Lucas, vt vidit iam ex Christi ortu verbum Dei inualiturum in vniuerso mundo, angustos regni Iuda fines dimittens magis meminit imperium totius mundi. Non equidem strictos fines agnoscit imperium, cuius est deferre Dei Verbum sine fine. Huc spectans Ioann. Geometra in cat. Græcà D. Luc. ait: *In prophetico sermone solis Iudæis prædicato, regnum solum Iudæorum describitur. Visio enim, inquit, quam vidit Isaias in diebus Ozia, & Ioathan, & Achaz, qui regnauerunt in Iudæa. In mysterio autem Euangelij per totum orbem prædicandi, describitur imperium Tiberij Cæsaris, qui vniuerso orbi imperare videbatur.* Vide, vt iuxta Verbi Dei personaturi latitudinem assumebatur regnorum latitudo; vt iā noscant mundiales reges, quo protendendi sunt eorum imperij fines, nimirum, quo protendetur præconium Verbi Dei per illos. Cui regno datum est, vt Verbum Dei personare faciat vsque in vltimos fines mūdi, non dubitet, quod illuc vsque protendet fines suos. A quo non extorqueat imperium, qui Verbum Dei annutiandum comitem expeditionis suæ assummit? Baltassari Babylonio regi affuit vnus Daniel Israelita captiuus, illique scriptum in pariete Dei Verbum explicuit, imminentēque ei denuntiauit extremam ruinam. Quid tunc? Ait text. Dan. 4. *Tunc iubente rege indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo eius, &c.* Dira renuntiat Daniel regi, & nilominus ab illo, accipit purpuram, & regni signa. Et vnde fieri potuit, quod regni babylonici insignia obuenirent Danieli adeò dira nuntianti? Ait Rup. lib. 7. de Victor. cap. 9. *Authoritas verbi Dei purpuram, & torquem auream tristi, & damnato regi extorserat, & huic sancto interpreti suo transposuit.* Verbi Dei authoritas in Daniele præfulgens illi & purpuram, & insignia regni babylonici acquisiuit, quæ extorsit à Rege iniquo. Vt videāt reges, quo regna sibi latiora acquirant, nimirum si Verbum Diuinum secum deferāt annuntiandum impijs. Si enim conijcias oculos in christianos principes, videbis aliquos intra angustos regni fines contineri, sed quorum nullæ noscuntur impensæ pro deferendo Verbo diuino; qui autem eo spectarunt, vt Verbi Dei sonus exiret in fines orbis terræ, vsque ad eosdem fines extensa experiuntur imperia sua.

Isaiæ, 11.

Isaiæ, 1.

Luc. 2.

D. Luc.

Dan. 4.

Rupert.

§. II.

Petrus Apostolus regnorum firmitudo.

VBI Noster posuit: *A lingua maris,* Targum

Targum ponit *Cepha*, id est, *Petrum*, seu *petram*, vt ait Serarius noster in præsenti quæst. 2. Nec mysterio vacat, quod primus regiæ tribus terminus, sic ab alta quadam maris rupe, seu petra, vt & nomen Cephas, & maris vicinitas primum Ecclesiæ caput adumbret, sub cuius halitu regna adolescant, & euadant fœliciſsima. Quippè indè felicitates suas regna sugunt, sic huic mysticæ maris petræ adhæreant, si Petro suâ cepta subijciant, de eiusque beneficijs viuant.

D. Aug. Quo respiciens D. August. ser. 28. de Sanctis ait: *Nunc ad memoriam piscatoris flectuntur genua imperatoris. Ibi radiãt gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia piscatoris.* Expende illud: *Ibi radiant gemmæ diadematis, &c.* quippè sub piscatoris beneficijs, sub Petri auxilio diademata imperialia fulgentiſsimis radijs emicant; & quæ ab hac petra diſuinctę coronæ obscurãtur, illi adhęrentes in candidiſsimam exurgunt lucem. Nec grauabor referre, quod Paulus Oroſius notat de Petro ingrediente Romam; vt ad eius ingreſsum pene lapsum Cæsareũ imperium, in vitam, lucemque & erectum,

Paul. Or. & confirmatum est. Ait enim lib. 7. cap. 6. *Exordio regni Claudij Cæsaris Petrus Apostolus domini nostri Iesu Christi Romam venit, & salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentiſsimiſque virtutibus approbauit. Atque ex hinc Christiani Romæ esse cæperunt. Sensit hoc collatum sibi Roma beneficium. Nam cum interfecto Caligula multa de arrogando imperio, ac Republica in antiquum ordinem restituenda, euertendaque penitus Cæsarum vniuersa familia senatus, & consules decreuiſsent. Clauduis mox, vt confirmauit imperium, magna atque adhuc Romæ incognita vsus clementia, ne in tantam nobilium multitudinem vltio, si esset capta, sæuiret, biduum illud, quo de Reipublicæ statu infœliciter actũ, consultatumque fuerat, memoriæ exemit, omniumque factorum dictorum ve in eo veniam, & obliuionem in perpetuum sanxit.* Ijs & alijs plurimis pergit Oroſius salubrem Romano imperio Petri præsentiam confirmare. Vt enim Petrus ingreſsus est, sensit Roma collatum sibi beneficium, dum sic Cæsarea stirps confirmatur, vt minime Romani nobiles sentirent suæ coniurationis, & perfidiæ damnum. Est equidem Petrus fortitudo, & confirmatio maxima regni Christiani. Quo forsam spectans Cant. 5. ait de Capite Ecclesiæ; *Caput eius aurum optimum.*

Cant. 5. Septuaginta legunt. *Aurum Cephas.* Aquila apud Pintum de Christo crucifixo lib. 3. tit. 2. loco 1. num. 12. legit: *Petrum aurum.* Et cur caput Ecclesiæ Petrus sive Cephas dicitur aurum? In auro est maxima vis, & valentia regnorum; vbi enim ait Isaias, cap. 8. de puero Iesu; *auferetur fortitudo Damasci*, putat Augustinus per fortitudinem ablatam debere intelligi aurum Iesu oblatum, quod regnorum mundialiũ fortitudo est. Dicit enim ser. 4. de Epiph. *Accepit virtutem Damasci, illius vnde Damascus præsumebat. In diuitijs siquidem ciuitas illa præsumpserat. In diuitijs autem principatus auro defertur, &c.* Quod autem aurum præstat roboris, & fortitudinis regnis mundialibus, id præstat Petrus regnis christianis. Ipse enim est, & fortitudo, maxima regnorum, & illorum confirmatio. Cui regno Petri sedes eripitur, maxima illi eripitur fortitudo, vt necesſum sit cadere. Et fallar, si quo crimine festinationem ruinam in se trahat Rex, quàm si à Petri sede separationem faciat. Audio Gen. 4. Cainum in fratrem insurgentem; & cum Deus in tantum parricidam iraſcitur, ait illi: *Eris vagus, & profugus super terram*, nõ permittit tantum nephas à terra vorari. At Num. 16. cum iraſceretur dominus in Dathan, & Abirõ, & Core; *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos, &c.* Ecce tibi Cain permittitur manere super terrã; Dathan & Abiron à terra vorãtur. Et cur terra, quæ sustinet parricidam, nõ sustinet Dathan? Ij sese à summo Sacerdote Aarone separauerant, sciſmaque fecerant, quo festinatiſsimam ruinã trahunt. Vt caueant, qui se à Petri Sacerdotio, pontificioque elongant; non enim adeò Deus iraſcitur in parricidas, vt in hos sciſmaticos iraſcitur. Ait Optatus Meliuit. lib. 1. cõtra Donat. citatus in Gloſſa capitis primi epist. ad Corinth. 1. *Parricidium principale delictum est, & tamen Cain nec reus à Deo percutitur, sed occisus, insuper à Deo vindicatur: quod non sunt eonsecuti, qui populos Dei primitus auſt sunt scindere. Tot millibus virorum Israel Aaron vnum Sanctum Deus præfecerat Sacerdotem; sed cum ministri eius Sacerdotium non sibi debitum concupiscentes se ducta parte populi illicite inuaderent, ducentos & quod excurrit ministros secum perituros cũ thuribulis in fronte seducti populi posuerunt. Deus cui displicet sciſma, hoc libenter videre non potuit. Iratus igitur, quod in sacrilegos, & parricidas nõ fecerat, in sciſmaticos fecit. Mandata est terræ fames, statim fauces suas in populi duriſores aperuit, & contemptores mandatorum Dei auido ore absorbuit.* Sic qui pepercit saltem temporaliter parricidæ, ne absorberetur à terra; nõluit parcere eis, qui ambitione se à summo Sacerdote diuiſerant; vt ti-

Isaias, 8. Aug.

Genes. 4.

Num. 16.

Melin. 1.

meant, qui simili ambitione separantur à Petro.

§. III.

In regnis politicis linguæ cultus florere debet.

ADHVC Pondero, quod Regiæ tribui Iudà primus terminus constituatur à lingua, cum ait: *Initium eius à summitate maris salsissimi, & à lingua eius, &c.* Siue enim rupes aliqua, siue maris sinus vocetur lingua, quod sic inueniatur efformatus: tamen non mysterio vacat, quòd à lingua dicatur esse initiũ tribus reliquis imperaturæ. Nunquam enim non politici regni splendor fundatur in linguæ cultura. Accipite quæ dicat Athalaricus rex senatoribus suis, pro linguæ cultoribus apud Cassiod. 9. Variar. 21. *Prima grammaticorum schola est fundamentum pulcherrimum literarum, mater gloriosa facundiæ: quæ cogitare nouit ad laudem, loqui sine vitio, hoc in cursu orationis, sic errorem agnoscit absonum, quẽ admodum boni mores crimen detestantur externum. Nam sicut musicus consonantibus choris efficit dulcissimum melos, ita dispositis congruenter accentibus metrum nouit decantare grammaticus. Est grammatica magistra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis, Antiquorũ nos cognoscitur iuuare consilijs. Hac non vtuntur barbari reges: apud legales dominos manere cognoscitur singularis. Arma enim & reliquæ gentes habent; sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominos obsecundat.* Expende ab illis: *Hac non vtuntur barbari Reges;* quippè vno cultioris linguæ studio distinguntur politica regna à barbaris; inuenies enim apud barbarissima etiam regna, qui arma strenue tractent, militares acies disponant, victorijs viam parent. At qui linguę cultu vigeant, in regnis solis inueniuntur, quæ politicis disciplinis se maximè super alios exaltant. Hinc de iuuenibus in sermone colendis non postrema fuit cura Imperatoribus Romanis; de Constantio enim, & Armẽtario ait Eumenius in orat. pro reparandis scholis: *Nobilissimam istam indolem Galliarum suarum, interitu summi doctoris orbatam respicere dignati suo potissimum iudicio præceptorem ei, moderatoremque trebuerunt, & inter Imperatorias dispositiones, summis Reipublicæ gubernandæ prouisionibus occupatos, literarum quoque habuerunt dilectum, neque aliter quam si equestri turmæ, vel cohorti Prætoriæ consulendum feret, quem potissimum præficerent, sui arbitrij esse duxerunt, ne vj, quos ad spem omnium tribunalium, aut interdum adstipendia cognitionum sacrarum, aut fortasse ad ipsa palatij Magisteria prouehi oporteret, veluti repentino nubilo in medij adolescentiæ fluctibus deprehensi incerta dicendi signa sequerentur.* Sic dicendi cultum in suis nobiles Imperatores vigere cupiebant, ne in regni proceribus vlla linguæ barbaries agnosceretur.

9. Cas. 21

§. IIII.

Frequentissimum in aulis vitium, quod sub specie laudatoris venena odij diffundant.

IN Regię tribus progressu, nil prius occurrit, quam armata Scorpionum phalans; dicit enim: *Initium eius à summitate maris salsissimi, & à lingua eius, quæ respicit meridiem. Egreditur que contra ascensum scorpionis.* Ecce vt in primo progressu regię tribus ascensus Scorpionis inuenitur. Nec id otiosè, sed vt innuatur, quæ belluæ ad mundiales regias pertineant. In adagijs de prophetia Ezechielis, cap. 1. vers. 6. putat noster Delrius per Scorpiones significari solertiam ad nocendum; maximè quando specie amiciciæ rancor fouetur, & palpo venenum occluditur. Quo quid frequentius in aulis, & palatijs Regum? Ait Polybius Histor. *At proposito Apelles neutiquã abstitere, quin Taurionem calumniaretur, quo Peloponnesum procurabat, non insimulans, sed laudans, & idoneum prædicãs, qui sub dio vnà cum rege agitaret, volens Peloponnesi rebus alium à se præfici. Noua hæc enim calumniandi inuenta ratio, non accusatione, sed laudibus noxam in sotios comparare. Inuenta est autem potissimum, ac primũ hæc malignitas, & fraus ab ys, qui in Palatijs degunt.* Proh Scorpiorum ad nocendum solertia? Faciem amicã, os laudatorium offerunt, sed cauda perimunt. Sunt equidem in palatijs notissimæ cunabula horum scorpionum. Apelles ille, vt Taurionem principatu Peloponnesi nudaret, hominem apud Regem laudabat, prædicabatque strenuissimum, vt in Curia maneret, Regisque lateri adhæreret. Alij vt æmulum à Regis conspectu, & gratia amãdent, illum prosecuntur laudibus, vt qui

Ezech. 17. Polyb.

possit

posit glorioſiſsima indiſsitis prouincijs munera tractare. Hi ſunt ſcorpiaci mores in aulis, in palatijs. Accinebat Tacitus agens de Iulio Agricola: *Crebro per eos dies apud Domitianum abſens accuſatus, abſens abſolutus eſt. Cauſa periculi non crimen vllum, aut querela læſi cuiuſquam, ſed infenſus virtutibus princeps, & gloria viri, ac peſsimum inimicorum genus, laudantes.* Sic apud principem inueniebatur peſsimum inimicorum genus, nimirum laudantes; fouit enim iam antiquitus aula hoc lethaliſsimum genus belluarum, quæ amica facie, oreque pleno laudibus noxam imprimant incurabilem.

Ioſue cap. 15. Caleb vero filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda, ſicut præceperat ei dominus; Cariath Arbe patris Enac, ipſa eſt Habron. Deleuitque ex ea Caleb tres filos Enac, Seſai, & Aiman, & Tholmai de ſtirpe Enac. Atque inde conſcendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id eſt, ciuitas literarum.

§. V.

Studia ſapientiæ maxima ſunt munimenta regnorum.

SIMVL Recoluntur duæ notiſsimæ vrbes expugnatæ, & acquiſitæ à Caleb, nimirum Hebron, & Dabir; in illà erant filij Enac, gygātæo robore inſignes, in hac erant ſapientiæ ſtudioſi: dicit enim: *Inde conſcendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id eſt, ciuitas literarum.* Ecce tibi ab expugnata ciuitate gygantum ad ſapientium ciuitatē expugnandam capiendamque contendit, vt in qua præcipua fortitudo erat regni. Nunquam enim ſapientes ad præcipuam regnorum fortitudinē nō pertinent. Iſaias, cap. 8. dicit de veriſsimo, & validiſsimo noſtro Ieſu: *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ.* Quæ prophetia tunc impleta putatur, cū Ieſus paruulus adhuc adduxit ab Oriente Magos Matth. 2. qui eius dominatui ſe ſubderent. *Iſaias, 8.*

Sed in tribus hominibus Ieſu ſubiectis qualis fortitudo eripiebatur tyranno? Etant ij tres Magi, id eſt, ſapientes, quos qui à parte ſua tenet, non vane creditur tenere maximam regni fortitudinē. Dicit enim Chryſoſt. hom. 2. in Matth. inter opera Imperfecti: *Ideò autem ſunt dicti virtus Damaſci, quia virtus vniuſcuiuſque prouinciæ ſunt ſapientes ipſius.* Nunquam non venit magna regnis fortitudo, & valentia ex frequentia ſapientum. Nouerat id Sanctus Dauid, vbi enim audiuit Iſraelem toto corde ire poſt Abſalonem, tantaſque eius vires agnouit vt cogeretur fugere, hoc vnum auditur precatus eſſe ad dominum, 2. Reg. 15. *Inſatua, quæſo domine, conſilium Achitophel.* Nō petit, quod arma rebellis conſtringantur, quod exercitus minuatur, quod militum corda langueſcant, ſed vnū hoc petit, quod ſapientis hominis conſilium infatuetur, quod ſolum ſi fiat, cætera omnia nihili facit. Quaſi nec in exercitu, neque in armis fortitudo maneret, vbi cerneretur deficere vir ſapiens, quando à ſapientibus viris non parua ſoleat oriri regnorum fortitudo. Vn de Moyſes Deuth. 33. *Benedictus in latitudine Gad; quaſi leo requieuit, capitque brachiū, & verticem. Et vidit principatum ſuum, quod in parte ſua doctor eſſet repoſitus.* Vel ex cineribus ſapientiſsimi doctoris in ditione ſua depoſiti validiſsimus, vt leo fiebat, qui ictu vno noſſet brachium ſimul percutere cum capite hoſtis, & principatum ſuum maximè confirmare. Sic de ſapientum munere nouit fortitudo pullulare. Quo reſpiciebat illud Apocal. 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, &c.* Expende illa: *Et ſapientiam, & fortitudinem*; quibus ſapientia præponitur fortitudo, vt quæ illius ſit fundamentum principale. Ex quo Athalaricus rex Præfectum Prætorianum extollens apud Caſſiod. lib. 9. Var. 25. ait: *Reperimus eum quidem magiſtrum, ſed implenit nobis Quæſtoris officium, & mercedes iuſtiſsima deuotione perſoluens, cautelam, quam ab authore noſtro didicerat, libēter hæredis vtilitatibus exhibebat. Verum his aliquid maius adijciens primordia regni noſtri & armis iuuit, & literis. Nam dū curæ lictorum regias cogitationes inceſſerent, ſubito à literarum penetralibus eiectus, par ſuis maioribus ducatum præſtitit intrepidos, &c.* Hoc maius adiecit regno obſequium, quod illud armis adiuuit, & literis, & de ſapientiæ penetralibus victorem exercitum duxit. *Matth. 2.* *2. Reg. 15.* *Deuth. 33.* *Apoc. 5.* *Caſsiod.*

Ioſue cap. 15. Dixitque Caleb, qui percuſſerit Cariath Sepher, & cæperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem. Cæpitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb iunior, deditque ei Axam filiam ſuam vxorem. Quæ cum pergerent ſimul, ſuaſa eſt a viro ſuo vt peteret à patre ſuo agrũ, ſuſpirauitq; vt ſedebat in aſino. Cui Caleb; Quid habes, inquit? At illa reſpondit: Da mihi benedictionem: Terram Auſtralem, & arentem dediſti mihi, iunge, & irriguam. Dedit itaque ei Caleb, irriguum ſuperius, & inferius. Hæc eſt poſſeſsio tribus Iuda, &c.

§. VI.

Literarum proſecutores præmijs alendi.

NON Pro capienda Hebron ciuitatẽ gygantum, ſed pro capienda Cariath Sepher filiæ nuptias promiſit Caleb, dicens: *Qui percuſſerit Cariath Sepher, & cæperit eam, dabo ei Axam filiam meam.* Et quando pro capienda Hebron nullum fuit præmium propoſitum; cur illud proponit pro capienda Cariath Sepher? Erat hæc ciuitas literarum, in qua & ſapientes, & doctores habitabãt; & ideò in eius expugnatione præmium proponitur, vt innuatur, quam ſint præmijs iuuandi homines, & excitãdi pro capiendis ſtudijs literarum. Ex quo Athalaricus rex apud Caſsiodor. 9. Var. 21. ait: *Caſsiod.* *Nuper ſiquidem, vt eſt de vobis cura noſtra ſolicita quorumdam ſuſurratione cognouimus, doctores eloquentiæ Romanæ labores ſui conſtituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, vt ſcholarum magiſtris deputata ſumma videatur imminui. Qua propter, eum manifeſtum ſit, præmium artes nutrire, nefas iudicauimus, doctoribus adoleſcentum aliquid ſubtrahi, qui ſunt prorſus ad glorioſa ſtudia, per cõmodorum augmenta prouocandi.* Languet maximè, qui ſine præmio ad Sapientiæ contendit, vel limina: qui autem eios penetralia tenere debet, multis præmijs, & commodis eſt prouocandus. Quo ſpectans Proueib. 9. aiebat: *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptẽ. Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mania ciuitatis.* *Prou. 6.* Ecce tibi non primum ad Sapientiæ ſedes obtinendas vocantur, quam farta precioſis vinis, & dapibus menſa proponatur, cuius commodis capiantur. Nunquam enim cõparari debet ſapientiæ ſedes; niſi præmium oboculos obãbulet. Actor. 7. dicit: *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum, &c* quam ſapientiam, vt ex magiſtris compararet, regia præmia fecerunt, quæ filia Pharaonis exhibuit. Ait enim D. Baſil. *D. Baſil.* hom. 1. in Exam. *Moyſes ille, quem ſibi adoptatum filia Pharaonis magnifico, ac regali impendio curauit educandum, & ad ſe accitis ſapientibus Ægyptiorum, inque magiſtros præfectis puerum tradidit erudiendum.* Itaque regali impendio magiſtros acciuit, vt puero Moyſi ſapientiam compararet. In quibus præmiandis profuſiſsimi fuere multi imperatores, quod notat Ioannes Liuineius in notis ad orat. Paneg. 4.

§. VII.

Humana ſtultitia vilibus inhiat, & leuidenſibus.

VT Cæpit Othoniel ciuitatem literarum, Axam in vxorem accepit, cui perſuadet, vt ex patre petat agrum irriguum. Annuit Axa marito, & cum pergerent ſimul; ait textus de illa: *Suſpirauitque, vt ſedebat in aſino.* Petitura irriguum in primis ſuſpirat, ſed illud notandum, quod vt ſuſpiraſſe illa dicitur à textu, ſimul notat ſuſpiraſſe, *vt erat in aſino.* Quid ſibi vult hæc notatio? Quid quod ſederet in aſino cum ſuſpirio fœminæ? Sapienter innuebatur, vnde oriantur ſuſpiria pro rebus vilibus, & leuidenſibus, nempe ex aſinina ſtultitia. Vna enim aſinina ſtultitia eſt, quæ pro habendis aquis, pro rebus vilibus, & leuidenſibus ſuſpirat. Maximus ille Sanſon Iud. 14. ſtrangulauit leonem, proiecitque eius cadauer iuxta viam, & poſt paucos dies reuertens cadauer leonis viſurus, *Iud. 14.* *ecce examen apum erat in ore Leonis, ac fauus mellis. Quem cum ſumpſiſſet in manibus comedebat in via.* Sed etiam in cap. 15. validam hoſtium manum in maxilla aſini perdidit, & poſt victoriam, cum ardenti ſiti clamaret

ret ad Deum: *apperuit dominus molarem dentẽ in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus hausti, &c.* Compone modo maxillam, & maxillam, nimirum maxillam leonis, & maxillam asini; illa dulcissimũ mel Samsoni effundunt, hęc aquam scaturiunt. Quid aliud expectes de asinina stultitia? Sanè animus virtute, sapientiaque informatus suauissima, prętiosissimaque nectara fundit, stultus autem asininus ve animus viles sapit aquas, nec aliquid non vile æstimat, & commune brutis. Pulchrè canebat Amęnus in Enchirid. veteris testam. inquiens. *In victum virtute coma Leo frangere Samson Aggreditur, necat ille ferã, sed ab ore Leonis Mella fluunt, maxilla asini fontẽ vomit vltro. Stultitia exundat lymphis, dulcedine virtus.* Amæn.

Equidem qui virtute sapientiaque pollet, non nili prætiosis suauibusque cœli nectaribus contentus est; asinina autem stultitia mella non nouit, pretiosa, & diuina nõ gustat, tota posita est in turbidis ijs & vilibus aquis Ægypti. Quo spectans Iacob Gen. 49. aiebat: *Issachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem, quod esset bona, & terram, quod optima, & supposuit homerum suum ad portandum factusque est tributis seruiens.* Genes. 49 Et merito dum inducitur sic ad terrã affectus, asinus vocatur; stultitia enim asinina est in hominibus, quod nihil præter hæc vilia, & terrena ex animo sapiant. Hinc Matth. 17. dum Dominus in gloria transfigurationis apparet, admirãs Petrus tantum Iesu splendorem ait: *Domine Bonũ est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, &c.* addit Mar. cap. 9. *Nõ enim sciebat, quid diceret:* & Lucas cap. etiam 9. *Nesciẽs, quid diceret:* Stultitiæ, & ignorantiæ condemnatur Petrus à duobus Euangelistis in hac petitione sua. Et merito quando ad momentaneum illum splendorem transfigurationis sic afficiebatur, vt nihil aliud requireret. Ait enim D. Cyprian. ser. de Resur. *Mirati sumus in transfiguratione, quando sicut Sol resplenduit facies saluatoris, & vestimenta eius candorem omnem exuperantia Apostolorum euetauere conspectum: sed momentaneus ille decor imaginem, non speciem; similitudinem, non substantiam; partem non plenitudinem transformationis mirifice explicauit.* Et mirabimur, quod Petrus ignorantiæ arguatur, quod sic attendat ad momentanea decora? Plane de stultitia venit, quod hæc momentanea, & vilia suspiremus, & aliud non requiramus præter ea. Matt. 17 D. Cypr.

§. VIII.

Hoc vnius Spiritus diuini est, quod optima quæque cum suis partiatur.

VIDE Vsitatissimam Axæ querelam, ait enim ad patrem suum: *Terram australem, & arentem dedisti mihi, &c.* Data fuerat Calebo optima, & irrigua terra; ipse tamen optimam, & irriguam sibi integram reseruans, arentem filiæ dedit. Et quando inter creaturas hæc non vigeat querela; quod sola arentia dentur, quod optima sibi quisque integra reseruet? Crede mihi solus Deus est, qui nescit non partiri nobiscum optima quæque. Paul. ad Col. 1. ait de Iesu: *Qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa::: Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, &c.* Mirabar, quod Paulus toties repeteret Iesum esse primogenitum omnis creaturæ, imò primogenitũ ex mortuis in resurrectione; quando ius primogenituræ adeò suspectum, & inuisum solet esse fratribus minoribus. Qui enim audit in humanis primogenitum; audit illum, qui sibi optima quæque capiat, qui nihil non paruum & leuidense cæteris fratribus relinquat. Cur ergo Paulus nobis minimis fratribus non cauet ostendere Iesum primogenitum? Nonne timeamus ab illo spoliari optimis quibusque? Absit hoc in Iesu, de quo Paulus præposuit illud: *Qui est imago Dei inuisibilis, &c.* qui purus homo est, puraque creatura optima quæque reseruat sibi, cæteris etiam fratribus, etiam intimis, & charissimis leuidensia sola relinquit. At Iesus, vt Deus est, etiã primogenitus nascens, & à mortuis resurgens, nihil sibi tunc optimum accipit, quod non dignetur partiri nobiscum. Ad hæc ait D. Cyprian. ser. de Resur. *Agunt in cœlestibus hæc pascalia gaudia, angelici spiritus, & resurgentis domini gloriam admirantur, & delectantur in eo, quod forma serui reuersa sit in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis redierit maiestatem. Sed & in hoc multiplicata sunt gaudia, quod & his, pro quibus se humiliauerat, tantæ excellentiæ beneficium dignatur esse cõmune, & partiri nobiscum suæ abundantiam voluit claritatis, &c.* Duo dicit Cyprian. alterum quod resurgente Iesu forma serui reuersa est in formam Dei; alterum, quod resurgens glorioſus vbi Dei formam in maie- Ad Coll. 1. D. Cypr.

in maieſtate cæpit monſtrare; noua inde gaudia multiplicantur, quando tantæ excellentiæ beneficium non ſibi vni prærripuit, ſed commune illud nobis fecit, vt glorioſæ reſurrectionis participes fiamus. De ſpiritu enim Dei eſt, quod magnum acci-
Matth. 3. piens illum nobis commune faciat. Matth. 3. iuit Ieſus ad Iordanem, vt baptiſmum Ioannis ſuſciperet: *Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli; & vidit Spiritum Dei deſcedentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.* Actor. 1. venit Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos in ſpecie ignearum linguarum; ad Ieſum autem venit in columbæ ſpecie. Et cur in ſpecie columbæ venit ad Ieſum? Vna columba in diuinis literis filio Dei ſimilis apparuit, in eo, quod nihil magnum accepit, quod illud & hominibus non communicaret. Sic Gen. 8. poſt dilubium miſit Noe coruum ex aqua, qui referret altori ſuo nũtium ſerenitatis; ille autem exiens vbi inue-
Geneſ. 8. nit ſibi eſcas, nihil Noemo curauit renuntiare. Quid tunc? Miſſa columba ſemel, & iterum eſt, *At illa venit ad eum ad veſperã portans ramũ oliuæ virẽtibus folus in ore ſuo.* Inuenit columba poſt dilubium expectatam tranquillitatem humi cubare, vidit amæniſsima prata, floridiſsimos arbores, ſplendentem ſolem; nihil hoſtile, nihil inimicum ſentiri, ſed omnia in placidiſsima quiete verſari. Inter hæc oblita ne eſt altoris ſui? Minime; quin potius accepto viren ti oliuæ ramo pergit ad arcã, referens Noemo pacem, quam ipſa iam fruebatur. Quod celebrat Amænus in Enchirid. veter. teſtam. fatus:

Nuntia dilubij iam decreſcentis ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis Oliuæ.
Coruus enim ingluuie per fœda cadauera captus
Hæſerat, illa datæ reuehit noua gaudia pacis.

Eu Spiritũ mũdanũ! O Spiritũ diuinũ! Mũdialis ſpiritus coruinus eſt, dũ ſibi habeat, aliorum non meminit. Ales principem hominem, aut potentem, multiſque muneribus illum obligabis; pergens ille ad ſua, præſtãtiſsimiſque ſuis bonis incubans, nec oculos ad te conuertet. Spiritus autem diui nus columbinus eſt, columba eſt Chriſtus meus, de qua veriſimè dicam: *Illa datæ reuehit noua gaudia pacis*; datam pacem ſibi à patre, & tranquillitatem & gloriam poſt dilubiũ paſsionis, ſtatim illã nobis reuehit. Nihil enim gloriæ, nihil pacis datum ſibi accepit, quod nobis non partiatur. Contẽplor enim à ligno crucis emiſſus candidiſsimus ſpiritus Ieſu; qui vt ſe expedit à liga-

minibus crucifixæ carnis tranquilla omnia inuenit, & plena æternæ pacis. At non mãſit diu inter illa, quin veniẽs ad ſepulchrũ, & reuniens ſibi carnem, florido corporis ſui & virenti ramo aſportato ad dicipulos redit, clamatque *Pax vobis, Pax vobis*; vt enim candidiſsima columba datæ reuehit noua gaudia pacis. Neſcit tantam gloriam, tãtamque pacem ſibi datam accipere, quin eam nobis partiatur. Implere chriſtiane hoc ſpiritu, & nulla à Deo tibi data habeas, quæ tuis proximis non partiaris.

§. IX.

Ieſus dolet homines non madefieri ſuo precioſo ſanguine.

SVSPIRAT Axa, quia terram acceperat arentem, & non irriguam; dicit enim textus: *Suſpirauitque, vt ſedebat in aſino. Cui Caleb; Quid habes inquit? At illa reſpondit: Da mihi benedictionem; Terram auſtralem, & arentem dediſti mihi.* Ecce tota cauſa ſuſpiriorum Axæ, nimirũ quod data fuerit illi terra arida. Et fallar, niſi & hoc ſolicitauerit præcordia mei Ieſu; nimirum quod homines pateretur aridos, qui minime epoto eius diuiniſsimò ſanguine
Ioan. 19. rigabantur. Ioan. 19. ait: *Sciens Ieſus, quia iam omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur ſcriptura, dicit: Sitio.* Et mirabar tunc ſitire Ieſum, adeò vt de ſiti doleret, quando eius præcordia erãt plena aquà; dicit enim ibi Ioannes: *Vnus militum lancea latus eius apperuit, & continuo exiuit ſanguis, & aqua.* Cui aqua ſuppetebat in viſceribus, cur ſe ſitirè, & areſcere queratur? Illa magis ſitis, & ariditas ſaluatorem vexabat, quam homines patiebantur, qui eius ſanguinis irri-
Arnold. guum non participabant. Ait Arnold. Carnot. tractat. ad illa verba: *Profluentibus de ſacro latere aquis viuentibus, emanantibus de fonte vberi largis liquoribus, Chriſtus ſitire ſe perhibet, & ipſe mundum irrigans, & fœcundans de ariditate cauſatur. Omnino ſanè ſitis illa exprimit, vt adhuc non illabebatur ſanguis, & aqua in corda diſcipulorum radicitus; nec immaduerant ebrietate ſpiritus, quorum animas timor, & dubietas ſiccauerat.* Quando Ieſus meus totus manabat aquis, ſitis, & ariditas eius, de qua querebatur, nõ dubito pertinuiſſe ad diſcipulorum ſitim, & ariditatem, qui timore, & dubietate ſiccati, ſicut terra ſine aquà, & ſicut ſitibundi

ſine

sine potu diuinissimi sanguinis coram illo representabantur. Calix diuinissimi sanguinis non radicitus profluebat corda credentium; nondum credentes maduerant fluento Spiritus Sancti: hic Iesus sitire se queritur, quasi adhuc ex patre terram sitientem, & aridam nactus.

§. X.

Diuina, & cœlestia semina dũ corde excipiantur, ipsa pluuiam afferunt. Vbi de Eucharistia.

QVERITVR Axa de accepta terra arida, dum ait: *Terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam.* Et merito, quæ frumentum mundiale spectabat, irriguam terram quærit, arentem abijcit, licet enim terra optime culta sit, & granum in illa tempestiue seratur, si aqua defecit, perit totus humanus labor. Non sic in cœlestibus seminibus, quæ si corde bono capiantur, ipsa secum pluuiam afferunt, qua alantur. Et cor paratum requiritur, & semen cœleste ibi applicatum; quod si ita sit, inibi iã est pluria, & humor salutaris. Dauid nactus Saulem infensissimum sibi hostem, noluit eum occidere, cũ posset, sed ostenso signo datæ salutis verba misericordiæ, & pacis ad illum loquebatur 1. Reg. 24. *Cum autem complesset Dauid loquens sermones huiuscemodi ad Saul, dixit Saul: Nunquid vox tua hæc fili mi Dauid? Et leuauit vocem suam Saul, & flenit.* Miraberis, quod lapideus Saulis animus sic in lachrymas soluatur. Vnde tam arido cordi supperarunt tot venæ aquarum? Sæuit in illo Dauid virtutum verba; quæ dum in corde serantur, secum solent afferre pluuiã salutarem. Quo respiciens D. Chrysost. hom. 3. de Dauid, & Saule fatur: *Non sustinuit Saul hanc vocem audire sine lachrymis, sed plorauit amarè, animi sanitatem, ac philosophiam, quam Dauid inseuerat, lachrymis manifestans.* Equidem riui lachrymarum ostendebat semina virtutum ibi à Dauide fuisse sata; solent enim diuina semina coniuncta esse pluuijs salutaribus. Hinc Matth. 26. paraturus Iesus segetem diuinissimi panis aiebat: *Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum.* Video ibi Ecclesiæ messem excrescere, & nullã pluuiam video, de qua exurgat tantus panis. Et quando ibi seges est diuini panis, vbi sunt rigationis aquę? Ait D. Damas. lib. 4. de Fide, cap. 14. *Dixit Deus: Hoc est corpus meum: atque omnipotenti ipsius præcepto, donec ipse veniat, hoc efficitur, ac pluuia huic nouæ segeti per consecrationem existit Sancti Spiritus vis invmbrans.* Non potest deficere tantæ segeti pluuia; vbi enim apparet triticum hoc viuificum coalescere, certum est illi Spiritus Sancti pluuiam supperiuisse. Felix, qui ad hanc messem aspicit, dum eius culturæ satis intendat, non queretur de ariditate terræ, nec requiret fluenta. Aiebat Ioan. 6. *Caro mea vere est cibus, sanguis meus verè est potus: Hic est panis, qui de cœlo descendit.* Cibus datur nobis in pane, qui non ascendit de terra, sed descendit de cœlo. Et quid singulare habet panis cœlestis? Quãtumuis terra colatur pro pane terreno; deficit aqua, & labores perĕũt pane deficiente. At longe aliter in pane cœlesti, qui si solum ab homine colatur, vt decet, nunquam deficit ex aquarum defectu, nec ex cœlorũ intemperie. Proquo sapienter aiebat D. Amb. in Psalm. 118. serm. 18. *Caro Dei cibus mihi, & Dei sanguis est potus. Non iam ad satietatem mei annuos expecto prouentus, Christus mihi quotidie, mihi quotidie ministratur. Non verebor, nequa mihi cœli intemperies, aut sterilitas ruris immĕneat, si pij cultus diligentia perseueret.* Quippĕ si perseuerat pij cultus diligentia, nunquam hic cœlestis panis deficit. Post summas agricolarum diligentias in colendo agro, post cultissimum agrum panis solet deficere terrenus propter iniurias cęli, siue ob defectũ, siue ob abundatiam pluuiarũ. At panis diuinus si pie, & debite â nobis colatur, superabundat semper, nec siccitates vllæ, aut aliæ cœlorum intemperies timentur.

4. Reg. 24

D. Chrys.

Matt. 26

D. Dam.

Ioan. 6.

D. Amb.

CAPVT DECIMVM Septimum.

Ephraim & Manasse sors.

SECVNDO In sortem deuenere Ioseph filij, Ephraim, & Manasse, quorũ secundus, iam partĕ sortis acceperat ante Iordanĕ, nunc autĕ qui reliqui erãt ex Manasses tribu sortĕ accipiunt cũ Ephraimitis; separatim tamen vtraq; tribus sedit in parte sua. Quę primò & querulæ, & infideles recĕsentur extitisse; querulæ aduersus Iosue, quod angustũ spatiũ & syluis impeditũ, & captu difficile illis attribuerit. Infideles aduersus Deũ nã Chananæos amore lucri maluerũt tributarios facere; quã perimere.

PARS MORALIS circa textus literam.

IN Filijs Ioſephi prima tranſgreſsio auditur mãdati diuini de perimendis Chananæis, nunquam enim amor nummi in tranſgreſsionibus non fert primas.

Ioſue cap. 16. Cæciditque ſors filiorum Ioſeph à Iordane, &c. Vrbeſque ſeparatæ ſunt filijs Ephraim in medio poſſeſsionis filiorum Manaſſe, & villæ earum: Et nõ interfecerũt filij Ephraim Chananæum, qui habitat in Gazer: habitauitque Chananæus in in medio Ephraim vſque in diẽ hanc tributarius.

§. I.

Sub nimis ſenibus gubernatoribus nunquam non vitia conſurgunt.

ACCEPTA Terræ ſorte Ephraim tribus ſibi populos, & ciuitates fecit; ſed non omnino hoſtes excluſit, maluit enim tributarios ſibi facere Chananæos, quam perdere. Sic namque dicit textus: *Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, &c.* Et quando Deus iuſſerat omnes Chananæos interfici, cur iſti permittuntur contra Dei præceptum illis parcere? Ait D. Aug. quæſt. 20. *Hæc iam contra præceptum fiebant, & adhuc viuebat Ieſus, ſed dux eorum in illis prælijs iam præſenectute non erat.* Ecce tibi Ioſue ſenectute grauatus, vt non poterat omnibus prælijs adeſſe; ea relinquebat cuiuſcumque tribus ducibus, & inde oriebantur diuinarum tranſgreſsiones legum. Vt iam pateat, quàm damnoſa ſit in gubernatore nimia ſenectus, quæ vel in Ioſue non potuit cauere, ne legis diuinæ tranſgreſsiones minime frerent. Diſcurre per totam ſcripturam, fallar, niſi vbi nimis ſenex aſſeritur gubernator, ſtatim vitia, & ſcelera non videantur pullulare. Sic 1. Reg. 2. *Heli autem erat ſenex valde, & audiuit omnia, quæ faciebãt filij ſui vniuerſo Iſraeli; & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obſerbant ad oſtium tabernaculi, & dixit eis, Quare facitis res huiuſcemodi, quas ego audio, res peſsimas, ab omni populo. Nolite filij mei, non enim eſt bona fama, &c.* Non antea talia ſcelera audita fuerant in Iſrael; & modo publice perpetrabantur: & perpetrata, & audita à gubernatore, mitiſsimis verbis caſtigabantur. Et vnde talia, & tam horrenda crimina audiebantur impune committi in populo? An quia gubernator nequam erat? Abſit, pius & ſanctus communiter Heli habebatur, ſed non otioſe notat textus de illo, quod *erat ſenex valde.* Vbi autem in gubernatore nimia ſenectus eſt, non mirandum, quod crimina exuberent, & impune committantur! Similiter 1. Reg. 8. *Factum eſt, cum ſenuiſſet Samuel paſuit filios ſuos iudices Iſrael: Et non ambulauerunt filij illius in viis eius, ſed declinauerunt poſt auaritiam, &c.* Seneſcente Samuele filij eius in vitia ruere; quorum vitia, quod à patris ſenectute orirentur, à pœne exiſtimabant Iſraelitæ vniuerſi, quando clamabant: *Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in viis tuis.* De ſenectute namque boni Samuelis veniebat, quod filij in vitia ruere non verentur. Impotentes enim ſunt ſenes, vt vitioſos affectus frænent, maximè in ijs, quos amore proſecuntur: & ideò non mirandum, quod inde vitia creſcant. Non abſimile 3. Reg. 1. *Et rex Dauid ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies::: Adonias autem filius Haggith eleuabatur dicens, ego regnabo, &c.* Sanè iam Abſalon eleuationis, præſumptioniſque ſuæ pœnas dederat, interfectus miſere à patris Dauidis duce; cur Adonias non cauet ſimile ſupplicium? Cur audet coram ipſo rege caſtigatore Abſalonis, in ſimili Abſalonis crimina ire? Præfixit textus illud: *Rex Dauid ſenuerat, &c.* cernebatur rex iam nimis ſenex, & inde minime potens aduerſus iniquos vi irrumpere, quò ſecurus Adonias ferebatur in crimina. Ait Lyra ibi: *Quia patrem videbat impotentem, fuit elatus Adonias ad vſurpandum ſibi regium honorem.* Et ſanè vidit impotentem, vt nimis ſenem vidit; non equidem eſt in profunda ſenectute ea valentia, quæ requiritur, vt doli caueantur, & extirpetur malicia. Dicebat dominus Petro Ioan. 21.

1. Reg. 2.

1. Reg. 8.

3. Reg. 1.

D. Aug.

Cum

Cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quo tu non vis. Scio ijs explicari, vt Petrus violentâ morte pro domino erat occubiturus; sed æstimo methaphorâ sumptam ab eo, quod quotidie senibus solet accidere; quia adeò debilis sunt virtutis, vt facile ab alijs ferantur huc, atque illuc, nec valent resistere etiam in ijs, quæ non placent sibi. Quod notabat Plinius in Paneg. Traiani de anteccessore eius Nerua dicēs: *Magnum quidem illud sæculo dedecus, magnū Reipublicæ vulnus impressum est, Imperator, & parens generis humani obsessus, captus, inclusus, ablata mitissimo seni seruandorum hominum potestas; ereptumque principi illud in principatu beatissimum, quod nihil cogitur.* Vt senissimus erat Nerua, sic Respublica scatebat facinorosis hominibus; & quod vltimæ erat miseriæ, cum Nerua esset mitissimus, à tyrannis cogebatur ire in crudelissimas sententias. Amabat bonus senex liberare plurimos, sed seni mitissimo liberandi alios potestas auferebatur. Et quid non auferant insolentes seni principi?

Ioan. 21.

§. II.

Temporalibus lucris addictus animus facile ab negabit Deum.

VIDE, Regia Idololatrarum Israelitarum tribus, quos faciat primos progressus: *Nō interfecerūt Filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer, habitabatque Chananæus in medio Ephraim vsque in diem hanc tributarius.* Vt tributorum lucellum caperet, pepercit Ephraim Chananæo contra mandatum Dei. Ne miremur, quod Ephraim tribus sic assueta temporalibus lucellis, postea 3. Reg. 12. relinquat Deum, & ad idola diuertat. Nonne regnauit tribus Ephraim in Ieroboam Idolis seruiens? Christiane caue tibi, ne nimis adhæreas lucris temporalibus habendis, nisi velis præ illis habere Deum, & religionem contemptui. Aiebat Ecclesiasticus cap. 10. *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam suam vænalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua.* Quid non committat auarus? In vita sua proiecit intima sua, & vt nihil magis homini intimum est, quam Deus suus, & ille ipse; sic auarus pro lucro non æstimat vendere, & disperdere animam suam, & commutare Deum ipsum. Vt merito dicat D. Leo ser. 9. de Pass. *Videte, dilectissimi, & prudenter inspicite, quæ germina, & quales fructus de auaritiæ stirpe nascātur, quam merito Apostolus radicem omnium malorum esse definiuit: quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis appetitus illicitus istius auiditatis est morbus. Amore pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.* Sanè quidquid timetur de Athæis circa religionem, id merito timeri potest de auaris. Nihil illis adeo intimum est, quod non proijciant, vbi spes lucri apparet. Quam intima fuerat religio, Christi dominique diuinitas Osio illi cantatissimo Episcopo Cordubensi? Quam acerrime pro vtraque decertauit? Accipite tandem de illo D. Isidorum fantē lib. de Scriptor. Ecclesiast. cap. 1. *Osius autem post longum senium vetustatis, arcessitus à Constantio principe, minisque perterritus, metuens ne senex, & dines damnarerum, vel exilium pateretur, illico Arrianæ impietatī consensit.* Expende illud, quod hominem propugnatorem fidei acerrimum traxit in hæresim, nimirum, *ne senex, & dines damnarerum pateretur.* Eu diuitiæ intimis adhærentes visceribus, quàm excluditis omnem diuinitatis æstimationem, & scientiam. Sanè nullum est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum. De hac labe plura in præsenti tomo, & in alijs habes.

D. Leo.

D. Isid.

Eccl. 10.

§. III.

Ingens dolor, quod se in illa se de quis videat deiectum, in qua ipse triumpharat.

PECCAVIT Ephraim non occidens Chananæum, sed illum tributarium faciens; quippè dicit: *Non interfecerūt filij Ephraim Chananæum, qui habitauit in Gezer: habitauitq; Chananæus in medio Ephraim vsque in diem hanc tributarius.* Et quando Chananæi Gezeitæ seruati fuerant ab Ephraim contra mandatum Dei, cur Deus non fecit illos occidi? Simile piaculum

commiſerat Saul 1. Reg. 15. nam iuſſus in-
1. Reg. 15 terficere omnes Amalechitas, poſt illos de-
uictos ait textus: *Et pepercit Saul & omnis populus Agag, & optimis gregibus, &c.* Sed parum poſt Samuel ſpiritu Dei plenus ipſum Agag in fruſtra concidit, dicit enim textus: *Et in fruſtra concidit eum Samuel coram domino in Galgalis.* Sic qui contra mandatum domini liberatus fuerat à Saule, occiditur à Samuele. Cur ergo ſimiliter, qui Chananæi liberati fuerant ab Ephraim cõtra mandatum domini, non trucidati ſunt ab alio, ſed magis relicti ſunt in Gezer tributarij Ephraimi? Relinquebantur Chananæi Gezeritæ tributarij Ephraimitarũ, non in bonum, ſed in malum eorum; vt ſe deiectos videntes in ea ipſa ciuitate, in qua regnarant, & alios ibi regnantes, magis morderentur, & affligerentur. Sic minabatur dominus Heli 1. Reg. 2. *Ecce dies veniunt; & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non ſit ſenex in domo tua. Et videbis emulum tuum in templo, in vniuerſis proſperis Iſrael: & non erit ſenex in domo tua omnibus diebus. Verum tamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo, ſed vt deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua, &c.* Ecce tibi Deus iratus in Heli eum ſummi Sacerdotis dignitate ſpoliat, quin omnes illius poſteros remouendos aſſerit à tali dignitate, alioſque eorum loco conſtituendos. Sed & illud etiam iratus aſſerit, nimirum: *Verum tamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo.* Et cur quando iratus remouet Deus omnes Heli poſteros ab altari ſuo; adhuc aſſerit aliquem ſemper eorum relinquendum altari ſeruientẽ? Nonne in hoc iam ira Dei videtur aliquo modo emollita circa Heli genus? Minime; ſed inde apparet magis acerba, quod velit manere aliquem ex Heli familia in templo, vt videns ſe deiectum in ea domo, in qua præcipuis infulis floruerat, & videns aliũ ibi in gloria, & honore eſſe, magis morderetur, & affligeretur. Ait Ruper. lib. 1. in lib. Reg. cap. 7. *Ideò ſe dominus non penitus ablaturum ex domo Heli virum ab altari ſuo dicit, vt ſemper de domo Heli eſſet in domo domini vir, qui in dignitate Sacerdotis alium conſtitutum videret, vt ſe eadem dignitate priuatum videns, oculi eius deficerent, & anima eius tabeſceret.* Et quis non tabeſcat, & ſupra dolorem mortis doleat videns alium elatum in bonis, quæ ipſe perdidit? Iudæis
Luc. 13. dicebat dominus Luc. 13. *Tunc incipietis dicere, Manducabimus coram te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti. Et dicet vobis, Neſcio vos, vnde ſitis, diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium: cum videritis, Abraam, & Iſaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro & accumbent in regno Dei.* Expende illa: *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium, cum videritis, &c.* non ſolum cum flammis dentur, nec ſolum cum æternæ tradantur morti; ſed & cum ſolum videant Gentes ab Aquilone, & Auſtro venientes conſtitui Abrahæ filios, & recumbere in regno, quod ipſi perdiderunt; & extra quod manent foris, hoc illis in ſummum fletum, & ſtridorem dentium cedet. Ait Tertull. lib. 4. in Mar. *Ibi erit fletus, & frendor dentium. Vbi? Foris ſcilicet, vbi erunt excluſi oſtio clauſo ab eo. Erit ergo pœna, cum videbunt iuſtos introeuntes in regnum Dei, ſe vero detineri foris.* Plane omni morte durior pœna eſt, quod quis videat alios intrantes in gloriam, in eaque triumphantes, aqua ipſe excidit, & ſine qua manet in ſummum opprobrium deiectus.
Tertull.

Ioſue cap. 17. Cecidit autem ſors tribui Manaſſe, &c. Salphaad vero filij Hepher, filij Galaad, filij Machir, filij Manaſſe nõ erant filij, ſed ſolæ filiæ: quarum iſta nomina ſunt, Malaa, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Therſa. Veneruntque in conſpectu Eleazari Sacerdotis, & Ioſue filij Nun, & principum dicentes: Dominus præcepit per manũ Moyſi, vt daretur nobis poſſeſsio in medio fratrum noſtrorum. Deditque eis iuxta imperium domini poſſeſsionem, &c.

§. IIII.

Fœminarum nomina pro ingenti virtutum cumulo ponuntur in ſcriptura.

SAlphaad filias memoras diuinus ſcriptor, non grauatur eorum nomina recenſere,

censere, quippè ait: *Quarũ ista nomina sunt, Malaa, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa.* Et dictis nominibus nihil de illis magnæ virtutis dicit, nisi quod petierunt hæreditatem paternam dari sibi. Cur ergo nihil magnæ virtutis dicturus de ijs fœminis, voluit sic exacte earum nomina scribere? Equidem quarum nomina dicebat, eo ipso ostendebantur magnæ virtutis esse; stat enim pro ingenti virtutum cumulo nominis fœminei commemoratio, quæ per diuinum scriptorem fiat. Matt. 28. Ait Matth. 28. *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* Verũ Lucas cap. 24. ait: *Vna autẽ Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum portantes quæ parauerant aromata, &c.* A Matthæo exprimuntur mulieres cum nominibus suis, sed nihil magnum de illis dicit, nisi quod venerunt videre sepulchrum. A Luca autem mulieres exprimuntur tacito earum nomine, sed non tacita virtute, & deuotione, qua vnguenta preciosa emerunt, vt vngerent Iesum. Et cur Matthæus, qui nomina earum exposuit, nihil de aromatibus emptis, nihil de animi deuotione in ijs expensis ostensa voluit dicere? Sanè quarum nomina meminerat, vel in eo solum pares illas faciebat ingenti præditis virtute. D. Amb. Ait D. Amb. ibi: *Denique aliæ cum vnguento primâ Sabbati veniunt, aliæ sine vnguento Vespere Sabbati. Istarum nomen exprimitur, illæ de Galilæa secutæ dominum designantur.* Ecce tibi quarum nomina dicebantur, tacebantur virtutes: quarum tacebantur nomina, virtutes dicebantur, quod emerint aromata, quod secutæ fuerint Iesum: pro quibus omnibus vna stabat nominum designatio in primis. Quando enim sacer scriptor sic fœminarum nomina proferret, nisi multarum virtutum gloria splendescerent? Nazian. Nazianz. epist. 95. sic sic glorioſæ meminit fœminæ: *Quid faciamus aduersus Dei legem, iam olim vigentem, ac dominantem, quæ Theosebiam meam habet, Theosebiam Ecclesiæ decus, Christi ornamentum, ætatis nostræ vtilitatem, fœminarum fiduciam; Theosebiam vere sacram, & Sacerdotis coniugem, & honore parem, magnisque mysteriis dignam; Theosebiam, quam futurum quoque tempus excepturum est in immortalibus columnis, hoc est, omnium animis sitam. Nec vero mirum tibi videatur, quod eã sæpe appellem. Nam etiam beatæ illius fœminæ memoriam pro delicijs habeo.* Sic sanctissimus pater fœminæ beatitudinem, & gloriam ostendebat ex eo, quod eius nomen tã crebri rapetitione volueret. Nescit enim sacer scriptor, & integerrimus theologus Ecclesiæ fœminarum nomina meminisse, quæ non sunt in maxima virtutum gloria. Iesus Mar. 2. mortuã excitaturus ait: *Puella, tibi dico, surge.* Mar. 2. Petrus autem Actor. 9. in simili facinore constitutus ait: *Thabita, surge.* Act. 9. Iesus à puellæ nomine recensendo abstinuit, Petrus autem nihil prius profert, quam nomen proprium defunctæ. Et cur cum sciret Petrus à Iesu dissimulatum fuisse nomen puellæ suscitatæ, maluit ille nomen prædicare Thabitæ? In nomine Thabitæ à Petro prolato, ostendebantur ingentes fœminæ virtutes. Nisi enim illa esset apud Apostolos præclaris operibus insignis, minime eius nomen Petrus proferret. Hinc post eius numeratas virtutes aiebat Chrysost. hom. 21. in Acta: *Hanc igitur primam mortuam excitat Petrus, vocans nomine.* Chrysost. Tanta debuit esse mulier, quæ ex nomine vocaretur à Christi Apostolo.

§. V.

Non parua calamitas est, quæ nobiles fœminas cogit adire magistratuum fora.

NON Parui pudoris res dicitur de filiabus Salphad, quod pro habendâ hæreditate paterna tot adirent virorum conuentus. Ait enim: *Veneruntque in conspectu Eleazari Sacerdotis, & Iosue filij Num, & principum dicentes, &c.* Et quantũ hoc in nobilibus puellis, ingenue educatis? Accipite D. Nazian. epist. 146. de Simplicia nobili vidua differentem apud Iudicem Iacobum: quippe ait: *Ornatissimam matrem nostram Simpliciam, probi, atque honesti viri Alypij quondam vxorem, cum miseris viduitatis, atque orbitatis nominibus tibi offero, vt abs te, de his rebus, in quibus ope tua indigebit, ius suũ obtineat. Ac calamitatis magnitudinem quæso conspice. Non dum luctibus finem imposuit, & de pupillis laborat, ac longas peregrinationes, in tam imbecilli corpore, ac negotiorum insolentia, ea suscipit, quæ nec quidem vltra domus limen egredi consueuit. Quo quid miserabilius? Nempe nobilitatis pudorem calamitate opprimi?* D. Nazian. Sanè ad magnam miseriam, & calamitatem refert, quod pudor ille nobilium fœminarum, quo domi clauduntur, sic opprimatur, vt contempto illo

illo cogantur ſe dare virorũ conuentibus, magiſtratus adire, iudicum circumcurſare domos, & litigantium more nullorum officialium conſpectum fugere. Hoc expauerat illa Cant. 1. dum ait: *Iudica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum, &c.* Verebatur equidem maxime, ne cogeretur circumcurſare domos magiſtratuum, & principum mundi, quærens inde ius ſuum. Et Maria, quæ non cauit approximare cruci Ieſu; cauit principum domos adire, aliquid poſtulans ab illis. Ait enim Ioan. cap. 19. de illa: *Stabat autem iuxta crucem Ieſu Maria mater eius, &c.* Verũ vbi deponendum à cruce erat diuiniſsimũ cadauer, ait Matth. 27. *Venit quidam homo dines ab Arimathæa nomine Ioſeph; hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu.* Maria acceſsit ad crucem, Ioſeph ad Pilatum acceſsit petens corpus Ieſu; cur & Maria nõ etiam iuit, vel ſola, vel cum Ioſeph ad Pilatum, vt peteret corpus filij? Metaphraſtes de vita Mariæ ait: *Venit ad Ioſeph virgo Maria, & ait: Da ergo mihi hanc gratiam, & cõmuni, inquam, huic magiſtro. Audacter pete illius corpus, vt deponatur, & mandetur ſepulturæ. Ex me non poſſum quidquam facere, vt vides, cum ſim ſola, & hoſpita, &c.* Ecce tibi Maria Ioſephum conuenit, ab illoque petit, vt Pilatum adeat, & depoſcat dari ſibi corpus Ieſu ſepeliendum. Et cum hoc petat Maria à Ioſeph, ipſa ſe à tali munere excuſat. Et cur non magis ſeſe offert ſotiam ad petendum filij corpus à Iudice? Sanè prouidebatur, ne nobiliſsimæ, diuiniſsimæque fœminæ grauaretur pudor, dum circumcurſare cogeretur domos prophanorum iudicum. Miſerrimum enim putat Nazianz. ſic nobilem fœminam concuti, vt coram iudicibus & magiſtratibus ſe ſiſtat.

Cant. 1.

Ioan. 19.

Matt. 27

§. VI.

Dei eſt tam viris, quam fœminis prouidere.

VIDE, Quas leges pro ſe afferant bonæ puellæ coram diuiſoribus terræ, nimirum dicunt: *Dominus præcepit per manus Moyſi, vt daretur nobis poſſeſsio, &c.* Dominus, inquiunt, præcepit; homines enim ſæpiſsime filias ab hereditate paterna excludunt, maluntque rem potuis ad remotum, vel extraneum devolui, quam ad filias. Non ſic Deus, cuius eſt vtrique ſexui æqualiter proſpicere. Ioel cap. 2. *Erit poſt hæc, & effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ.* Sic in diuina dona admittuntur & filij, & filiæ: nec minima, & deſpecta puella excluditur. Ait enim ibi D. Cyril. Alex. *Prophetaturos autem dicit filios, & filias, gratiæ plenitudinem in hoc, & omnium in eo æqualitatem ſubindicans. Nec enim aſpernatur Deus muliebre genus, ſi, quæ ipſi placẽt, prompte præſtiterit, & ſapere voluerit. Nec irremuneratum, aut ſanctificationis expers erit, ſi per fidem, & operum bonorum bonitatẽ alicunde inclaruerit.* Hominum eſt filias à paterna hæreditate eijcere; Deus autem & filios, & filias æque amplectitur, pariqueque bonorum affluentia dignatur ditare ſexum vtrumque, dummodo perillas non deſit. Dixerat dominus Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Sed & Gen. 2. de fœmina facienda ait: *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi:* Quæ expendens D. Baſil. Sel. orat. 2. ait: *Faciamus, ait, adiutorium. Haud diſſimilia conſilia: etenim quæ formabãtur, generis eiuſdem erant; figuræ ſimiles, quia pari in pretio, quæ fiebant. Iterum igitur deliberatio, vt quod formabatur, in honore eſſet: æquali cum dignitate hominem efformemus, æquali gloria cum eo coniungemus, ne ſit honore defectior mulierecula.* Vide quàm bonus Deus, quàm æquus in fœminas, & viros; anxie, vt ſic dicam, cauebat, ne quid minus fœmina e ſuis diuiniſsimis manibus haberet. Sola enim ratio meritorum valet apud Deũ, non ſexus, quippe ait D. Paul. 1. ad Corinth. 11. *Neque vir ſine muliere in domino, neque mulier ſine viro.* Non vtique apud Deum valet vir excluſa muliere, neque è contra valet mulier excluſo viro, neſcit enim virtus ſexus differentiam, ſed meritorum. Aiebat D. Baſil. ſupra: *Neq; enim generis diſcretione fides oritur. Sic Paulo deſiniente: Neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro, cum naturæ differentiam virtutis curſus neſciat. Æqua namque profectio viris, & mulieribus eſt pietatis ratio, & par virtutis conſectandæ ſtadium alteri cum altero apertũ eſt.* Neſcit equidem virtutis curſus differentiam ſexus, ſolam meritorum differentiam ſcit.

Gen. 1.

Baſil. Sel.

D. Paul.

D. Baſil.

Ioſue 17. Locuti ſunt filij Ioſeph ad Ioſue, & dixerunt: Quare dediſti mihi poſſeſsionem ſortis & funiculi vnius, cum ſim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi do-

hi dominus. Ad quos Iosue ait: Si populus multus es, Ascende in Syluam, & succide tibi spatia in Terra Phærezæi, & Raphain: quia angusta est tibi terra montis Ephraim, &c.

§. VII.

Quæ peculiari Dei fauore nituntur, vel absque vllis medijs fieri solent.

COMPONAMVS Filios Ioseph, cũ filiabus Salphæ in petitione sua; de filijs Ioseph dicitur modo: *Locuti sunt filij Ioseph ad Iosue, &c.* verum de filiabus Salphæ dixerat: *Venerunt in conspectu Eleazari Sacerdotis, & Iosue filij Nun, & principum dicentes, &c.* Ille vnum Iosue conueniunt, vt accipiant sortes latiores, hæ non solum Iosue, sed & Eleazarum Sacerdotẽ, & principum conuentus adeunt, vt suam accipiant sortem. Et cur filiæ Salphæ per tot discurrunt magistratus pro iure suo obtinendo, & filij Ioseph solum vnum Iosue conueniunt? Filij Ioseph nitebatur particulari Dei gratia, & fauore sibi promisso; dicunt enim: *Quare dedisti mihi possessionem sortis vnius, cum sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi dominus.* Sic benedictionem de augendo Iosepho iam pridem à Deo datam in medium proferunt, qua nitentes nõ multa media requirunt, vt obtineant, quod volunt, contenti si vel vnum verbum ad Iosue loquantur. Filiæ autem Salphæ nitebantur communi lege à Deo lata pro omnibus filiabus Israelitarum, vt si fratribus carerent, ipsæ adeant paternam hæreditatem. Nec miror, quod hæ pluribus vtantur medijs pluriumq; officia negotientur. Quę enim de lege communi veniunt, plurimis negatianda, & maturanda sunt; quæ ex particulari nascuntur fauore, pene absque tot medijs fieri solent. Ioan. 11. clamauit dominus: *Lazare veni foras. Et statim prodyt qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus instit, &c.* Vocatur vt veniat, & ipse statim prodit, & ligatus pedes institis prodit; cur ligatus pedes prodit? Cur non magis expectat, vt ligaturæ soluantur, & sic aptetur, vt prodire possit? Vbi Dei gratia & fauor operabatur, non requiruntur dispositiones

Ioan. 11.

præcedentes, nec multa media, sed immediate habentur Dei dona. Ait ibi D. Amb. de Fide Resur. *Comprehende si potes, quemadmodum clausis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradum dirigat, inseparabili gressu, separabilique progressu. Manebant vincula, nec tenebant: tegebantur oculi, sed videbant. Virtute enim diuinæ præceptionis operante, natura suum non requirebat officium; & tanquam in excessu posita, non iam suo ordini, sed diuino nutui seruiebat. Rumpebantur prius mortis, quam sepulturæ vincula, agebatur prius; quã parabatur incessus.* Quid pulchrius? Expende illa: *Agebatur prius, quã parabatur, &c.* vbi iuxta communes regulas, & leges procedis, multis indiges dispositionibus, multis præparationibus, vt cõcupita obtineas; verum vbi iuxta peculiarem Dei fauorem & gratiam operaris, prius videbis rem actã, quam paratam. Nec miror, quod qui Dei particulari gratia nititur, non nimis dispositionibus fidat. Ait Ecclesiasticus, cap. 39. *Obaudite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate. Quæ si libanus odorem suauitatis habete. Florete flores, quasi lilium & date odorem, & frondete in gratiam.* Cum fructibus loquitur, & petit vt floreant, & vt instar rosa fructificent; at flores prius præmitti debent, vt sequantur fructus; imò in florum abundantia, prępara tio est, & dispositio ad fructus. Cur ergo modo ante agit cum fluctibus, quam cum floribus? Rationem indicant verba illa: *Frondete in gratiam*; vbi enim non legibus naturę, sed gratię peculiari fauore nitimur, possumus sperare, quod prius res agatur, quam paretur; prius veniant fructus, quam flores. Hinc Mar. cap. 16. mulieribus Iesum sepultum quærentibus ait Angelus: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic.* Quem surrexisse annuntiat, Nazarenum, id est, floridum vocat. At resurrectio ad fructũ spectat; cur ergo post fructum resurrectionis editum, florentem viræ arborem annuntiat? In tantæ gratiæ operatione, simul & fructus, & flores existunt. Vt dicat D. Hieron. ibi: *Iesum quæritis Nazarenũ. Radix amara crucis euanuit; flos enim vitæ cum fructibus erupit.* Non fuit necessum florẽs præmitti, in illisque colendis, parandisque multum temporis consummi, sed simul erupere flores, & fructus. Sanè vbi Dei operatur singularis benedictio, sine medijs, præparationibusque multis in fructum itur. Vide infra cap. 23. §. 10.

D. Amb.

Eccles. 39.

Mar. 16.

D. Hier.

§. VIII.

Dona ad potentes facile currunt, non ſic ad imbecilles.

ITAQVE, *Locuti ſunt filij Ioſeph ad Ioſue, & dixerunt, &c.* at filiæ Salphę, *Venerunt in conſpectu Eleazari Sacerdotis, & Ioſue filij Nun, & principum dicentes, &c,* Vide, quot viros conueniunt puellæ, vt petant ſortem paternan; per quot tribunalia circumferuntur; at filij Ioſeph cum vno Ioſue dicuntur locuti. Et quando illæ tot adeunt viros, cur hi ad vnum ſolum vadit? Potentes erant viri, illæ autem infirmę puellæ; dona autem quæ ad infirmos, & inualidos ægre veniunt, & difficulter, & poſt mille negotiationes, ad potentes forteſque viros facile currũt. Plane natus erat puerulus Ieſus in Bethleem, & ecce tibi
Matth. 2. Matth. 2. *Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Veniunt equidem Magi ab Oriente adorare puerulum Ieſum, illique precioſa munera deferunt. Et cur non ſolum veniunt; vt adorent, ſed vt
D. Max. munera præſtent? Ait D. Maxim. hom. 6. de Epiph. *Hodie gentilitas edocta de cœlo redemptorem mundi inquirit, vt regem, munerator, vt fortem, adorat, vt Deum.* Expende illa: *Muneratur, vt fortem:* quippè danda munera non niſi validos, potenteſque ſpectãt. Vbi infirmus aliquis, & inualidus apparet; Deus bone, quam illum fugiunt munera, quantis ſunt ad illum trahenda. Vbi autem apparet aliquis validus, & potens, licet domi ſedeat, ad primum eius verbum, munera, & dona currunt ad eum. Matth. 15. mulier Chananæa clamabat ad domium pro
Matt. 15 filia ſua, & poſt multos clamores, & poſt Apoſtolorum preces ſolicitatas audit: *Non eſt bonum ſummere panem filiorum, & mittere canibus;* verum Matth. 8. Centurio pro
Matth. 8. filio petens ſtatim audit: *Ergo veniam, & curabo eum.* Pro quo ſapienter addubitat
Baſil. Sel. D. Baſil. Sel. orat. 19. *Quid ergo, die mihi domine, non parem animi promptitudinem inuenta eſt Chananæa filia, & ſi per matrem eadem precaretur? At illa rogans canum loco, numeroque eſt; Centurio prope ante ſupplicationem curationem reportat.* Vnde hoc? Vnde tam citus ad Centurionem tam tardus ad Cha-
D. Baſil. nanæam? Aiebat ibi D. Baſil. Sel. *Nauis gubernatorem mundi gubernator imitatur:* quippè multa & diuiniſsima in eo ſpectabat omnipotens dominus, ſed & vt credo, inter alia etiam mundialium gubernatorum agebat perſonam, eorumque oſtendebat mores, quorum eſt, ad validos, & potentes euolare cũ muneribus, ad infirmos lentare gradus. Erat Centurio nobilis vir, & adeo potens, quod ſuis expenſis vnam ædificarat Synagogam; erat Chananæa & mulier, & inualida, & paupercula. Vnde non mirandũ, quod hęc vix magnis clamoribus, multiſque ſolicitatis interceſſoribus aliquid obtineat ab eo, qui repreſentabat mundiales gubernatores: quorum munera, vt ęgre, & difficulter ad inualidos pergunt; ſic ad potentes euolant etiam ante petitionem.

§. IX.

Infirmis, fœmineiſque mentibus difficultates tollere cura.

IOSEPHI Filijs petentibus ſortis lãtitudinem ait Moyſes: *Aſcende in Syluam, & ſuccide tibi ſpatia, &c.* filiabus autem Salphæ; *Deditque ei poſſeſſionem in medio fratrum ſuorum,* nil illis ſuccidendum mandat, ſed facilia, & tuta illis adſcribit. Et cur illis Syluam ſuccidendam tradit, ijs facilia, & tuta committit? Aiebat ipſe Moyſes ad Ioſeph filios; *Populus multus es, & magnæ fortitudinis, non habebis ſortem vnam, ſed tranſibis ad montem, & ſuccides tibi, &c.* Et merito difficilia proponuntur validis, & fortibus viris; fœmineiſque animis nihil relinquendum eſt difficile, ſed remouẽdum omne, quod difficultatem inducat.
Matt. 28 Matth. 28. *Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum. Et ecce terræmotus factus eſt magnus, Angelus enim domini deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, &c.* Et cur Angelus reuoluit lapidem?
Marc. 16 Ait Victor Anthioch. in Marcum. 16. *Poſtquam dominus reſurrexerat, venit Angelus domini, & ſubmouit monumenti lapidem. Submouit autẽ à ſepulchri oſtio grande illud ſaxum, propter mulieres.* Quæ veniebant fœminæ ad Chriſti ſepulchrum, magnum & difficile impedimentum habebant in lapi-
Mar. 16 de; dicebant enim Mar. 16. *Quis reuoluet nobis lapidem?* Hanc vnam ſentiebant ſuę deuotionis difficultatem, quam Angelus abſtulit reuoluens lapidem. Sic fœmineis, infirmiſque mentibus remouendę ſunt difficultates. Similiter idem Angelos Mar. 16. di-

Mar. 16. 16. dicebat illis: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Ecce locus, vbi posuerunt eū. Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam:* Cur in Galilæam? Cur non magis Ierosolymam meminit? Ait Victor Anthioch. ibi: *Recte in Galilæam, non etiam in Ierusalem: per hoc enim ab omni difficultatis, & discriminis formidine illas absoluit, idque tunc ob alia, tum vero præcipue, ne metus fidem illarum plus iusto conturbet.* Suspecti erant Ierosolymitani omnibus Iesu assectis, aduersus quos tunc temporis furebant; ideò Angelus mulieribus Christi præsentiam promittit in Galilæa; ab omni illas difficultate, & metu liberans. Nil enim magis curandum est præceptori, quam quod infirmis mentibus auferantur difficultates omnes, & occasiones timoris.

Vict. Ant.

CAPVT DECIMVM Octauum.

Sortes datæ in Silo.

Textus Historia.

ACCEPERANT Regiè tribus sortes suas Iuda, & Ephraim, atque instructo agmine Israelitæ à Galgalis Siluntē petunt, vbi propter munitionem loci, & amœnitatem tabernaculum testimonij constituunt. Diuinitus, credo, motus Iosue amauit sedem religioni adscribere Silūte, quia locus pertinebat ad Ephraimum, à cuius gente ipse genus ducebat, & quia non amplius, quam trium horarum itinere distabat à Ierosolymis, quo tandem tabernaculum erat demigraturum. Et vt Silunte erat religionis sedes, sic eo coacta concione septem tribuum proceres arguit Iosue, quod non & ipsi euolent ad capiendas sortes suas. Nec non, vt locum occludat murmuri de inæquali partitione facta Iudę, & Ephraimo, iubet alios designari, qui omnia lustrent, & dimetiantur, singulisque debitam mensuram attribuant. Ergo dum Beniamino, & reliquis per ordinē asseruntur fines; necessum fuit Iudæ eripere spatiū, quo Simeon viueret. Tandem vniuersus populus locum designauit duci sub Iosue, dederuntque illi Vrbem Thamnath Sarae in monte Ephraim, quam bonus sibi concupiuit.

PARS MORALIS circa textus literam.

CVM Tabernaculo Dei progrediente, necessum est, vt progrediatur noster stylus, qui de sola Dei arca escas educit, quibus homines veram nutriantur in vitam.

Iosue cap. 18. Congregatique sunt omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij, & fuit eis terra subiecta. Remanserant autem filiorum Israel Septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas. Ad quos Iosue ait: Vsque quo marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?

§. I.

Faustum tibi erit, quod tibi aliquid auferas, quod religioni exhibeas.

VENERVNT Israelitæ in Silo, *ibique fixerunt tabernaculum testimonij*; erat enim Silo in parte Ephraim, cuius gentis erat nobilissimus dux Iosue. Nec immerito bonus dux suis demit locū, quem religioni exhibeat; illa namque oblatio auspicata est, quæ de tuis fit, vt religioni concedat. Exod. 35. pro tabernaculo construendo ait: *Siquis habebat aurum, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctū, byssum, & pillos caprarum, pelles arietum rubricatas, & ianthinas, argenti, æriſque metalla obtulerunt domino, &c.* Quę ex alijs exēplaribus apud D. Aug. quæst. 168. sic leguntur: *Omnis afferens demptionem, argentū, & æs, attulerunt demptionem domino.* Ecce tibi quidquid argenti, aut æris offerebatur domino, vocabatur demptio. Et cur hęc dona exhibita Domino placuit vocare dēptiones? Erat hoc auspicatum in oblationibus, quod de tibi dēptis, offerres domino.

Exod. 35.

D. Aug.

Ait

D. Aug. Ait ibi D. Aug. *Appellata est autem demptio, eo quod sibi demeret, qui domino offerret.* Sunt equidē qui multis se Deo deuoueant, qui amant altaribus sacris adesse, religiosis intersse ministerijs, sed ita vt nihil sibi demant, sed omnia sua sibi integra reseruent, ij inauspicate accedunt ad dominum. Felices illi, qui afferunt Domino demptiones, qui de sibi demptis parant oblationes.

D. Orien. Quo respiciens D. Orientius ait:

Qui sanus, metuensque nihil, qui mente quieta,
Qui sibi dum vuit, dempserit, ille dedit.
Et sibi, quod dempsit, melius reparabitur illi
Integra mox capiet, qui peritura dedit.

Plane qui de sibi demptis Deo dederit, is omnia integra & in diuiniorem ordinē redacta recipiet. Proh felix oblatio, quæ tibi aliquid demit, vt tribuat domino! Hinc offerens Areuna aream Dauidi, vt in ea ædificaret altare domino, holochaustaque cremaret, ait Dauid 2. Reg. 24. *Nequaquam, vt vis, sed emam precio à te & non offeram Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo Dauid aream & boues argenti siclis quinquaginta; & ædificauit ibi Dauid altare domino, & obtulit holocausta, & pacifica, & propitiatus est dominus terræ, &c.* Cauit Dauid offerre domino *holocausta gratuita*, hoc est, holocausta, quæ illi nihil auferrēt; sed maluit aream, & boues holocaustorum emere; vt sic oblatio procederet de proprijs, & sibi auferret dōmino. Qua facto dominus propritiatus fuit, vt discāt homines vnum, quo possint auspicatam reddere suā oblationem; nimirum si in illa sibi auferant, quod offerant domino. Faustissima quidem semper est oratio, & oblatio eius, qui aliquid semper proponit tollendum de suo. Exod. 32. clamabat Moyses: *Aut dimitte eis hanc noxā, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* De quo locutus ait D. Amb. lib. 1. de Pœnit. cap. 8. *Quid enim talis affectus non impetraret, quando se obiecit pro populo?* Non equidē poterat non esse auspicata illa oratio, quæ se sibi auferebat, vt Deo pro populo satisfaceret. Ioan. 3. aiebat Baptista: *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis: quod dixerim; Non sum ego Christus, sed quia missus sum, ante illum.* Circa quæ ait Guarricus Abb. ser. 3. de Ioan. *Nobis non solum mirāda, sed & imitanda proponitur virtus humilitatis eius, qua maior se credi cū potuit, noluit. Fidelis enim amicus sponsi magis amator domini sui, quam sui, se minui, vt ille cresceret, optabat: & de minoratione sui gloriam illius augere satagebat.* Expende illud: *minoratione sui*, quippè de sibi demptis gloriam Dei augere parabat. Vnde infra, cap. 20. §. 7.

Exod. 32.

Ioan. 3.

Guarr. Abb.

§. II.

Quod quis fuerit Deo, id sibi inueniet in Deo.

EXPENDE Illud, *Ibi*, nimirum, in Silo, *fixerunt tabernaculum testimonij, & fuit eis terra subiecta.* Et tabernaculum fuit in Silo positum, & inde terra non inquietauit amplius Israelem. Nec miror, Silo enim significat quietem, & salutem, & pacem, teste Serario in præsenti, quæst. 6. prope finem. Vbi autem quis locum quietum, & pacificum exhibuit Deo, & religioni, consequens erat, vt ipse quietem, & pacem experiretur ex domino. Reddidit dominus terram quietam, & pacifice subiectam illis, qui quietum locum dederant religioni. Dat enim Deus eadem, quæ tu illi dederis. Irruerunt quondam Hæretici vnitatem, consubstantialitatemque diuinissimæ Trinitatis diuidentes, & volentes Cappadoces viros perdere, at Cappadoces pro indiuidua Trinitate stantes, nullum damnū receperunt. De quo ait Nazianz. orat. 20. Illi sanè sic infectis rebus discesserunt, mali male tunc primum pudefacti, & superati, atque edocti, etiam si alios omnes homines, Cappadoces tamen non ita temere contemnere, ac pro nihilo putare; *quorum nihil tam proprium est, quam fidei firmitas, atque erga Trinitatē fides, & sinceritas: cuius etiā beneficio hoc habent, quod animis coniuncti sunt, atque concordes, viribusque pollent, eadem videlicet auxilia, quæ diuinitati ferunt, accipientes, multoque præstantiora, & firmiora.* Expende illa: *Eadem videlicet auxilia, quæ diuinitati ferunt, accipientes, &c.* scilicet quam reddebant vnitatem Trinitati, eamdem accipiebant, vnanimes, & concordes ipsi facti; nunquam enim non à Deo tu habes, ipsum id, quod videris præstare Deo. Crede mihi Christiane, id in Deo inuenies, quod tu dederis Deo; si pacem dederis, pacem inuenies, si dederis bellum, inuenies bellum. Gen. 32. de Iacob dicitur: *Transductisque omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Dum Iacob solus esset, illi Deus apparet sub luctatoris specie, non paruamque homini luctam offert. Et cur voluit Deus ad Iacobum venire sub luctatoris specie? Cur non magis placida & amica forma illum conuenit? Representabantur in Iacob Iudæi, qui acriter obluctaturi erant Deo in omnibus, & ideò eamdem formam Deus

Gen. 32.

in se

Cyril. Al. in ſe illis exhibet. Ait D. Cyrill. Alex. epiſt. ad Anaſtaſ. *Patriarchæ Deus antea oſtẽſus eſt, quod & homo futurus eſſet olim vnigenitus eius Verbum, & quod obluctantem habiturus eſſet Iſraelem, & quod coram eo non eſſent inceſſuri recti.* Expende illa: *Quod obluctantem habiturus eſſet Iſraelem*: hæc enim erat cauſa, quod Deus quaſi luctator appareret Iacob, nimirum quòd Iſraelitæ in eo repræſentati obluctaturi erant Deo, & talis ſe Deus hominibus exhibet, quales ipſe ſe Deo exhibent. Hinc dicebant Iudæi cæco Ioan. 9. Ioan. 9. *De gloriam Deo; nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt.* Ad quæ verba ſpectans Auguſt. Auguſt. in Pſalm. 58. ait: *Hædus viſus eſt eis agnus; & quia velut i hædum occiderunt, ab agno redimi non meruerunt.* Non fiebat agnus auferens peccata eis, à quibus hædus putabatur. De quo in præſenti dixi ſupra cap. 6. §. 12. infra cap. 22. §. 3.

§. III.

Non ſic diuinitatis decora repræſentata, vt paſſionis benignitas humanos animos afficit.

VT Marceſcentes Iſraelitarum animos excitaret Ioſue, proponit illis beneficia Dei terram donantis aiens: *Vſque quo marcetis ignauia, & non intratis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum dedit vobis?* Dominus Deus dedit, inquit, oſtendens in eo diuinitatis liberalitatem erga Iſraelitas, quam toto conatu deberent amplexari. Aliter Paul. Act. 20. Actor. 20. ait: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Vt ſimiliter excitet regentium animos, non proponit, quod Deus dedit, ſed quod Deus paſſus eſt; non loquitur de donis datis, ſed de effuſo ſanguine. Et quãdo Ioſue Dei dona proponebat, vt Iſraelitas excitaret; cur Paulus Dei dona diſſimulans ſolam Dei paſſionem in medium affert? Sanè confugit Paulus ad ea, quæ in Deo eximia erant ad trahendos hominum animos, quæ conſiſtunt in effuſione diuini ſanguinis. Sic 1. ad Corinth. 1. volens 1. Ad Cor. 1. efficaciter fideles à ſchiſmate reuocare ait: *Hoc autem dico, quod vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt?* Ecce tibi vnius crucifixionis méminit, cætera diſſimulans: quando crucifixi mentio eximia erat, vt homines traheret, atque cõpeſceret. Ait ibi D. Chryſoſt: D. Chryſ. *Animaduerte Pauli prudentiam. Non enim dicit; Nunquid mundum Paulus condidit? Nũquid Paulus vos ex nihilo vt eſſetis, fecit? Sed ea tantum, quæ eximia erant fidelium, & multa beneuolentiæ optima memiuit, crucem ſcilicet, & baptiſma, & quæ ex ijs prouenerunt bona. Mundi namque opificium, ſed maximè Dei in crucem conſcenſus eius oſtendunt benignitatem.* Paſſiones, & vulnera, & crux vt euidentius erga homines oſtendunt Dei benignitatẽ, ſic aſſumuntur à Paulo, vt animos hominum ad bonam frugẽ reuocaret. Quis enim viſa Dei cruce, non reuocetur, & euolet ad Dei placita? Cum filij prophetarum ſuccidiſſent ligna iuxta Iordanem 4. Reg. 6. 4. Reg. 6. à manu vnius decidit ſecuris in aquam; ait enim textus: *Accidit autem, vt cum vnus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquã; exclamauitque ille, & ait, Eu; Eu, heu domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei, Vbi cecidit? At ille monſtrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & miſit illuc, natauitque ferrum, & ait, Tolle, &c.* Ecce tibi vbi lignum ſuper aquas apparuit, ferrum deorſum dilapſum, & in profundo ipſo inhærens aquarum, ſurſum reuocatur, & cogitur ad ſuperna natare. Quod ſapienter canit Amænus in Euchirid. veter. teſt. fatus:

Forte prophetarum nati dum ligna recidunt
Fluminis in ripa, cecidit diſcuſſa bipennis.
Gurgite ſubmerſum eſt ferrum, ſed mox leuè lignum
Immiſſum ſtagnis, ferrum reuocabile fecit.

Plane lignum immiſſum aquis fecit ferrum reuocabile. Et quæ adeò ferrea viſcera erunt, & deorſum tendentia quæ non reuocentur à ligno crucis ſibi oſtenſo? Sis homo durius, & grauius ferro, magnoque pondere in malorum profundum præcipiteris; fallar, ſi te lignum crucis ob oculos poſitum non faciat reuocabilem. Et magis fallar, ſi ad lignum non euolaueris occior, quam ferrum ad magnetem.

Ioſue 18. Eligite de ſingulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant, atque circumeãt Terram, & deſcribant eam iuxtà numerum vniuſcuiuſque multitudi-

titudinis, referãtque ad me, quod deſcripſerint. Diuidite vobis terram in ſeptem partes. Iudas ſit in terminis ſuis ab auſtrali plaga, & domus Ioſeph ab Aquilone, mediam inter hos terram in ſeptem partes deſcribite; & huc venietis ad me, vt coram domino Deo veſtro mittam vobis hìc ſortem, &c.

§. IIII.

Dei dona maiora ſolent inueniri in re, quam apparebant in promiſsione.

AD Terram dimetiendam, partiendamque de facto per tribus terni ordinantur viri de ſingulis tribubus: ait enim Ioſue: *Eligite de ſingulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant, atque circumeant terram, & deſcribant eam, &c.* Sic ibi: verum Numer. 13. agens dominus de exploratoribus mittendis ad terram explorandam dicit: *Mitte viros, qui conſiderent terram Chanaam, quam daturus ſum filijs Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus.* Singuli tantum iubentur de ſingulis tribubus mitti ad explorandam terram; ad demitiendam autem non ſinguli, ſed terni deſignantur. Et cur ad dimetiendam terni, ad explorandam autem terram ſinguli de ſingulis tantum dantur? In exploratione adhuc terram in mera manebat promiſsione, ideò videbatur, quod vel à paucis poſſet comprehendi; in dimenſione, & menſuratione iam eius poſſeſsio prior cernebatur, & quaſi manibus contrectabatur; & tunc adeò inueniebatur magna, vt niſi à multis non videretur poſſe menſurari. Sic ſolent dona diuina in re maiora inueniri, quam in promiſsione videbantur. Numer. 28. dum eligendus eſſet ſummus ſacerdos, petit Moyſes ſibi virgas duodecim virorum dari, & ait expræcepto domini: *Quem ex his elegero, germinabit virga eius*: datæ ergo ſunt virgæ, & aſſeruatæ in ſequentem diẽ. Quid tunc? Ait text. *Sequenti autem die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Expende promiſsionis verba, & compone illa cũ rei effectu. Promiſsionis verba hæc erant: *Germinabit virga*; ſed in rei effectu inuenitur non ſolum germinaſſe, ſed & flores ab illa erupiſſe, & amygdalæ fuiſſe efformatæ. Et cur tot inueniuntur in effectu, quando in promiſsione fuerãt adeò pauca? Hoc habent proprium ſibi dona diuina, quod maiora in re inueniantur, quam appareant, quam appareant; dum ſolum ſunt promiſſa. Ad hæc Orig. hom. 9. in Num. *Attendite, ſi forte poſsimus liberalitatem Dei largiorem ipſis ſuis promiſsionibus oſtendere. Hoc eſt ſolum, quod promiſit Deus, vt virga eius, quem elegerit, germinet. Vbi vero ad rem venitur, vt quod promiſſum eſt oſtendatur impletum, non vnum illud, quod promiſſum fuerat, effectum dicitur, ſed vide quanta addantur. Ait enim: Ecce germinauit virga Aaron, & produxit frondes, & protulit flores, & germinauit fructus. Vnum promiſit Deus fructum, in virga, & dedit plures.* Orig. Sic in re ipſa largior Deus inuenitur, quam in promiſsis. Ex Dei ore aſſetebat Paul. 1. ad Cor. 15. *In Chriſto omnes viuificabuntur.* 1. Ad Cor. 15. Quid ſimplicius? Omnes mortui dicuntur viuificandi per Chriſtum: omnes in vitam ibimus. Et poſt pauca ait: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.* In primo reſurrectio promittebatur, vita omnibus recuperanda proponebatur; in ſecundo non ſola vita, ſed inſuper quatuor perfectiones ibi inueniendæ proponuntur, nimirum quod ſurgent in incorruptione, in gloria, in virtute, & ſpirituales, vt oſtendatur, quam ſæpe à rei effectu vincatur diuina promiſsio. Orig. Ait vbi ſupra Orig. *Sicut in his promiſsionem ſuam Deus in quadruplum dedit, & multo plura, & preciоſiora largitus eſt, quam promiſit, ita multo magis in omnibus ſcripturæ locis, vbi aliqua Dei promiſsio continetur, ſiquis tamen ad eam peruenire mereatur, in futuro multipliciter præparabitur.* Felix qui Dei promiſsiones attigerit, proculdubio plura inueniet, quam ſibi perſuaſerat ex promiſsis. Ioan. 11. promiſerat dominus Marthæ: *Reſurget frater tuus*; vbi autem ad rem ventum eſt, vocauit Ieſus Lazarum; *Et ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, &c.* Non ſolum reſurgit, ſed & ligatus pedes inſtitis ambulat dupplicato miraculo: vt dicat Theophilact. Theoph. *Et miraculum erat vere vinctum moueri coniunctum miraculo reſurrectionis.* Sic dupplo maius in re præſtat, quã verbis promiſerat.

§. V.

§. V.

In Ieſu non admittenda diuiſio, ſed amanda vnitas, & integritas.

ELIGENDIS A populo diuiſoribus, & menſuratoribus ait Ioſue: *Diuidite vobis terram in ſeptē partes, &c.* non ait; afferant ad me, vt diuidam; ſed ipſi pergentes diuidite. Et cur ipſe non magis diuidat? Vt Ieſu nomine gaudebat, ſic ablegat à ſe diuidendi munus, vt ſciamus in Ieſu nullam diuiſionem debere admitti, ſed perfectam vnitatem, & integritatem inueniri. Vnum, & indiuiduum habes in Ieſu, in alijs extra illum nunquam non viget diuiſio. Gen. 25. de cōcepto fœtu querenti Rebbeccæ reſpondit oraculum diuinum: *Duæ gentes in vtero tuo, & duo populi de ventre tuo diuidentur.* Quæ verba ponderās D. Hieron. in explanatione Pſalm. 44. ad Principiam, ſimul expendit Principiæ felicitatē, in eo, quod ſa ſacrarat Ieſu, in quo nulla eſt diuiſio: Ait enim: *Rebecca pergit ad interrogandum Deum, & ſua reſponſione condigna audit oracula: Duæ gentes in vtero tuo, & duo populi de ventre tuo diuidentur. Illa duos generat deſidentes; tu vnum quotidie concipis, parturis, generas Ieſum, vnione fœcūdum, maieſtate multiplicem, trinitate concordem.* Felix, qui Chriſto habendo dat operam; nihil in illo diuidendum habet; nihil partiendū cum diminutione acquirit: vnus eſt Ieſus, & indiuiſus, ſed vnitate hac fœcundus, & multiplex, vt in illo habeantur omnia. Mundialis fœtus diuiſiones halat; diſſentiones generat, nequit eſſe, niſi vbi eſt diuiſio, & diſsidium; de ſolo Ieſu venit indiuiſio, & in omnibus bonis perfecta vnitas. Hinc Luc. 18. *Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud.* Expende illud: *ſicut puer*, Matth. 18. aiebat: *Niſi efficiamini ſicut paruuli.* Cur in Matthæo dixit: ſicut paruuli, & in Luca ait; ſicut puer? In Luca docebamur induere Ieſum, in quo maximè apparet vnitas, & indiuiſio, & ideò quod plura litatem, & diuiſionem ſonabat, ſapienter fugit, Ait D. Amb. ſerm. 53. *Niſi efficiamini ſicut pueriſte; non dicit, ſicut pueri iſti, ſed, ſicut puer, vnum elegit, vnum proponit. Non hunc, de publico eſſe arbitror, ſed de cœlo, ipſe eſt enim de cœlo puer, de quo dicit Iſaias: Puer natus eſt nobis.* Vbi vnum, & indiuiduum proponit ſummendum, & amplexandum; non loquitur de publico, non loquitur de mundo, ſed de cœlo, ſed de puero illo, qui natus eſt nobis; ſolus Ieſus eſt, qui indiuiſionem, & vnitatem affert nobis; mundialis enim fœtus ad diſsidia, & diuiſiones oriuntur. Velis, nolis, partienda tibi ſunt, & diuidenda etiam cum diminutione tua quæ à terris habes; at in Ieſu & indiuiſionem, & integritatē bonorū ſuſcipis. Mar. 15. de Ioſeph Abarimathia dicitur: *Venit homo quidam dives ab Arimathia nomine Ioſeph: hic audaciter introiuit ad Pilatum, & petyt ab eo corpus Ieſu.* Qui petijt corpus Ieſu, & habuit diues dicitur, & cur non diues, qui habebat in eo totam, & integram plenitudinem? Ait D. Epiphan. orat. de Chriſti ſepultura: *Vere diues, vtramque enim ſubſtantiam Chriſti à Pilato, dono acceperat. Vere diues, ſiquidem Margaritam illam, quæ omnem pretij æſtimationem excedit, ſecum aſportare promeruerat. Vere diues: Sacculum namque plenum geſtabat, nempe ipſum met diuinitatis theſaurum.* Vt corpus accepit Ieſu, vtramque ſubſtantiam diuinam, & humanam accepit; ibi in vno habuit totam bonorum plenitudinem, & theſaurum diuinum. Ruth. cap. 2. dicebat Booz: *Reddat tibi dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à domino Deo Iſrael.* Plenam ei mercedem optat, quam quidem recepit, in eo, quod facta eſt progenitrix Ieſu. Ait Theodor. ibi: *Finem conſecuta eſt Booz benedictio. Accepit enim Ruth plenam mercedem à Domino, vt quæ fuerit progenitrix benedictionis gentium.* Vt enim attigit Ieſum, nihil inde non plenum accepit, & integrum.

Mar. 15.

D. Epiph.

Ruth. 2.

Theod.

§. VI.

Quod ex Deo habes, validius eſt omnibus aduerſis.

TERRÆ Partiones ad ſe afferri mandat Ioſue, vt illas coram domino largiatur; dicit enim: *Terram in ſeptem partes deſcribite, & huc venietis ad me, vt coram domino Deo veſtro mittam vobis hic ſortem, &c.* Et cur neceſſum erat, vt in Silo coram domino mitterentur, & darentur terræ ſortes, niſi vt inde acciperent firmitatem, & robur aduerſus contraria omnia? Quæ enim ex Deo veniūt, Deo-

que adſcribuntur, ſic firmantur, vt in ijs plus poſsit, quod Dei ſunt, quam innumera alia contradictoria. Num. 16. nota eſt contradictio Dathan, & Abiron, vt ſibi ærea thuribula fecerunt, quibus incenſa poſuere, quæ adolerẽtur domino. Abſumpti denique ſunt miſeri rebelles, poſtquorũ perditionem ait dominus: *Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio, & ignem huc, illucque diſpergat: quoniam ſanctificata ſunt in mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, & affigat altari, eo quod oblatum ſit in eis incenſum domino.* Perditis hominibus thuribulorum laminas affigi mandat altari, quæ verba ſic apud D. Auguſt. leguntur: *Et fac ea laminas ductiles circumpoſitionem altari, quoniam oblata ſunt ante dominum.* D. Aug. Et cur laminas illorum thuribulorum circumponi mandat ante altare? Cur non magis abominatur thuribula eorum, quos ſic ſeuere perdidit? Rationem inſinuat textus aiens: *Quoniam oblata ſunt ante dominũ*, quæ ante Deũ oblata fuerant, id quo Dei erant, pro ſe habebant, ne proijcerentur, ſed magis ſeruarentur. Ait D. Auguſt. quæſt. 30. ibi. *Circumpoſitionem autem altari cur ex eis fierivoluit, addidit dicens: quoniam oblata ſunt ante dominum: non enim in eis reprobare voluit, quod à talibus oblata ſunt, ſed hoc potius attendit, ante quẽ oblata ſint: id eſt, quia ante dominum, vt plus in eis valeret nomen domini, antequem oblata ſunt, quam peſsimum meritum eorum, à quibus oblata ſunt,* D. Aug. Sic tota malicia, & perditio rebellium non potuit officere ijs, quæ ante Deum oblata fuerant; plus illis contulit ad manendum, id quo Dei erant, quam offuit malicia perditorũ. Nec dubites, quod ex eo, quod ante dominum offeraris, multum roboris accipias aduerſus pericula omnia: & nulla aduerſus te poterunt mala tantum, quantum valet, quod te obtuleris ante dominum. Hinc Paul. 2. ad Corinth. 11. ait: *Deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. Ad Corinth. 11. *Timeo autem, ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua: ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.* Quia timebat Paulus, ne ſeducerentur fideles, & corrumperentur, & excciderent, & perirent; hoc fecit, nimirum illos deuouit Chriſto, ait enim; *deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto*; & vt Chriſto ſunt exhibiti, ſupra omnia procedunt pericula. Vt dicat Paſcaſ. in Pſalm. 44. *Omnis Eccleſia iure virgo quia de viro Chriſto Ieſu ſumpta eſt, appellatur & ſponſa. Qua propter nec ſeductione decipitur, nec violentia vincitur confortata in Chriſto, nec vllis perſecutionum generibus ſuperatur.* Pſal. 44. Sic roboratur, qui exhibetur Chriſto, de eiuſque procedit auſpicio. Huc trahe dicta ſupra lib. 6. cap. 4. §. 12.

Ioſue cap. 18. Itaq; perrexerunt, & luſtrantes eam, in ſeptem partes diuiſerunt, ſcribentes in volumine. Reuerſique ſunt ad Ioſue in caſtra Silo. Qui miſit ſortes coram domino, in Silo, diuiſitque terram filijs Iſrael in ſeptem partes. Et aſcendit ſors prima filijs Beniamim per familias ſuas, vt poſsiderent terram inter filios Iuda, & filios Ioſeph. Fuitque terminus eorum, &c.

§. VII.

Auſpicatiſsima ſunt loca virtutibus præſtandis dicata.

NON Otioſe notatur locus, inquo miſſæ ſunt ſortes pro terra Iſraelitis diuidenda, dicit enim: *Qui miſit ſortes coram domino in Silo, diuiſitque terrã, &c.* Expende illud; *in Silo*; quippè locus is erat religioſis virtutibus deſtinatus, vbi arca erat, & quo vniuerſi Iſraelitæ cõueniebãt, vt diuinam gratiam ſolicitarent. Nec immerito tot virtutibus ſacer locus eligitur, pro mittendis ſortibus, & pro hæreditate danda; nihil enim ab illo loco veniret niſi maximè auſpicatum. De Ioann. Baptiſ. dicit Matth. 3. *Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudæ, & dicens: Pœnitentiam agite: Tunc exibant ad eũ Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur, &c.* Matth. 3. Prædicaturus baptiſmũ pœnitentiæ in deſerto Iordanis morabatur: cur nõ magis medijs ciuitatibus? Vt Paulo iniunctum fuit officiũ prædicandi, ſic ipſo nõ in deſerto, ſed in hominum frequentia, in oppidorũ conuentibus prædicabat. Cur Ioannes prædicaturus in deſertum abit? Erat deſertum nobilitandum frequentia virorum, qui Ieſum ſecuti miraculoſis panibus erant ſaturandi; ideò Ioannis ad locum tanta virtuti deſtinatum confugit,

vt

vt inde auſpicium ſuæ prædicationi caperet. Ait D. Chryſ. hom. 17. in Ioan. *Propterea in deſerto conuerſabatur Baptiſta iuxta Iordanē, quo omnes ſummo feruore ad baptiſma cōcurrebant, parum ſecularia curantes, & vt Chriſtum ſectarentur, triduo cibis omnibus abſtinebant.* In deſerto frequentia hominū viſenda erat, qui Chriſtum ſequerētur, qui propter ſequendum Chriſtū obliti ſunt panē manducare, & trium dierum ieiuniū tolerabant, donec ſaturati ſunt diuinis è manibus. De loco ergo tantæ virtuti ſacro, non mirer, quod auſpiciū prædicationis ſummat Ioannes. Huc trahenda dicta tom. 2. in Euang. lib. 6. cap. 8. §. 10. & tom. 4. lib. 18. cap. 9. §. 2.

D. Chryſ.

§. VIII.

Vbi diuini myſterij gratia adeſt non ſpectandus eſt ordo naturæ.

MINIMVS Erat Iacobi filius Beniamin, qui tamen poſt regias tribus in ſortibus tulit primas; ait namque: *Aſcendit ſors prima filijs Beniamin*: Sic ſæpe vbi myſteria fundantur diuina, ordo naturæ negligitur, & inuenitur primus, qui erat vltimus. Iſai. 1. Reg. 16. maiores natu filios repræſentabat ad regnū, quos repulſos videns aiebat: *Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues.* Et qui vt paruulus, & minimus contemnebatur, factus eſt omniū primus, in regem vnctus? Et cur maiores contemnuntur, & minimus eligitur? Pulchrerem tractat D. Baſil. Sel. orat. 14. inquiēs: *Rex erat Dauid prophetica manu ad regnum prouectus, & cœleſti approbatione dignitatem cōſecutus, ſubitoque primus fratrū cōperiebatur, qui poſtremus, ordoque naturæ cedebat gratia, & legis partus ſuccūbebat. Arcana erant regni exordia, neque ab ipſa natura illuceſcebat imperiū.* Quæ ad diuinæ gratiæ arcana ſpectabant, nullū in naturæ ordine veſtigiū exhibebant. Cedit naturę ratio, & diſparet illius ordo, vbi diuinitatis confirmantur myſteria. Ioan. 2. dicit: *Erat autē Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum. Inuenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus. Et adduxit eum ad Ieſum.* Ecce tibi Andreas frater minor Simonis eligitur, vt trahat maiorē fratrem ſuum ad Chriſtum: ſed & maior natu fratrē ſequitur minorē. Cur non potius è contra maior minorem ducat? Ait Beda ibi: *Non dedignatur maior minorē ſequi, quia non erat ordo ætatis, vbi erat meritum fidei.* Vbi fidei merita pēnſabantur, & res iuxta diuinæ gratiæ menſuras procedebat; non erat ordo ætatis, nec naturæ iura æſtimabātur. Quidquid naturæ eſt, ſe abſcōdebat, & vna ſpectabatur virtus gratiæ. Proh Deus, quam tuæ virtutis eſt conſuetos creaturarum calles deſpicere! Quā tuū eſt magnos præterire, & paruis deferre primas! Luc. 1. ait Elizabet ad Mariam: *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Id quod ponderans D. Chryſoſt. apud Metaphraſtem ait: *O res admirabiles, quæ ſuperāt opinionem. Quæ in cœlo ignorauerunt Angeli cognouit Ioannes, qui geſtabatur in vtero. Throno latuit, & eum, qui geſtabatur in vtero minime præteriit. Celauit Dominationes, & ei, qui erat in ventre, reuelauit myſterium ſuſceptæ carnis.* Ecce tibi, vt diuina gratia operante, conſuetus ordo rerum turbatur, & minimus eleuatur ſupra magnos, & ante datur paruulo diuini conſilij notitia, quam Angelis.

1. Reg. 16

Baſil. Sel.

Ioan. 2.

Luc. 1.

D. Chryſ.

Ioſue cap. 19. Et egreſſa eſt ſors ſecunda filiorū Simeon per cognationes ſuas: fuitque hæreditas eorum in medio poſſeſſionis filiorum Iuda, &c. Hæc eſt hæreditas filiorum Simeon iuxta cognationes ſuas, in poſſeſſione, & funiculo filiorum Iuda, quia maior erat: id circo filij Simeon poſſederūt in medio hæreditatis eorū, &c.

§. IX.

Ieſu adiungeris per ſolas animi virtutes.

PRæponitur in ſorte Simeō Iſſachari, licet Iſſachar maior natu fuerit ex Lia Gen. 30. & 35. & non ſolum Iſſachari præponitur Simeō, ſed intra Iudæ ſortē admittitur. Et cur Simeon præponitur fratri maiorri, vt adiungatur Iudæ, dum ait: *Fuitque Hæreditas eorum in medio poſſeſſionis Iudæ?* Serarius quæſt. 6. putat hoc obſcurius eſſe, quam vt diuinum in eo enucleari arcanum poſsit. Ego autem crediderim, quamcumque illius prælationis cauſam fuiſſe, eam non aliunde, quam ab internis animæ deſumptam virtutibus: vt enim in tribu Iuda Chriſti veri ſaluatoris noſtri erat proſapia, ſic qui illi adiungerentur, id habebant ex intimis animi virtutibus. Nemo non nouit, vt Ruth Moabita adiuncta ſuo

Gen. 30. & 35.

domui Iuda per nuptias cum Booz, & ita adiuncta, vt ex illa progineretur Saluator
Matth. 1. mundi. Ait enim Matth. 1. *Booz autẽ genuit Obed ex Ruth.* Sed quando multæ puellæ suppetebant tribui Iuda, quas Booz sibi adiungeret, vt inde nasceretur Christus; cur Deus eò rem deduxit, vt puella Moabita præferretur puellis Iudæis? Ruth patriam, propinquosque suos reliquit, & idola omnia, vt se Israelitis assotiaret; in quo assimilabatur Iesu, qui omnia reliquit, vt se nobis sotiaret, & ideò fuit omnibus præ-
D. Amb. lata. Ait D. Amb. cap. 3. D. Lucæ. *Ruth intrauit Ecclesiam, & facta est Israelitis, & meruit inter maiores dominici generis computari, propter cognationẽ mentis electa, non corporis. Hanc æmulemur, vt quia moribus hanc prærogatiuam meruit, nos quoque propter morum electionem in Ecclesiam domini meritis suffragantibus adlegamur. Eius exemplo relinquentes paternam domum, &c.* Expende illa: *Propter mentis cognationem electa, non corporis*: vt enim Iesu adiungaris, nihil magis attenditur quam mentis cognatio; solæ mentis dotes, & virtutes possunt facere, vt Iesu adhæreas. Vis homo intra Iesu sortẽ excipi? Vis Iesu maximè appropinquare, & in eo cæteris omnibus, præferri? Hoc cura, vt eius æmuleris virtutes, vt mentem tuam affingas ad eius formam, & vt propinquus Iesu, de eius sorte putaberis. Ioan. 20. Magdalenæ appropinquanti obuiat Iesus dicens: *Noli me tangere: Nõ dum enim ascendi ad patrem meum.* Et cur nõ permit-
D. Amb. titur tangere Iesum? Si Magdalena non tangit, quis eum digne tãget? Ait D. Amb. ibi: *Qui vult Christum tangere, sua membra mortificet, & resurrecturo similis induat viscera misericordiæ, nõ ambigat renuntiare terrenis.* Ecce qui potest appopinquare Iesu, nimirum qui misericordiam induat, qui terrena abneget, qui similis illi fiat virtute ani-
1. Reg. 13 mæ, non corporis. Samuel 1. Reg. 13. dicebat: *Quæsiuit sibi dominus virum iuxta cor suum, & præcepit ei dominus, vt esset dux super populum suum.* Virum dicit eligendum cordi diuino propinquum: de illo tamen dicebat Isai. cap. 16. *Adhuc reliquus est parunulus, & pascit oues.* Si parunulus, si contẽptus erat in oculis patris sui Dauid, quomodo vocatur vir iuxta cor diuinum? Ait
Basil. Sel. Dominus iuxta D. Basil. Sel. orat. 14. *Tu mortali oculo corporis magnitudinem dimensus miraris; ego vero quæ mihi soli videtur pulchritudo, eam exambio. Vbi animæ thesaurum inuenio, ibi miratur oculus meus.* Expende illud *Vbi animæ thesaurum inuenio*; mentis enim cognatio, nõ corporis nos iũgit Deo.

§. X.

Quod libenti animo proximis prabes, minime à te alienas.

DE Sorte Iudæ datur hæreditas tribui Simeonis, dum dicitur: *Hæc est hæreditas filiorum Simeonis iuxta cognationes suas in possessione, & funiculo filiorum Iuda.* Ex quo maximè extollit tribum Iuda noster Serarius quæst. 4. in præsenti, quod sine reluctantia partem iam habitæ sortis concesserit Simeonitis. Sed illud notandum, quod etiam post hanc concessionem dicantur Simeonitæ esse in possessione, & funiculo Iudæ, cum ait: *Hæc est hæreditas filiorum Simeonis in possessione, & funiculo filiorum Iuda*; & etiam subdit: *idcirco filij Simeon possederunt in medio hæreditatis eorum, &c.* nec vllum verbum ponitur, quo manifeste dicatur tribus Iuda spoliata fuisse hac parte, in qua fuerunt Simeonitæ. Cur ergo cum pars illa data fuerit à Iuda Simonitis, amplius dicitur vel possessio, vel hæreditas Iudæ? Cur non magis nomen Iudæ ab illa tollitur, vel explicatur, vt iam nullo modo ad illam pertineat? Iosue cap. 15. *Iosue 15.* dicitur: *Caleb filio Iephone dedit partẽ in medio filiorũ Iuda, sicut præceperat ei dominus, Cariath Arbe patris Enac, ipsa est Hebron. Deleuitque ex ea Caleb tres filios Enac, &c.* Vt Caleb dicitur possedisse Hebrõ, statim explicatur, vt ex ea vrbe eiecerit primus illius possessores, nimirũ filios Enac. Cur simili modo, vt dicitur Simeõ possedisse partẽ filiorũ Iuda, non dicuntur excluſi Iuda filij ab ea parte? Filij Hebrõ nõ ipsi dederũt vrbẽ Caleb, sed expugnati, & cesi illã cesserũt; & ideò explicatur eorũ spoliatio in possessione Calebi: at Filij Iuda grato, & libẽti animo dederunt sortis suæ partem Simeonitis, quæ autẽ gratuito animo dantur, tunc magis putantur ab ipso datore teneri. Adhæc aiebat Venantius Fortunat. in laudem Sigiberti Regis:

Muneribus largis replet tua gratia cunctos
Vt mea dicta probes, plebs mihi testis adest.
O bonitas immensa Dei, qua diuite censu
Quod famulis tribuit, hoc putat esse suum.

Est hoc proprium munificentissimi animi, quod non perdat, sed magis acquirat dona sua; quod nihil à se datum putet amissum, sed magis illud suum credat, quod dedit proximo. Monebat Dominus Luc. 12. *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. Fa-* *Luc. 12.*

cite

citer vobis ſacculos, qui non veteraſcunt. Et vēde omnia, & dari pauperibus mandat, & inde ſacculos mandat comparari. Si omnia vendenda, & danda ſunt, ad quid ſacculi? Fiunt enim ſacculi ad aſſeruandam, & retinendam pecuniam; vbi nulla eſt retinenda, non ſunt neceſſarij ſacculi. Sed iubet Deus, vt omnia vendantur, & ſtatim dentur omnia, ad quid ergo parari ſacculos mandat? Sapienter iubet omnia dari, & ſacculos parari, vt doceat tunc maximè retineri, & ſeruari quaſi in proprijs ſacculis, cum dantur. Quo ſpectans D. Orientius ait:

D. Orien.

Ferre tamen poteris cōtēpta hic munera mūdi
Mitte ſecuturus, quæ duplicentur opes.
Nā ſeruata animis, quæ mox bona, nō tua ſunt,
Si tibi non ſeruas, ſic erit, vt tua ſint.

Tunc ſeruantur tibi omnia, cum das omnia; tunc magis in tua poteſtate ſunt, cum ea libenti animo proximis egentibus impertiris.

Ioſue cap. 19. Cecidit ſors tertia filiorum Zabulon per cognationes ſuas, & factus eſt terminus poſſeſsionis eorum vſque Sarid. Aſcenditque de Mari, & Merala, &c.

§. XI.

Ariditas cordis, & viſcerum cauenda.

ZABVLONI Sors venit in littore maris, ait enim: *Aſcenditque de mari, &c.* Raro in terra aridā, & in quosà inuenitur, quæ aſcendat planta. De aquarum habent beneficio, quod creſcant, & aſcendant vniuerſę plantæ; vt diſcat homo vnde debet aſcenſiones ſuas diſponere; nimirum de ariditate cordis, viſcerumque vitata. Quo ſpectans D. Irinæus lib. 4. cap. 76. monebat: *Præſta Deo cor tuum molle, & tractabile, & cuſtodi figuram, quam te ſifiguravit artifex, habens in te metipſo humorem, ne induratus amittas veſtigia digitorum eius. Cuſtodiens autem compaginationem aſcendes ad perfectum.* Vt aſcendamus ad perfectum, retitinenda ſunt in nobis veſtigia diuinæ manus. Sed qualiter hæc veſtigia ſeruabuntur firma, ne euaneant: Ait ipſe: *Habens in te metipſo humorem, &c.* Veſtigia in arido, & duro non manent; ideò qui amat

D. Irin.

Dei veſtigia in ſe retinere, humorem habeat, quo & curetur, & viſcera tenereſcāt, & molliantur ad proximorū neceſsitates. De cuius humoris beneficio & firma in te Dei veſtigia habes, & creſces velut planta ad riuos aquarū fundata. Hinc Eccleſ. 11. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas.* Vbi Chald. com plut. *Porrige eſcam tuam pauperibus.* Et quando hortatur, vt demus panem pauperibus, cur dicitur panis ſuper aquas mittendus? Quid aquæ cum pane dādo? Ait Caten. Græca: *Cum ſympatia, & lachrymis fac eleemoſinam omni tranſeunti.* Petitur, ne panis dandus procedat de corde arido, de viſceribus aridis, ſed de humectatis teneritudine quadā compaſsionis. Quò ſpectat verbum illud: *Cum ſympathia*; eſt equidem ſympathia illa affectuum proportio, qua in te ſentias, quidquid calamitatis in fratre vides, & inde tenereſcas ad conſpectum illius. Non enim tanti æſtimatur apud Deum eleemoſina, quæ de duro, & arido corde procedit, quanti æſtimatur quæ de tenero, & compaſsiuo procedit animo. Vt dicat Olympiodor. ibi: *Cum lachrymis, & miſericordi affectu facito eleemoſinam; huius enim fructus tecum permanebit in ſæculum.* Huius enim fructus, nēpe huius eleemoſinæ cum lachrymis, & miſericordi affectu facta fructus permanet ſecuriſsimus. Quæuis enim virtus, quæ de corde irriguo oritur, maximè creſcit, & æternatur. Ideò de beato, & felici viro dicit Pſal. 1. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit, &c.* Circa quæ D. Epræm ait: *Beatus cuius fuerit anima tanquam lignum, quod plantatū eſt ſecus decurſus aquarum habens ſine intermiſſione lachrymarum imbrem, aquo crebrius irrigatur. Beatus, qui plantat bonam plantationem in anima ſua, virtutes ſcilicet. Beatus, qui irrigat plantationes ſuas lachrymis, Chriſtum ſemper exorans, vt ſint fructiferæ, & acceptiſsimæ Deo.* Sic de irriguo corde naſcitur beatitudo, & coaleſcunt virtutes. Vnde Luc. 23. de ſe locutus dominus ait: *Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* D. Hilar. legit: *Si in humido ligno hæc faciunt, &c.* Ligno ſe humido comparat Dominus. Et cur humido ligno? Ait D. Hilar. in Pſal. 1. *Huius quoque beati ligni non dedignatus eſt in ſe docere virtutem, cum pergens ad crucē ait: Qui à ſi in humido ligno hæc faciunt, in arido, quid fiet? Per humidi ligni exemplum nihil in ſe ariditati mortis obnoxium eſſe ſignificat.* Ecce tibi beati ligni virtutem indeputat à Ieſu monſtrari, quod in humido ſit, & ariditatem fugiat.

Olymp.

D. Ephr.

D. Hil.

D. Hil.

Iosue cap. 19. Cumque complesset sorte diuidere terram singulis per tribus suas, dederunt filij Israel possessionem Iosue filio Nun in medio sui, iuxta præceptum domini vrbem quam postulauit Thamnath Saraa in monte Ephraim: & ædificauit ciuitatem habitauitque in ea, &c.

§. XII.

Bonus princeps non aliam, quã subditorum sortem sibi æstimat.

CVM Israelitæ vniuersi suas in Terra sortes acciperent, tunc & Iosue accipit suam; ait enim: *Cumque complesset sorte diuidere terrã singulis per tribus suas, dederunt filij Israel possessionem Iosue, &c*, Non antea quam omnes Israelitæ accepit Iosue; quandiu enim aliqua tribus sine possessione mansit, similiter Iosue voluit manere sine illa; nec vllam sortem amauit, quam non haberent vniuersæ tribus. Magnum in eo exemplar præbuit principibus, vt à se depellant fortunam, quam nõ habent subditi. De Theoderico Theodomiri filio ait Iordanus Episcop. in Hist. de rebus Geticis: *Inter hæc ergo Theodoricus Zenonis imperio, fœdere sociatus, dum ipse in vrbe bonis omnibus frueretur, gentemque suã in Illyrico residentem, nõ omnino idoneam, aut refertam audiret, elegit potius solito more gentis suæ labore quærere cibum, quam ipse otiose frui Regni Romani bona, & gentem suam mediocriter victitare.* Sic boni, & præstantes viri principes ad subditorum suorũ amant viuere fortunam, respuentes omnia magna, quæ sui non pertingunt. Cantatissimus in hoc est Moyses vel cum Regiam Pharaonis reliquit, vt cum suis seruiret; vel eò maximè, quod videns suos duriter propter scelera à Deo tractari clamabat Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Cur ipse deleri volebat, quando delebantur sui? Ait D. Hieron. epist. ad Gaudent. *Vult perire cum pereuntibus, nec propria salute contentus est.* Bonus princeps nullum bonũ æstimat, quod non habeant sui, nec supra eorum fortunam vult constitui; sed vel in perditionẽ temporalem vult ire cum illis. Hos principes sic in suos affectos crediderim promissos esse à Deo fidelibus suis, quando aiebat Isaiæ, cap. 60. *Mammilla regum lactaberis.* Nec otiose ait, quod Reges habebũt fidelem populum ad mammillas, sed vt ostendat, quam erũt affecti ad illum, nequid bonum sibi arrogent sine illo. Quo expectabat D. Bernar. ser. 12. in Cant. vbi extollens Moysi facinus ait: *O vere hominem vnctum vnctione misericordiæ. Loquitur plane parentis affectu, quam nulla posset delectare fœlicitas, exortibus quos parturiuit. Verbi gratia, si diues quispiam mulierculæ pauperi dicat; Ingredere tu ad prandium meum, sed quẽ gestas infantulum, relinque foras, quoniam plorat, & molestus est nobis, nunquid faciet? Non ne magis eliget ieiunare, quàm exposito pignore charo, sola prandere cum diuite? Ita neque Moyse sedet solum introduci in gaudium domini sui, foris scilicet remanente populo.* Nec vlli bono principi gratum est ad abundantiam, & fœlicitatem ire, cum sui remaneãt in penuria, & infortunio. Sic principes designati à Deo populo suo, non differunt à matribus respectu puerorum, quos habent ad mammillas; sed vt illæ minime depellẽt à mammilla puerum, vt abeant in lautissima conuiuia; sic nec principes Dei relinquent populum in egestate, dum ipsi sunt in delitijs. Nõ aliter Ioseph in fame Ægyptiaca videns fratres suos Gen. 43. *Præcepit dispensatori domus suæ dicens: Introduc viros domũ, & occide victimas, & instrue conuiuiũ; quoniam mecum suum comesturi meridie.* Et quale conuiuium instrui mandat? Ait Philo ibi: *Interim cibi non valde lauti apponuntur, quod conuiuatori non liberet vti delitijs in publica penuria.* O vere regalissimum principem, qui etiam in die lætitiæ suæ cauit lautitias in conuiuio admittere, quando populus eius fame peribat.

Theod.

Exod. 32

D. Hil.

Isaiæ 60.

D. Bern.

Gen. 43.

§. XIII.

Præclari principis est, nil prius à populo accipere, quam ipse populo dederit.

POST Distributas sortes vniuersis, à populo accipit Iosue partem suam; dicit enim: *Cum complesset sorte diuidere terram*

terram singulis per tribus suas, dederunt filij Israel Iosue filio Nun possessionem in medio sui; vrbem quam postulauit, &c. Caleb vt supra vidimus Iosue cap. 14. ante omnes, & postulauit, & accepit partem suam: Iosue autem non antea postulat, nec accipit; sed post datas singulis partes suas, ipse petit, & accipit. Et cur ipse non antea cum Calebo petiuit? Erat Iosue populi princeps, ad cuius præstantiam pertinet, quod non accipiat ipse à populo nisi de datis prius. Iosue, 14. Quod ponderas Orig. hom. 24. in præsenti ait: *Nec ipse hæreditatē sorte præsumsit, sed à populo accepit, & illi dat populus hæreditatem, à quo ipse acceperat.* Expende cui principi dat populus hæreditatem, nimirum, *à quo ipse acceperat.* Hoc præclarissimum in principe, quod illi tribuat populus, qui ab illo accepit prius. Nec alios principes promittebat dominus fideli populo suo, cum Isaiæ, 49. ait Isaiæ cap. 49. *Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ*, siue vt ex hebræo, *lactatrices tuæ.* Nutrix enim ipsa primum confert infanti, quo alatur, & crescat; nihilque ab illo sperat accipere, nisi postquam illū nutriuerit, & aluerit. Sic principes dati à Deo populo fideli, nil prius amabunt, quā dare populis, quo nutriantur, & crescant, vt ipsi postea accipiant fœnus de suis primo exhibitis muneribus. Inde extollit Traianum Plinius in Paneg. inquiens: *Omnes antequam te viderent, adirent ve recipi, incidi iussisti* (incidebantur enim tabulis nomina eorum, quibus donaria principum parabantur) *vt iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur, crescerent de tuo, qui crescerent tibi, alimentisque tuis ad stipendia tua peruenirent, tantumque omnes vni tibi, quantum parentibus suis quisque debebebat:: Atque adeò nil largiatur princeps, dum nil auferat; non alat, dum non occidat. Contra largiatur, & auferat, alat, & occidat.* Hoc habeas quisquis principatum ex Deo obtinuisti, vt sic accipias subditos, qualiter nutrices accipiunt infantes, vt crescant de tuo, qui crescunt tibi, vt de tuis donis parent dona tibi. Si princeps nolit dare, nolit etiam auferre; dum autem ipse primus largiatur, ipse primus dona exhibeat, auferat de suis, quod videatur bonum sibi. Parcendum videtur principi, quod auferat à suis, quibus ille dederat prius; in eo enim est maxima eius gloria, & præstantia, quod nihil accipiat, nisi id sit de primò collatis donis suis. Vnde Dauid cum ingentem auri, argenti ve copiam templo ædificando parabat, inde maximè extollebat Dei regnum, & imperium 1. Paral. vlt. dicens: *Tua est domine magnificentia, & potentia & gloria, atque victoria, & tibi laus. Cuncta enim quæ in cœlo sunt, & in terra tua sunt; Tuum domine regnum, & tu es super omnes principes. Tua diuitiæ, & tua est gloria, tu dominaris omnium:: Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Maxima hæc gloria est principis, quod nil ei præbeant subditi, quod prius non acceperint ab illo. 1. Paral. 1.

§. XIIII.

Quidquid verus Iesus pertingit, maximè ornat, & illustrat.

QVAM Dirutam, & solo æquatam ciuitatem accepit Iesus, & habitauit in ea, & ædificauit, vt amplissima, & illustrissima fieret vrbs, quippe ait: *Ædificauit ciuitatē, habitauitque in ea.* Erat enim Thamnath Saraa tunc temporis Vrbs vilis, male ædificata, vel certe, vt placet Saliano, & Serario, prorsus diruta; quam accipiens Iesus Naue filius denuo excitauit, & amplissime ædificauit, maximèque illustrauit. Et quo spectat hoc, quod vnus Iesus dicitur ciuitatem vilem, & dirutam accipere, eamque ædificare, & exornare? Plane ibi exprimebatur, quod quotidie fit in nobis à vero Iesu Dei filio, qui quem capit locum in animis nostris, quæ tangit corda, mirifice illa exornat, & ædificat. Ait Orig. Orig. hom. 24. in præsenti: *Si darem locum filio Dei in vne: acceptum totum à me in anima mea Dominus Iesus ædificaret eum, & adornaret, & faceret in eo muros inexpugnabiles, & turres excelsas, & ædificaret in me mansionem, si merear, dignam se, & patre.* Nescit meus Iesus locum, quem in nobis accipit, & inhabitat in ruina, & vilitate relinquere, sed statim in eo multa decora excitat, validissima propugnacula ædificat, omnia eius ornatu candidissimo, preciosissimo nobilitat. Et quid tangit Iesus, quod nō maximè ornet, & illustret? Matth. 27. post Iesum crucifixum: *Accepto corpore Iesu Ioseph involuit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo.* Mundum erat linteamen, & nouum sepulchrū, quod accepit Iesum; sed vbi Iesus illa tetigit, quis dicat qualem mundiciem, & innouationem perceperunt inde ipsa? Ait Orig. hom. 35. in Matth. *Puto autem magis munditiam sindon illa habebat, ex quo involatum est corpus Christi, quā prius: corpus enim Iesu etiam in morte conser-* Matt. 27.

tutum, quasi corpus Iesu mũdabat omnia, quæcumque tangebat, & magis innouabat monumentum illud nouũ, quod fuerat excisum. Quã felix homo est, ad quem accedat Iesus! Quã felix homo est, qui debite capiat Iesum, à quo profecto & omnis vestustatis abolitionem, & omnis infirmitatis remedium, & maximum virtutum ornatum, & splendorem accipiet. Tene fide, & amore Iesum, & omnem vilitatem exues, & omnem gloriã, & nobilitatem indues. Ioann. 20. cum Maria Magdalena esset ad monumentum Iesu, stans foris, & plorans; accessit Iesus, & ait illi: *Mulier, quid ploras?* Quę verba ponderans D. Amb. ibi ait: *Mulier, qua non credit, mulier est, & adhuc corporei sexus appellatione signatur. Nam, quæ credit, occurrit in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, carens iam nomine sæculi, corporis sexu, lubrico inuentutis, multiloquio senectutis.* Dum Christum nec fide excipis, nullo bono insigniris; at vbi accedens Iesus fide sentitur, omnia infirma reijcis, & vilia, & ad omnia perfecta habenda curris. Iesus enim est, qui omnia nouo ornatu, nouoque splendore valet vestire. Gen. 22. dicebat Dominus ad Abraham *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Et qualiter Abrahami des ad stellarum splendorem deuenirent. Ait D. Irinæus lib. 4. cap. 15. *Doctus est Abraham repræsentatione, quod inter homines homo futurus esset filius Dei, per cuius aduentum semen eius erat futurum, quasi stellæ cœli.* Sic vbi Iesus se immiscuit Abrahami semini, eius semen nouo lumine vestiuit.

D. Amb.

D. Irin.

§. XV.

Quo minus de terrenis bonis in corde habueris, eò firmior eris in via virtutis.

ACCEPIT Ergo Iosue Tamnath Saraa, *ciuitatemque ædificauit, & habitauit in ea.* Et mirabar, quod Iesus hanc vrbem sibi elegerit, de qua Arias Montan. ait: *Vrbi huic ex regionis plaga Thamna, hoc est, Australis nomen: ab arborum vero graueolentia, & soli sterilitate Zarahh cognomen factum videtur.* Cur ergo adeò sterilem, & vacuam bonis omnibus partem sibi Iosue assumsit? Quærebat bonus virtuosæ vitæ firmitudinem, quæ sanè tunc est, quando magis terrena bona deficiunt. Vbi crucifixus dominus emisit spiritum, ait Matth. 27. *Terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Et simul pedes Iesu visebantur firmiter fixi in cruce, & terra moueri & quasi fugere. Crede mihi, vbi terrena bona remoueantur, & fugiant, pedes hominis maximè firmantur in via virtutis. Proquo aiebat Orig. hom. 35. in Matth. *Beatus est autem, & cui terra, & omnia terrena mouentur; propterea enim & à Christo sunt mota; nec mouebuntur pedes eius, nec dicet, Mei autem pene sunt moti pedes.* Equidem cui terrena mouentur, vt abeant ab oculis, vt abeant à corde; sic manent in virtute fixi, & firmi pedes eius, vt vix ab illa dimoueri nequeant. Hinc 1. Reg. 4. clamãtes Philisthæi dicebant: *Quis nos saluauit de manu Deorum sublimium istorum?* Vbi Septuag. posuere: *Quis nos eruet de manu Deorũ firmorum horum?* Quos noster uocat Deos sublimes, Septuaginta vocãt Deos firmos, quippè in eo maxima est firmitudo in bono, quod quis à terrenis bonis sit sublimis, ne illa affectu videat. Disparebãt, necessum est, infima, & terrena bona ab oculis affectus tui, si amas maximè in virtute cõsummari, confirmari. Luc. 21. *Quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum esset, dixit: Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem.* Quibus dictis addit Matth. 24. quod statim discipuli interrogauerunt de glorioso Iesu aduentu dicentes. *Die nobis quando hæc erunt? Et quod signum aduentus tui, & cõsummationis sæculi?* In euersione templi annuntiata meminerunt & consummationis sæculi, & secundi Christi aduentus. At in ruina templi, in mundi cõsummatione omnia ostenduntur mutabilia, & peritura; in Christi secundo aduentu magis effulgebit stabilitas vitę, magis apparebit firma bonorũ æternitas. Vnde ergo discipuli coniungunt res adeò disitos, & de ruina, consummatione mundialium rerum transeunt ad firmitatem, & æternitatem bonorum secundi aduentus? Plane sapienter hæc coniunxerunt; vbi enim terrena disparent, & mundialia abscedunt ab humanis affectibus, sic firmamur in virtute, vt Deus, & virtus videatur in nobis æterna. Ait D. Amb. lib. 10. in Lucam: *Fit autem domini secundus aduentus in defectione mundi, quãdo possumus dicere, Mihi autem mundus crucifixus est, & ego mundo. Sed hunc virum mundi defectus si in superioribus inueniat, vt conuersatio eius in cœlis sit, tunc destruetur templum corporale, lex corporalis, pascha corporale, audeo & dicere, Christus temporalis, vt fuit Paulo, antequã cre-*

Matt. 27.

Orig.

1. Reg. 4.

Luc. 21.

Matt. 24.

A. Amb.

cre-

crederet; quia in eo, cui mundus deficit, Christus æternus est. Plane æternari potest & virtus, & Christus in eo, cui mundus propter Deū deficit.

CAP. DECIMVM NONO
Asyla designantur.

Textus Historia.

POST Assertas vnicuique tribui possessiones, nihil prius cordi fuit Deo, quàm in rē deducere, quod pridem dixerat de statuendis ciuitatibus, quæ ius asyli haberent. Hæ fuere Cedes, Sichem, Hebron, Bosor, Ramoth, Gaulon; ad quas confugeret, qui occiso fratre innocens probaretur, nec ab illis impune discederet, nisi post quā vita functus fuerit Summus Sacerdos. Nō equidem ibi dabatur scelerum impunitas, sed perfugium dum taxat statuebatur innocentiæ.

PARS MORALIS
circa textus literam.

DE Asylis Israelitarum locuturus libenti animo meditor, quod mihi parauit asylum Iesus meus, nimirum si non moriatur, sed viuat quidquid Christiani Sacerdotij in me residet.

Iosue cap. 2. Et locutus est dominus ad Iosue dicens: Loquere filijs Israel, & dic eis; Separate vrbes fugitiuorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi, vt cōfugiat ad eas, quicumque animam percusserit nescius, & possit euadere iram proximi, qui vltor est sanguinis: cum ad vnam harum confugerit ciuitatum, stabit ante portam ciuitatis, & loquetur senioribus vrbis illius, ea, quæ se comprobent innocentem: sicque suscipient eum, &c.

§. I.

Patentissimi Dei Spiritus est, quod in primis damna innocentum caueantur, etiam cum nocentum impunitate.

QVANDO Lege politica vindicta permittebatur, multus est Deus in tollenda occasione innocentis castigandi, iubens in præsenti, vt asyla constituantur, nimirum ciuitates refugij, *vt confugiat ad eas, quicumque animam percusserit nescius, & possit euadere iram proximi, &c.* Et sanè Deus acerrimus erat persecutor homicidarū, & contrà illos sic cauebat Exod. 21. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eū, vt moriatur.* Qui sic acer erat in homicidas, vt nulla illis asyla permitteret, nec ipsum diuinum altare; cur modo tantus est in parandis asylis pro homicidis involuntarijs? Cur non potius omni homicidæ spem tollit immunitatis, vt sic magis homicidia caueantur? Cur mauult inter leges de homicidis perdendis prouidere refugia, quibus saluentur homicidæ involuntarij? Sanè Spiritus diuinus eò propensus tendit, ne quis innocens patiatur. Sic Numer. 5. *Vir, cuius vxor erranerit maritumque contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro: si Spiritus zelotipiæ concitauerit virum contra vxorem suam quæ vel polluta est, vel falsa suspitione appetitur: adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, &c.* Sic multis coram Deo, & Sacerdote probari, & examinari Deus mandat suspicionem adulterij. Sed cur non magis cum manifestis adulteris percutiantur etiam suspectæ fœminæ de tam nefario crimine apud diuinissimum castitatis vindicem? Plane Deus & si maximè oderit adulteria, cauit tamen non conuictas, sed suspectas committere iudicio hominis, qui falli potest, & innocentem percutere. Nunquā enim Deo placere potuit iudicium, in quo ex se æque periclitantur nocentes, ac innocentes. Quò crediderim respexisse catenā Græcam, cum dicit: *Voluit hoc lege cauere Deus, conscius, quam procliue esset ingenium eius gentis leui de suspitione sanguinem fundere!*

Exod. 21

Num. 5.

examen

examen igitur Zelotypiæ ſibi, quem nihil præterit, reſeruari voluit, &c. Et ſi adulteria acerrime perſequeretur Deus, quando tamen non clarũ, & euidens probationi erat adulterium; ſapienter parauit ſuſpectis fœminis effugium, vt coram Deo, & Sacerdote ſiſterentur, nec mitterentur maritis, qui falſis ſuſpicionibus, & teſtimonijs vſi vel innocentem perimerent. Sẽper enim Deus amat eſſe cautum, ne innocens in pericula incurrat: adeò, vt pro liberandis innocentibus, nõ æſtimat, quod & nocentes euadãt liberi. Hinc de Deo dicebatur Matth. 5. *Pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Quæ meditatus D. Chryſoſt. hom. 13. inter opera Imperfecti ait: *Caute poſuit ſuper iuſtos & iniuſtos, non ſuper iniuſtos, & iuſtos. Quia omnia bona Deus non propter omnes homines dat ſuper terram, ſed propter paucos ſanctos. Contentus eſt enim magis, vt peccatores contra meritum ſuũ bonis Dei fruantur, quam vt iuſti contra meritum ſuum à bonis eius fraudentur.* Expende ab illis: *Contentus eſt enim magis, &c.* quippè diuinus Spiritus contentus eſt magis, vt euadant nocentes, quàm quod innocentes perimantur. Vt diſcas, quam longe à Dei Spiritu ſint illi, qui ſtulto zelo iuſtitiæ ea faciunt, vt nocentes inueſtigent; quibus etiam innocentes poſſunt periclitari. Hoc dixerim propter nonnullos iudices, qui quæſtionibus reorum nimiam acerbitatem addunt, & ſupra ipſas leges tormenta exacerbant, & tegnas fallaces adhibent, vt extorqueant delicta, quæ puniant, rati magnum inconueniens, ſi adhibitis, quæ lex poſtulat, & ratio permittit, reus poſsit euadere liber. Nec reputant, quam maius ſit inconueniens, quod illis vel innocentes poſsint cogi in pœnam ire. Sanè ij alieniſſimi ſunt à Dei Spiritu, & à ſenſu omnium prudentum cummuni, qui peractis, quę ratio humana, & lex poſtulat contentus magis eſt, vt rei immunitate fruantur, quàm vt innocentes afflictentur. Sic etiam alij nimis ſcelerum perſecutores malunt aliquem reum habere inauditũ, quàm ſi audiat, eas excuſationes prætendat, quibus non poſſit conuinci, Proh ſtultiſsimus iuſtitiæ zelus, qui ne reus euadat, innocenti etiã occludit datam à natura, & Deo defenſionis viam. Mihi credant, nunquam talis zelus venit à bono ſpiritu, cuius eſt innocentibus ſubnenire, etiam ſi neceſſum ſit, quod inde nocẽtes ſimili fruantur beneficio. Ait enim D. Nazianz. orat. 19. *Multo ſatius eſt ob eos, qui digniſunt, indignis quoque largiri, quàm dum metuimus, ne de indignis bene mereamur, dignis etiam beneficio fraudare.* Ad quam ſententiam ait Elias Cretenſ. *Hanc ſententiam mutuatus eſt ex Demoſthenis oratione de corona: cuius hæc ſunt verba: Præſtat propter dignos indignis etiam honorem habere, quã dignos merito honore ſpoliare propter indignos.* Hoc diuina, & humana ſapientia ſanxerunt, vt bonis, & innocentibus ſuus ſemper honor habeatur, ſeruetur, etiam ſi inde naſcatur, quod indigni & rei, non ferant ſuam pœnam; quod reſpectu illius, aut nullum, aut parum cenſetur à Deo, & ſapientibus inconueniens.

Matth. 5.

Chryſoſt.

Nazianz.

§. II.

Apud ſolum Ieſum nocentes, & innocentes refugium habent.

SEX Ponuntur in Iſraele ciuitates refugij, in quibus non vniuerſi, ſed qui ſe probauerint innocentes, ſaluantur. Ait enim; *Stabit ante portam ciuitatis, & loquetur ſenioribus vrbis illius, ea, quæ ſe comprobent innocentem, ſicque ſuſcipient eũ, &c.* Non prius in ciuitate admittitur, vt eius refugio gaudeat, quàm ſe innocentem probauerit. Crede mihi, qui nocens eſt, nullo capitur loco, ſolus Ieſus eſt, qui innocentes, & nocentes ad vitam capit. Quo reſpiciens D. Paul. ad Epheſ. cap. 3. *Vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritũ eius in interiore homine; Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati, & fundati, vt poſsitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas, & profundum.* Et quæ eſt latitudo in Chriſto? Sanè latitudinem dixit, vt repellat anguſtias legis veteris, cuius ſex ciuitates nec vnum reum in ſalutem capiebant; at Ieſu refugium adeò latum eſt, vt capiat nocentes, & innocentes, illos vt ſeruet, hos vt in vitam conuertat. Aiebat Arnold. Carnoten. orat. in illa verba: *Pater ignoſce illis, &c.* Vbi ſic: *Latitudo charitatis in Chriſto zeli amplitudine vniuerſa complectitur, cum ægris infirmatur, cũ iis, quibus eſt ſcandalum, vritur. Extenditſe, & ſuperfertur afflictis affectu nutritio: expanſiſque alis pullos implumes aggregat, & fouet, & protegit, & ſe ipſam intutelam parulorũ exponens, negligit; neque, alios vt defendat, formidat. Iuſtum & impium ſimul complectitur; alterum, vt ſtet: alterum, vt reſurgat.* Hæc eſt chriſtiani refugij latitudo; non expectat innocentiæ probationem, vt admittat; ſi

D. Paul.

Arn. Carn.

iuſtus,

iustus, & innocens sis, admitteris, vt ibi stare possis in innocentia, & iustitia. Si autem iniustus, & peccator fueris, omniũque reus cõuincaris criminum, nihilominus admitteris, vt ibi confotus reuiuiscas, & resurgas in vitam. Nemini Iesus meus negat refugium. Matth. 27. post crucifixum dominum ostensum ait: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, vnus a dextris, & vnus a sinistris.* Et principes quidem ijs socijs pœnæ datis volebant Iesu obscurare virtutem; at Iesus cur in consortium crucis hos latrones admisit? Pulchre ait Arnold. Carnot. vbi supra: *Huius latitudinis mysteria Christus etiam inter supplicia commendans, in eo, quod expansis manibus, elevataque læva, & dextra interlatrones se medium exhibebat, volebat intelligi commune esse illud beneficium; & non solum bonis, sed & impijs, quod agebatur, proficere, & se potius medicamina illa agris proposuisse, quam sanis: & gratia illa, pari libertate donasse eos, qui de libera, & eos, qui nati fuerant de ancilla.* Tam ampla est mei Iesu latitudo, qui omnes ex se capit, neminem excludit, & si multorum flagitiorum reum conuictũ. Huc trahenda dicta supra tom. 2. de Christo figur. lib. 5. cap. 9. §. 26.

Matt. 27

Arn. Ca.

§. III.

Ad sedandam Dei iram non tam assumenda innocentia testatio, quam culparum confessio.

IVBETVR Homicida inuoluntarius stare pro foribus ciuitatis refugij, ibique coram senioribus loqui ea, quæ se comprobent innocentem; sic ait: *Stabit ante portam ciuitatis, & loquetur senioribus vrbis illius, ea, quæ se probent innocentem.* Mirabar à Deo iuberi, quod homo se innocentem clamaret; cum videant sanctissimum iuuenem inter flammas Babylonis agentẽ Daniel, 3. sic clamantem ad Deum: *Iudicia vera fecisti, iuxta omnia quæ induxisti super nos, & supra ciuitatem sanctam patrum nostrorum Ierusalem: quia in veritate, & iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra: Peccauimus enim, & iniquè egimus, &c.* Ecce tibi hic iustus cum esset, reum se, & peccatorem confitetur; ille autem ea profari cogitur, quæ se probent innocentem. Et quando iusti etiam se reos clamant, cur homicida involuntarius ad salutem cogitur se probare innocentem? Insinuabat textus causam præmittens: *Et possit euadere iram proximi, qui vltor est sanguinis*; merito cum res cum hominibus est, vt liber quis euadat, cogitur se probare innocẽtem; cum autem res est cum Deo, tunc securius agit, qui se reum, & peccatorem fatetur. Vt respectu hominum ille tutior, qui se probat innocẽtem; sic respectu Dei tutior est, non qui se innocentem probat, sed qui se fatetur reũ. Luc. 18. *Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti: ieiuno bis in Sabatho, decimas do, &c. Et publicanus à longe stans:: percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Ecce tibi duo homines; alter se iustum probabat, & innocẽtem coram Deo, alter se peccatorem confitetur. Ille loquitur ea, quæ se innocentem probent, hic loquitur, & quæ se probent reum. Quid tunc? Vter euasit liber? Non equidem qui se probauit innocentem, sed qui se reum fuit confessus. Ait D. August. epist. 58. *Ille in corde contrito sui accusator accipitur, & obtinet veniam de confessis propter gratiam humilitatis; Sancto illo Pharisæo reportãte sarcinam peccatorũ de iactantia sanctitatis.* Non enim apud Deum, qui iactat sanctitatem, qui innocentiã prædicat suã, ita tute procedit, vt qui se reum, & peccatorem confitetur. Reatum prorsus tegit corã Deo, & sanctis eius qui reum se fatetur illius. Aiebat Mar. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* In aquarum ingressu fese omnes nudant; ad salutem autem rei magis amant tegi, multisque pallijs operiri. Cur ergo dominus iubet abijcere vestes, & baptismi nuditatem amari abijs, qui salui fiunt? Ait putatus Hieron. de vera Circumcis. *Omnique in procinctu baptismatis indumento nudati, sola sanctorum oculis confessione vestimur.* Est in promptu vestis, qua operiamur, qua exclusa omni nuditate appareamus coram Deo, & angelis eius ornati, & amicti, nimirum si nos reos confiteamur, & peccatores. Vbi mediet confessio, euanent perditionis pericula. Peccatori Adamo dicebat Dominus Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo*: Caino autem dicebat Gen. 4. *Maledictus eris super terram*: hunc maledictioni tradit, illum minime, sed solam terram illius. Et quando ambo peccatores erant, imò, & damnosius peccauit Adamus, quam Cainus; cur Adamus maledictioni eripitur? Requisitus Adamus statim confessus fuit culpam dicens: *Mulier, quam dedisti*

Daniel 3.

Luc. 18.

D. Aug.

Mar. 16.

Hieron.

Genes. 3.

Genes. 4.

dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi: qui ſic faſſus eſt crimen, ita illum operuit, vt ſeſe maledictionibus eriperet. Tertull. Ait Tertull. lib. 2. in Mar. *Ideoque nec maledixit ipſum Adam, nec Euam, vt reſtitutionis candidatos, vt confeſsione releuatos. Cain vero maledixit, &c.* Qui aloquebatur Cainus, quæ ſe innocentem probarent, Dei iram, & maledictionem incurrit; Adam autem & Eua vt confeſsi ſunt crimen, ſic in propriis perſonis liberantur à maledictis. De confeſsione habes plura in præſenti tomo, & in alijs.

Ioſue 20. Cumque vltor ſanguinis eum fuerit perſecutus, nō tradent in manus eius: quia ignorans percuſsit proximum eius, nec ante biduum, triduū ve eius probatur inimicus. Et habitabit in ciuitate illa, donec ſtet ante iudicium cauſam reddens facti ſui, & moriatur ſacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatem, & domum ſuā, de qua fugerat, &c.

§. IIII.

Deo maximè cordi eſt ſtudium pacis.

ET Si dabatur refugium homicidæ involuntario, vbi probata eius innocētiā liber maneret, tamen cogebatur à patria exulare, & manere in ciuitate refugij vſque ad mortē ſummi Sacerdotis. Ait enim: *Et habitauit in ciuitate illa donec, &c.* Et quando innocens probatus eſt, & dignus omni indemnitate, cur exul à patria detinetur? Cur non magis permittitur liber redire ad propria? Ait Rabbi Kamba apud Serarium quæſt. 5. *Exul eſt, vt eius, qui ſanguinem vlciſci parat, pacetur interea animus, dum eum, qui eadem fecit, à conſpectu remotū non videt.* Vel innocentem Deus exilio damnat ſtudens paci; vt interea dum ille abeſt, pacificentur vltorum animi. Sic Deo cordi eſt pax inter ſuos; neſcit enim dum adeſt, non oſtendere in ſe maximum ſtudium pacis. Matth. 24. petebant diſcipuli ex Ieſu, *Quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi?* Quibus dominus reſpondit: *Audituri enim eſtis prælia, & auditiones præliorum, &c.* Itaque pro ſigno vltimi aduentus Ieſu, in conſummatione ſæculi, quando conſumptis his mundialibus bonis, ſic redeat ad patrem, vt nunquam amplius hinc veniat, ponuntur prælia, & auditiones præliorum; & merito, clariſsime enim oſtenditur Ieſu abſentia in ablatione pacis; vt eius præſentia clare per pacē procuratam monſtratur. Matt. 24 Ait Orig. hom. 28. in Matth. *Sicut aduentus Chriſti in plurimis gentibus diuina virtute fecit pacem, ſecundū quod dicit. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis: ſic conſequens eſt, vt cum propter abundantiam iniquitatis refriguerit charitas multorum, & ideò dereliquerit eos Deus, & Chriſtus eius, iterum fieri prælia.* Orig. Cum præſentia, vel abſentia Ieſu, vel pax, vel prælia veniūt; vbi Deus, & Chriſtus eius adeſt, ibi pax procuratur, ibi pax regnat; cum primum Deus abeſt, ſtatim ſurgunt & prælia, & cædes. Huc ſpectent, qui Dei amant induere ingenium; induent enim illud, ſi paci æternandæ operam dederint. Vnde monebat Paul. 1. ad Corinth. 15. *Igitur ſicut portauimus imaginem terreni: portemus, & imaginem cœleſtis.* 1. Ad Corinth. 15. Sed in quo cœleſtis imaginem protabimus? Ait D. Ber. in medit. cap. 1. *Oportet id, quod ad imaginem eius eſt, cum imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare. Repreſentemus ergo in nobis imaginem eius in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis.* D. Bern. Expendo illud; *in appetitu pacis*, in eo enim maximè Dei imaginem repreſentas, ſi pacem apperis; de eaque in omnibus æternanda ſemper ſatagis. Nec melius pacem æternabis, quam ſi ad Ieſum ducaris, cuius præſentia omne prælium abigit. Cant. 3. mirabundæ cœleſtes poteſtates clamabant: *Quæ aſcēdit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrha, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Ecce lectulum Salomonis, &c.* Cant. 3 Quæ hæc conſequentia lectuli pacifici Salomonis de admiratione aſcendentis animæ? Modo prædicant aſcenſum eius, & ſtatim ad lectulum Salomonis oſtendendum tranſeunt. Sed quid cum aſcenſu lectulus habet? Equidem vt cœleſtes poteſtates mirabantur aſcendentem animam, rantes illā eſſe Salomonis veri ſponſam, eam ſtatim ſunt comitatæ, & deduxerunt vſque ad lectulum, in quo & pax, & quies æternatur. Nequit enim fieri, quod Ieſu appropinques, quin ſtatim ſopitis prælijs pax rutilet, &

D. Amb. let, & quies clareat. Ait D. Amb. lib. de Isaac cap. 5. *Hanc igitur ascendentem, & nō resistentē videntes, & meritorū eius odoribus delectatæ, agnoscentes quoque Salomonis illius pacifici esse pōsam, etiā comitatu sedulo prosecūtur vsque ad lectū Salomonis, eo quod & vera requies in Christo debeatur. Lectus enim sanctorū Christus est, in quo vniuersorū fessa sæcularibus prælijs corda requiescunt.* Euanescent prælia, & requies pacis exsurget, vbi noueris Christo Iesu appropinquare.

§. V.

A morte Christi magnæ vtilitates in nos venunt.

COgitur homicida involūtarius exulare extra patriam, vsq; dum moriatur magnus sacerdos; sic enim dicit; *Et habitabit in ciuitate illa, donec moriatur sacerdos magnus:: tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatē, &c.* Sic volebat Deus, vt mors magni Sacerdotis proficua esset ijs exulibus, vt inde clareret, quā sit nobis vtilis mors Iesu Sacerdotis veri. Sanè moriēte Sacerdote magno Iesu filio Dei homicidæ, & latrones, & peccatores sic afficiuntur, vt possint ingredi ciuitatē cœlestem. Quæ enim vtilitates de Iesu morte nō descendunt? De ducatu populi Israelitici per Exod. 13. Moysem administrato locutus Exod. cap. 13. ait: *Circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare, &c.* at de Iesu ait Matth. 12. *Abijt Iesus per sata Sabbato, discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, &c.* Expende vias, quas aggreditur populus sub Moyse, & quas aggreditur discipulus sub Iesu. Ille per viā graditur desertam, sterilē, inaquosam; hic per sata procedebat, hinc inde exurgētibus, & inuitātibus spicis. Et quando Moysi asseclis adeò deserta, & sterilis via erat, cur discipulis Iesu fructifera sata applaudebāt? In Iesu eius mors, & passio e vicino ostendebatur, de cuius beneficio nō poterāt nō apparere omnia hominibus proficua, & valde vtilia. Ait D. Amb. D. Amb. lib. de Isaac cap. 6. in fine. *Moyses per desertū duxit populū Iudæorū, Christus per semināta ducit: Christus per lilia ducit, quia per passionē eius desertū floret vt liliū.* Vbi Christi passio, & mors affulget, nihil marcidū, & sterile permittitur, sed vel deserta ipsa currūt in cāpos floridos, & fructiferos, vt inde eius asseclę exaltētur, & viuāt. Hinc Ioan. 21. crucifixum, & mortuum Iesum vnus militū lancea percussit, & *cōtinuo exiuit sanIoan. 21. guis & aqua.* In aqua prefigurabatur baptismus, quo christiani vniuersi immergimur, ibique cōsepelimur Christo. Cur ergo aquę baptismo sanguis ādiungitur? Datur nobis aqua, vt mergamur, & cōsepeliamur, sāguis ad quid datur? Quādo datur aqua, vt ibi immergamur, & cōsepeliamur, necessariū fuit quod ibi etiā Christi sanguis adderetur, ne immersi maneremus semper, & sepulti, sed inde leuaremur in vitā. Vt enim aqua nos mergit, & sepelit in se, sic Christi sāguis, & mors nos leuat, vt in alta possimus ire. Quo respiciēs Tertul. lib. de Baptis. cap. 16. *Vt nos faceret aqua vocatos, sanguine elatos, hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit* Tertull. Expē de illud: *Sanguine elatos*, quippè sanguis Christi summi Sacerdotis facit, ne hęreamus immersi, & sepulti, sed inde in altū efferamur, & euolemus liberi in vitam.

§. VI.

Sanguis Christi diuinæ iræ flammas extinguit.

AD Sua permittitur ire homicida ille post mortē Sacerdotis magni, cū dicit: *Donec moriatur Sacerdos magnus:: tunc reuertatur homicida, & ingredietur ciuitatē.* Quasi in morte magni Sacerdotis non debeat iā vltorē homicidij timere. Et quando tota ratio exilij, eo spectabat, quod vltoris ira sopieretur; cur etiā in Sacerdotis morte id ipsum nō spectatur? Vnde enim constabat, quod in morte Sacerdotis iā esset vltoris ira sopita? Sanè ibi magis credo respectū fuisse mysteriū Sacerdotis diuinissimi pro nobis occisi, ad cuius sanguinis presentiā, vel ferissimæ sopiuntur iræ. Canebat enim Prudent. in Carm. contra Iudæos:

Vox euāgelica Hircanas quoq; seruida brumas
Soluit, vt exutus glacie, iam mollior amnis
Cauçasea de cote fluat Rhodopeius Hebrus,
Mansueuere Getæ, feritasque cruenta Geloni
Lacte meo sitiens exanguia pocula miscet,
Libatura sacros Christi de sanguine potus.

Ecce tibi Getarū, Gelenorūq; cruenta feritas māsuescit, & qui carnibus vescebātur humanis, calētēq; sanguinē proximorum ebibebāt, iā exanguia pocula bibunt, à sanguine hourictdo abstinēt. Et vnde hoc? Ait Prudent. *Libatura sacros Christi de sanguine potus*, vbi sibi Christi sanguinē ob oculos posuit euanuit feritas, cessit sanguinarius spiritus, flammātiū irarū extincti sunt ignes. Quę feritas? Quę violentia? Qui ignes nō cedāt ad diuinissimi Sacerdotis sanguinēvisū? Armata Israelitarū manus gladios, ignēq; parabat, vt perderet Hiericūthinos. Quorū vt a se depelleret ferociam mulier Iosue cap. 2. *appendit funiculum coccineū in fenestra.* Et vnde funiculus coccineus oculis obiectus tantos ignes extinguet, tā violentes sedabit iras? In coccino illo repræ-

sentabatur mors, & passio, & sangis effusus diuinissimi Sacerdotis Iesu Dei filij, quæ visa ferissimas quasque iras valent compri mere, & extinguere ignes. Accinit Amænus in Enchirid. Veteris testam.

Procubuit Hierico, sola astant atria Raab
Hospita sanctorum meretrix, tãta est fidei vis;
Incolumi secura domo spectabile coccum
Ignibus aduersis in signum sanguinis offert.

Vbi pro se habet signum passiouis, & mortis, & effusi sanguinis diuini Sacerdotis, quod ignibus obijciat; secura est, nullũ telũ iam timet. Nulla enim ira, nulla violentia, nullus ignis non sopitur, vbi videat & Iesu mortem, & eius sanguinem effusum Isaias cap. 19. *In die illa erit altare domini immedio terræ Ægypti, & titulus domini iuxta terminum eius. Et erit in signum, & testimoniũ domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad dominum à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem.* Vnde Ægyptij tam propitiũ expetti sunt Deũ; vt clamantes à facie tribulantis, statim salutem, & protectionẽ extorqueant? Insinuant illa verbarem, *Erit altare domini in medio Ægypti.* Quod altare putat Cyril Alex. fuisse crucẽ Iesu. Magis ego referrem istud altare ad sacrificium agni, in quo Ægyptus prima videbat sanguinem Iesu. Ait enim D. Anast. Sinaita lib. 8. Exam. *Ægyptus prima vidit agni sanguinem ad vesperam in domibus signatum ad salutẽ, & ostendit agni Christi sanguinem ad vesperã effusum, donec domum Ecclesiæ coloraret.* Et tanto altaris sanguine munita quas iras non extinguat hostiũ? Quas nõ impetret salutes? Huc trahẽda dictatom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 7. §. 11. & alibi.

Isaias 19.

D. Anast.

Iosue cap. 20. Decreuerunt què Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichẽ in monte Ephraim & Cariatharbe, ipsa est Hebron in monte Iuda. Et transIordanẽ contra Orientalem plagam Iericho, statuerunt Bosor, quę sita est in campestri solitudine de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad, de tribu Gad, & Gaulon in Basan de tribu Manasse. Hę ciuitates constitutæ sunt cunctis filijs Israel, & aduenis, qui habitabãt inter eos; vt fugeret ad eas, qui animã nescius percussisset, &c.

§. VII.

Ieiunium luxuriam perimit.

QVÆ TransIordanem ponuntur vrbes refugij, vt tres sunt, sic ostendũt tres virtutes, quibus propugnamur dost baptismum. Sic enim in præsenti docent Glossa moralis, Lyra, & Carthus. quippè aiunt. *Post baptismũ fuerunt tria remedia, ieiunium contra vitia carnalia, oratio contra spiritualia, eleemosina, quæ est opus pietatis valentis ad omnia.* Ecce prima refugij ciuitas post baptismum nimirum, *Ieiunium cõtra vitia carnalia*; vbi enim ieiunium est, vim perdunt incẽdia carnis, luxuriæ faces. Luc. 18. dicebat Pharisęus: *Nõ sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in Sabbatho, &c.* Vt se longe ab adulteris statuat, vide, quo vsus est argumento, nimirũ *Ieiuno bis in Sabbatho*; vbi enim ieiunũ regnat, non prævalere solet carnis concupiscentia. Ait D. Ephræm in cat. Græcà D. Lucæ: *Adulteru âse crimen remouens ieiunũ iactauit, satietas enim stupri pater est, & in saturitate reperitur lasciuia.* Nõ abit in adulteria ieiunũ pectus: à parte lasciuiæ cõuiuia sunt, regiæ que epulę quotidiànæ; à parte victricis castitatis abstinẽtia, & ieiuniũ est. Propone tibi ob oculos periculosum luxuriæ cũ castitate pręliũ. Hoc fuit Iudith cap. 12. vbi ait: *Factũ est in quarto die Holophernes fecit ea nãseruis suis, &c.* Instructũ est ab Holoferne conuiuiũ regiũ, & opiparũ, ad quod vocauit Iudithã, cuius ardebat cõcupiscẽtia. Adest illa lubẽs, nulli tamẽ carnali maculæ cõsensura; *& mãducauit, & bibit corã ipso ea, quæ parauerat illi ancilla eius, &c.* nõ de conuiuio Holofernis, sed de abstemijs epulis sibi ab ancilla paratis manducat. Vide modo in vnius cubiculi stadio duæ validissimæ acies; hinc Iudithę castitas, illinc Holofernis luxuria; à parte Holofernis cæna est regia, cõuiuiũ instructissimũ, à parte Iudith abstemię dapes ponũtur, nõ tã adgulã, quã paratæ ad ieiuniũ. Et vtri victoria venit? Sanè vbi abstinentia, & ieiuniũ castitatis partẽ sequebãtur, castitas vicit, & prostrauit lasciuiã armatam conuiuijs. Ait D. Amb. lib. 10. epist. 82: *Iudith luxurioso Holoferni haud quaquã inflexit conuiuio, solo tutu lo sobrietatis desperatum lacertis virilibus reportauit triumphum, patriam obsidione exuit. Exemplum euidens, quod illum terribilem bellatorem virum luxuria sua emolliuit, & hanc fœminam temperantia cibi fortiorem virisfecit.* Erat equidem Iudith in stadio pro castitate aduersus lasciuissimum hostem, quẽ vt vinceret, cauit conuiuium; sobrietatem

Luc. 18.

D. Ephr.

Iudith 12.

D. Amb.

cibi

cibi assumsit. Et quę conuiuia comitabantur, in luxuriam mollescebat, quæ autem cibi temperantiam sibi adiunxit, sic munita fuit, vt vniuersam voluptatum tyrannidem detriumpharet. Nescit enim luxuriæ mollities viuere, vbi confligitur cũ ieiunio, & cibi tẽperantia. Sapienter enim
D. Amb. dicit D. Amb. ser. 33. *Abstinentiam indicamus corpori, vt à vitijs magis animam abstinere possimus. Frenum enim quoddam est luxurianti animæ corpus exhaustũ.* Sic persuadet ieiunium, vt luxuriæ destructionem suadeat.

§. VIII.

Oratio tota debet esse spiritualibus intenta.

SECVNDA Ciuitas refugij, quę post baptismum nobis proponitur, oratio est: aiunt enim Glossa, Lyra, & Chartus. de illa: *Oratio contra spiritualia*, quasi in oratione illud sẽper debeat spectari, quod spirituale est, siue vt spiritus malum repellatur, siue vt bonum admittatur. Id quod
Matth. 6. etiam monebat dominus Matth. 6. aiens: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, &c.* Et cur intra cubiculum clauso ostio, iubemur orare, nisi instruamur non tam pro visibilibus ijs, & temporalibus, siue malis depellendis, siue bonis procurãdis, quam pro spiritualibus orationi operam dandam? Ait enim ibi Pascas. *Clauso itaque ostio Deum orat, quisquis ea, quæ à foris improbe se immergunt visibilia & obserationis custodia, sunditus, ne subrepant, repellit. Appetunt enim nostra interiora, & obstrepunt ad cordis ostium visibilia, & omnia quæ huius vitæ sunt temporalia. Propterea obseranda est, & totus interior homo intrinsecus colligendus, &c.* Quia tẽporalia hæc, & visibilia foris obstrepunt, & conãtur sese immergere in animum orantis; ideò qui orat, sese colligere, & obserare ita debet, vt non pro temporalibus, caducis ve, sed pro spiritualibus instruat orationis certamen. Aiebat
Psal. 118 Dauid Psalm. 118. *Clamaui in toto corde meo, exaudi me domine; iustificationes tuas requiram* Et merito clamorẽ suũ, orationem suam audiendam putat, quæ stat pro diuinis iustitijs inueniendis, confirmandisque.
D. Amb. Ex quo monebat D. Amb. ibi ser. 19 *Et tu cum oras, magna ora: id est, ea ora, quæ æterna sunt, non quæ caduca Ora, quæ diuina sunt, atque cœlestia, vt si sicut angeli in cœlo. Noli orare pro pecunia, quia æreus est: noli pro auro, quia metallũ est, noli pro possessione, quia terra est. Ista oratio ad Deum non peruenit. Non audit Deus, nisi quod suis dignũ ducit beneficijs.* Nunquã nõ spectanda sunt in oratione ea, quæ ad spiritum pertinẽt, si vel mus, quod oratio nostra placeat Deo. De quibus multa dicta sunt à 1. tom. in Euang. & per omnes reliquos.

§. IX.

Eleemosyna præstanda, nisi velis perire.

PRO Tertio refugio post baptismum à prædictis authoribus proponitur eleemosina; de qua dicunt: *Eleemosina, quæ est opus pietatis valentis ad omnia.* Et quidem validissimum præsidium est, quod venit à virtute eleemosinæ, quo qui caruerit, non nisi ingens aliquod malum debet metuere. Hinc Apocal. 2. Angelo Ephesi dicitur *Apoc. 2.* iuxta lectionem Glossæ: *Habeo aduersum te, quod charitatem priscã reliquisti, &c* Et quidem Angelo Pergami dicitur, *Habeo aduersum te pauca: quia habes ibi tenentes doctrinã Balaam, qui docebat Balac mittere scãdala corã filijs Israel, edere, & fornicari, &c.* Si aduersus Angelũ Pergami, & alios, quorũ crimina non parua refert, ait se habere pauca, dicens: *habeo aduersum te pauca.* Aduersus autem Ephesi Angelum iuxta glossam solũ dicit, *habeo aduersum te*, nec addit *pauca*. Et cur in hoc non ponit pauca? Andræas Cesariensis in Glossa referẽs, cur hic Episcopus reprehendebatur, ait: *Quod primã dilectionẽ, solitãq; erga egenos beneficentiã remisisus, quã par erat, exerceret, i. vitio vertit.* Erat in hac culpà iste Episcopus, siue iste Angelus, quod in pauperes beneficentiã dimiserat, ideò aduersus illũ non dicitur Iesus pauca habere; nõ enim pauca, sed multa, & horrenda habet Deus aduersus eos, qui minime instant eleemosinis faciendis. Et quid non magnum timeat, qui in pauperes non est misericors? Luc. 19. vt Zachæũ *Luc. 19.* traheret Iesus dicebat: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Ad quid oportebat Iesum manere in domo hominis gentilis, & peccatoris? Ait
Chrysol. Chrysol. serm. 54. *Cuius domũ non intrauerit Christus, ille addiuinam non perueniet mansionem: & cuius hic ad mensam non sederit Christus, ille cœlestem non accumbet admensam.* Crede homo, & nota periculum perditionis tuæ; si Christum in paupere nõ receperis, non paueris; minime pertinges tabernacula æterna, sed excluderis vt cum purpurato diuite fameſcas, & sitias in sæculum sæculi. Quære de eleemosina pasim.

CAPVT VIGESSIMVM

Vrbes dantur Leuitis.

Textus Hiſtoria.

SINE Hæreditate adhuc manebat vna Leuitarum tribus, vt enim Deo erant dicati, ſic à ſe abdicabant hæreditatẽ terrenam. Ne tamen exulum, peregrinorum ve agerent vitam, prouiſum eſt à Deo, vt dono acciperẽt ex cæteris tribubus vrbes, quas incolerent, vt honeſte, & vrbane degerent. Diuiſi igitur ſunt in quatuor familias Leuitæ vniuerſi; diuinituſque familiæ Caath de filijs Aarõ primatum tenuit; cui de Iudæ tribu, Simeonis, & Beniamin tredecim vrbes fuerunt electæ; quæ Sacerdotali familiæ magis conueniebant, quoniam in ijs regia olim ſedes, & Sacerdotalis collocanda erant. Inſuper reliquis Caathitis decẽ aſsignantur vrbes ex tribubus ad Boream vergentibus Ephraim, Dan, & dimidia tribu Manaſſe. Nec non & familia Gerſonis primogeniti Leui tredecim vrbes accepit, quas ipſi dederunt Iſſachar, Aſſer, Nephthalin, & alia dimidia tribus Manaſſe. Tandem Meraritarum familiæ adſcriptæ ſunt ciuitates duodecim, tã extribubus Ruben, & Gad trans Iordanẽ, quàm ex Zabulon, quæ cis flumen habitabat. Omnes itaque ciuitates Leuitis datæ, quadraginta, & octo fuerunt, inter quas ſex illæ refugij ciuitates numerari deberent.

PARS MORALIS

circa textus literam.

AD Leuitarum habitationem accedimus, quorum vt vnus Deus erat portio, ſic inde nihil non ſanctum & diuinum mentibus noſtris affulgebit.

Ioſue cap. 21. Acceſſerunt principes familiarum Leui ad Eleazarum Sacerdotem, & Ioſue filiũ Nun, & ad duces cognationum perſingulas tribus filiorũ Iſrael; locutique ſunt ad eos in Silo Terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit per manũ Moyſi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum, & ſub vrbana earũ ad alenda iumenta. Dederuntque filij Iſrael de poſſeſsionibus ſuis iuxta imperium domini, ciuitates, &c.

§. I.

Efficaciſsima eſt in oratione ſimilitudo petentis cum eo, a quo petimus.

DE filijs Ioſeph dicit ſupra cap. 17. *Locuti que ſunt filij Ioſeph ad Ioſue & dixerunt, &c.* in præſenti autem dicit: *Acceſſerunt principes familiarum Leui ad Eleazar Sacerdotem, &c.* Et filij Leui, & filij Ioſeph agebant de hæreditate accipienda; & filij Ioſeph loquuntur de illa re cum Ioſue ſolum; filij autem Leui in primis acceſsiſſe dicuntur ad Eleazarũ Sacerdotem. Et quãdo illi ad Ioſue loquebantur, cur hi in primis ad Eleazarum tendunt? Erat Ioſue de filijs Ioſeph, Eleazarus autem ad Leuitarum ordinem pertinebat, vniquique autem ad ſuum contribulem, & affinem contendunt, vt efficacius ſua poſsint poſtulata reducere ad effectum. Efficaciſsima quippè eſt in oratione ſimilitudo, & affinitas morũ petentis cum eo, à quo aliquid petit. Ex quo lib. de Orat. Tertull. vniuerſos orãtes monebat: *Ab omni omnino confuſione animi libera debet eſſe orationis intentio, de tali ſpiritu emiſſa, qualis eſt Spiritus ad quem mittitur. Neque enim agnoſci poterit a Spiritu Sãcto ſpiritus inquinatus, aut triſtis à lato, aut impeditus à libero. Nemo aduerſariũ recipit, nemo niſi cõparem ſuum admittit.* Plane ad ſimilem ſe habitum efformet cũ eo, quẽ munerator habet, qui velit ex eo obtinere efficaciter aliquod munus. Nemo nõ magis annuit ſimilibus. Tunc a Deo habebis, quod optas, cũ eius ſimilitudinẽ induis. Matth. 15. clamãti Chananææ reſpõdit dominus: *Nõ eſt bonũ ſummere panẽ filiorũ, & mittere canibus, at illa reſpõdit & âixit illi, etiã domine, nã & catelli, &c.* Deus dicebat *non*; mulier dicebat *etiã*. Vnde tãta mulieris præſumptio, quod ſibi audeat aſſerere, quod à Deo negatũ ſibi viderat? Ex quo ſe canẽ vidit cõpellare, & tanti opprobrij patiẽtia ſe agnouit Ieſu ſimilẽ, cuiuſdã neceſsitudinis compos facta, ſecura redditur de petito. Quo ſpectãs Victor. Anthioch. in ca. 7. Marci ait: *Ex illato probo, familiaris cuiuſdam neceſsitudinis occaſionem arripuit.* Prudens fœmina de opprobrio

Tertull.

Matt. 15

Vict. Ant.

probrio acceptо fecit neceſsitudinem, & affinitatem cum Ieſu; & inde non dubitat de accipiendo munere. Sic enim ſimilitudo, & affinitas facit orationes efficaciſſimas. Hinc latro crucifixus cum domino
Luc. 23. clamabat è cruce Luc. 23. *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Vn de latro viliſsimus audet à rege poſtulare memoriam ſui? Cur non magis timet à iuſtiſſimo rege vapulare? Ideò dicebat ille, Me-
D. Cyril. mento mei, ideſt, ſimiliter crucifixi. Ait D. Cyril. Ieroſol. Cathecheſ. 13. *Nondico, vt operum meorum memineris: hæc enim metuo, ſed omnis homo afficitur ad comitem ſuum: ſimul tecum eo ad mortem, memineris comitis tui:* Nil aliud proponebat, quam id, in quo habebat aliqualem cum Deo ſimilitudinẽ, de ſimilitudine enim venire ſciebat, quòd obtinere poſſet à tanto rege munera. Et quidem neceſſum eſt, vt Deo attempereris, & aſsimileris, vt valeas apud illum. Gen. 1. *Spiritus domini ferebatur ſuper aquas*, & alij legunt: *incubabat ſuper aquas*, eas fœcundans vt alites parturirent. Sed cur etiam ad fœcundandam terram non viſitur Spiritus domini ſuper illam? Terra longe diſtat à Spiritu; at aqua tenuitate ſua magis appropinquat, & affinis eſt Spiritui; & ideò de
Theoph. Spiritu poteſt habere fœcunditatem, qua alites parturiat. Ait Theophilus Alex. lib. 2. ad Authol. *Spiritum, qui ferebatur ſuper aquas, largitus eſt Deus creaturæ, vt eius operà poſſet producere viuentia, non ſecus ac homini animam tribuit, tenue tenui conmiſcens.* Vt tenuis eſt Spiritus, ſic tenuis additur illi, ad virtutem producendi viuentia requiritur proportio, & affinitas inter eum, qui dat, & qui vult accipere.

§. II.

Ille ad Deum beneficum parentem, non iudicẽ pergit, qui mundialia omnia ab affectu depellit.

PLANE Leui principes in præſenti ad Eleazarum Sacerdotem accedunt, dicit enim: *Acceſſeruntque principes familiarum Leui ad Eleazarum Sacerdotem, &c.* Et cur non prius ad Ioſue accedunt, qui dux erat, & princeps populi? Supra ca. 14. ait: *Acceſſerunt itaque filij Iuda ad Ioſue in Galgalis, locutuſque eſt ad eum Caleb, &c.* Et filij Iuda, & Caleb, & filij Ioſeph pro obtinenda hæreditate, minimè accedũt ad Eleazarum, ſed ad ſolum accedunt Ioſue. Cur ſimiliter Leui filij non prætermittunt Eleazarum Sacerdotem, & ſolum Ioſue conueniunt? Cur magis amant Eleazarum conuenire? Erat Eleazarus non paucorum Leuitarum pater, & omnium conſanguineus, qui vt in ſumma Sacerdotij dignitate erat, ſic vt parens omnium Leuitarum apparebat. Leuitæ autem vt ab omni mundiali poſſeſsione abſtinebant, vno Deo cõtenti, ſic præ omnibus tribubus hoc ſpeciale habebant, quod inter iudices diuiſores haberent parentem, ad quem confugerent. Hoc eſt enim priuilegium ſingulare eorũ, qui mundialia, & terrena à ſe repellunt, qui ad parentem benigniſsimum Deũ contendunt, eumque parentem inueniunt, quã do alij iudicem ſeuerum. De Ieſu meo dicebat Ioan. 13. *Sciẽs Ieſus, quia venit hora eius,*
Ioan. 13. *vt tranſeat ex hoc mundo ad patrem, &c.* Ecce tibi Ieſus oſtenditur iam, iam tranſiturus ad patrem. Et in quo oſtendit, quod Ieſus tranſiturus eſt ad patrem? Ait: *ex hoc mundo*, faciens mundum terminum à quo; quĩ enim mundum ſic à ſe dimittit, vt nil eius ſecum vehat, is ad patrem pergit, & nunquã non patrem benigniſsimum inuenit. Pro quo & acute, & ſapiẽter D. Aug. tract. 55.
D. Aug. in Ioan. ait: *Ecce tranſitus. Vnde, & quò? De hoc ſcilicet mundo ad patrem. Spes membris in capite data eſt, quod eſſent illum tranſeuntem ſine dubio ſecutura. Quid ergo infideles, & ab hoc capite alieni? Nonne & ipſi tranſeunt, quia non permanent? Tranſeunt plane, & ipſi, ſed aliud eſt tranſire de mundo, aliud eſt tranſire cũ mũdo; aliud tranſire ad patrẽ, aliud eſt trãſire ad hoſtem.* Commune habent omnes homines cum Ieſu, quod tranſeant; ſed qui illi adhærent, tranſeunt ad patrem, qui ab illo alieni ſunt, tranſeunt ad hoſtem, & ad ſeuerum Iudicem. Et qualis eſt habitus tranſeuntium ad patrem, & tranſeuntium ad hoſtem? Aiunt illa: *Aliud eſt tranſire de mundo, aliud eſt tranſire cum mundo*; quippè longe aliter euenit ijs, qui tranſeunt de mundo, vt enim à ſe mundũ depellunt, ſic paternũ euolant ad ſinũ, nec in Deo aliud, quã patrẽ poſſunt inuenire: Et aliter euenit ijs, quĩ trãſeunt cũ mũdo, qui vt ſecũ mũdũ animo infixũ gerũt, ſic Deũ nõ tã patrẽ inueniũt, quã iudicẽ; nõ tã amicũ quã hoſtẽ. Proh fœlicitas hominis, qui omnia mũdialia ex ſe vacuat propter virtutẽ tenendã, proculdubio ad patrẽ ibit: Luc. 15. prodigus ille om
Luc. 15. nia bona diſsiparat, & vel inuitus vacuatus iacebat omnibus bonis huius mũdi: *In ſe autẽ reuerſus dixit: Quãti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autẽ hic fame pereo. Surgã, & ibo, ad patrem meũ, &c.* Mirabar

rabar ego, quod prodigus homo, qui omnia dissipauerat sua viuendo luxuriose, nō magis meminerit iudicem terribilem, quā patrem benignum. Solent equidem magni peccatores frequentius terreri memoria seueriſsimi iudicis. Cur iſte nulla tāgitur iudicis memoria, ſed totus ad patem currit, & patrem inuenit? Ait Chryſol. ſerm. 2. *Fames illi patrem dedit ſapere*: vt vacuatus erat vel invitè omnibus mundialibus bonis, quibus poſsit viuere; ab illis tranſiens etiā affectu conuerſionis, ſtatim patrem inuenit, non iudicem. Pulchrè adhæc Beda: *Iā ſcilicet ab eis, quæ forinſecus fruſtra inliciunt, & ſeducunt, in conſcientiæ interiora reducem faciens conſcientiam ſuam, dixit: Quanti mercenary patris mei, &c.* Vbi ab illicibus mundialibus tranſijt, omnia terrena dimittens in ſe redijt, ſtatim in patrem incurrit; nihil ſeueritatis, aut hoſtilitatis expertus eſt, ſed paterna attigit viſcera. Expende illa: *Iam ſcilicet ab eis, &c.* vbi à mundialibus tranſierat, & nō cum illis ibat, patrem inuenit. Sic ad patrem tranſiuit, qui tranſiuit de mūdo; qui autem cum mundo tranſeunt, ſecū ſemper deferentes in corde affectum ad mundum; ij non patrem, non amicum inueniunt, ſed hoſtem, ſed iudicem. Amans illa Dei ciuitatem patriam mente percurrebat Cant. 5. & ait: *Inueńerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* In ciuitate patria, in ipſo paternæ domus limine, nil paternum videtur inuenire, ſed inimicum, à quo vulneretur, & percutiatur. Vnde hoc? Ait D. Amb. lib. de Iſaac cap. 6. *Tulerunt ei pallū, quia ſine integumento quis in illam cœleſtem ciuitatem debeat introire, nulla deferens ſecum operimenta fucorum. Sunt etiam, qui requirant, nequa anima exubias ſecum vehat carnalis illecebræ, & concupiſcentiam corporalem.* Ecce tibi in paternæ domus limine, vt ſunt, qui requirant, ne quis ſecum mundiale aliquid deferat; qui enim cum mundialibus accedit affectibus, percuſſores inuenit, non amicos.

Chryſol. Cant. 5. D. Amb.

§. III.

Vnus Ieſus eſt, qui humanas mentes in mundi abnegatione facit quieſcere.

AB Hæreditate terrena excluſi Leuitæ, modo accedunt ad Eleazarum, & Ioſue petentes ſibi dari habitationem inter Iſraelitas, ait enim: *Vt darentur nobis vrbes ad habitandum, &c.* Antea dederat Moyſes duabus tribubus & dimidiæ ſortes, ab illo tamen Leuitæ non petunt habitacula; modo cum Ioſue ſortes diſtribuit tribubus alijs, ſtatim accedunt Leuitæ & petunt ſibi dari habitationes. Et quando id non petierunt à Moyſe, cur à Ioſue petunt? Non Moyſes, ſed Ieſus eſt, qui homines mundiali omni ſubſtantia carentes, quales Leuitæ erāt, habitatione quietis valet donare. Quo ſpectans Orig. hom. 17. in præſenti fatur: *Nō enim potuit dicere Moyſes, vade vende omnia tua, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Hoc eſt partem dare Leuitis. Nec potuit dicere Moyſes, quia qui non renuntiauerit omnibus, quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hoc Moyſes dicere non potuit, vt circo ipſa habitacula Sacerdotum & Leuitarū diſpenſare non potuit.* Sanè non Moyſi, non Moyſi, non creaturæ alicuius, ſed diuiniſſimi Ieſu poteſtas fuit homines à mundo exhæredatos, mundialibus omnibus renūtiantes, ſolo Deo contentos, in ſede quieta firmare. Quis enim ciuitates impleret hominibus, qui omnia renuntiarent mundialia; niſi Ieſus diuiniſsimi filius patris? Prouerb. 9. aiebat: *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, &c.* Sto à cōmuni ſententia Patrum, qui hæc ad ſapientiam incarnatam, nempe Ieſum referunt, cuius fuit in mundo ædificare domum Eccleſiæ. Sed illa ponderanda veniunt, nimirum *excidit columnas ſeptem*; quæ enim ſunt columnæ hæ, adeò firmæ, & ſtabiles, vt merito videantur eſſe columnæ; quæ non niſi per manum Ieſu excidi potuerunt? Solent enim communiter columnæ Regiarum nō per manus regis, ſed per manus artificis excidi, & dolari: cur ergo neceſſum fuit, vt in ædificatione domus Eccleſiæ, eius columnæ non per alias manus, quam per manus ipſius regis, ipſius incarnatæ ſapientiæ, ipſius Ieſu exciderentur? Sunt hæ columnæ euangelici prædicatores, qui excidendi erant à poſſeſsione, & amore ſæcularium rerum: in eoque firmandi vt per mundi abnegationem diuino ſeruirent miniſterio; propterea nullis alijs manibus, quam Ieſu manibus excidi potuerunt. Ad hæc dicebat ibi Salonius: *Quomodo ergo excidit ſapientia has columnas? Excidit ſanè columnas; quia mentes prædicatorum ab amore præſentis ſæculi, velut à ſua lapidicina ſeparauit, & ad portandam eiuſdem Eccleſiæ fabricam erexit.* Ne mireris, quod vbi excidendæ erant

Orig. Prou. 9.

humanæ

humanæ mẽtes ab amore ſeculi; tanto operi per ſe inſiſtat ipſa incarnata ſapientia, ipſe Dei filius Ieſus. Accinit Iſaias cap. 11. dicens: *Habitauit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubauit: vitulus & Leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Cur puer datur paruulus tot feris regendis? Solent pueri agniculos, vitulos ve ducere; at lupos, pardos, Leones nec vir valet tractare. Cur ergo non magis dantur viri ſtrenui, qui Leonum greges inter oues ducãt? Cur ad hoc munus paruulus eligitur? Eſt hic puer paruulus ille, qui paulò minus quam angeli minoratus eſt, qui ſolus poteſt facere, ne brutas, feras ve hominum mẽtes mundialibus paſcuis inhæreãt, ſed euolent ad cœlorum ſublima. Ait D. Greg. PP. lib. 2. in Ezech. hom. 16. *Puer ergo nos paruulus minat, quia is, qui paulò minus, quã angeli minoratus eſt, per charitatem, quam nobis tribuit, in hoc nos mundo mentem ſigere nõ permittit. Vnde & domi ſuis flagella permiſcet, vt nobis omne, quod nos in ſæculo delectat, amareſcat, & illud incendium ſurgat in animo, quod nos ſemper ad cœleſte deſiderium inquiete excitet.* O diuini pueri efficacia! Solus puer qui Ieſus eſt, carnaliſsimos, feriſſimoſque animos à mundo abſtrahit, vt quieti in ſublimibus cœlorum viuant.

Iſaias 11

D. Greg.

§. IIII.

In ſolo Ieſu ſolida veritas inuenitur.

ERGO Leuitæ non à Moyſe, ſed à Ioſue petunt habitacula, cum ait: *Acceſſerunt principes familiarum Leui ad Eleazarum Sacerdotem, & Ioſue filiũ Nun, &c. vt darentur nobis vrbes ad habitandum, &c.* Nunquam id petierunt à Moyſe Leuitæ, nec etiam cum Moyſes alijs poſſeſſiones daret; ſed expectant Ioſue tempora, & tunc ad Ioſue accedunt, ab illoque habitacula expoſcunt. Et cur nõ à Moyſe, ſed à Ioſue habitacula poſuntur Leuitis? In Moyſe figuræ, & vmbræ erãt, in Ioſue, vt in mei Ieſu typo vera ſoliditas; qui autẽ ſolidas veritates amat ſapere, imò capere, tendat ad Ieſum, in quo vera ſapientium pabula ſunt, in cæteris tantũ vmbræ. Ex quo aiebat Orig. in præſenti hom. 16. *Iſte ordo Leuiticus ſeu Sacerdotalis, qui Dei ſapientiæ, & ſcientiæ operam impendit, non potuit à Moyſe ſortem habitationis accipere, quia non erat Moyſes veritatis, ſed vmbræ, & exemplaris miniſter. Ieſus vero dominus noſter, qui erat ſapientia Dei, ipſe habitacula ſapientibus præbet.* Plane qui ſapit, à Ieſu petit, à Ieſu ſperat bona, qui ſolus eſt vera Dei ſapientia, & ſolidam veritatem attingit; non à Moyſe, non à creatura huius mundi, in quâ non veritas eſt, ſed figura, ſed vmbra. Nihil, mihi crede, ſolidum extra Ieſum, ſed adumbrata omnia inueniuntur. Ioan. 7. monitus Ieſus à ſuis propinquis, vt aſcenderet Ieroſolymam celebraturus diem feſtũ ait: *Vos aſcendite ad diem feſtum: ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum, quia tempus meum nondum ad impletum eſt.* Ecce tibi nunc Ieſus cauet adire feſta, in quibus ſuæ manifeſtationis tempus non adimplebatur, ad illa tamẽ remittit propinquos ſuos. Sed quando ipſe cauebat illa feſta adire, in quibus eius manifeſtatio non futura erat, cur remittit illò propinquos? Cur non magis detinet illos, ne & ipſi aſcenderent? Propinqui illi non ad ſolidam veritatem affecti erant, magis rapiebantur vmbris, & figuris, ideò remittebantur ad feſtum, in quo nõ erat Ieſus. Qui autem ſolidas amat veritates, vnius Ieſu manifeſtationem expectat, qui longe à ſe abigit vmbras. Ait ibi D. Cyril. Alex. lib. 4. cap. 35. *Vos igitur, qui vmbris adhuc inhæretis, qui iudaice affecti eſtis, aſcendite in hunc feſtum diem per vmbras celebraturi. Ego vero cui vmbræ iam cordi non ſunt, non aſcendo. Expecto veræ ſolemnitatis tempus. Tunc enim in ſplendore ſanctorũ cum eis conuiuam in gloria patris, quæ ſuper omni afulget.* Sanè qui vmbras fugere amat, & vera gaudia, veraque bona cupit, fugiat omnia illa, in quibus Ieſus non apparet; expectet vnum tempus Ieſu, quando in gloria patris luceſcat cum ſanctis ſuis. Ibi enim in Ieſu vera ſunt omnia, & ſolida; in reliquis huius mundi bonis non inuenies niſi vmbras. Huc trahe dicta tomo 2. de Chriſto figur. lib. 5. cap. 18. §. 28. & in preſenti ſæpius. Supra lib. 6. cap. 3. §. 9.

Ioan. 7.

Cyril. Al.

§. V.

Præſtantes viri, vel à carnaliſſimis, & temporaliſsimis poſſunt accipere, quo æternum viuant.

MIRABAR, Quod Leuitæ petituri habitationem remittantur ad popu-

lares duces, ait enim: *Accesserunt principes familiarum Leui ad Eleazarum Sacerdotem, & Iosue filium Nun, & ad duces cognationũ per singulas tribus filiorum Israel, &c. Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum, &c.* Esto, quod Leuitæ ab Eleazaro Sacerdote habitacula petant, cur non detrectant adire pro habẽdis illis duces populares? Erant Leuitæ viri Deo dicati, quorum portio Deus erat; cur ergo viri tanti non magis cauent habitacula à ducibus temporalibus petere? Sanè ibi instruebantur viri Dei, viri præstantes virtute, ne detrectent carnalium etiam conuictum & conuersationem, vt qui de carnalibus, & temporalibus viris possint accipere, quo in æternis gaudeant mansionibus. Matth. 27. *Cum autem serò esset factũ, venit quidam homo diues ab Arimathæa nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu, hic accessit ad Pilatum, & petyt corpus Iesu.* Bonus Ioseph vt peteret, & haberet Iesum, ad Pilatum accessit, tantumque thesaurum æternitatis de manu Pilati intendebat accipere. Quem viri prophetæ à cœlis petebant, & de manu patris expectabant, eum Ioseph à Pilato postulat. Cur non magis ab omnipotenti Deo? Cur non magis à cœlestibus potestatibus? Hæc est vita nostra mortalis, vt agentes in ea viri præstantes virtute, vel ex ipsis mundi fœcibus possint thesaurum immortalitatis acquirere. Id stupens ponderabat D. Epiph. orat. de Christi sepultura inquiens: *Introiuit mortalis ad morti obnoxium, quo mortalium omniũ Deũ, & Dominum vel precario obtineat. Lutum implorat lutũ, quò eum ab illo auferre liceat, qui omnes è luto effinxit. Fœnum âfœno cœlestem ignem petit. Miseranda angustaque stilla, immensam âstilla abyssum accipit. Quis vnquam audiuit talia? Homo hominum conditorem impetrit homini.* Si adeundæ tantum essent cœlestes virtutes; si throni solũ essent solicitandi; si tãtum sublimes Empirij portæ pulsandæ forent, vt acciperemus diuinitatis, æternitatisque thesaurum: Quis eò pertingeret non ales? At respiciens Deus ad nostram infirmitatem, quia lutei sumus, vel inter luti negocia dedit, quod à luto possimus æternitatis figulum acquirere; & quia infirmi, inter infirmos subleuados ab infirmitate virtutem; & quia pauperes inter pauperes sustentandos à pauperie diuitias; & quia peccatores inter peccatores reducendos, ipsum Deum negotiari possumus. Nulla est creatura adeò obscura, ad quam si Deum quærentes accedimus, quæcumque Dei sunt non accipiamus. Isaias cap. 45. clamabat: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem.* Vel vt ex Hebræo vertit noster Cornelius: *Aperiatur terra, & fructificent salus, & iustitia*: siue vt Forerius: *Aperiatur terra & germinent salutem.* Non solum à nubibus cœli, nec solum ab ipso cœlo, sed vel à terra ipsa sibi expectat posse parturiri salutem, & virtutes. Et merito; qui enim Dei spiritu agit, dum terrenus est, & hanc terrenam habitationem incolit, à terrenissimis etiam negotijs potest & virtutes sperare, & salutem. Luc. 7. *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuisset Iesus, in domo Pharisæi, attulit alabastrum, &c.* Ad Pharisæi domum peccatrix mulier contendit, vt Iesum, salutemque inueniat. Cur non magis expectat extra domum Pharisæi? Cur non magis in domo fastuosi hominis timet perdere, quam inuenire Iesum? Sanè quæ vnũ Deum respiciebat, vel de terrenissimi Pharisæi domo sperabat accipere thesaurum cœlorum; & de tantarum tenebrarum sede credebat à se trahendos clarissimos virtutum Soles. Ait Chrysost. hom. de Peccatrice, & Phar. quæ habetur inter opera S. Epræmi: *Quid moras nectam, & attendam? Accipiam vnguentum, & ibo ad ipsum: faciamque Pharisæi domum illuminatricem; ac lachrymarum fluentis lauacrum, atque piscinam mihi parabo, &c.* Non putat alienum ab spiritu diuino hominem inhabitante, quod de tenebrosis sedibus lumen sibi acquirat, & de Pharisæorum fastuosorum domibus faciat id, quo in vitam possit illumi nari. Eò peruenerunt Israelitæ, vt dicat Psal. 77. *Pluit illis manna ad manducandũ; panem cœli dedit eis.* Sed de Ioanne Euangelista proditum est, quod cum sepultus fuerit, de eius sepulchro manna frequẽtissime scaturierit. Quid mirabilius? Quod Israelitæ à cœlo habebant; Ioannes à puredinis, & vermium sedibus scaturire fecit. Rem põderat Damian. ser. 2. de Ioan. *Veniant, & admirantes aspiciant, quia in sepulchro, quod procul dubio domus est vermium, panis oritur Angelorum, vt cũ propheta pronuntiet; quod Israelitico populo manna Deus concessit in cibum, dicens: Panem cœli dedit eis. Quod illis tunc mittebatur de cœlo, nunc scaturire conspicitur è sepulchro.* Tanta est iustorum potentia; quæ de vermium ore, de fœtoris domo excipiat, quæ bona felicissimi quique excipiebant à cœlis.

Matt. 27

D. Epiph.

Luc. 7.

Chrysost.

Damian.

§. VI.

Pro carnalibus donis ſpiritualia multa accipis à ſanctis.

NON datur ſors terræ Leuitis, ſed permittuntur accipere a ſingulis tribubus ciuitates; ait enim, *vt darentur nobis vrbes ad habitandum.* Sed quando ipſi habituri erant vrbes, & ſub vrbana: cur non admiſsi ſunt in terræ ſortem cum cæteris tribubus; ſed relicti ſunt ſine ſorte, vt peterent ab alijs ciuitates, illaſque de ſingulorum acciperent manu? Cur cum ſolis Leuitis ſeruatum eſt hoc, ne ipſi ſicut ceteri acciperent hæreditatem, ſed magis ſibi neceſſarias vrbes ab alijs poſtularēt, ab illiſque acciperent? Erat Leuitica tribus cōſtituta pro negotiandis bonis populi ſpiritualibus in ſacrificiorum religione, in cultu ſacrorum, in legis doctrina explicanda. Qui igitur pro populi ſpiritualibus erant conſtituti, æquum fuit, quod eo adducerentur, vt peterent, & accipetent a populo cōmoda tēporalium. Per acceptionem enim temporalium, carnalium ve bonorum largiſsime à ſanctis ſpiritualia communicantur. Luc. 1. *Factum eſt, vt audiuit ſalutationē Mariæ Eliſſabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu Sancto Eliſſabeth, &c.* Gaudium ſpiritus primo impleuit infantem, & inde proceſsit ad matrem. Et cur ab infante venit ad matrem, & non potius è contra a matre proceſsit ad infantem? Vt ſanctificatus infans in vtero matris erat, ſic ſtatim gratiam ſpiritus deriuauit in eam, à qua accipiebat carnis ſubſtantiā. Ait Guaric. Abb. ſerm. 1. in Ioan, natuit. *Qui propheta, & pluſquam prophetaſuturus erat; imò ante prophetare, quam profari, prius Deum, quam ſe ipſum ſentire cœperat, parentes quoque ſuos prophetas faciebat: & in eos, qui in ſe trāſfuderant carnis ſubſtantiā, ſpiritus ſui, & gratiæ ſuperabundantiam refundebat.* Expende illa: *in eos, qui in ſe transfuderant carnis ſubſtantiam, &c.* quippè quaſi eadem calle carnalia ad Ioannem veniebant, & a Ioanne ſpiritualia deſcendebant. Eo enim ipſo, quod temporalia noſtra, & carnalia ſanctis dentur, illorū ſpiritualia, & diuina ad nos deſcendunt. De muliere illa peccatrice dicit Lucas cap. 7. *Vt cognouit, quod Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, &c.* Non vacua accedebat ad Ieſum, ſed alabaſtrum vnguenti afferebat. Et cur vnguentum maluit afferre? Attulit Ieſu temporale hoc vnguentum, vt ſpirituale à Ieſu in illam proflueret. Ex quo ait D. Ephræm ſer. in Peccat. *Pro vnguento ſuo vnguentum vitæ recepit, pro corruptibili incorruptibile & permanens. Obtulit illa vnguentum bonum cum charitate, & debitorum atque peccatorum veniā accepit.* Sic bona pro carnali vnguento Ieſu oblato merita eſt Spirituale metere; neſciunt enim à ſanctis non venire multa ſpiritualia bona in eos, qui temporalia ſua ad illos deferunt.

§. VII.

Ille præſtantior, qui ſibi aufert, quod offerat Deo.

SINGVLIS Tribubus dabatur portio terræ à Deo per Ioſue; ſolis Leuitis nulla terræ portio data eſt, ſed ſingulæ tribus dederunt illis ciuitates in parte ſua. Sic enim ait: *Dederuntque filij Iſrael de poſſeſsionibus ſuis iuxta imperium domini ciuitates, & ſuburbana, &c.* Et cur cauit Deus, ne Iſraelitæ acciperent Leuitas in conſortium ſortis, ſed quod de ſuis quiſque ſortibus, & poſſeſsionibus tribuerint illis ciuitates? Vt quod debatur Leuitis, Deo dabatur, ſic debuit eſſe de propria cuiuſque ſubſtātia; ille enim præſtantior, & gratior eſt Deo, qui in eius obſequium offert, quod ſibi adimit. Iſaias cap. 6. *Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum: Seraphin ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes, &c.* Velamentum equidem prębebāt Seraphin Deo alis ſuis; at Matth. 27. poſt acceptam facultatem à Pilato ſepeliendi Domini Ieſum ait: *Et accepto corpore Ioſeph involuit illud in ſindone munda, & poſuit illud in monumento ſuo nouo, &c.* Ecce tibi Ioſeph velat Deum ſindone, & monumento ſuo nouo; Seraphim autē velat Deū alis ſuis: vter Deo gratius obſequium præbet? Sanè Seraphim velant Deū alis, quas non à ſe depellunt, ſed illas ſibi adhuc retinent; Ioſeph autem velat Ieſum ſindone, & ſepulchro, quæ ſibi prorſus adimit, vt Deo præſtet, ex qua parte aliquid gratius Deo crediderim à Ioſepho præſtitum fuiſſe. Quo ſpectans D. Epiphan. orat. de Chriſti ſepultura locutus de Ioſeph, & Nicodemo ait: *Prælati ſunt æquè hi Dei miniſtri ſex alis inſtructis Seraphim, quippè qui Chriſtum non alis, ſed ſindonibus, & linteis operuerint, & hono-*

Guar. Ab.

Iſaias 6.

Matt. 27.

D. Ephr.

D. Epiph.

honor auerint. Expēde in quo putet Ioſephū, & Nicodemum præferendos Seraphinis, nimirum, *qui Chriſtum non alis, ſed ſindonibus operuerint*, quia non alis, ſed ſindonibus vſi ſunt in Dei obſequium ideò putantur præferendi Seraphinis, & merito, quia in obſequio alarū, nihil ſibi adimebāt Seraphim; in obſequio autem ſindonum, ſibi ſancti adimebant, quæ Deo præſtabant lintea. Huc trahe dicta ſupra cap. 18. §. 1.

§. VIII.

In donis datis illud attendendum, quod nullam Dei iniuriam involuant.

MAGNVM Eſt, quod ſingulæ tribus dederint ciuitates Leuitis, ſed illud maius, quod dederint illas nullam Dei involuentes iniuriam; dicit namque: *Dederunt que filij Iſrael de poſſeſſionibus ſuis iuxta imperium domini ciuitates, &c.* Expende illud: *Iuxta imperium domini*; ſic dona hæc atte nperabantur legibus diuinis, vt nullam offenſam, nullam iniuriam ſiue proximo irrogatam traherent. Quod maximè attendendum eſt in omnibus donis, quæ æſtimationem habeant vllam. Exod. 6. *Ego dominus, qui apparui Abraham, & Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis, &c.* Et quando Abrahamo nō indicauit nomē Adonai, nec Iſaaco, nec Iacobo, cur illud indicat Moyſi? Nomine Adonai ſignificabatur, vt dominus erat rerum omnium, quas iure, & auferre, & dare poterat, cuicumque vellet: & quia in Moyſe promiſsiones ſuas expleturus erat, de auferenda terra Chaldæis, & danda Hebræis, ideò tunc maluit meminiſſe nominis Adonai, vt oſtenderet, quā iuxta omnes iuſtitiæ leges procedebant eius dona, nequid inde exiſteret accipientibus ſcrupuloſum. Ad hæc Hugo Victotin. ibi ait: *Victor.* *Nomen meum Adonai non indicabo eis, quod modo indicabo dans terram promiſsionis filijs Iſrael. Qui ergo hactenus omnipotentem me dixi, nondum me dominum eſſe oſtendi, ſicut modo faciam; vt ſciant iure ſe poſſidere, quod me tribuente accipiunt.* Cauit ipſe Deus, ne donum à ſua manu in ſuos prodeat, quin clare oſtendatur, quam iuxta iuſtitiæ præcepta procedat, quam nulla alteri facta iniuria ſit, & quam ſecure, & ſanctè poſsit haberi. Vtinam hanc vniuerſi homines ebiberent Dei mentem, nullumque donum, nullamque ſubſtantiam à ſe in ſuos paterentur ire, quin oſtenderetur nullius iniuria procedere, & ſanctè poſſe teneri. Huc ſpectent parentes, cum ſubſtantiam multam trāſmittunt ad filios, tranſmittunt ad hæredes, in qua tranſmittenda, clare oſtendant, quam id fiat integro iure, nullis conſractis diuinis præceptis. Ab hac etiam regula ſtent principes viri, qui nullum donum præſtent, quin diuinis præceptis regulatum procedat. Tunc enim ſolum æſtimabile eorum donum eſt. Quo proſpiciebat Eccleſiaſtic. cap. 20. dum ait: *Datus inſipientis inutilis eſt tibi.* Mirabar enim quod ſic omnia inſipiētium, ſiue iniquorum dona damnarentur, quando multa etiam præſtantiſsima ab iniquis donari conſueuerūt. Cur ergo omnia vniuerſim iniquorum dona invtilia cenſentur? Ait Carthuſ. ibi: *Donum callidi, & iniqui erit tibi nociuum, quia quamuis donum illud in ſe ipſo ſit precioſum, ac vtile, tamen propter annexa mala invtile tibi reddetur.* Quidquid maliciæ donis miſcetur, potens eſt illa omnia, & ſi precioſa maximè ſint, invtilia, imo nociua reddere. *Carthuſ.*

Ioſue cap. 21. Deditque dominus Deus Iſraeli omnem terram, quam traditurum ſe patribus iurauerat, & poſſederunt illam, atque habitauerunt in ea. Dataque eſt ab eo pax in omnes per circuitum nationes, nulluſque eis hoſtium reſiſtere auſus eſt, ſed cuncti in eorū ditionē redacti ſunt. Nec vllum quidem verbū, quod illis præſtiturum ſe eſſe promiſerat, irritum fuit, ſed rebus expleta ſunt omnia.

§. IX.

His malis dominaris, ex quibus vtilitatem ſpiritualem excipis.

VNIVERSAM Terram promiſſam datam Iſraelitis in preſenti aſſerit Ioſue dicens: *Deditque dominus Deus Iſraeli omnem terram; quam traditurum ſe patribus iurauerat, &c.* Sed illud certiſsimum

tissimum constantissimumque est, aliquas nationes tunc temporis supersesse de promissis, quæ minime deuenerant in Israelitarum dominium. Qualiter ergo verũ est, quod omnem terram promissam dederit dominus tunc temporis Israelitis, cum multæ reliquiæ adhuc essent minime illis subiectæ? Restabant, fateor, reliquiæ nationum promissarum, quæ adhuc tunc temporis hostilitatem cum Israelitis gerebant, quarum incursibus Israelitæ continebantur in timore Dei, ne insolescerent aduersus Deum; & merito putantur ad Israelitarum dominium pertinere hostes illi, ex quibus tantam vtilitatem spiritualem percipiebant. D. Aug. Quo spectans D. Aug. in præsenti quæst. 21. ait: Restat ergo, vt quod ait, dedit dominus Israeli omnem terram, quã iurauerat, secundum hoc intelligatur, quia & si adhuc erant ex illis gentibus reliquiæ cõterendæ, & exterminandæ; tamen in vsum eorum relictæ sunt, in quibus exercerentur, ne carnalibus affectibus infirmi repentinam rerum temporalium prosperitatem modeste, ac salubriter sustinere nõ possent, sed elati citius interirent. *Omnis ergo illis terra data est, quia & illa pars, quæ nondum fuerat in possessionem data, tam data fuerat in quandam exercitationis vtilitatem.* Non minus dominari putantur Israelitæ illis, quos subiectos habebant, quam illis, quos dum hostes sustinent, ex illis vtilitatem spiritualem recipiunt. Habemus sanè vnde omnibus malis incursibus valeamus dominari, si illos in nostram spiritualem vtilitatem detorqueamus. Dominus vt ostenderet, quam & inter suos numerare posset etiam rebelles, & cõtrarias potestates, ait de diabolo sub nomine Leuiathan Iob cap. 40. Iob 40. *Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eũ seruum sempiternum?* Quasi inde exaltet gloriam suam Deus, quod vel diabolo dominetur, eumque habeat inter suos subiectissimos seruos in omnibus, & semper. Nec mirarer, quod diabolus in aliquo diceretur seruus Dei, quando & rebelles quique aliquod seruitiũ principi exhibere non multum detrectant. Sed maximè illud mirandum est, quod dicatur diabolus Dei seruus sempiternus, hoc est, in omnibus, & semper. Nonne diabolus notissimus Dei hostis, & contrarius est? A primo conditionis suæ instanti in Deum rebellauit, diuinum sibi thronum præripere tentauit; de inde hominum in similes ausus traxit, totumque genus humanum in similem defectionem coniecit. Postremo natus filium Dei in terris, eius exterminationem, & mortem procurauit: qualiter ergo habebitur seruus Deo subiectus, qui tam hostiliter se aduersus Deum gesit? Fateor omnes illas diaboli hostilitates in Deum; sed quando Deus illis vsus est in commodum spirituale suorum, & in propriam gloriam, sic dominatus creditur diabolo, quasi ipsi sit fidelissimus eius, & subditissimus seruus. Ait Rupert. lib. 2. de oper. Spir. Sanct. lib. 1. de Sap. cap. 25. Rupert. *Voluntate quidem diabolus aduersatur Deo, actu autem est seruus sempiternus, & sic seruit, tanquam sit fidelis, ita cooperatur, & bonis proficit, tanquam adiuuare velit spiritum domini, & sic vigilantia eius procedit, tanquam maturet consilium dare, & ostendere illi. Nemo quando quippiam egit diabolus, quod non proficeret Deo, vnde non accresceret amplius laus, & gloria domino Deo? Ex quo cecidit, quicquid vnquam egit, vel agere voluit, totum ad obsequium, & honorem Dei profecit, & proficere non desinit vsque in finem sæculi.* Merito numeratur diabolus inter subditissimos Deo seruos, quando Deus ab eius hostilitate, & suis vtilitatem, & sibi non paruam gloriam excipit. Vt nos discamus, qualiter malis omnibus dominemur, si faciamus, vt vtilitati spirituali seruiant. Crede mihi, non minus ad tuum dominium, ad tuam possessionem pertinẽt hostes, & inimici mala inferentes, quam fidissimi serui, si ex illorum hostilitatibus fructum spiritualem percipis. Hinc Matth. 17. vt tributum solueret Iesus, ait ad Petrum: *Vade ad mare: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & pro te.* Creditur sub huius piscis nomine, & re intelligi Stephanus, qui primus de sagena Euangelij per martyrium in regna cœlorũ ascendit. Sed cur ad huius ora misit Iesus, vt inde traha: staterẽ aureum? Erat in ore Stephani oratio pro inimicis, qua te inimicorum hostilitatem, ingentia lucra percipiebat, omnemque referebat christianũ censum. Ait D. Amb. lib. 5. Exam. cap. 6. D. Amb. *Misit Petrus retia, & complexus est Stephanum, qui de Euangelio primus ascendit, habẽs in ore suo staterem iustitiæ. Pro hoc piscebatur Iesus; sciebat enim esse in ore eius precium sui census.* Expende illud: *Precium sui census*; quippè alij habent census suos in seruis, in mancipijs, in vineis, in oliuetis; at Iesus æque census suos habet in iniuriarum, hostilitatisque venia, quæ à sanctorũ linguis dependent. Nec minus ad christianum censum pertinent hostes, quam serui, si de illorum inimicitijs acceptis lucrum spirituale prætendis.

§. X.

Cõcordibus in vnũ nullus obex ad bona solet esse.

ILLVD Etiam expendendum, quod ait: *Nullusque eis hostium resistere ausus est*; cum putet D. August. non paruam Danitis resistentiam fuisse ab hostibus. Si ergo Danitis hostes restiterunt, quomodo dici potest, quod nullus hostis restitit Israeli? Restitit Danitis hostis iam separatis à reliquis; vbi autem omnes tribus simul iunctæ, & concordes sub vno capite Iosue manserunt, nullam resistentiam, nullum-

D. Aug. que obicem inuenerunt. Sic D. August. in præsenti, quæst. 23. *Non restitit quisquam antefaciem illorum ab omnibus inimicis eorũ, cum simul sub vnius ducis imperio bellum gererent; antequam singulis tribubus sua defendenda diuiderentur loca.* Itaque antequam diuideretur tribus in diuersa, dum sub vno duce vnanimes, conformesque manebant, nullus eis obex, nulla resistentia officiebat, quominus ad plenam fœlicitatem euolarent. Nulla enim difficultas non cedit, vel nominibus concordium, vnanimorum

Matth. 3 que vocabulis. Matth. 3. *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli; & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.* Ecce tibi cœlestis vox intonat filij cum patre, & spiritu sancto involuens concordiam, & vnanimitatem, qualis est inter patres, filiosve, Te inocem amantes. Et interea cœlestia rumpuntur repagula, ait enim *ecce aperti sunt ei cœli.* Et cur cœli aperiuntur, nisi quia nullus obex potest manere ad felicitatem; vbi vel sonare incipiunt concordantium

Petr. Da. vocabula? Ait Petr. Damian. ser. de Sanct. Ioanne Baptist. *Vides, quia cœli aperiuntur tibi, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in Christum, & vox patris audita est, Hic est filius meus dilectus. Vides, quia ad sacratissimorum nominum nouitatem cœlorum palatia reserantur?* Ecce tibi ad sacratissimorum nominum, patris, & filij nouitatem ruptis obicibus cœlestia omnia referantur. Vbi enim quæ est inter patrem, filios ve concordia sentitur, nihil obesse potest, quominus tota fœlicitas appareat.

CAPVT VIGESSIMVM Primum.

Rubenitæ cum sotijs dimittuntur.

Textus Historia.

CVM Ergo, fundata pace, non vltra necessarius Rubenitarũ, Gaditarum, & dimidiæ tribus Manasse exercitus videretur; & communia prælia, communibusque peragenda viribus expedita essent; eis, vt qui in auxilium fratrum venerant, vacationem miliciæ deinceps concedendam censuerunt. Laudauit Iosue virorum strenue nabatam operam, quam & multis hostiũ spolijs munerauit; fecitque, diuites, & læti vltra Iordanem redirent in designatas sedes. Vnum abeuntibus maxime cordi voluit esse, vt auitam religionem tenerent, nec interiectum flumen illos à fratrum charitate, à parentum Deo auocare valeret. Itaque post amicorum oscula, post amplexus ad sua redeunt victrices tribus, & vix propiarum sortium limina terunt, cum in Iordanis oris ingentis magnitudinis altare struunt. Cuius fama quam breuiter Iosue, & Israelitas vniuersos impleuit, quibus abeuntes fratres non parum de fide reddidit suspectos. Issent statim in prælium pro vindicanda religione; sed maturiore consilio mittunt, qui omni diligentia perquirant, quo fine altare instructum fuerit. Nec mora; Phinees filius Eleazari cum decem honoratis socijs ad Rubenitas, & Gaditas venit, quorum ore persuadentur altare in monumentum posteris, & signum coniunctionis cum reliquis erectum, absque vllo auitæ religionis dispendio.

MORALIA CIRCA textus literam.

OBFIRMATA Pace Rubenitæ Gaditæque in sua redeunt, vt doceamur, quam læti & nos post confecta cupiditatum bella, in nostra recipiemur.

Iosue 22. Eodem tempore vocauit Iosue Rubenitas, & Gaditas,

tas, & dimidiam tribum Manaſſe, dixitque ad eos: Feciſtis omnia, quæ præcepit vobis Moyſes famulus domini; mihi quoque in omnibus obediſtis, nec reliquiſtis fratres veſtros longo tempore vſque in præſentem diem; cuſtodiētes imperium domini Dei veſtri.

§. I.

Magnum facinorum præmiū eſt, præſtantiſsimorum virorum præconium mereri.

POST Bella confecta, & obfirmatam pacem Ioſue Rubenitas, Gaditas, & dimidiam tribum Manaſſe vocat, eorumque coram omnibus extollit facinora; dicit enim: *Vocauit Ioſue Rubenitas, &c. dixitque ad eos: Feciſtis omnia, &c.* Et quidem non paruum nauatæ operæ præmium fuit, quod ſic à tanto duce coram omnibus eorum facinora recenſerentur, extollerentur. Semper enim maximum eſt, magnorū virorū præconia merēri. Similiter Matth. 25. Dominus in iudiciaria ſede conſtitus dicet his, qui à dextris eius erunt; *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſti mihi manducare. Sitiui, & dediſtis mihi bibere.* Suffeciſſet participes eos facere ſui regni; quid neceſſum fuit proprio ore illorum, vel minima facinora recenſere? Faciebat hoc ad maximum laborum præmiū, quod tanti ducis ore coram omnibus laudarentur. Ait ibi D. Chryſoſt. hom. 80. *Nam ſi iſtud ſolum modo eſſet, nonne ita ſibi ſufficeret, vt retributum eſſe videretur? Non dico vocem illam à ſedente in patris ſolio, orbe terrarum præſente audias, & regnum conſequaris: ſed ipſum operari nonne ſibi ad retributionem ſufficit? Nunc autem adhoc coram vniuerſis, cum apparuerit ineffabilis illa gloria, præconio te manifeſtat, & coronat, patronumque ac hoſpitem profitetur.* Itaque ad regnum, ad facinorum ſplendorem, addit Rex noſter præconium ſuum, quo ſuos aſſeclas exaltat, & coronat coram omnibus. Et quis neget ingentem gloriam eſſe tanto celebrari præconio? Ideò aiebat dominus Lut. 12. *Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.* Expende quale præmium proponat ſuis ſectatoribus, nimirum, quod illos confitebitur, & prædicauit coram Angelis. Quantum hoc? Ait Euſeb. in præſenti apud D. Thom. in cat. *Quid autem erit glorioſius, quam ipſum Dei Verbum atteſtari pro nobis in diuino iudicio; ac ipſo refectu remunerationem teſtimonij promere?* Equidem glorioſiſsimum eſt, quod Ieſu aſſecla in iudicio habeat ipſiſsimi Dei verbi teſtimonium, pro ſuorum facinorum præconio. Accinit Imperfect. hom. 25. in Matt. fatus: *Ecce præmium. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo. Vide ergo quanto maius eſt præmium Dei, quam iuſtitia noſtra. Quis eſt tam lapideus, qui non deſideret iuſtitiæ ſuæ teſtem habere Chriſtum?* Quippè longe excedit merita humanorum facinorum, quod prędicentur teſtimonio Ieſu filij Dei. Tanti enim ducis præconio celebrari, quis non putet eſſe ſupra humana merita? Huc trahe dicta 1. tom. de Chriſto figur. lib. 3. cap. 3. §. 17.

Matt. 15

D. Chryſ.

D. Thom.

Imperf.

§. II.

Non parum commendatur ille, cuius imperia mandantur executioni.

NON Otioſe meminit Ioſue in præſenti Moyſem, & ſe ipſum in conſu præceptorū obſeruatorum; ait enim: *Feciſtis omnia, quæ præcepit vobis Moyſes famulus domini, mihi quoque in omnibus obediſtis.* Suffeciſſet enim ad Rubenitarum commendationem, quod diceretur in communi mandatis omnibus obtēperauiſſe; quid neceſſum fuit addere in particulari, quod Moyſi, & ipſius Ioſue mādatis paruiſſent? An hoc faciebat ad Moyſi, & Ioſue commendationem præcipuam? Crediderim nō paruā cōmendationē ducis inde oriri, quod eius imperia omnia executioni dētur, nec vacua & inānia inueniantur vlla. Mar. 16. ait: *Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlis, & ſedit à dextris Dei.* Verum Actor. 7. de Stephano ait: *Cū autē eſſet plenus Spiritu Sancto, intēdens in cœlū, vidit gloriā Dei:: & ait: Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantē à dextris virtutis Dei;* Sic nō pauci codices latini legūt, & cōmuniter in margine illa particula *virtutis* ponitur. Et quādo à Marco ſimpliciter dicitur Ieſus ſediſſe à dextris Dei; cur à Luca in

Mar. 16.

Actis ponitur expressius esse *à dextris virtutis Dei*? Sanè in Actis aliqua præcipua virtus, & gloria Christi magis exprimebatur, veniēs à confessione Stephani, qui executioni mādabat quidquid erat Christiani imperij. Ait enim D. Prosper lib. 2. de vita cōtemplatiua, cap. 2. *Quid est Christum sequi, nisi præstare beneficia etiam ingratis, non retribuere secundum merita sua male vobis, & orare pro inimicis, &c.* Quando ergo Stephanus executioni mandabat totum Christi imperium, quantumuis arduum, & difficile esset, non miror, quod sub præcipua aliqua, & diuina virtute Iesus ostenderetur magis apud patrem fulgere. Me in hanc excogitationem coniecere Titi Vespesiani Imperatoris filij verba, timentis, ne imperia sua parui apud milites valerent. Sic enim eos fugientes alloquitur apud Egesipp. lib. 5. cap. 7. *Quid nequius potest esse, quam præsente Cæsare disciplinam repudiare militiæ? Multum arbitror ingemiscere ipsas militiæ leges tantæ dissolutionis flagitio, multum Imperatorem, cum hæc compererit, qui semper audiri se à milite suo, quam ab hoste timeri maluit. Quid iudicaturum de filio patrem putatis, cuius tam vile imperium sit apud exercitum?* Expende hęc vltima aurea verba Imperatoris filij timentis sua imperia contemni, nimirum: *Quid iudicaturum de filio patrem putatis, cuius tam vile Imperium, &c.* Quippè vel apud iudicium paternum filius parui æstimabitur, cuius imperata apud famulos vilescunt. Vt tunc est in magna æstimatione filius apud patrem, quando imperia eius vel ardua, vel difficilia à subditis militibus adimpleri cernit. Vt hinc iam pateat quantæ virtutis, & gloriæ apud patrem ostendatur Iesus meus eo præcipue tempore, quo difficilia sua mandata à suis athletis adimpleri ostendit. Nunquam enim imperium effectione rei comitatum nouam gloriam imperanti non præbet. Genes. 22. post adimpletum præceptum de immolando filio, quantum fuit ex parte parentis, ait textus: *Appellauitque Abraham nomen loci illius, Dominus videt. Vnde vsque hodie dicitur, in monte dominus videbit.* Quæ verba tractans, & explicans D. Augustl. lib. 16. de ciuit. cap. 32. ait: *Sicut dictum est, Nunc sciui, pro eo, quod est, nunc scire feci; ita hic dominus vidit, pro eo, quod ait, Dominus apparuit, hoc est, videri se fecit.* Sed cur in illo loco dicitur, quod Deus præcipue videri se fecit? Sanè sæpe alias apparuerat Dominus Abrahamo, Genes. 18. *Apparuit ei dominus in conualle Mambre*, imò pransit apud eum, & nihilominus non dicitur, quod ibi se fecerit dominus videri. Cur hoc præcipue dictum est de loco, vbi Isaac immolandus erat? Tunc quis se præcipue facit videri, cum aliquo præcipuo splendore oculos intuentium ad se conuertit. Cum autem Deus imperiū suum de immolando Isaaco à parente in illo monte videt impleri, tam nouam inde, & præcipuam gloriam excipit, vt merito dicatur, quod ibi se faciat videri, rapiens ad se oculos intuentium. Adimpletio enim præcepti nunquam non reddit conspicabilem præcipientem. Mar. 15. de mulieribus ait: *Introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dixit illis, Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum, surrexit:: Sedite, dicite discipulis eius & Petro:: At illæ exeuntes fugerunt de monumento:: & nemini quicquam dixerunt.* Verum Luc. 24. similiter de mulieribus dicit: *Cum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti:: Et regressæ à monumento, nuntiauerūt hæc omnia, &c.* Qui apparuit apud Marcum nullo dicitur splendore fulgere; sed in veste candida esse, qui autem apud Lucam apparebat, sub tot splendebat radijs, vt se faceret videri. Et cur hic tanfulgens oculos rapit intuentium, ille sine fulgore in veste simplici venit? Erat illis externa vultus maiestas conformis mulierum obedientiæ; quæ enim apud Lucam accedunt, quod accipiunt mandatum ab angelis de nuntianda resurrectione, statim impleuerunt, dicit enim Lucas: *Nuntiauerunt hæc omnia*, ne miremur, quod splendescant Angeli, de suis mandatis adimpletis. Quæ autem apud Mar. accesserunt, minime impleuere Angeli mandatum, quippè ait Mar. *Nemini quicquam dixerunt*, & ideò sub nullo splendore Angelus præcipiens videtur. Ait ibi Victor Antioch. *Statim fugerunt, neque quinquam omnino eijs, quæ in mandatis acceperant, cæteris patefecerunt. Et quia tales erant, neque quæ Saluatorem viderent, neque quæ Angelum instar fulguris fulgentem conspicerent, dignæ visæ sunt. Viderunt autem quendam tantum iuuenem alba stola amictum, hoc est, visionem animi illorum exilitati, & simplicitati plane conformem.* Sic conformabatur maiestas apparentis obedientiæ videntium; sine splendore, & sine maiestate erat Angelus, vbi nullum suum mandatum impletur à fœminis. At cuius mandata implebantur, miro splendore intuentium oculos trahebat. Quis enim non auide intueatur maiestatem, cuius vel ardua im-

D. Prosp. Egesipp. Genes. 22 D. Aust. Genes. 18 Mar. 15. Luc. 24. Vict.

dua imperia cernuntur comitata rei effectu? Huc trahe dicta tomo. 2. in Euang. lib. 10. cap. 10. §. 8. vt discant principes quam conspicabilem possint facere gloriam suam; si curent, vt iusta imperia sua, executioni mandentur.

§. III.

Magna apud Deum gloria est hominis, qui minorum imperia iusta sequi minime detrectat.

NEC Minus puto ad gloriam Rubenitarum fuisse, quod imperium Moysi, Iosueque secuti fuerint; ait enim: *Feciſtis omnia, quæ præcepit vobis Moyses, famulus domini; mihi quoque in omnibus obediſtis.* Et quantum erat, quod Rubenitæ secuti fuissent præcepta Moysi, & Iosue; vt inde laudarentur, & extollerentur apud tribus omnes? Ruben maior natu erat ex omnibus filijs Iacob, qua propter non immerito laudantur Rubenitæ, quod secuti fuerint ductum Moysi, & Iosue, qui de minoribus fratribus descendebant. Nunquã enim non est magnæ laudis dignus, qui vel in rebus sanctis, & iustis ductum minorum sequitur. Ioan. 1. postquam Andræas cognouerat Iesum, eiusque doctrina captus fuerat; *Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dixit ei: Inuenimus Meſsiã (quod interpretatum, Chriſtus) Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus, dixit, Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, &c.* Primò viderat Iesus Andræam, & tamen illi nomen nouum minime imposuit; sed vt vidit Simonem, statim illum petræ nomine ornauit, & futuræ dignitatis indicium dedit. Cur Iesus sic maluit ornare Simonẽ? Aut quid fecit amplius Simon, vt meteretur clarius à Iesu accipere ornamentum? Vt audiuit Andræam dicentem de Iesu, non detrectauit Simon Andræam sequi, licet Andræas minor frater esset; & inde minorem fratrem secutus ad primatum Eccle siæ peruenit. Ait Beda ibi: *Nec dum aliquid Petrus fecerat, & iam nomen meruit mutare. Nunquid plus crediderat Andreâ? Quid maius fecit, vt à fratre plus acciperet? Quid maius fecit? Minorem fratrem ſecutus eſt, & quem habebat diſcipulum, non de dignatus eſt habere magiſtrum.* Hinc sese extulit Petrus, hinc multa apud Deum promeruit, quod minoris ductum sequi minime detrectat, vt ad Iesum perueniat. Maximè enim salutare est maioribus, quod minores in rebus iustis sequi dignentur. Ioan. 4. mulier vilis Samaritanis viris annuntiabat Christum; an illi dedignati sunt mulierẽ sequi? Imò ait text. *Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris, teſtimonium perhibẽtis, quia dixit mihi, quæcumque feci. Cum veniſſent ergo ad illum Samaritani, regauerunt eum, vt ibi maneret. Et manſit ibi duos dies:* Miraberis, quod Iesus sic placide Samaritas excipiat, eorumque audiat preces, nec dubitet apud illos diuersari duobus diebus. Non sic cum Iudæis actum est, quippè Ioan. 2. dicit: *Cum autem eſſet Ieroſolymis in paſcha, in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius, quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis.* Compone modo Iudæos, & Samaritas respectu Iesu; & Iudæi, & Samaritæ credunt in eum, acceduntque ad eum; at Iesus se credit Samaritis manens apud eos duobus diebus; & minime se credit Iudæis, sed conspectum eorum quàm primum vitat. Quid ergo fecerunt maius Samaritæ, vt malit Iesus se illis credere, & non Iudæis? Iudæi non veniebant ad Iesum, nisi videntes signa; de Samaritanis autem ait: *Multi crediderunt in eum propter verbum mulieris, &c.* Non expectarunt signorum illustria, sed vel vilis, infimique mulieris sequentes ductum venerunt ad Christum. Adhæc Ruper. lib. 4. in Ioan. ait: *Ergo quia non propter ſigna, quæ nulla viderant, ſed propter id, quod dictum eſt* (nempe verbum mulieris) *crediderunt Samaritani in eum. Audi, quod ſequitur, Cum veniſſent ergo ad eum Samaritani, rogabant eum, vt ibi maneret, & manſit ibi duos dies. Et hoc manifeſte in comparatione Ieroſolymitorum dictum eſt. Cum enim ciuitatem vltro introeiſſet, & in templo docuiſſet, & multi credidiſſent in eum ob ſigna, quæ faciebat, non tamen Ieſus credebat ſe ipſum illis.* Credebant Iudæi, credebant Samaritæ, vtrique adhęrescebant Christo; sed Christus minime se vtrisque credebat, sed Iudæos cauens, morabatur cum Samaritis; quia ille non nisi de magnis, & per magna veniebant ad Iesum, hi autem vel infimæ fœminæ non detrectarunt sequi ductum, dum peruenirent ad Christum.

Beda.

Ioan. 4.

Ioan. 2.

Ruperti.

§. IIII.

Propter vnius Dei reſpectũ poteris diu in bono perſeuerare.

NON Poſſum non ponderare verba illa Rubenitis in præſenti data, nimirum: *Nec reliquiſtis fratres veſtros longo tempore vſque in præſentem diem cuſtodientes imperium Domini Dei veſtri.* Tunc ſolum meminit imperium Dei, cum dicuntur Rubenitæ, & ſotijs non reliquiſſe fratres, ſed illis adhæſiſſe longo temporis ſpacio. Antea dicuntur feciſſe omnia Moyſi, & ipſius Ioſue præcepta, dicit enim: *Feciſtis omnia, quæ præcepit vobis Moyſes, mihi quoque in omnibus obediſtis*: non meminit ibi Deum, ſed Moyſem, & Ioſue meminit tantum. Vbi autem ventum eſt ad id, quod fratribus adhæſerunt longo tempore, iam non Moyſem, nec Ioſue, ſed Deum meminit, ſatus *cuſtodientes imperium domini Dei veſtri.* Sed vt Moyſes, & Ioſue præceperant cætera omnia, ſimiliter præceperant, ne Rubenitæ cum ſotijs diſcederent à fratribus: cur ergo vt in cæteris obſeruantijs Moyſem meminit, ſiue Ioſue; in hac de fratribus comitandis, cuſtodiendis maluit nõ Moyſem, ſed vnum Deum memorare? Vbi exprimebantur Rubenitæ perſeueranter, longo temporis ſpatio duraſſe in cuſtodiẽdis, ſeruandiſque fratribus; meritò non ibi Moyſi, ſed Dei imperiũ attẽdit, nullus enim reſpectus creaturarum, ſed vnius Dei reſpectus valet homines facere longo tempore in bonis durare. Ioan. cap. 2. poſt dictũ de Petro, & Ioanne, & Magdalena, vt cucurrerunt ad ſepulchrum domini, vt viderunt vacuum, vt inuenerunt ſola diuiniſsimi cadaueris linteamina, ait: *Abierunt ergo iterum diſcipuli adſemetipſos. Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans.* Ecce tibi quam cito Apoſtoli ſepulchrũ deſerunt; & quam perſeueranter Maria iuxta ſepulchrum manet, & ſi illud non ſemel vidiſſet vacuum. Et cur Apoſtoli videntes ſepulchri vacuitatem, non amplius expectant, ſed ſtatim abeunt; Maria autem etiã vacuitate viſa mauult ibi perſeuerare? De Apoſtolis ait textus: *Abierunt iterum diſcipuli ad ſemetipſos*, vt ſe, ſuaque reſpexerunt, non miror, quod inde abijſſent, cum vacuum ſepulchrum reperiſſent, Maria autem, vt nihil aliud præter Deum reſpiciebat, ſic à Dei manu tenebatur, vt ibi diutius pemaneret. Ait Rup. lib. 14. in Ioan. *Diſcipulis abeuntibus ad ſemetipſos, Mariam refert ſolam ſtetiſſe ad monumentum:: Pulchre ſiquidem hanc præ omnibus mulierem manus reſurgentis pio deſiderio ligatam ad ſepulchrũ ſuum retinuit.* Non equidem creaturarum reſpectus, ſed ſola Ieſu reſurgentis manus mulierem pio deſiderio ligatam ad ſepulchrum poſsit retinere. Omnium licet creaturarum manus conueniant, non te in bono diu detinebunt, niſi Dei manus accedat, & pio deſiderio ad Deum ligeris. Matth. 26. de ſua morte locutus dominus aiebat; *Et filius hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo, væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur.* Se filium hominis vocat, cum abire ſe dicit; & cur non etiam filium Dei? Hoc curabat dominus, vt in diſceſſu ſuo filius Dei crederetur adhuc apud ſuos manere, vt ſic poſſent in eius diſciplina perſeuerare; nemo enim diu in bono permanet, niſi de aſsiſtẽtia Dei. Origen. hom. 35. in Matth. *Et Ieſus quidem ſecundũ quod videbatur, ibat paſſus per crucem; ſecundum autem quod vere erat, ibat, & remanebat in mundo cum diſcipulis ſuis cuſtodiens eos in fide. Non enim potuiſſent permanere in fide ipſius, præcipue cum eum mortuum vidiſſent, niſi ab ipſo inuiſibiliter cuſtodita fuiſſent corda eorum.* Et quis cum mortuo permaneret, niſi à Deo teneretur? Sanè ſolus eſt Deus, qui poteſt nos permanere facere diu in bonis inceptis.

Ioan. 2.

Rupert.

Matt. 26.

Origen.

Ioſue cap. 22. Quia igitur dedit dominus Deus veſter fratribus veſtris quietem, & pacem, ſicut pollicitus eſt: reuertimini, & ite in tabernacula veſtra, & in terrã poſſeſsionis, quam tradidit vobis Moyſes famulus domini trãs Iordanem; ita dum taxat, vt cuſtodiatis attente, & opere compleatis mandatum, & legem, quã præcepit vobis Moyſes famulus Domini, vt diligatis dominum Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, & obſeruetis mandata illius, adhæreatiſque ei, ac ſeruiatis in omni corde, & in omni anima veſtra. Benedixitq; eis Ioſue, & dimiſit eos, &c.

§. V.

Deus, & terrena bona agre, & difficulter conueniunt.

DE Pace, & quiete locutus non refugit Iosue Deum nominare; at locutus de terrena possessione, ibi non meminit Deum, sed Moysem. Sic enim dicit: *Quia igitur dedit dominus Deus vester fratribus vestris quietem, & pacem; reuertimini, & ite in tabernacula vestra, & in terram possessionis, quam tradidit vobis Moyses, &c.* Ecce tibi terram possessionis traditam dicit à Moyse, pacem autem & quietem à Deo. Et quando Deus nō minus dedit terrenas possessiones, quam pacem illam & quietem; cur non dicit similiter terram datam, ac pacem à Deo? Merito vbi terrenas possessiones nominat, cauit illas Deo attribuere; non quod illæ à Deo non sint, sed quod Deus & illæ difficulter conseruentur in humanis cordibus. Vbi enim Deus est, terrenum quid, & carnale non debet intelligi. Exod. 22. ait: *Reuersus est Moyses de mōte portās duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei, &c.* Et hæc erat tota Israelitarum gloriatio, quod legem non à Lycurgo, non à Numà, nec ab aliquo homine accepissent, sed eam à cœlo missam haberent scriptam ipsissima manu Dei. Quid ergo tanta hęc lex Dei manu scripta, à cœlo missa ad carnalia hæc, & terrena bona respiciebat? Sic putabant vanissimi Iudæorum, nihil supra terram sentientes; quos sapienter conficit Prudentius lib. Apotheosis fatus:

Exod. 22

Nec enim lex cœlo carnea fluxit
Quam tu carne colis; sed Christo fœta, meamq́;
Spem paritura vtero, &c.

Eò ipso, quod lex creditur de cœlo à Deo missa, similiter credenda est, minime in terrenis, & carnalibus hærere, sed vno Deo, vno Iesu esse fœta, ad illumque aspicere. Non enim terrena & Deus, carnalia, & Christus facile coniunguntur. Hinc Luc. cap. 1. accedens vt ostendat Christi ad homines aduentum, sic incipit: *Fuit in diebus Herodis regis, &c.* Et cur necessum fuit pessimum hunc regem meminisse in historia aduenientis Christi? Nullus alius Euangelista meminit Herodem regnantem ante Christum; sed post Christi ortum dictum, & explicatum, tunc meminerunt Herodē,

Luc. 1.

vbi aliquod eius facinus fuit necessarium scribi. Cur Lucas solus voluit ante proponere Herodis regnum, quam diceret ortum Christi? In regno Herodis, ostendebantur Iudæi temporali regno vacuati, quia Herodes Israelita genere non erat. Ideò Lucas vt aduentum Iesu, natiuitatemque eius probaret, sapientissime incipit ostendens vacuitatem terreni regni apud Israelitas; non enim facile concurrerent in vnum terrenæ excellentiæ, & Christus. Ait Hugo Victor. lib. 4. Institut. Monast. *Venit Herodes, qui non erat de Israël, & arripuit sceptrum dominationis in populum; vt ad exortum cœlestis imperij carnale regnum deficeret; & promissus à saeculis rex Israel, cum non esset sceptrum de Iuda, aternum reciperet, quod tēporale transierat:* Et temporalia, & terrena bona, transeatis, necessum est, & incordibus nostris deficiatis, si inibi appariturus est Dei filius, si videndus ibi est Christus. Abijcienda à corde sunt terrena, si excipiē dus Christus. Quo spectans Paul. 1. ad Tessalonicen. 4. *Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erimus.* Expende conclusionē, *& sic semper cum domino erimus*; quomodo sic? Nimirum rapti de terra, & subleuati in aera; si enim submersi terrenis maneremus, si terræ hæreremus, non possemus diu cum Iesu esse. Ait Anastasius in cat. Græcà ad caput 2. D. Luc. *Qui vero in perturbationibus sæcularibus conuersatus est, & nunquam diuinis verbis obediens exstit, quomodo dicet illud, viderunt oculi mei salutare tuum? Semper oculis ipsius sensibilibus, atque intellectualibus in phantasijs mundanis, ac concupiscentijs impudicis occupatis. Non sic, inquā, non sic celebrandum festum domino, nec cum talibus operibus audendum, aut sperandum ipsi occurrere, iuxta illud: Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera.* Excutienda est terra à corde tuo; eripiendus es de bonis terrenis, de carnalibus curis, & sic obuiam ibis Christo, qui diu amas permanere cum illo.

Hugo Vict.

1. Ad Thes. 4.

Anast.

§. VI.

Pax vera, & quies à solo Deo, & Christo eius.

ERGO pacem Deo acceptam refert Iosue; terram possessionis Moy-

ſi, cum ait: *Dedit dominus veſter fratribus veſtris quietem & pacem: reuertimini, & ite in tabernacula veſtra, & terram poſſeſſionis, quã tradidit vobis Moyſes, &c.* Vbi de pace acquiſita agebat, merito non Moyſem ſed Deum meminit, à Deo enim ſolum, & Chriſto eius pax venit ad homines. Vt dicat D. Amb. ſer. 21. in Pſal. 118. *Lex pacem non potuit dare; ideò Moyſes, quoad vixit, ſemper prælians eſt, ſemper legis populus verſatus in ancipite bellorum eſt: Ieſus autem Neue plebis animos profunda pace compoſuit.* Non à lege, non à Moyſe, non acreatura vlla in te pax deueniet, ſed à Deo, ſed à Chriſto eius. Quotieſcumque tibi pax arriſerit, neceſſum eſt, vt in illa agnoſcas manus filij Dei. Pſal. 118. clamabat Dauid: *Pax multa diligentibus nomen tuũ, & non eſt illis ſcandalum. Expectabam ſalutare tuum domine.* Simul & pacem, & ſalutare Dei conſpicit; ex quo enim pacis aduentum decantat, nõ poteſt non expectare ſalutare Dei, qui eſt Ieſus, cum quo ſolo eſt coniunctus aduentus pacis. Quo reſpiciens D. Hilar. ibi ait: *Salutaris Ieſus eſt. Hoc ad Ioſeph Angelus eſt locutus. Hoc Simeon, ex inde in pace remittendus agnouit.* Non enim aliter dimitteretur in pace, niſi ex Ieſu; quem vt cognouit, vt in vlnis tenuit Simeon, ex inde ſeſe in pace dimittendum aſſerit. In ſolo enim Ieſu requies vera, & pax nobis paratur. Can. 3. cœleſtes virtutes videntes ſpõſam aiunt: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. En lectulum Salomonis, &c.* Aſcendenti ſponſæ per deſertum applaudunt cœleſtes virtutes; nec deſinunt applaudere, donec perueniãt ad lectulum Salomonis; ibi ceſſant, ibi aſcendentis ſponſæ totus quieſcit apparatus. Nec miror, lectus enim ille Ieſus erat; à quo ſolo quies, & pax vera claret. Ait D. Amb. lib. de Iſaac cap. 5. *Hanc aſcendentẽ, & non reſiſtentem videntes cœleſtes virtutes, & meritorum eius odoribus delectatæ, agnoſcentes quoque Salomonis illius pacifici eſſe ſpõſam, etiam comitatu ſedulo proſecuntur vſq; ad lectulum Salomonis, eo quod ei vera requies in Chriſto debeatur. Lectus enim ſanctorum Chriſtus eſt, in quo vniuerſorum feſſa ſæcularibus prælijs corda requieſcunt.* Quam amant quieſcere à deſerti laboribus, & malis incurſibus ad Chriſtum deducunt; minime enim inuenitur quies, nec pax, nec bellorum ceſſatio, niſi vbi Chriſtus eſt. Hinc Luc. 1. exortum Ieſu narraturus ſic incipit: *Exyt edictum à Cæſare Auguſto, &c.* Hic ille Cæſar eſt, qui pacem invexit mundo, & Iani fores clauſit, & primus ſibi nomen Auguſti aſſumſit. Et cur neceſſum fuit huius principatum notari, vt exponatur Chriſti natiuitas: niſi vt credamus tantam pacem non potuiſſe eſſe, niſi vbi naſceretur Chriſtus? Ait Paulus Oroſ. lib. 6. cap. 20. *Cum Ianum poſt ducentos annos primum ipſe clauſit, & clariſſimum illud Auguſti nomen aſſumpſit; quid fidelius, aut verius credi poteſt, concurrentibus ad tantam manifeſtationem, pace, nomine, die, quàm hunc, occulto quidem geſtorum ordine, ad obſequium præparationis Ieſu prædeſtinatum fuiſſe, qui eo die quo ille manifeſtandus mundo poſt paululum erat, & pacis ſignum prætulit, & poteſtatis nomen aſſumpſit?* Equidem ex pacis ſigno facile credi poterat principem illum aliquo modo pertinuiſſe ad Chriſtum, in quo ſolo pax inuenitur.

§. VII.

Neſcit Deus in corde teneri, quin exterius multæ affulgeant virtutes.

EXPENDE Coniunctionem illam virtutum, nimirum: *Diligatis dominũ Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, & obſeruetis mandata illius, adhæreatiſque ei, ac ſeruiatis in omni corde, & in omni anima veſtra.* Et quando adhoc perueniendum erat, vt ſeruirent Deo *in omni corde*, quid neceſſum fuit præmittere omnia illa, vt ambuletis in vijs eius, & cuſtodiatis mandata illius? Ab eo qui in omni corde ſeruit domino, quid neceſſum eſt alia patere circa externam mandatorum, & cõſiliorum executionem? Nonne ad omnia ſufficit, quod Deo in omni corde ſeruias? Sufficit quidem ſi Deum in omni corde, & in omni anima colas; ſed ideò præter hæc adduntur externa illa circa externam executionem virtutum, ne te fallas, & putes te Deo poſſe in omni corde ſeruire ſine illis; nequit enim fiari, quod Deus in corde teneatur, quin omnimodæ virtutis rami exterius erumpant. Matth. 27. *Ieſus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum. Et ecce velum templi exciſſum eſt in duas partes à ſummo, vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, &c.* Quandiu Ieſus in cruce figebatur, in illaque fixus viuus permanebat multis expoſitus blaſphemijs, nullum externum doloris ſignum orbis dabat. At cum primum emiſit

emiſit ſpiritum Ieſus, ſtatim omnis viſibilis creatura commouetur. Et cur quæ quieſcebat creatura ad tot Ieſu torméta, ad eius ſpiritus emiſsionem in tot, tantoſque motus currit? Sanè emiſſus Spiritus Ieſu in terræ viſcera deſcenderat, ibique ſanctos patres in terræ corde quieſcentes beabat, ab illiſque per tres dies tenebatur; nec potuit Deus in corde terræ teneri, ibique tanta operari, quin externis motibus, & ſigni
D. Hil. panderetur tota illa interna operatio. Ait D. Hilar. canone. 33. *Tertius dierum trium, totidemque noctium numerus expletur, & occultum diuinæ operationis myſterium, totius creationis ſtupore ſentitur.* Erat equidē Deus, erat diuiniſsimus Ieſu ſpiritus in corde terræ per triduum illud, vbi multa in ſanctis illis occultæ operabatur. Sed quæ opera à Deo in illo corde terræ fiebant, ſimul externis totius creationis motibus manifeſtabantur. Ridendus eſt, qui putet diuinę operationis myſteria ſibi cordi eſſe, cum nullus externus virtutum motus in illo videatur; cum terreni affectus in illo firmiter ſtent; cum ſplendentium bonorum cupiditas non ceſſat; cum morticina opera non currunt in vitam. Equidem vbi Deus in occulto cordis operatur, corde tenetur; ſtatim omnium externarum operationum ſancta exercitatione ſentitur. Statim amamus obtenebrari, & obſcurari; ſtatim velamina culparum ſcindimus; ſtatim à terrenis ad cœleſtia mouemur, ſtatim ſepulchra noſtræ mortalitatis aperimus, in omneſque virtu-
Iſaias, 2. tes imus. Iſaias cap. 2. *Cōflabunt gladios ſuos in vomeres*, ſic loquebatur de tempore Chriſtiano, quando gladius ille anceps, quod eſt Verbum Dei, in vomeres cōflatum apparuit. Vomer enim ferrum eſt illud, quod in aratro poſitum terræ includitur, vt illam ad fructus fœcundet. Sic Verbum Diuinum, qui gladius acutus factus in mediam terram proſiliuit, conflatum fuit in vomerem, quando adiunctum fuit crucis ligno, & inde terræ mandatum, ſepulturæ incluſum. At vbi Ieſus meus terræ incluſus fuit, manſit ibi ſterilis, & inutilis? Abſit, quin imò terræ incluſus vomerem ibi agebat, illam exarans, & fœcundans, vt vitæ fructus
D. Max. parturiret. Ait enim D. Maxim. ſerm. 2. de cruce, & ſepult. dom. *Ex quo homo dominus Ieſus, qui ipſam crucem geſtabat, ſepultus in terra eſt, veluti dirupta ab eo exarata terra, omnes, quos retinebat mortuos germinauit.* Nullibi Deus includitur, quin inde multi erumpant fructus. Vt enim ſegetum copia vomerem terræ viſceribus inhærentem denuntiat; ſic viuidiſsimæ vitæ fructus à terra germinantes oſtendunt in eius viſceribus latuiſſe Chriſtum. Nequit enim fieri, quod tantus dominus alibi claudatur, quin inde manifeſti omnibus fructus erumpant.

Ioſue cap. 22. Cumque dimitteret eos in tabernacula ſua, & benedixiſſet eis, dixit ad eos: In multa ſubſtantia, atque diuitijs reuertimini ad ſedes veſtras cū argento, auro, ære, ac ferro, & veſte multiplici; diuidite prædam hoſtium cum fratribus veſtris. Reuerſique ſunt, & abierunt filij Ruben, & filij Gad, & dimidia dia tribus Manaſſes à filijs Iſrael de Silo, quæ ſita eſt in Chanaan, vt intrarent Galaad, &c.

§. VIII.

A Ieſu Spiritu benedictiones ſcaturiunt.

QVAM Multus eſt Ioſue in benedicendo Rubenitis; dixerat immediate: *Benedixitque eis Ioſue, & dimiſit eos*; rurſus modo ait: *Cum dimitteret eos, & benedixiſſet eis, &c.* Nec miror, de Ieſu enim ſpiritu benedictiones ſolēt ſcaturire. Deuther. 27. diuiduntur tribus Iſrael, aliæ ad Deut. 27.
maledictiones effundendas, aliæ vt populis benedicant. De ijs ait: *Hi ſtabunt ad benedicendum Domino ſuper montem Garizim Iordane tranſmiſſo; Simeon, Leui, Iudas, Iſſachar, Ioſeph, & Beniamin.* Et cur hæ potius tribus ad benedictiones promendas eligun tur? Omnes hæ aliquo modo pertinebant ad Chriſtum, illumque attingebant, ideoque merito ad benedicendum eliguntur, quando è Chriſto Ieſu benedictiones aſ-
D. Irin. fluentiſsime ſcaturiunt. Ait D. Irinæus in cat. Græca: *Notandum benedicendi munus iis tribubus demandatum, ex quibus Chriſtus deſignatur, cognoſcitur, & generatur. Ioſeph enim typus Chriſti fuit. De Leui, & Iuda tanquam rex, & Sacerdos natus eſt, quantū ad corpus. Per Simeonem agnitus in templo. De Beniamin Paulus per gentes Chriſti nomen propaganit.* Ecce tibi vt particulariter tribus hæ ad Chriſtum ſpectabant, ſic aptiores putā tur, vt benedictiones effundant; nunquam enim

enim à ſpiritu Ieſu benedictiones non ſcaturiunt. Dauid Pſal. 44. in Ieſu perſona dicebat: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Tertull. Circa quæ Tertull. lib. 4. in Mar. ait: *Eructauit, inquit, cor meum ſermonem optimum. Hic erit ſermo optimus, benedictionis ſcilicet, qui & noui quoque teſtamenti initiator eſt.* Nunquam enim non Chriſti pectus eructat benedictiones, quibus repleamur omnes. Hinc Sponſa Cant. 2. *Vox dilecti mei pulſantis, Ecce iſte venit, &c.* venientem lætans oſtendit; & cur ſic lætatur de venien- D. Bern. te? Ait D. Bern. ſer. 57. in cant. *Benedictiones, & diuitiæ cum eo, & vniuerſa, quæ de ipſo ſunt, affluunt delicijs, redundantia certe iucundis, ac ſalutaribus Sacramentis.* Neſcit greſſum facere Ieſus, quin benedictiones effundat; & Ieſu benedictiones id habent præcipuum, quod nunquam caſſæ ſint, ſed per ſe afferant effectum. Deuth. 27. in monte Hebal erant ſex tribus Iſrael maledicentes tranſgreſſoribus legis: dicebant enim: Deut. 27 *Maledictus homo, qui facit ſculptile, & conflatile:: & reſpondebit omnis populus Amē. Maledictus, qui non honorat patrem ſuum, & matrē ſuam, & dicet omnis populus*, Amen, *&c.* Verum cap. 28 quæ in monte Gazarim erant, ſic benedicebant: *Benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro Benedictus fructus vēris tui, & fructus terræ tuæ, &c.* In maledictionibus dicit populus *Amen*; in benedictionibus tacet populus, nullū *Amen* auditur. Et cur non dicunt *Amen* in benedictionibus? Erant hæ benedictiones à Ieſu; imò ipſe Ieſus benedictio noſtra inibi, quaſi in imagine erat, ideò ipſæ per ſe ſine adiumento aliorum effectum trahebant. D. Baſil. D. Baſil. in cat. Græca: *Dicat aliquis, cur recitatis execrationibus, adiungitur* Amen: *benedictionibus vero nulla ſequitur affirmatio? Diluit hanc dubitationem Apoſtolus dicens: Filius Dei non eſt etiam, & non, ſed in ſe ipſo eſt etiam. Omnes enim Dei promiſſiones in ipſo ſunt etiam Amen. Ipſe nimirum eſt, qui benedixit nobis, in omni benedictione ſpirituali.* Quando ergo ipſe Ieſus eſt, qui benedicit, non requiritur aliorum adiumentū, ſed ipſe per ſe ſufficit, effectum tribuere. Qui creaturarum benedictiones expectas, forſam neceſſe eſt tibi multarum ſuffragia quærere, verum vbi Ieſus benedictionitue inſeritur, ipſe ſolus per ſe poteſt facere, vt benedictus ſis, & in benedictione perſeueres.

(t)

§. IX.

Non ſomno ſtertentes, ſed operoſi fratrum pugnantium fortunas participāt. Vbi de Sanctorum patrocinio.

REMISSI Rubenitæ & ſocij in patriam mandatum habent ex Ioſue, quod ſpolia, & diuitias cum fratribus partiantur, dicit enim? *Diuidite ſpolia veſtra cum fratribus veſtris.* Cum quibus fratribus? An cum illis, qui ſomno ſtertebant, dum hi præliarentur? An cum illis, qui deſides, & otioſi prorſus iocabantur, dum hi pro vincendis hoſtibus deſudabant? Abſit; ſudoris enim, laboriſque fructus minime ad otioſos, & inertes venit. Cum ergo audis diuidenda ſpolia cum fratribus, intellige cum fratribus operoſis, qui ſuam operam impendunt cuſtodiendis familijs, & ſubſtantijs eorum, qui ſunt in prælio. Sic Lyran. Sic Carthuſ. in præſenti; nō enim fructus fraterni laboris ſperare debet, qui nullam operi manum adhibet, ſed iners, & otioſus ſedet. Quippè ridendus eſt, qui de cognatorum, fratrum, amicorumque virtutibus multa ſperans, deſidioſus ipſe ſedet, nulliq; virtuti operā impōdit. Cātatiſsima illa Machabæorū inuenū mater 2. Mach. 7. viderat iam ſex filios in glorioſiſsimum triumphum iſſe, apud Deum eſſe; & accedens ad minimum fratrem, qui reſtabat, quid dicit illi? An iubet quieſcere, & quieſcētem fidere in fratrum triumphis? Iubet, quod à labore vacet certus de auxilio, & patrocinio triumphantium fratrum, quorum facinorum ipſe participabit præmia? 2. Mac. 7. Abſit; ſed magis ait: *Peto à te nate, vt aſpicias cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit ea Deus, & hominum genus, ita fiet, vt non timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus tuis effectus particeps, ſuſcipe mortem, vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam.* Itaque bona & prudens mater filium hortatur, ne fidat fratrum triumphis ipſe à labore deſiſtens; ne ſperet de fratrum virtutibus fructum deſidioſus ipſe, ſed magis labori incumbat, vt & laboris particeps fructus participet. Ait D. Cyprian. lib. de Exortat. ad Martyr. cap. 11. *Magna laus matris in exhortatione virtutis: ſed maior in Dei timore, & in fidei veritate, quod nihil ſibi, aut filio de* D. Cyp.

ſex

sex martyrum honore promisit, nec fratrũ precem profuturam credidit ad nocentis salutem: persuasit potius participem passionis fieri, vt in iudicij die posset cum fratribus inueniri. Charissimi erant in cælum præmissi fratres, qui triumphis suis plurimum apud Deum possent, sed prudens fœmina nihil de eorum honore, aut diuitijs, sibi aut filio promisit, quo à labore desisteret, nec profuturam credidit fratrum valentiam desidioso, & inerti; sed magis hortabatur, vt vigilaret, & laboraret cum fratribus, qui velit esse eorum triumphorum particeps. Nunquam iuuant virtutes fratrum, propinquorum, aut amicorum eos, qui in disidiam lethalem abierunt. Gen. 9. Noe vt filij impietatem mulctaret, ait: *Maledictus Chanaam, &c.* Sed Chã habebat duos fratres santissimos, imò & sanctissimum parentem, cur non magis participat benedictiones fraternas? Cur maledictione feritur? Ait Orig. lib. 1. in Iob: *Nihil illum iuuit neque Dei colloquium, neque patris iustitia, cum ipse declinauerit à iustitia, & impietatem arriperet. Nam ipse pater Noe, qui eius libertatem erat defensurus, ipse iusto Dei iudicio in maledictum, atque seruitutem eum condemnauit. Nequaquam ergo, o amici, iuuat patrum iustitia iniustos, atque impios filios.* Dũ tu deuias, dum tu somno stertis, dum desidiæ, voluptati indulges va ne de tuorum siue parentum, siue fratrum, siue amicorum iustitia, & valentia apud Deum præsumis. Nullus tantũ apud Deum valet, cuius nitaris patrocinio, nisi operam aliquam tu ipse adhibeas. De validissimo apud Deum fratre nostro aiebat. Ioan. 1. epist. 2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christũ iustum.* Est frater noster Iesus apud patrem; sed est aduocatus; & quis aduocato causam suam committit, & somno sepelitur? Sanè eo ipso, quod aduocati diligentiam tibi proficuam quæris, & tu debes adesse, & pulsare iudicem, & officiales mouere, & aduocatum adducere, & introducere, alioquim vacuus redibis. Sic eo ipso, quod Iesus aduocatum agat, petit vigilantiam, & diligẽtiam nostram, vt percipiamus aduocationis fructus. Quo spectans Arnoldus Carnot. tract. in illa ve, ba: *Ecce mater tua*, dicit: *Intueor igitur quadrigam, qua currendum est ad patrem, sic debere distingui; vt per te ad matrem, per matrem ad filium, per filium vero attingere possit pœnitentis affectus ad patrem*: Expende illud: *pœnitentis affectus*; non desidiosi otia, nõ luxuriantis stupor; sed pœnitentis affectus per matrem, & filium valet ad patrem peruenire.

Genes. 9.

Orig.

Ioan. 1.

Arn. Ca.

§. X.

Fortissimorum lachryma non tam pro casibus, quam pro triumphis.

TANDEM Redeunt in sua Rubenitæ; ait enim: *Reuersique sunt & abierunt filij Ruben, & filij Gad, &c.* Neque sine lachrymis sotiorum facta creditur hæc reuersio. Ait enim Iosephus lib. 5. cap. 3. *Multitudo vniuersa, cum lachrymis eos deducebat, & agre à se inuicem diuellebantur.* Reuertentes in sua Rubenitæ, & Gaditæ pleni spolijs, & triumphis pleni, cum lachrymis bellatorum sociorum reducũtur. Et merito tantorum virorum lachrymas ibi inuenio, vbi triumphatores spolijs inimicorum onustos in sua progredi specto; fortissimorum enim lachrymæ non tã clades, quã triumphos comitari debent. Quærebat Iesus sepulchrum defuncti Lazari Ioan. 11. vt eum vocaret ad vitam: *Et dicunt ei: Domine veni, & vide; Et lachrymatus est Iesus.* Vocaturus in vitam defuntum plorat Iesus, qui Luc. 3. videns matrem flentem pro mortuo filio, *misericordia motus super eam dixit illi, Noli flere.* Qui matrẽ prohibet flere, pro mortuo filio, ipse flet revocaturus amicum in vitam. Et cur qui vel in matre defuncti lachrymas non permittit, ipse sic lachrymatur pro amico? Matris lachrymæ, vt pro clade accepta oriebantur, sic non miror, quod offenderent fortissimũ virum, cuius est non tam in clade flere, quã in triumpho. Vt dicat D. Chrysol. ser. 64. *Quis ergo ex humana infirmitate existimet hic fleuisse Christum, cum cœlestis pater luxuriosum filium, non quando abijt, sed quando recepit, tunc deplorat? Christus recipiens fleuit Lazarum non amittens.* Componite modo duas diuinissimas personas, Patrem, & filium; ille amisit luxuriosum filium, qui longè à patre processit, & omnia sua consumpsit, nec tamen interea dicitur pater aliquam ostẽdisse teneritudinem; hic amicum amisit, qui fatis concesserat, nec pro mortuo amico in lachrymas iuit. At cum luxuriosus filius à malo culpæ excitatus in patris recurrit sinum, tunc pater tenerescit, & teneris oculis occurrit, illum amplexu excepturus. Similiter & Lazarus cum iam iam educendus adstat, & in vitam reuocãdus prope est, fletum extorquet à Dei filio. Vter fletus ab infirmitate prosiluit? Neuter; vt enim vterque erat non pro cla-

Ioan. 11.

Luc. 33

D. Chrys.

de accepta, ſed pro cladis reſtauratione; nō pro vulnere, ſed pro triumpho, ſic non ab infirmis pectoribus, ſed à validiſsimis videbantur proſilire. Vt enim infirmorum eſt flere in cladibus; ſic non dedecet fortiſsimos flere in triumphis. Hinc dicebat Ieſus Ioan. 11. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, &c.* Cladem videt amici, & tanta in clade non plorat, ſed ridet; ploraturus ſtatim cum totam illam cladem fuget. Pro quo D. Chryſol. ſupra: *De quo gaudet mortuo, ipſum cum reſuſcitat tunc lamentatur: qui cum amittit, non flet, cum recipit, tunc deplorat, tunc fundit mortales lachrymas, vita ſpiritum cum reſundit. Fratres, habet hoc natura humana, vt producat lachrymas vis gaudy, vis mœroris, &c.* Quando lachrymæ, vel à mœrore, vel à gaudio ſcaturiunt, mœroris lachrymæ infirmis, puſilliſque remittuntur; ad validiſsimos, fortiſsimosve magis ſpectant lachrymæ, quæ ſunt pro gaudijs, pro triumphis.

Ioan. 11.

Chryſol.

Ioſue cap. 22. Cumque veniſſent ad tumulos Iordanis in Terram Chanaam, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis. Quod cum audiſſent Iſrael, & ad eos certi nuntij detuliſſent ædificaſſe filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe altare in terram Chanaam, ſuper Iordanis tumulos, contra filios Iſrael; conuenerunt omnes in Silo, vt aſcenderent, & dimicarent contra eos.

§. XI.

Quidquid magnum eſt, vni Deo debetur.

RECEDENTES Rubenitæ altare ædificauerunt in vltimis Chanaan limitibus, cum dicat textus: *Cumque veniſſent ad tumulos Iordanis in Terram Chanaan ædificauerunt altare infinitæ magnitudinis.* Græce: *Magnitudinis viſendæ*: apud Vatablum: *magnificum, & ſpectabile.* Et quando in eo nulla volebant ſacrificia offerre, nullas oblationes volebant ponere, vt interrogati faſsi ſunt, cur illud altare eſſe, & videri voluerunt? Ad ſignum, & teſtimonium quodlibet ſuffeciſſet, vel columnam, vel aliquod aliud erigi; cur magis placuit altare fieri? Sanè vt quidquid à tam numeroſis tribubus fieret, deberet eſſe infinitæ magnitudinis, maximeque ſpectabile; maluerunt, quod vel ipſa forma, & ſpecie oſtenderetur dicatum vni Deo, ab illiſque ædificatum, qui vnum, & verum Deum reſpiciebant, cui ſoli magna omnia debentur. Et quæ magna non ad Deum ſpectant? Matth. 27. vbi Ioſeph clauſit Ieſum ſepulchro: *aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti.* De quo ſaxo ait Marcus, cap. 16. *Erat quippè magnus valde*; debebant enim Ieſu Dei filio admoueri omnia magna. Vt dicat Orig. hom. 35. in Matth. *Omnia, quæ circa corpus Ieſu munda ſunt, & noua, & non ſimpliciter magna, ſed valde omnia magna.* Petunt ex ſe hoc omnia magna, vt Deo aduoluantur. Quo vt peruenio, non poſſum non meminiſſe facinus illud magnum, & ſpectabile, quo tres validiſsimi duces Dauidis per medios confertiſsimos hoſtes penetrarunt vſque ad Bethlemiticum fontem, vt inde aquam traherent regi ſuo ſitibundo. Quid tunc? Ait 2. Reg. 23. *Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethleem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid: at ille noluit bibere, ſed libauit eam domino.* Et cur magis placuit tā deſiderantam aquā Deo libare, quam ſibi ſummere? Ait ſapiēter D. Amb. lib. 1. de Apol. Dau. cap. 7. *Vt quod erat viuidæ virtutis inſigne, fieret pietatis ſacrificium.* Tantæ virtutis facinus, tam magnum, tam inſigne dedeceret, quod alteri, quam Deo ſeruiret. Habent enim hoc quælibet magna, vt Deū reſpiciant. Ioan. 4. ait: *Ex ciuitate autem illa multi crediderūt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris teſtimoniū perhibentis, quia dixit mihi omnia, quæcumque feci.* Ecce tibi ad vnius mulierculæ verbum multi Samaritani credunt Ieſum filium Dei eſſe. Et quale erat verbum mulieris, quod ſic in Dei agnitionem viros trahebat? Ait textus: *Teſtimoniū perhibentis, quia dixit mihi omnia, quæcumque feci*: audierat mulier omnia ſua ſcelera & adulteria patuiſſe Chriſto; & inde ad ſuos progrediens publice fatebatur totam peccatorum ſuorum ſeriē à Ieſu deprehenſam. Vt autem audierunt Samaritani mulierem in tantum virtutis facinus veniſſe, vt non erubeſceret publice confiteri omnia ſua ſcelera, ſapienter collegerunt Deū eſſe illum, propter quem fiebant opera virtutum

Matt. 27.

Marc. 16.

Orig.

2. Reg. 23.

D. Amb.

Ioan. 4.

Theoph. tutum adeò ingentia. Ait Theophilact. *Propter ſermonem mulieris multi Samaritani credunt, vt pote prudenter apud ſe iudicantes, quod vitam ſuam mulier non vulgaſſet adhoc, vt gratificaretur alteri, niſi vere magnus quis eſſet, & ſuper multos, qui ab illa prædicabatur.* Tam magnum confeſsionis opus, quo mulier ſua crimina publice manifeſtare nõ erubeſcebat, ſapientiſsimos Samaritanorum ducebat in notitiam Dei in Ieſu latentis; neceſſum enim erat, vt Deus eſſet, cui tam magna dicarentur. Qualiter enim, qui Deus non eſſet, poſſet extorquere à carnali corde tam ingens virtutis opus, vt non erubeſceret, ſuam adulterinam vitam in medium proferre? Equidem tanta virtutis magnitudo apertiſsime nobis Deum oſtendit, cui ſoli magna cedunt.

§. XII.

Sine Ieſu nulla Dei grata religio, nulla virtus.

CVM Iordanis diuideret inter Amorræos, & Chananæos, & Rubenitæ cum ſotijs partem ſuam in Amorræorũ terra haberent, nihilominus altare ædificant non in ijs Iordanis ripis, quæ ad Amorræos pertinebant, ſed in ijs, quæ Chananæorum erant. Sic enim dicit: *Cumque veniſſent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan; ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis, &c.* Expende illud: *in terram Chanaam*, hoc eſt, cum adhuc eſſent in Chananæorum limitibus, in parte filiorũ Iſrael, vt probat Serar. noſter queſt. 2. in præſenti ex Aria, Maſio, Adrichomio, & Abbulenſi. Sed cur abeuntes ad ſua non magis in ſua parte, quam in parte Iſraelitarum altare ædificare voluerunt? Res diuino inſtinctu agebatur, qui homines mouebat, vt ædificarent altare in ea parte, in qua Iſrael cum duce ſuo Ieſu filio Naue erat, vt diſceremus, quod ſine Ieſu vero, nullum altare, nulla religio, nulla virtus poteſt placere. Aiebat Iſaias, cap. 1. *Incenſum abominatio mihi eſt, Neomenias, & Sabbatum, & feſtiuitates alias non feram: iniqui ſunt cœtus veſtri: calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea.* Et vnde tot Religiones, tot virtutes adeò diſplicuere Deo? Ioan. 8. poſt enarratam longam Ieſu diſputationem cum Phariſæis dicit: *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.* Vbi autem

Iſaias, 1.

è templo, à religione illa abſuit Ieſus, remiremur, quod & templum, & ſacrificia, & virtutes odioſæ exiſtant Deo. Ait Rupert. lib. 9. in Ioan. *Quid eſt, quod Iudæi vſque nunc longe ſunt à ſalute, niſi quia Ieſus, id eſt, ſaluator ab illis abſcondit ſe? Et quid eſt, quod ciuitas, & templum ſuper oculos, imò ſuper cadauera illorum cecidit, exterminantibus Romanis, & quæcumque illic Deo patrum ſuorum offerre, vel celebrare conſueuerant, holocauſta arietum, adeps pinguium, & ſanguis vitulorum & agnorum, neomeniæ, & Sabatha, & aliæ feſtiuitates eorum quaſi ſtercus ſuper vultus illorum proiectæ ſunt, Deo proteſtante, Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea? Quid, inquam, hoc eſt, niſi quia Ieſus abſconditus exiuit de templo.* Sanè vbi neque in templo, neque in ſacrificijs, nec in tota religionis pompa Ieſus inuenitur, ſed abſcedit inde; & templum, & religio, & virtutes ſordent, minimeque placent domino. Quare monebat Sponſam ſuam dominus Cant. 8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, ſignaculum ſuper brachium tuum*: Super brachia, & corda dilectorum amat poni, nequid operis, at cogitationis in illis ſit, quod Ieſum non oleat, ſine quo euanida ſunt omnia. Ad quæ ait Theodor. ibi: *Vult ergo ſaluator noſter, vt ei pro ſignaculo in contemplationibus, & in actionibus noſtris habeamus, & notam ipſius in omnibus tum dictis, tum factis imprimamus. Sic enim erunt nummiſmata regia non adulterina, ſed regiam imaginem præferentia.* Vt enim nummi nullo regis ſigno præſignati adulterini ſunt, inanes ſunt; ſic vel ipſæ virtutes ſine Ieſu inanes ſunt, & adulterinæ. Adeò vt ſacratiſsimum illud quondam Iudæorum Paſcha; iam non Paſcha, ſed turpis laniena pecorum, ſeu carnificina horribilis habeatur. De illo dicebat Exod. 12. *Erit autem agnus abſque macula, maſculus, agniculus, iuxta quem numerum tolletis, & hædum. Et ſeruabitis eum vſque ad quintam decimam diem menſis huius, immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael.* Ecce vobis vt iuxta Dei placitum felligebatur agnus immaculatus, vt fieret Deo gratiſsimum holocauſtum. Sed aiebat Pſal. 39. *Sacrificium, & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi, Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti; tunc dixi: Ecce venio.* In Exod. dicitur Deus petere ſacrificium immaculati agni; in pſal. dicitur nullum ſacrificium, nec oblationem, nec holocauſtũ poſtulaſſe. Et quando ſacrificium agni, & gratum extitit, & à Deo mandatum; quomodo dicitur nullum ſacrificium Deo fuiſſe gra-

Rupert.

Cant. 8.

Theod.

Exod. 12.

Pſal. 39.

se gratum? Dubium tollitur illis verbis; *tunc dixi: Ecce venio*; erant equidem sacrificia in quibus saltem in typo veniebat Christus, quæ ex tanti saluatoris, & regis imagine & valorem habebant, & gratiam, vt posset Deus illa petere, & acceptare. Verum vbi Iesus sublatus fuit à sacrificijs, ita vt nec eius vmbra in illis maneret, tota illa pompa sacrificiorum quasi fœda carnificina cæpit repudiari. Quo spectans D. Zeno lib. 3. ser. 36. fatur: *Agnus salutaris, qui designatur ex ouibus, & hædis, inter pecora non potest inueniri. Superba illa ciuitas seruit. Sanè ouũ greges infinitos interficit, quos in amaritudine assumit. Quis non intelligat fratres illud pascha non esse, sed bramosum latronis cruenti conuiuium.* Cur non latro, qui Iesum non habet? Dicebat Ioan. 10. dominus: *Omnes quotquot venerunt ante me fures sunt, & latrones.* Sed ante Iesum venit Abel, & Abraham, & Moyses, imò Baptista Ioan. dicebat de Iesu: *Qui post me venturus est*, quasi & ipse ante Iesum veniret. Ergo ij omnes fures erant, & latrones? Absit, ij enim licet ante Iesu venerint in carne; in Spiritu tamen Iesum sequebantur. Solæ rebelles Angelorũ potestates primas auferre Iesu voluerunt, & vt sine Iesu à cœlo excluſæ sunt, sic in omnibus furum, latronumque mores exercent. Anastas. Sinaita lib. 1. Examer. ait: *Non loquor, de ijs, qui ante me nati sunt in carne. Sed quoniam veni è cœlo missus à patre meo; omnes, qui ex eodem cœlo cum eodem scopo venerunt ante me, sunt fures, & latrones, nempe aduersariæ potestates.* Quippè angelicæ potestates, quæ Iesum excluserunt, & sine Iesu à cœlo descendere maluerunt, crudelium latronum mores exhibent abominabiles in omnibus Deo. Equidem vbi immaculati agni non inueniri tur vel vmbra, nihil ibi nisi cruentum, & Deo odiosum inuenitur. Huc accedant, qui exterminanr facies suas non in Christo, sed in laudis humanæ lucro; in quo sanè non Deo, sed cruento latroni bramosum exhibẽt conuiuium. Hinc Malachias, cap. 1. *Contaminauit Iudas sanctificationem domini quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni. Disperdat dominus virum, qui fecerit hac.* Sanè sacramenta vniuersa Moysi diligebantur maximè à Deo; at verò Iudæi illa contaminauerunt, & mutauerunt in res alienissimas à verò Deo. Sed quomodo res adeò sanctæ potuerunt fieri adeò alienæ à Deo? Eo solum, quod Christum ab illis expellerent. Ait Rup. ibi: *Ex tunc habet Iudas filiam Dei alieni, ex quo Christum occidit, quia quidquid ex tunc obseruare videtur in cæremonijs huiusmodi non est religio veri Dei, sed religio Dei alieni, abominatio, & contaminatio sanctificationis domini.* Sic ibi.

D. Zeno. Anastas. Malac. 1. Rup.

§. XIII.

Hæc hostis nostri cura vt arma salutis nostræ nostram conuertat in perniciem.

AEDIFICATI Altaris à Rubenitis occasione vniuersi Israelitæ accinguntur in prælium, quo se mutuo cõficiant. Quippè ait: *Quod cum audissent filij Israel, & ad eos certi nuntij detulissent ædificasse filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse altare in terram Chanaam super Iordanis tumulos contra filios Israel, conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent cõtra eos.* Quis ibi ignoret cruentissimi Dæmonis artes, vt implacabilia seminaret inter frates desidia, & bella accenderet, quæ nisi multo Israelitarum sanguine possent extingui? Propterea ad altare sancte, & religiose à Rubenitis structum confugit, & religiosum altare specie irreligiositatis facit esse bellorum incentiuum. Sic solet malus quæ salutis nostræ arma sunt, & quibus ipse maximè feritur, in nostram retorquere pernitiem. Matth. 4. sic tentator dicebat ad Iesum: *Mitte te deorsum; scriptum est enim, Quod angelis suis mandauit de te, &c.* Non solum audet belligerare cum Dei filio, sed vt illum trahat in ruinam ad Verbum Dei confugit in sacra exaratum scriptura, aiẽs: *Scriptum est enim, Quod Angelis suis, &c.* Et cur pessime ad sacram confugis scripturã? Defecerant ne tibi tela alia, quæ iaceres in Iesum? Cur mauis de sacris telum acuere? Se paulò antea viderat percussum sacræ scripturæ testimonio dicentis, *Non solo pane viuit homo, &c.* inde astutus amat ipsa sacramenta scripturæ in nostram conuertere perniciem. Ait D. Chrysost. hom. 5. ex varijs in Matth. *O nefanda artis astutia! Qui viderat se à Domino, responso legis fuisse percussum, iam non tantum nequitiæ suæ armis vtitur, in quibus inutilis repertus est; sed & ipse legis testimonium mutuatur. Et inde tentat vincere, vnde dolet se fuisse iam victum.* Hæc est tota Dæmonis astutia; vt se altaris sacramentis gemit victum, eo tendit, vt altaria ipsa faciat multis scandalo esse, qui erãt in rui-

Matt. 4.

D. Chrys.

in ruinam. Quia diuinæ ſcripturæ telis cõfoſſus eſt; quot ſchiſmata, quot pernicies invexit abutens ſcriptura? Nihil illi magis cordi eſt, quam ſi ſacramenta ſalutis retorqueat in ruinam. Hinc Zachar. 3. ait: *Et oſtendit mihi Ieſum Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo domini, & Satan ſtabat à dextris eius, &c.* Mirabar diabolum eſſe à dextris Ieſu, & non magis eſſe à ſiniſtris, quando in ſiniſtris ei pabula ſuppetunt. Et cur in dextris? Ait Rup. ibi: *Videlicet hoc intendens, vt de dextris faciat ſiniſtra, vt peruerteret, quæ dixerat, quæ facerat bona.* Nil ſic cupit Satan, quam vt de dexteris tela contorqueat, quibus nos mittat in ſiniſtram. Et quantus dolor eſt, quod de ſalutis remedijs venena nobis hoſtis extorqueat? Pſal. 136. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur Sion. In ſalicibus, in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion, &c.* Flebant illi, & maximè dolebant, quando petentibus hoſtibus cantare tenebantur Hymnum de Sion. Et quanta hęc cauſa fletus, & doloris? Equidem magnus dolor erat, quod nefariſsimus hoſtis ſibi delicias pararet, ex canticis illis, quibus Iſraelitæ mulcere Deum ſolebant. Ait Nicetas Epiſcop. Daciæ.

Zach. 3. *Rupert.* *Pſal. 136*

Namque dabat nobis durum grauis ira dolorem
Quod ſolita in Sancto de promi cantica templo
Hæc ad delicias ſibi nos cantare iubebat
Impius ille, domo, qui nos abduxerat, hoſtis.
Heu male de noſtro latis mœrore canemus?
Deque pio ritu luxum faciemus iniquum
Myſtica ad hoſtilem modulantes cantica lurdum?

Hinc dolor, hinc gemitus, hinc fletus; quod hoſtis peſtifer, quæ ſancta, & pia in nobis erant, ea retorqueat ad ſuas delicias; & velit gaudere in ijs, quæ habueramus nos ad ruinam illius. Vtinam & nos diſcamus artem iſtam, & de peccato damnemus peccatum; vt ille de virtutibus amat damnare virtutes.

Ioſue cap. 22. Et interim miſerunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis, & decem principes cum eo, ſingulos de ſingulis tribubus. Qui venerunt ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe in terram Galaad, dixeruntque ad eos. Hæc mandat omnis populus domini: Quæ eſt iſta tranſgreſsio? Cur reliquiſtis dominum Deum Iſrael ædificantes altare ſacrilegum, & à cultu illius recedentes? &c.

§. XIIII.

Humanæ prudentiæ eſt præſtantia, & magna non expectare à paruis.

ATTENTISSIME Exprimitur tantæ legationis dux fuiſſe Phinees filius Eleazari, vir ſapientia, ſanctitate, zelo, atque eloquentia ſpectatiſsimus. Dicit enim: *Et interim miſerunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis, & decem principes, &c.* Hic eſt ille Phinees Dei teſtimonio, & inſigni ſempiterni ſacerdotij munere commendatiſsimus, ex quo fornicantem Iſraelitem cum Madianite trãsfoderat. Nec immerito pro tanto negotio conficiendo tantus eligitur. Supra cap. 18. aiebat Ioſue: *Eligite de ſingulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant, atque circumeant terram, & deſcribant eam, &c.* Ad explorandam, & ſcribendam terram viri triginta mittuntur, nullus tamen inter eos illuſtris, præcellenſque vir nominatur; in præſenti autem præterquam quod de ſingulis etiam tribubus viri mittuntur, etiam præcellentiſsimus, commendatiſsimuſque Phinees nominatur. Et quãdo illic nullus vir nominis exprimitur, cur hic ponitur tantus? Magnum erat duas cũ dimidia tribu de defectione in fide ſuſpectas reprehendere, illaſque in auitam religionem reuocare, in eaque confirmare: magna autem, & in vſitata non à gregalibus, vulgaribuſque hominibus, ſed à magnis, & præcellentiſsimis viris expectanda. Notabat Matth. cap. 1. *Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto.* Ecce vt à virgine concipitur Ieſus, & à virgine paritur. Et cur à virgine potius

Matth. 1.

potius quam à muliere parturiri maluit? Rectè in rem noſtram aiebat Ruſticus Helpidius de Chriſti beneficijs canens.

Virginitas fœcunda tulit, partuque pudico
Expletum eſt pietatis opus, nec enim ederet ortum
Vulgaris natura nouum.

Quid pulchrius? Expende illud: *Nec enim ederet ortum vulgaris natura nouum*; de vulgaribus, gregalibuſque nil magnum, nil ſingulare, & præcipuum expectandum nobis communiter eſt. Sed ad magna, & præclara magni, & præclari eligendi ſunt. Scio de rudibus piſcatoribus electos eſſe à Ieſu, qui conuertant mundum, ait enim Matth. 4. *Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis, Venite poſt me, &c.* Hos elegit Ieſus, qui mundũ conuertant; at Actor. 1. vbi conueniunt Apoſtoli, vt pro Iuda perdito vnum alium in ſortem apoſtolatus ſibi adſciſcant; *Cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum vndecim*, de quo Matth. locutus D. Antoninus in prima parte titul. 6. cap. 15. ait fuiſſe doctiſsimum, diſſertiſsimumque in euoluendis diuinis ſcripturis. Et quando Apoſtoli de rudibus, & ſimplicibus piſcatoribus eligebantur à Ieſu, cur eligendus pro Iuda eligitur ſapientiſsimus, diſſertiſsimuſque? In vtroque oſtendebat Dominus, quam nunquam debeant magna expectaria minimis; volens enim oſtendere conuerſionem mundi non veniſſe ab humana potentia, eligit eos, qui & ruditate, & ſimplicitate ſua teſtentur non in ſe, ſed in omnipotenti aliqua virtute tantum opus fundatum fuiſſe. Rurſus oſtendere volens, qui regulariter ad magna quærendi ſint, oſtendit doctiſsimum, & diſſertiſsimum, qui eligatur in orbis magiſtrum. Pro quo aiebat D. Antoninus part. 1. titul. 6. cap. 2. *Elegerunt duos ex Septuaginta, videlicet Ioſeph, qui vocabatur Barnabas, cognominatus Iuſtus, & Matthiam in lege eruditiſsimum. Quodſi dominus elegerit Apoſtolos ſimplices, & illiteratos, ne ſcilicet conuerſio mundi per prædicationem illorum attribueretur humanæ induſtriæ, ſed virtuti diuinæ, voluit tamen ab Apoſtolis aſſumi Matthiam in lege eruditum, ad inſinuandũ poſteris, quod periti, & non idiotæ ſunt aſſumendi, &c.* Nuſquam Deus non amat oſtendere, quod magna non fiant per minima; & quod ſtultiſsimus ſit, qui neſciens magnam cauſam adhibere ſperat effectus præſtantiſsimos. Hinc ridendi ſunt, qui de leuibus diligentijs, ineptiſque miniſtris prætendit præclara educere; quæ nunquam procedunt niſi à magna, clariſsimaque virtute. Aiebat Dominus Iſaiæ, cap. 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet: Vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ, &c.* Vt firmet Deus conſilium ſuum, & voluntatem ſuam de magnificandis ſuis fidelibus, de proſperandis aſſeclis ſuis, vide, quid præſtiterit, nimirum ait: *Vocans ab Oriente auem, &c.* Quid auis Orientalis ad tam magnifica præſtanda? An fundatur in præſenti ethnica opinio de dextris, ſiniſtris ve auium volatibus ſpectandis? Nonne erat ridicula Romanorum ſuperſtitio, quæ in auium ſiue volatu, ſiue occinio præclara ducum ponebat facinora? Et ſi auis dextra, ſiue orientalis clariſsimas victorias præſtabat; ad quid Deum auem orientalem habens, adhuc addit dicens; *& de terra longinqua virum, &c.* Ad quid vir requiritur, vbi auis orientalis auolat? Abſit à Deo, abſit à ſano capite, quod in auis volatu, & non potius in ſtrenuis, & electis viris præclara conſtituantur facinora. Non enim magna vnquam venerunt niſi de magnis, & præſtantiſsimis. Pulchre ex hoc ridebat Romanam prudentiam Aurelius Prudentius lib. 2. contra Symach. aiens:

Fœlix auſpex ales.
Quid ſibi vult virtus? Quid gloria? Si Coruinum
Coruus Appollineus penna, vel gutture inuit?

Exaltabatur maximè Coruinorum gens, quod ruens in prælium coruus dexter auolarit, & occinuerit; cui volatui, & occinui tribuebant ingentem victoriam. Cur ergo de virtute, & gloria exaltabantur, ſi tota facinoris proſperitas, non ab eorum dextris, ſed adextro corui venit volatu? Sanè ſtultiſsimi hi, dum in ijs inanibus, & leuibus coſtituebant cauſas victoriarum; ſimul & ducum dexteritatem, & militarem valorem, virtutemque condemnabant, tanquam res minine ſpectandas, ſed prorſus inanes. In quam ſtultitiam ſimul veniunt, qui de quolibet ligno (vt ſic dicant) Mercurios faciunt, hoc eſt, qui quemlibet, vel amicum, vel affectum ad præfecturas, ad cathedras & honores promouent. Sanè ſi vel corui penna, vel guttur ſufficit ad cauſas agitandas, ad bella conficienda, ad Rempublicam moderandam, quid ſibi vult virtus? Quid gloria? Inſcienter ab initio

Matth. 4.

Actor. 1.

D. Ant.

Iſaiæ, 45.

initio quæsiti sunt strenui duces, sapientes ministri, dissertissimi iudices: inscienter extolluntur ab historicis cantatissimi Imperatores, duces, Præfecti, ob præclara facta, quæ eodem modo à muribus, & coruis expectantur.

§. XV.

Præstantis principis est se alienare à iudicio imperitæ multitudinis.

NON Prætereundum est, vt sese gerit Phinees & sotij principes in alloquendis Rubenitis, quippè de illis ait textus: *Qui venerunt ad filios Ruben: dixeruntque ad eos: Hæc mandat omnis populus domini: Quæ est ista transgressio?* Antequã verba promant, vniuersum populum loquentem talia præmittunt; quasi illa non à se, sed à populo fuerint dicta. De alijs nuntijs missis à populo dicit Iudicum, cap. 20. *Et miserunt nuntios ad omnem tribũ Beniamin, qui dicerent, cur tantum nefas in vobis repertum est?* In vtroque nuntio correctio fratrum exquirebatur, sed in hoc, non præmittitur illud à nuntijs nimirum: *Vniuersus populus dicit*; quod in suo nuntio præmisit Phinees, & sotij principes. Et quando missi ad Beniamin corrigendum, non refugiũt se authores correctionis illius ostendere, nec illam multitudini tribuunt, sed sic locuntur, quasi & ipsi ex se corrigerent; cur & Phinees, & sotij non similiter locuntur? Cur maluerunt Phinees & sotij multitudinem potius præmittere loquentem, quam se ipsos? Qui agebant cum Beniaminitis, agebant de crimine eorum comperto, & apertissimo, & ideò non detrectant illos per se obiurgare, & corrigere; vernm Phinees, & sotij eius principes non agunt de crimine Rubenitarum comperto, sed de eo, quod populari murmure agitabatur, ideò boni principes præmittentes populare iudicium, nihil ex sua sententia dicunt, sed se quasi alienos ab illa obiurgatione ostendunt, dum aiunt: *Hæc mandat omnis populus domini.* Nec immeriro, præstantis enim principis est, se ostendere alienum à iudicio imperitæ multitudinis, quod qui sequitur, raro non errat, siue priuatus siue princeps. Ioan. cap. 18. narrans, vt Iesus meus comprehendebatur ab impijs, ait: *Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus.* Mirabar, quod vacaret Ioanni inter tot tantaque diuinæ patientiæ facinora meminisse nomen seruuli percusi, quod nullus alius fecit Euangelista. Imò Marcus, cap. 14. memorans eum, qui relicta sindone fugit, non meminit nomen eius, solum dicit: *Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone nudus profugit.* Et cum cum Marcus præterit nomen huius adolescentis; ad maiora festinans; & omnes Euangelistæ præterierunt nomen serui percusi eadem ratione, solus Ioannes notanter illud voluit exprimere dicens: *Erat autem nomen seruo Malchus?* Malchus idem sonat, ac rex, & ostendebantur ibi reges, principesque ad seruilem conditionem venire ex auditu exposito imperitæ multitudini. Ait Theophil. Anthiochenus lib. 1. Allegor. in Euang. *Is autem, cui ablata est auricula, Malchus dicebatur, id est, rex quondam populi Iudæorum, seruus factus impietatis Iudaicæ, qui ideò perdidit dexteræ auris auditum, quia totam libere ciuitatem audire consueuerat per fenestram.* Ecce tibi ex sanctissimi Patris sententia, vnde Iudæorum princeps, & rex in miseram deuenit seruitutem, qua nihil dextrum, nihil salutare audiret; nimirum ex eo, quod consueuerat toti ciuitati, vniuerso populo, imperitæ multitudini aures præbere, & iuxta illius iudicium sentire. O quam seruile hoc, & indecorum, imò, & lethale regibus, principibus; qui serui fiunt, & abiectissimi ex quo iudicio populari feruntur; vt serui se supra reges extollunt, cum populi corrigunt errantia iudicia. Seruiebat Daniel Babylone, qui videns Susannam honestissimam fœminam à popularibus suis duci in supplicium, sese prorsus alienum clamabat à tali iudicio, cap. 13. *Et conuersus omnis populus ad eum dixit, &c.* Quantus hic seruulus, qui damnans populare iudicium, omnem populum traxit in bonam frugem? Ait Diu. August. serm. 118. de Tempore: *Daniel ergo melius, quam Pilatus. Ille peccantis populi reuocauit errorem: hic autem furentis Synagogæ sacrilegium confirmauit.* Princeps erat Pilatus Ierosolymis; seruus erat Daniel Babylone; at

Iudic. 20.

Ioan. 18.

Marc. 14.

The. An.

D. Aug.

seruus hic longe clarior, & præstantior, & fœlicior rege, & principe illo; quia Daniel tantum abfuit, quod multitudinis iudicio ferretur, quin potius ipse ad se traxit multitudinem; Pilatus autem misere se tradens clamoribus populi, eius sacrilegijs subscripsit, & sese perdidit, & illum. Hinc monebat dominus Exod. 23. *Non susscipias vocem mendacy:: Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in iudicio plurimorũ acquiesces sententia, vt a vero deuies.* Sanè stultissima est, & erronea vox, quæ nullum aliud habet fundamentum, quam vulgi linguas. Quare dicebat Seneca de vita beata, cap. 2. *Nullares maioribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur; optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt. Nec ad rationem viuimus.* Illa dicebantur à Deo, hæc ab homine gentili; vt videas, quam turpe sit viuere rumoribus, iudicijs ve vulgi.

Exod. 23.

Seneca.

Iosue cap. 22. Cur reliquistis Dominum Deum Israel, ædificantes altare sacrilegum, & a cultu illius recedentes? An parũ vobis est, quod peccastis in Belphegor, & vsque in præsentem diem macula huius sceleris in nobis permanet? Multique de populo corruerunt, &c.

§. XVI.

Quæ semel te Deo iunxerunt opera, nunquam dimittenda.

MERITO Phinees obijcit Rubenitis, quod aliud altare erexissent, cum in Silo verum Deo altare sacratum relinquerent; ait enim: *Cur reliquistis Deum Israel, ædificantes altare sacrilegum?* Qui enim altare Deo dicatum in Silo habebant, cui se non semel prosternerant; & in quo assueuerant Deo sacrificare, cur sacrilego altari imponerent manus? Debent sanè minime stulti viri in ijs semper esse, quibus semel in Dei causa fœliciter applicuere manus. Hinc D. Cyprian. lib. de lapsis extollit validissimos Christi athletas fatus: *Religiosa vox Christum locuta est, in quem se semel credidisse confessa est. Illustres manus, quæ non nisi diuinis operibus assuenerant, sacrificys sacrilegis restiterunt. Sanctificata ora cœlestibus cibis post corpus, & sanguinem domini profana contagia, & idolorum reliquias respuerunt.* Nec manus, nec ora, nec vox vt abirent ad mala, defecerunt à Christo, quem semel attigerant, & cui se semel sacrarant. Quando per vocis confessionem, per operis exhibitionem, per corporis, sanguinisque diuini esum se Christo adiunxerant, sic illi hæserunt, vt quasi nequiret aliud lingua sonare, nec manus, nec ora profanum aliud tangere. Hinc Luc. 7. de Magdalena accedente ad Iesum dicit: *Stans retro secus pedes eius lachrymis cæpit rigare pedes eius.* Hoc primum audis de Magdalena accedente ad pedes Iesu, quod accesit rigans illos lachrymis. Sed & Ioan. 20. post inuentum sepulchrum vacuatum corpore Iesu etiam lachrymis instabat. Dicit enim: *Maria stabat ad monumentum foris plorans*; & interrogata de causa lachrymarum respondit, *Quia tulerunt dominum meum.* Ablatum à sepulchro dominum requirit, & plorat. Apud Lucam præsentem Iesum lachrymis rigabat; modo quando ei aufertur Iesus, adhuc instat lachymis. Cur non magis in Iesu absentia cessat à lachrymis, quas in Iesu præsentia effundere cæperat? Vbi per lachrymas cæpit Deo appropinquare, sic lachrymas amat, vt licèt possint corporalem Iesu præsentiam auferre illi, non possunt illi lachrymas auferre, quibus appropinquare Deo cæperat. Ait Drogo Hostiensis lib. de Sacram. Pass. *Stabat, inquit, plorans. Id solum de te residebat, corpus erat sublatum, sed quis auferat ei ploratum?* Nullo planè modo ei ploratus auferetur, vt enim per ploratum primo ad Deum accesit, sic ploratui adhesit, vt ægre, & difficulter à lacrymis desistere vellet. Ebibat vtinam hanc mentem homo fidelis, & sic afficiatur ad opera, quibus semel ad Deum accesit, vt nequeat sine illis videri. Ab alijs licet dimoueatur operibus; ab illis tamen per quæ primo Deum tenuit, nullo modo permittat se dimoueri.

D. Cypr.

Luc. 7.

Dro. Ho.

(t)

§. XVII.

§. XVII.

Sic homo rapitur ad honorem, vt vel lapis ſi in honore ſit, Deus illi habeatur viuidiſsimus.

EX Simplici altaris conſtructione putantur Rubenitæ rei idololatriæ, qua lapides colant, & ligna. Dicitur enim illis: *Cur de reliquiſtis Dominum Deum ædificantes altare ſacrilegum?* In Hebræo habetur; *ædificantes altare ad deficiendum*, ſiue, *ad apoſtatandum à Deo.* Equidem vt ait Ioſephus lib. 5. cap. 4. *Cum altare ſtructum ſcirent, putabant eos nouata religione alienorum numinum cultum velle introducere.* Sed cur timeant lapidum, lignorum ve adorationem introducendam ex eo ſolum, quod illis altare erigi videant? Quis timeat lapidem habendum numen, etiam ſi in mille altaribus conſiſtat? Crede mihi; tantus eſt hominum affectus ad honorem, vt ſi vel lapis, vel lignum in honore ſit, & in altaris ſublimitate appareat, ſtatim ſe faciat credi Deum viuidiſsimum. Pſal. 113. *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & nõ audient, nares habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt.* Cum certiſsime aſſeruiſſet idola gentium ærea eſſe, mirabar quod tantus ſit, in explicando, vt non videant oculis, nec palpent manibus, nec pedibus ambulent, nec ore loquantur. Quis hæc de argentea, ſiue lapidea ſtatua crederet? Cur ergo in ijs perſuadendis tempus inſummit? Et ſi euidentiſsimum ſit, quod inanimatæ ſtatuæ omnibus ijs careant; tamen tantus eſt hominis circa honores affectus, vt ex quo illæ honoratæ in altaribus appareant, viuidiſsima numina poſſent reputari, niſi cœlum frequentibus vocibus earum clamet inſenſibilitatem. Ait D. Auguſt. epiſt. 49. *Idola quidem omni ſenſu carere, quis dubitet? Veruntamen cum ijs locantur ſedibus, honorabili ſublimitate, vt à precantibus, atque immolantibus attendantur; ipſa ſimilitudine animatorum membrorum, atque ſenſuum, quamuis inſenſata, & exanimata efficiunt infirmos animos, vt viuere, ac ſpirare videantur, accedente præſertim veneratione multitudinis. Quibus morbidis affectionibus medetur ſcriptura, quæ rem quidem notam, ſed tamen ſalubriter medio ad monitionis inculcat dicens: Oculos habent, & non vident, &c.* Tantum valet apud infirma hominum corda honor exhibitus, vel lapidi, vt inde & vitam, & numen habere credatur; vt indigeant frequentibus admonitionibus, ne putent ligneas, & lapideas ſtatuas videre, loqui, ambulare, & quidquid magnum ſupra homines poſſe facere. Sic honoris æſtimatio humanas mentes afficit. Ierem. cap. 2. *Ipſi & reges eorum, principes, & Sacerdotes, & prophetæ eorum, dicentes ligno, Pater meus es tu; & lapidi, Tu me genuiſti.* Quis talia crederet? Et vnde lapis, aut lignum in tantam ſtultitiam trahere potuit mentem humanã, vt illi & Deus, & creator appareat? Ex eo preciſſe, quod in aliqua honoris ſublimitate appareat. Accipite Minutium Felicẽ in Octauio: *Quando igitur hic naſcitur? Ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur, nondum Deus eſt. Ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur, nec adhuc Deus eſt. Ecce ornatur, conſecratur, oratur; tunc poſtremo Deus eſt.* Pulcherrime explicuit vir doctus ligneorum Deorum natales. Dũ enim lignum ſub artificis manu ſcalpitur, dolatur, conſtruitur, lignum eſt, nõ Deus. Cum autem in altari ponitur, ibique adornatur, multiſque honoratur, tunc poſtremo Deus eſt, ex quo in honore cæpit ſe demonſtrare. Nihil enim non ſperabunt homines ab eo, quem vidĕt honoribus celebrari. Hinc aiebat dominus Ioan. 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum. Hoc autem dicebat, ſignificans, qua morte eſſet moriturus.* Significabat, vt exaltandus erat, & eleuandus à terra in lignea cruce; & tunc ad ſe humanas mentes rapiendas, & trahendas aſſerit. Sed qualiter fieri poterit, vt crux lignea, quæ maximo erat & ſcandalo, & terrori hominibus, ſic illos afficeret, vt ad ſe raperet cunctos? Ex quo lignea crux ornata apparuit, & honorata membris diuinis, iam non horrori, ſed amori, & ſaluti hominibus fuit. Vt dicat Sedul. lib. 4. Paſchal.

Pax crucis ipſe fuit, violentaque robora membris.
Illuſtrat proprijs, pœnam veſtiuit honore;
Suppliciumque dedit ſignum magis eſſe ſalutis.

Veſtitum ergo honore fuit crucis lignum; & inde ad illum euolarunt homines ſperantes ab eius brachijs ſalutem. Maximus enim eſt honor humanorum pectorum illex. Hinc Matth. 3. *Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua*, qui enim homines vocaturus veniebat ad baptiſ-

Pſal. 113

Ierem. 2.

Ioan. 12.

P. Auſt.

mum, honorare voluit baptiſmum, vt gratius acciperetur ab hominibus. Ait Diu. Cyril. Ieroſol. catech. 3. *Baptizatus eſt Ieſus, vt per eius participationem, nos deinceps vna cum ſalute honorem conſequamur.* Honorauit aquas ſua præſentia dominus, vt de honore aliqualem illicem faceret, homines traheret. D. Cyr.

§. XVIII.

Diſcrimen, periculumque vitæ ob oculos poſitum efficax, vt faciat fugere, vel ab vmbra peccati.

EFFICACISSIMVM Adornat monitum Phinees, ingentem Dei iram, & vindictam interminando, quæ in ſimilibus reis fuerat monſtrata, dicit namque: *Multi de populo corruerunt, &c.* Inſuper addit ſupplicium Achami, nequis audeat in ſimili crimine cõmorari. Quis enim videns vitæ diſcrimen, ingenſque periculum imminere, non fugiat, vel vmbrã peccati? Gen. cap. 8. poſt hominum genus diluuio abſumptum ait text. *Egreſſus eſt ergo Noe, & filij eius, & vxor illius, & vxores filiorum eius.* Expende, vt ſeorſim viri, & ſeorſim fœminæ egrediebãtur de arca. Sed fœminæ vxores erãt illorum virorum; cur ergo viri ſe ab vxoribus ſeparant? Cur nõ magis quiſque cum vxore ſua egrediebatur? Inſtante Sodomorum ſupplicio Gen. 18. monebant Angeli Lothum: *Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, &c.* Non iubetur, quod exeat à fœminis ſeparatus, ſed medius inter fœminas, inter vxorem, & filias, permittitur egredi ciuitatem. Et cur Loth medius inter fœminas ciuitatem relinquat, & Noe non audeat egredi ex arca, niſi ab vxore, & filiabus ſeparatus? Loth non dum viderat laſciuientium Sodomorum ſupplicium, Noe autem & filij eius præ oculis habebant totius generis humani laſciuientis cadauera, quæ ob oculos poſita maxime illos ab ipſa laſciuiæ vmbræ auocabant. Aiebat adhæc D. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 69. *Seiungimini, inquit, viri primatim, & vxores priuatim. Per illatas aquas, & laſciuia ſupplitio mulctabatur. Vos igitur nec labis quidem, ac maculæ expers cubile attingetis.* Adeò affici debebant ſupplicio viſo laſciuorum, vt & vellent fugere honeſtam, & licitam coniugij voluptatem. Nec mirum eſt, quod ob viſum vitæ diſcrimen fugias, vel vmbram peccati; quã dofunt, qui non ſolum fugiant, ſed duriſſima quæque amplectantur, vt illud euadãt. Nox erat valde frigida, quãdo Ieſus meus à Iudæis ligatus ab horto in ciuitatem ferebatur. Mar. 14. *Adoleſcens autem ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eũ. At ille relicta ſindone nudus profugit ab eis.* Cãtatiſsimus ille Ioſephs dũ ab adultera tenebatur Gen. 39. *Relicto in manu eius pallio fugit*; reliquit Ioſeph palliũ, ſed manebant illi aliæ veſtes, quibus opertus fugiebat. At adoleſcens hic nullas præter ſindonem veſtes habebat, & nihilominus ſindone nudus profugit. Cur non magis & nuditatem, & hyemem veretur? Ait Drogo Hoſtienſ. lib de Sacram. Paſſ. *Non dormiuit adoleſcens, quando tenuerunt eum, & relicta ſindone fugiebat nudus, Et tamen frigus erat, quia ſtabat Petrus, & calefaciebat ſe. Magnitudo periculi & frigus, & famem facit obliuiſci.* Vbi periculum magnum oculis cernebatur, & nuditas, imò & fames contemnitur. Quando enim Petrus veſtitus propter dimittendum frigus calefaciebat ſe; hic adoleſcens nudus toti ſe frigoris rigori credit, ne laqueos incurrat, quos iam ſenſerat. O ſi imminentia nobis pericula videremus, fallar, niſi & frigora, & nuditates, & fames auide amplecteremur, vt illa euadere poſſemus. Mar. 14. Geneſ. 39. Dr. Hoſt.

Ioſue cap. 22. Reſponderunt filij Ruben, & Gad & dimidia tribus Manaſſe principibus legationis Iſrael; Fortiſsimus Deus dominus, Fortiſsimus Deus dominus, ipſe nouit, & Iſrael ſimul intelliget; ſi præuaricationis animo hoc altare conſtruximus, nõ cuſtodiat nos, ſed puniat nos in præſenti, &c.

§. XIX.

Tota fortitudo hominis in Dei adiutorio, & cuſtodia.

FORTISSIMVM Deum ſemel, & bis in præſenti nominant Rubeni-

Gen. 8.

Gen. 18.

Iſid. Pel.

tæ dicentes: *Fortissimus Deus Dominus, Fortissimus Deus dominus*; nec otiose fortissimũ appellant relictis alijs nominibus, sed vt ostendant, per hanc imprecationem, quantę se infirmitati deuoueant, quando custodiam, & adiutorium Dei à se depellunt, in quo consistit tota fortitudo hominũ. Conflatur equidem tota humana fortitudo ex Dei adiutorio. Post magnam Philistinorum
1 *Reg.* 7. stragem ab Israelitis peractam 1. Reg. 7. ait textus: *Tulitque Samuel lapidem vnũ, & posuit eum inter Masphath, & inter Seu, & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij. Dixitque: Huc vsque auxiliatus est nobis dominus.* Iosephus lib. 6. cap. 2. legit: *Appellauit eum Fortem*: Quem noster vocat lapidem adiutorij; propter adiutorium præstitum à domino, Iosephus vocat Fortem, vt credatur tota fortitudo nostra consistere in Dei adiutorio. Vnde ex Iosepho ait Glossa ibi: *Lapidem fixit velut terminum victoriæ, & hostium fugæ, eumque lapidem fortitudinẽ appellauit, qui Hebræis signum esset diuini solatij contra hostes adhibiti.* Merito, qui lapis signum erat adiutorij exhibiti à Deo Israelitis, vocatur fortitudo; in nullo enim magis nostra consistit fortitudo quam in Dei tutela, & auxilio: De puerulo Samsone di-
Iudic. 13 cit Iudic. cap. 13. *Creuitque puer, & benedixit ei dominus; cæpitque Spiritus domini esse cum eo in castris Dan.* Amb. in Prologo lib. 2. de Spir. Sanct. legit: *Cæpit Spiritus domini comitari cum eo.* Ex quo Chaldæus Paraphr. ait: *Cæpit Spiritus fortitudinis domini roborare eum*; nec miror, quod vbi puerulus habebat comitem Dei Spiritum sibi fauẽtem, auxiliantemque, eam ebiberet fortitudinem, qua à nullo valeret superari. Tota enim fortitudo hominis de Deo comite, &
Psal. 22. auxiliatore nascitur. Hinc clamabat ad Deum Dauid Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum.* Quod sunt dapes ad vires humanas sustentandas, roburque corporis augendum, id est Deus, à cuius auxilio, & vires vniuersæ, & fortitudo manat. Vt sapienter ibi canat Drepanius Florus:

Tu mihi delicias, tu mẽsam epulasque parasti.
Queis satur inuictas adipiscar pectore vires
Aduersasque acies pulchro certamine vincã:
Vt mihi post validos purpurea victricis agones
Lætitia largo caput aspergatur oliuo.

Equidẽ de Dei instructa nobis mensa inuictæ nobis vires ingenerantur, & id robur, & fortitudo, quibus facile hostiles vniuersos incursus deuincamus.

§. XX.

Veræ religioni Studentes, hærentesque maximè implet fortitudo ex Deo.

ET Re, & ratione ostendunt Rubenitæ, quam firmiter adhæreant religioni auitæ, dum respondentes accusatoribus suis illa proferunt verba nimirum: *Fortissimus Deus dominus, fortissimus Deus dominus, ipse nouit, & Israel intelliget, si præuaricationis animo, &c.* Vt animum minime alienum à fide Israelis ostendant, semel & bis compellant Deum fortissimum, & cur toties fortissimum Deum replicant? Quæ illos implebat ex Deo fortitudo cogebat homines nihil magis sentire, quam fortitudinẽ in Deo: quo maximè testabantur suũ studium conseruandæ religionis auitæ. Simul enim & pene inseparabiliter gradiuntur, & vera religio, & fortitudo. Deuth. 32 *Deuth.* 32. ex lectione græca habes hæc verba: *Lætamini gentes cũ populo eius. Et fortes faciant in ipso omnes filij Dei.* Dixerat Vulgata nostra illud solum: *Laudate gentes populum eius.* At Græcus addidit, & illa: *Et fortes faciant in ipso omnes filij Dei*: Nec immerito, vbi enim exprimebantur gentes vnitæ Dei populo, cum illoque lætari, & iubilare sub eadem religione, & fide; quasi iure exquiritur ab angelica militia, vt fortitudinẽ illis indant, vt fortes faciant, quoscumque fideles viderint. Aiebat Seuerus Antioch. in cat. Græca: *Dictum est Hebræis scribente diuino Paulo, Nonne omnes sunt Spiritus ministerij in administrationẽ missi propter eos, qui futuri sunt hæredes salutis? Dixit & diuinus Dauid, Immittit angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Fortes igitur facite eos, qui ad suum auctorem accedunt, & tanquam conseruos honorate.* Hoc sit Angelorum munus fortitudine implere eos, qui ad Deum accedũt, ne sit, qui in veri Dei fide persistat, quin simul in magnum fortitudinis aumentum deueniat. Iudic. cap. 6. meminerat Ge- *Iudic.* 6. deon Dei magnalia dicens: *Si dominus nobiscum cur apprehẽderunt nos hæc omnia? Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atque dixerunt; de Ægypto eduxit nos dominus?* Ad quem statim: *Respexitque ad eum dominus, & ait, vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel, &c.* Videt mirabilia Dei prædicantem, & iubet hominem ire *in hac fortitudine.* In qua fortitudine? Siue, quæ fortitudo tunc in Gedeone ostende-

batur, in qua posset ire aduersus hostes? Si hominem aspicias purgantem frumenta, vt fugeret Madiã, potius infirmitas, & imbecillitas eius apparebat. Quæ ergo fortitudo visebatur in fugituro? Ex quo auditus fuit Gedeon mirabilia Dei patrum suorum recolere, firmiterque ei adhærere; hæc eius fides, & memoria Dei tantam fortitudinem hallare cæpit, vt merito in illa hostes victurus videretur. Ait Theodor. quæst. 12. *Theod.* *Quoniam ergo memor erat mirabilium Dei, firmamque de Deo tenebat opinionem, meruit audire ab Angelo: Proficiscere in robore fidei huius, & vinces.* Firmam, constantemque de Deo opinionem, aut fidem, quam tunc verbis exprimebat Gedeon, fortitudinem vocat; quasi nequeas Deo fidelis esse, & in multa fortitudine non esse, qua hostes perimas. Eo etiam accedens Caietanus ait: *Non dixit, vade in fortitudine tua, sed adiungit pronomen, ista; ad insinuandum, quod de fortitudine fiduciæ in Deo, de fortitudine Gedeonis innixa Deo, loquitur. Professus enim erat Gedeon a Deo fuisse salutem patrum; in hac ergo fortitudine liberaturus dicitur Israel.* Quantum tibi fuerit veræ fidei, & religionis, qua firmus Deo adhæreas, eiusque prædices magnalia; tantum in te fortitudinis exurget, quo inexpugnabilis appareas. O quam fortis Deus pro te stabit, ò quantam fortitudinem ex Deo ebibes, vbi in te fides, religioque vera inuenit stabilimentum. Dicitur 4. Reg. 16. *Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israel in Ierusalem ad præliandum. Cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eũ.* Armis, & robore exercitus maiores erant ij duo reges, quam qui ab Achaz possent sustineri, & tamen Achaz præualuit aduersus eos. Et vnde præualuit Achaz? Ait Angelomus in præsenti: *Non potuerunt Ierusalem debellare, quia auxiliatus est ei dominus, vt sub occasione misericordiæ, qua populum obsessum liberauit, filium suum nuntiaret de virgine nasciturum, sicut Isaiæ propheta liber commemorat.* Felix populus, qui vel occasionem dat fidei diuinæ stabiliendæ, enuntiationi euangelicæ; sic fortem pro se Deum exhibebit, vt nullum non perfundat hostilem exercitum. *4. Reg. 16*

§. XXI.

De magna Dei fortitudine venit, quod quis mãsuete iniurias audiat, illisque respondeat.

MERITO In præsenti Rubenitæ acclamant Deum fortissimum dicẽtes: *Fortissimus Deus dominus, fortissimus Deus dominus ipse nouit, & Israel intelliget, si præuaricationis animo, &c.* Equidem quando accusati à Phinee vocabantur desertores auitæ religionis, perduelles aduersus Deum; nec irascebantur in adeò iniurium hominem, sed placide, & mansuete tantæ calumniæ respondebant, in eo maximè ostendebatur fortissimus Deus, qui humanam ferociam sub fræno mansuetudinis contineret. Ait 2. Reg. 16. *Venit ergo Dauid vsque Bahurin: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat. Mittebatque lapides contra Dauid, & cõtra vniuersos seruos regis Dauid: omnis autem populus, & vniuersi bellatores a dextro, & sinistro latere regis incedebant.* Ecce tibi rex ictus militibus, validissimo exercitu medius iniurium homuntionem audit, & sustinet. Vnde hoc? Ait D. Augustin. lib. 22. contra Faustum cap. 66. *Ibi memorabilis humilitas sub flagello Dei, & ceruix regia dominico iugo ita subdita, vt armatus & comitatus armatis amara ex inimici ore conuicia patientissime sustineret.* Merito Dei flegello, & iugo tribuit, quod inter tot conuitia humilis, & subdita appareat ceruix regia. Quis enim nisi potentissimus Deus sub iugo tenebit humanas ceruices, ne inter iniurias recalcitremus? A quo nisi à fortissimo Deo vires ebibemus, vt mansueti, & humiles de iniuriosis hostibus triũphemus? Clamabat ipse Dauid Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant nos.* Quid sibi vult, quod aduersus tribulantes, & iniuriantes paretur nobis mensa, & non potius arma, & non potius tela? Sanè qui se aduersus hostem parat, magis ostenditur gladios, arcum, & tela parare, quã mensam; cur ergo Dauid gaudet magis sibi à Deo parari mensam, quã tela aduersus hostes? Sanè hoc in vna Dei mensa inueniebat, quod eas inde vires acciperet, quibus non sanguinolento, sed mansueto, pacificoque certamine posset hostes substernere, eorum iniurijs minime respondendo. Huc traho etiam Drepanij Flori versus paulò ante alio datos: sic enim ibi canit: *2. Reg. 16* *Psal. 22*

Tu mihi delicias, tu mensam, epulasque parasti
Quèis satiũ inuictas adipiscar pectore vires
Aduersasque acies pulchro certamine vincã.

Equidem de sola potentissimi Dei mensa reficiendas sibi in victas vires expectat, vt pulchro certamine aduersarios vincat. Et

quid

quid eſt pulchro certamine vincere? Dicebat Valerius Maximus: *Specioſius iniuria vincuntur beneficijs, quàm mutui odij pertinacia.* Plane ſpecioſum, & pulchrum certamen eſt, cum manſuetudinem, & patientiam, imò beneficia paras aduerſus iniuriantes, in quo neceſſum habes magnis pol
Pſal. 44. lere viribus: Quo ſpectabat Pſal. 44. *Accingere gladio tuo ſuper fremur tuum potentiſsime. Specie tua & pulchritudine tua, intende proſpere, procede, & regna. Propter veritatem & manſuetudinem tuam, & deducet te mirabiliter dextera tua:* Gladius accingitur ad ſpeciem, & pulchritudinem; ſtringitur ad necem, ad percuſsionem; & vocatur potentiſsimus dominus non ſub ſtricto gladio, ſed ſub gladio accincto. Et cur cum accingendus gladius eſt, non cum ſtringendus; cum proceſſurus eſt pulchro & ſpecioſo certamine, non ſanguinolento; cum deducendus eſt manſuetudine, non ira vocatur potentiſsimus? Sanè nunquam maior oſtenditur potentia, & fortitudo, quam in pulchro, & ſpecioſo certamine ſuſtinendi iniurias per manſuetudinem, & implendi iniuriatores beneficijs.

Ioſue cap. 22. Putauimus itaque melius, & diximus: Extruámus nobis altare, non in holocauſta, neque ad victimas offerendas, ſed in teſtimoniũ inter vos, & nos, & ſobolem noſtram, veſtramque progeniem, vt ſeruiamus domino, &c.

§. XXII.

Fratrum diſsidia nõ ſtant, vbi Chriſti vel vmbra apparet.

VERERANTVR Rubenitæ & ſotij diſsidia oritura inter filios ſuos & aliarum tribus filios, quæ manebant cis Iordanem; & vt Rubenitæ ab illis ſæpius repellendi erant de ſacris; quæ deſsidiorum mala vitantes altare erexerunt in ſignum vnionis, & conformitatis fraternę. Aiunt enim: *Extruamus nobis altare non in holocauſta, neque ad victimas offerendas, ſed teſtimonium inter vos, & nos, &c.* Et cur altare eligitur in ſignum ad fratrum diſsidia tollenda, concordiam, vnanimitatemque firmandam? In altari adumbrabatur Chriſtus, ad cuius vel vmbram fraterna omnia deſsidia cedunt; vnanimitas, conformitaſque veniunt. Matth. 5. *Si ergo offers munus* *Matth. 5.*
tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſus te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Circa quæ verba non inutilis quæſtio agitari poteſt, quã indicabat Paſcaſ. in præſenti. Cum enim multa Deo offeramus etiam ab altari remoti, nimirũ preces, eleemoſynas, gratiarum actiones, & alia huius modi: cur in ijs dum longe ab altari fiunt, ſpecialiter non monemur, vt prius reconciliemur fratribus; & in donis ante altare oblatis ſtatim monemur, ne illa offeramus, quin prius reconciliatio cum fratribus fiat? Ait ſolum; *cum offers munus* *Paſcaſ.*
tuum ante altare, &c. cur etiam non petit, vt id fiat, vbicumque munus offerimus, etiam ſi non ante altare noſtra offerantur munera? Quæſtionem ſapienter diluit Paſcaſ. dicens: *Hæc ſecundum hiſtoriam impleta* *Paſcaſ.*
de cultu religionis non abhorrent, vt fides templum intelligatur, & altare Chriſtus, antequã noſtræ fidei donaria offerimus. Ille quippè eſt illa ſublimis ſanctorum ara coram patris vultu, ſub qua ſanctorum animæ requieſcunt. Vbi ſi recordamur, quod aliquis habeat aliquid aduerſus nos, oportet coram eo munus noſtræ deuotionis relinquere, & quem læſimus ſatisfacere, donec reconciliatis munus offerre liceat. Et quidem quando altare eſt Chriſtus, non miror, quod præcipue ibi moneamur, de fratrũ offenſione tollenda, is enim eſt Chriſtus dominus, cuius vel ad vmbram non liceat accedere cum minima fratris iniuria: Dauid 1. Reg. 24. nactus Saulem in ſpelun
1. Reg. 24. ca; cum facile poſſet hoſtẽ occidere, maluit illi parcere, ſolum particulam chlamydis eius abſcidit, *Poſt hæc percuſsit cor ſuũ Dauid eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Et cur Dauid de tam leui re ſic concutitur? Non enim leuiſsimum erat, quo particulam chlamydis abſcidiſſet, quando & caput impune potuiſſet abſcindere? Cur ergo ſic compungitur in tam leui vulnere? Ait
D. Aug. D. Auguſt. lib. 22. in Fauſtum, cap. 66. *Ibi tam religioſus Dei timor, ſacramentum Chriſti in ſancta vnctione ſeruabat, vt cor eius pia ſolicitudine trepidaret, quando exiguam particulam de veſte ipſius Saulis latenter abſcidit.* Expende illud: *Sacramentum Chriſti in ſancta vnctione ſeruabat;* quippè in eo, quod fuerat à Samuele vnctus, in vnctionis illius oleo totum ſerbabat ſacramentum Chriſti,

da

de cuius vmbra hoc habebat, vt pro particula chlamydis abſciſa trepidaret, nõ enim Chriſtus patitur apud ſe eſſe, qui proximi ſui aliqualẽ offenſam incurrit. Quis enim vel leuiter proximum lædens non trepidat adeſſe, vel vmbræ Chriſtiꝰ

Ioſue cap. 22. Dixitque Phinees filius Eleazari ſacerdos ad eos: Nunc ſcimus, quod nobiſcũ ſit dominus, quoniam alieni eſtis a prævaricatione hac, & liberaſtis filios Iſrael de manu domini. Reuerſuſque eſt cum principibus à filijs Ruben, & Gad de terra Galaad, finium Chanaan ad filios Iſrael, & retulit eis, Placuitque ſermo cunctis audientibus. Et laudauerunt Deum filij Iſrael, & nequaquam vltra dixerunt, vt aſcenderent contra eos, &c.

§. XXIII.

Concordia cum bonis Deum tenet.

VBI Rubenitas, Gaditaſque ſibi videt Phinees in religione conformes, ſtatim ait: *Nunc ſcimus, quod nobiſcum ſit Dominus, quoniam alieni eſtis â prævaricatione hac, &c.* Expende illud: *Nunc ſcimus, &c.* Multa enim antea pro religione facinora ediderant; nam vbi ſuſpectos Rubenitas habuerunt, ſtatim conuolarunt in Silo; ibique de illorum correctione tractarunt, legatos miſerunt, qui deficientes reuocarent, confirmarentque; & interea non dicunt ſe ſcire, quod dominus cũ illis erat. At vbi norunt Rubenitas minime à fratrum religione deſcedere; ſed & in cultu, & alijs conformes prorſus cum cæteris tribubus eſſe, ſtatim aiunt, *Nunc ſcimus, quod nobiſcum ſit dominus*, nec immerito, nã concordia, & vnanimitas eſt, quę maxime Deũ tenet. Luc. 1. ad Ieſu natiuitatem narrandam accedens notat totius orbis pacẽ ſub vno Romano principe ait enim: *Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, &c.* Et fallar, ſi de quo alio principe dici potuit, quod ſic pacatum haberet ſub ſe vniuerſum orbem, vt ſingulos ad tributum ſoluendum deſcribi cogeret. Et vnde tanta quies aduenit Romæ? Sapienter canit Prudentius lib. 2. aduerſus Symachum:

Luc. 1.

Vis dicam, quæ cauſa tuos Romane labores
In tantũ extulerit? Queis gloria forcibus aucta
Sic cluat, impoſitis, vt mũdum frænet habenis?
Diſcordes linguis populis, & diſſona cultu
Regna volens ſociare Deus, ſubiungier vni
Imperio, quidquid tractabile moribus eſſet,
Concordique iugo retinacula mollia ferre
Conſtituit, quo corda hominũ coniuncta teneret
Religionis amor; nec enim ſit copula Chriſto
Digna, niſi implicitas ſociet mens vnica gẽtes:
Sola Deum nouit concordia, ſola benignum
Rite colit trãquilla patrem, placidiſſimus illũ
Fœderis humani conſenſus proſperat orbi.
Seditione fugat, ſæuis exaſperat armis.

Ibat ad pulcherrima multa alia calamus; ſed cogor ponderare illa: *Nec enim ſit copula Chriſto digna, niſi implicitas ſociet mens vnica gentes, &c.* Quippè ſeditio, bellum, diſcordia fugat Deum; vnanimitas, & concordia illi ſedem parat digniſsimam, vt malit apud concordes, & vnanimos viuere. Quo ſpectans Pſalm. 75. ait: *Factus eſt in pace locus eius.* Circa quæ D. Hieron. ait: *Non eſt vmbraculum domini, niſi vbi pax eſt. Vbi zelus, atque diſcordia, ibi non eſt protector Deus. Locus Dei non eſt niſi in anima, quæ pacem habet. Quæ ergo anima pacem non habet, ſciat ſe non eſſe locum Dei.* O quanta eſt pax, & vnanimitas, vt Deum teneat! Habes homo, qua facile ad Deum peruenias, nimirum ſi pacem colas, ſi vnanimitatem in fide ſerues. Dan. 3. tres pueri hebræi immiſsi ſunt in fornacem ardentem; quia nolebant adorare ſtatuam regis babylonici. Ceciderunt ergo pueri in medias flammas: *Angelus autem domini deſcendit cum Aſaria, & ſocijs eius in fornacem, & excluſit flammam ignis de fornace, & fecit mediũ fornacis quaſi ventum roris flantem, non tetigit eos omnino ignis.* Duo facta ſunt mirabilia circa hos pueros; alterum, quod eos ignis non tetigit; alterum, quod Angelus domini illis apparuit in fornace, imò non Angelus, ſed ipſe filius Dei, vt ipſe rex paulò poſt teſtatur aiens: Species quarti ſimilis filio Dei. Et cur tanta hæc accidunt tribus pueris captiuis, immiſsis in flammas? De igne attingente eos ait D. Zeno lib. 2. ſer. 32. *Immiſſis camino pueris æſtuans ignis de tulit, vt eos vnius virtutis eſſe præſenſit.* Nec non & Dei aſsiſtentiam, quaillis apparet in fornacem ſimiliter tribuit vnanimitati eorum in fide fatus ſerm. 34. *Ecce pueri ſacramento muniti*

Pſal. 75.

Dan. 3.

D. Zeno.

tres

tres numero, sed vna virtute, hanhelantibus flammis, camino rugiente nõ lædentur, incensi hymnum canunt, barbarum regem fidei tenacitate confundunt, vindicantur de incensoribus suis, Deum vident, &c. Expẽde ab illis: *Sed vna virtute, &c.* Ab vnanimitate in fide, & virtute eo perueniunt, vt victis flãmis, & hostibus combustis Deum pro se assistere experiantur. Et adhuc serm. 36. fatur: *In cominum missi, vt submersi sunt flammis, statim iniusibili rore incendia temperantur; mors refugiens officium mutat; incensores crematur, incensis hymnum cantantibus flãma blanditur; Deus à creatura benedicitur vniuersa. In tribus vna mens, vna virtus, vnus triumphus exultat.* Inter tot mirabilia, inter quæ Deus apparet, & ab vniuersa creatura celebratur, vna puerorum mens, vna fides, vna virtus triumphum agit. Vt videãt quanta perdant, qui se scindunt à fratribus. Non abest Christus ab eo, qui vnanimitatem cum iustis habet. Matth. 1. *Iacob autem gennit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui dicitur Christus.* Nec vllum latet celebris difficultas, quæ de ijs verbis oritur; quod nimirum Ioseph positus fuerit in genealogia Christi, quando minime ab illo Christus oriebatur. Quod si Ioseph non erat pater Christi, cur in Christi genealogia constituitur? Erat Ioseph Mariæ sponsus, & licet maritalem coniunctionem minime habuerit cum illa, at perfectam vnanimitatem habebat, vnde euenit vt cũ Maria, etiam Iosepho Dei filius obueniret. Ait D. Aug. lib. 23. contra Faustum, cap. 8. *Cogitare enim debemus fieri potuisse, vt & Ioseph maritus Mariæ diceretur habens eã coniugem continenter: non concubitu, sed affectu; non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorũ, ideò non debuisse virum virginis matris Christi separari à serie parentum Christi.* Non potuit negari Christus ei, qui animo copulabatur eius matri Mariæ; vt enim cum tanta matre vnanimus viuebat, sic cum illa recepit Dei filiũ,

Matth. 1.

Aug.

§. XXIIII.

Vnanimis in fide nihil non lætum accidere solet.

VNANIMITATEM, Et concordiam Rubenitarum in religione lætissime acceperunt filij Israel, dicit enim: *Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudauerunt Deum filij Israel, &c.* Sic in lætas acclamationes, & plausus, & diuinas laudes exurgunt Israelitæ, cum trans Iordanis fratres sibi audiunt in religione, & pietate concordare. Nec miror, namque fratres vnanimes in pietate, & fide nihil non lætum nouerunt prægustare. Ex quo Paul. ad Rom. 15. *Deus autem patientiæ, & solatij det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum.* Expende titulos, quibus ornat Deum, cum iubet ab illo vnanimitatem expectari, nimirum ait: *Deus patientiæ, & solatij*; hoc est, iuxta D. Ansel. & Remig. & alios, Deus, qui gaudet cum ijs, qui in patientia sunt, & solatio. Et cor precipue meminit Deum gaudere existentibus in solatio, cum ex illo optat ad nos venire vnanimitatem, in fide, & pietate? Sunt equidem duo hæc maxime conexa; vnanimitates, & solatia; vix enim Deus vnanimitatem suis largitur, quin illos repleat solatijs, vt nihil triste capiant. Aiebat in præsenti Orig. *Vt autem quanta sit vnanimitatis virtus, & quanta gratia clarius fiat; aiebant Hebræi illos filios Core, cum pater eorum peccasset vna cum Dathan, & Abiron, & omnibus, qui consenserunt eis, & diuina vltionis in eos pararetur excidium; istos segregasse se ab actu nefario, & ab impia conspiratione sequestratos, vnanimiter ad Deũ orasse, atque exauditos à Deo, non solum veniam pœnæ, sed & prophetiæ gratiam meruisse. & hoc quoque eis à Deo poscentibus esse præstitum, nequid triste, aut exitiabile prophetare inberentur, & ob hoc omnes psalmos, quicumque nominibus eorum attitulati sunt, nihil triste contra peccatores aut asperum continere. Hoc protulimus, vt quanta sit vnanimitatis virtus magnificentius noscereturr.* De vnanimitate horum fratrum, qua in fide & pietate perseuerabant; obuenit illis, ne perirẽt; sed & nequid vnquam triste mente voluerẽt; sed magis semper canerent gaudia, & victorias. Quo etiam refero illud Dan. 3. vb tres pueri hæbræi in flammantem fornacem missi sunt; sed affuit Angelus, qui flammas frænaret: *Et nec tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quicquam molestia intulit. Tunc hi tres quasi vno ore laudabant, & glorificabant, &c.* Ecce tibi in media fornace nihil triste sentiunt, nihil molestum, aut asperum; sed magis dulciter canunt. Vnde hæc nisi ex fidei vnanimitate? Ait D. Zeno lib. 2. serm. 33. *Credulo percipe corde rem miram Christiane. Hebræi vere tres pueri senum constantia maiores, iuuenum virtute fortiores, sibi pares, Trinitatis sacramento præmuniti, vnitatis vna fide solidi, æqualitate pares, passionis*

Ad Rom. 15.

Orig.

D. Zeno.

paſsionis victoria glorioſi. Qui vbi iactati ſunt in fornacem, hos deuote cupidus ignis ſuſcepit. Mira eſt opacitas intus, incendium foris eſt. In tus hymnus canitur, &c. Vbi pueri tres de Trinitatis myſterio, vnitatis vna fide ſolidi intrant fornacem neſciunt non gaudia, & victorias canere. De vnanimi illorum fide ſtatim triſtitia tormenti explòſa cæperunt illorum labia hymnis, canticis ve læ-tis perſonare.

§. XXV.

Vnanimitas fratrum in fide, & pietate ferrum non patitur.

VT Rubenitæ, Gaditæque vnanimes, & conformes in cultu religionis cum Iſraelitis inuenti ſunt, ſtatim Iſraelitæ à ferro ſtricto in pugnam ſubmouerũt manum. Dicit namque: *Nequaquam vltra dixerunt, vt aſcenderent contra eos, & pugnarent, &c.* Habet enim hoc vnanimitas in fide, & pietate, vt ferrum à ſe ableget, nec illud in ſe patiatur. Supra Ioſue, cap. 8. dicitur: *Tũc Ioſue ædificauit altare domino Deo Iſrael in monte Hebat, ſicut præceperat Moyſes:: Altare de lapidibus impolitis, quos ferrũ non tetigit, &c.* Quò ſpectabat D. Petrus 1. epiſt. 2. monens; *Et ipſi tanquam lapides viui ſuper ædificamini*; vt enim ad exemplum illius altaris Moyſaici nos etiã lapides viui efficiamur, ex quibus altare etiam viuum diuini ſimus holocauſti. Sed eſto, quod lapides viui effici poſsimus, qualiter ſic conſtituemur, vt ferrum minime patiamur, iuxta illud: *Quos ferrum non tetigit?* Quis mortalium, ſic à ferro liber erit? Rem pulchre attingit Orig. hom. 9. in Ioſue: *Quis putas ſunt iſti integri lapides? Nouit vnius cuiuſque conſcientia, quis ſit integer, quis ſit incorruptus, impollutus:: vel quis ſit, qui ferrum pugnæ, ferrum belli, ferrum litium, nũquam recepit, ſed ſemper pacificus fuit, ſemper quietus. Iſti ſunt lapides viui, ex quibus Ieſus noſter altare conſtruxit ex lapidibus integris, quibus ferrum nõ eſt iniectum. Ego puto, quod iſti tales lapides ſancti Apoſtoli eſſe poſſunt, omnes ſimul altare vnum facientes propter vnanimitatem, & concordiam, &c.* Itaque qui vnanimes ſunt, intimaque gaudent pace, & concordia in fide, & pietate, ſic inter ſe compinguntur, vt non ſolum altare Deo fiant; ſed altare his lapidibus conſtructum, quod minime ferrum admittat, ſed illud à ſe abijciat. Nec miror, quando hoc ipſum inuenio in malorum vnanimitate. Ait enim Iob, cap. 41. de impiorum corpore locutus: *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus:: Membra carnium eius cohærentia ſibi: mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur:: Cum apprehenderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit, neque haſta, neque thorax. Reputauit enim quaſi paleas ferrum, &c.* Et quidem tanta eſt vnanimitatis valentia, vt ſi impij mutuo inter ſe cohæreant, vnanimeſque in malum fiant; & gladium, & ferrum à ſe excutiant, nullaque vi poſsint diſiungi. Vt dicat D. Greg. lib. 34. Moral. cap. 4. *Id circo contra bonos vehemẽter prævalẽt, quia in malo ſe cõcorditer tenent.* Ridebunt ſanè ferri vim, qui ſe quaſi in vnum corpus vnanimiter compingunt.

Ioſue, 8.

D. Petrus

Orig.

Iob, 41.

D. Greg.

CAPVT VIGESSIMVM Secundum.

Concio Ioſue ſeneſcentis.

Textus Hiſtoria.

VERVM Ioſue vltimam iam ſenectutem attingens, pacis vitia in popularibus ſuis alta prudentia cernens eminere, ne & ſibi dedecus, populoque vltimũ gigneretur periculum, coacto in vnum populo, quæ à Deo in illos beneficia venerint, non leui verborum pondere recenſet. Vt nimirum, pugnante Deo aduerſariæ nationes extinctæ fuerint; vt optima illis diuiſa ſit terra, cuius magnam tenebant partem, facili negotio obtenturi vniuerſam, ſi Deo in legis obſeruatione exiſtant fideles. Tria deinde maximè ob oculos proponit habẽda; alterum, ne mixti gentibus Idolorum ſub nominibus emittant iuramẽta, ſed vni Deo & obſequium, & cultũ exhibere contendant. Alterum, ne gentium connubia quærant, à quarum conſuetudine, & amicicia maximè ſibi ſemper debeant timere. Tertium, quod & primum fœlicitatis eſt fundamentum, ne vel minimam affectus ſui partem Deo eripiant, quem ſolum proſequi integra animi dilectione debeãt. Interea, teſte Saliano, Angelus Dei adeſt, qui poſt Ioſue verba durà percutit populum obiurgatione, eiuſque ſcelera memorat, quibus impedimento fuerit adimplendis

diuinis

diuinis promiſsionibus. In tantumque cõſternati ſunt Iſraelitæ, vt largis lachrymarum fluentis, & loco nomen dederint, & ſpem conceperint melioris conditionis.

MORALIA CIRCA textum.

NON Ceſſat Ioſue commoñefacere ſuos de obſequijs præſtandis domino; ne nos ceſſemus nucleum quęrere ſalutis de literæ cortice.

Ioſue cap. 23. Euoluto autem multo tempore, poſtquàm pacẽ dederat dominus Iſraeli, ſubiectis in gyro nationibus vniuerſis, & Ioſue iam longæuo, & perſenilis ætatis: vocauit Ioſue omnem Iſraelem, maioreſque natu, & principes, ac duces, & magiſtros, dixitque ad eos: Ego ſenui, & progreſsioris ætatis ſum: voſque cernitis omnia, quæ fecerit dominus Deus veſter cũctis per circuitũ nationibus, quomodo pro vobis ipſe pugnauerit.

§. I.

Senes adres ſpirituales tractãdas valentiores ſunt, non ad ſæculares.

SENEX Ioſue vniuerſi populi conuentũ cogit, dicit enim textus: *Ioſue iã longæuo, & perſenilis ætatis: Vocauit Ioſue omnem Iſraelem, &c.* Ipſe iam ſenex conuentum inſtruit, ipſe conuenientibus præeſt, omniaque diſponit. De Samuele autem dicit, 1. Reg. 8. *Factum eſt autem, cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos iudices, &c.* Samuel ſenex ſe negotijs eripit, filios ſuos illis præponit; Ioſue autem etiam ſenex magis videtur ſeſe implicare negotijs, cum ipſe per ſe populi conuentum cogat, cui præſideat, in quo omnia diſponat. Et cur non magis ſenectuti ſuæ timet, illamque eripit negotijs? Cum Samuel, & alij prudentes ſenes alijs committant negotiorum molem; Ioſue etiam ſenex comitiorũ negotia magis ſuſcipit? An Ioſue principatus auidior, quam Samuel? Abſit; ſed in comitijs illis tractãda erant ſpiritualia omnia, de legis Moſaicæ obſeruatione, de memoria diuinorum beneficiorum, de cauenda Idololatria, de colendo vno Deo; negotijs autem ſpiritualibus tractandis valentiores ſunt ſeniores. Bene ergo Samuel ſenex conſtituens iudices filios ſuos, ſe eripit negotijs ſæcularibus, ad quæ ſenes inutiliores ſunt. Ioſue autem ſenex minime ſe eripit ſpiritualibus negotijs, quę de cana prudentia prouentum accipere ſolent. Ait Ieſus meus Petro Ioan. 21. *Cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas; cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, &c.* Ecce tibi maiora certamina reſeruantur Petro ſeni: & quando ſenectus infirmior eſt, fragilior eſt; cur illi opponuntur maiora diſcrimina, & mortis, & tormentorum? Eſt equidem ſenectus imbecillior pro ſecularibus periculis, negotijſque; at pro ſpiritualibus, & diuinis longe eſt robuſtior iuuentute. Ait ibi D. Chryſoſt. hom. 87. *Quomodo autem cum dixiſſet: Cum eſſes iunior: ſubdit: Cum ſenueris? Sed cur ſuperioris vitæ meminit? Vt ſignificet in rebus ſæcularibus iuuenem vtilem eſſe, ſenem inutilem; non ita in diuinis; ſed cum aduenerit, inquit, ſenectus, tunc fortior eris, atque præſtantior, nihil te ætas impediet.* Meritò ſeni ſeruata ſunt, quæ ad ſpiritualem ſalutem, diuinitatiſquæ prædicationem pertinebant, ad quæ ſenectus inuenitur expeditior, & promptior. Qui enim præ ſenectute ad temporalia negotia hebetantur; ad ſpiritualia acutiores, & fortiores fiunt. Paul. ad Rom. 12. monebat: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Quod expreſsiſsime adimplebat dominus Ieſus, cum Ioan. 13. buccellam Iudæ porrexit, ſecum in menſa accumbenti. Tunc enim ſimul ſæcularem illi cibum præbebat, & inde ſpirituales carbones in eius corde congerebat, quibus ſaxeum pectus molliret ad pœnitentiam. Sed qualis vtrũque hoc munus præſtabat? Ait pulchre Rupert. in rem præſentem, lib. 11. in Ioan. *Adeò patienter tanquam*

1. Reg. 8.

Ioan. 21.

D. Chryſ.

Ad Rom. 12.

Ioan. 13.

Rupert.

tanquam puer innocuus inimicum ſuum cibat, ſed velut antiquus dierum carbones ignis ſuper caput eius cõgerebat. Deniq́, neq́, carbonibus eſt attactus pœnitentia, &c. Quid pulchrius? De ſæculari cibo porrecto Iudæ à Ieſu ait: *tanquam puer innocuus inimicum cibabat*: non enim excedunt iuuenilem, imò nec puerilem virtutem, quæ circa temporalem profectum miniſtrantur. Verum vbi ad ſpiritualẽ medelam ventum eſt, qua illius animus accendebatur in pœnitentiam, tunc ſapienter ait: *Velut antiquus dierum carbones congerebat ſuper caput eius.* Cana enim prudentia, & ſeniles anni eſſe debent, qui valeant pro ſpiritualibus ſtare.

Geneſ.48 Geneſ. 48. ait: *Dictumque eſt ſeni: Ecce filius tuus Ioſeph venit ad te. Qui confortatus ſedit in lecto.* Et vnde senex languens, & iam iam moriturus potuit confortari? Ait Rup.

Rup. *Confortatus igitur à Deo mente eſt, qui ægrotabat corpore, ita vt corpus quoque feſſum alleuiaretur mentis alacritate, & cuius oculi corporei caligauerant præ nimia ſenectute, interioris eius hominis acies clarificata eſt, &c.* Sic ſenectus in ſpiritualibus conſtans eſt, nec nouit caligare.

§. II.

Infirma hominis nihil magnũ à Deo non veniſſe cognoſci faciunt.

NOTA Cõnexionem verborum Ioſue, ait enim: *Ego ſenui, & progreſſionis ætatis ſum: voſque cernitis, quæ fecerit dominus Deus veſter cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipſe pugnauerit, &c.* Et qualis illa connexio eſt *Ego ſenui, voſque cernitis, quæ fecerit dominus?* Quid neceſſum fuit præmittere, & coniungere ſenectutem ſuam cum eo, quod illi cernerent opera Dei? An quod illi cernerent Dei erga ſe facinora in perdendis hoſtibus, perdebat, aut connexum erat cum ſenectute Ioſue? Plane vbi Ioſue Imperator ſenectute confractus, & inualidus apparebat; aperte demonſtrabat, priſtina facinora in hoſtibus perdendis, in ciuitatibus, regniſque expugnandis, non illi, ſed Deo tribuenda, & ſic expectanda quaſi à Deo ſolo profecta eſſent. Faciunt equidem infirma hominis viſa, vt credamus præſtantiſsima quæque facta à ſolo Deo. Viderat Ezechias, ingentem hoſtium multitudinem occiſſam in campo iacere: & immediate de illo dixit 4. Reg. 20. *In diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, &c.* cum hoſtium exercitus iacêre videt, ipſe ægrotat vſque ad mortem: & merito, quia tantum facinus ſibi attribuebat. *4. Reg. 2*

Ait enim Rabànus: *Eo quidem tempore mori merebatur, quia elatus domino gratias pro inopinata victoria non reddidit; ſcilicet, quia iuſtitiæ, & meritis deputauit.* Solent hoc homines facere cum valent, robori & virtuti ſuæ attribuunt præclara geſta; ſed vbi ad ægritudinem, & infirmitatem ventum fuit, tunc aperuit oculos Ezechias, & multa dicens Deo, tandem aiebat iuxta Iſaiæ cap. 38. *Sicut pullus hirundinis, ſic clamabo, meditabor vt columba.* Circa quæ Theodor. in Gloſſa ait: *Leuatus morbo, & reſtitutus vitæ, ait imitaturum ſe auiculas, & ſemper Dei laudes cantaturum.* Quippè morbus ſic hominem erudierat, vt non amplius ſibi aliquid magnum attribueret, ſed omnia proſpiceret à Deo veniſſe, pro quibus Deo inceſſanter gratias agebat more canoræ auiculæ. Sic frequenter accidere ſolet, vt valentia hominis ſibi laudes facinorum attribuat, infirmitas autem ſtatim nos in eam ſapientiam ducit, qua videmus nihil forte niſi à Deo exire potuiſſe. *Rab.* *Iſaiæ, 38.* *Theod.*

Aiebat Nabuchdonoſor Dan. 4. *Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Hæc dicens eiectus a regno eſt, & coactus cũ feris ambulare, herbis viuere, in quo miſer ſeptenium conſumſit. Quid tunc? *Igitur poſt finem dierum ego Nabuchdonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & altiſsimo bene dixi, & viuentem in ſæcula laudaui, &c.* *Dan. 4.*

Vbi ſapienter Theodor. ait: *Ille ego, qui tanta olim arrogantia dixeram: Quis eſt Deus, qui eruat vos de manu mea? Qui ſomniaueram fore, vt in cœlum aſcenderem, & ſupra aſtra ponerem thronum meum: experientia doctus didici quid deceat, meam ſeruitutem agnoui, id circo in cœlos oculos meos ſuſtuli. Cum enim experientia didicerit, quid homo, quid Deus; altiſsimum & viuentem appellat, propriamque tenuitatem agnoſcit.* Sic in infirmitate omnia magna attribuit Deo, ſeque nihili pendit, & quaſi nihil vnquam fuerit, æſtimat. Docent equidem infirma humanas mentes, quàm non ſit hominis, ſed Dei, quod magna in lucem procedant. *Theod.*

Quò ſpectans Dauid Pſalm. 118. *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* Et vnde humiliatio in bonum cedit, niſi quia nos perducit ad bonorum authorem *Pſal. 118*

Deum?

Nazian. Deum? Ait Nazianz. orat. 17. *Prudenter illi faciunt, qui calamitatibus eruditur, Dauidicum illud in ore habent: Bonum mihi, quia humiliaſti me: quod videlicet ea res iuſtificationum Dei cognitionem pariat. Qui quidem ob dolorem ſeſe magis Deo adiungunt, ac beneficiorum omnium authorem per afflictionem ſibi conciliant.* Quidquid ad infirmitatem pertinet, vt facit nos in infirmitatis noſtræ cognitionem venire, ſic etiam authoris bonorum omnium Dei cognitionem parit.

Ioſue cap. 23. Et nunc quia vobis ſorte diuiſit omnem terram ab Orientali parte Iordanis vſque ad mare magnum, multæque adhuc ſuperſunt nationes: Dominus Deus veſter diſperdet eas, & auferet à facie veſtra, & poſſidebitis terram, ſicut vobis pollicitus eſt. Tantum confortamini, & eſtote ſoliciti, vt cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſi; & non declinetis ab eis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

§. III.

Qualis tu Deo fueris, tales tibi creaturas inuenies.

VT Promiſſa terra omnis illis Iſraelitis ſubeſſet, hoc vnum ab eis Ioſue poſtulabat, quod ſic ipſi Deo ſubijcerentur, vt nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram ab eius præceptis deflecterent. Monet enim: *Tantum confortamini, & eſtote ſoliciti, vt cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſi: & non declinetis ab eis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Tantum hoc petitur ab Iſraelitis, ne ipſi à Dei præceptis declinent, ſi velint, ne à ſe prouinciæ; & regna promiſſa declinent. Habent enim hoc temporalia bona, quod talia ſint hominibus, quales fuerint Deo ipſi. Querebatur namque Dauid Pſalm. Pſal. 101. 101. *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt.* Et mirabar, quod homini tot ſplendenti virtutibus dies & pleniſſimi, & lucidiſſimi non ſuiſſent. Et quando Ioſue noſtro iubenti cap. 10. *Steterunt Sol, & Luna;* cur Dauidi clamanti, & vociferanti non ſteterunt dies, ſed declinauerunt ab illo? Pulchre rem tractat D. Auguſt. ibi: *Potuerunt eſſe dies tui non declinantes, ſi tu à die vero non declinaſſes. Declinaſti, & accepiſti dies declinantes. Quid mirum ſi dies tui facti ſunt ſimiles tui? Ipſi ſunt enim dies declinantes, quia deuiaſti: qui ſunt dies fumi, quia tumuiſti. Supra dixerat: defecerunt ſicut fumus dies mei: & nunc dicit: Dies mei ſicut vmbra declinauerunt.* Quid pulchrius? Plane per id, quod homo eſt Deo, & dies & bona omnia erga eum menſurantur. Stant cum ſtante, declinant cum declinante. Quo ſpectabant pulchra carmina Sidonij Apollin. data amico defuncto, qui Abraham vocabatur. Ea autem ſunt lib. 7. epiſt. 16. D. Aug. Sid. Apol.

Elapſus regi truculento Suſidis orâ
Occiduum properas ſolus ad vſque ſolum.
Sed confeſſorem virtutum ſigna ſequuntur,
Spiritibuſque malis fers, fugitiue, fugam.

Si qui propter Deum fugiebat ſua, experitur malos Spiritus à ſe fugientes. Sic cum declinante propter Deum, & mala declinant. Dum quis firmiter Deo adhæret, ò quàm ſtabilia, & firma ſibi experietur temporalia! Si autem à Deo declinat, non miretur, quod vniuerſæ creaturæ ament ab illo declinare, ſolent ſanè bona hæc induere faciem, quàm erga Deum homo habet. Monebat Matth. cap. 7. *Nolite ſanctum dare canibus; nec mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi diſrumpant vos.* Eſto quod de porcis quodcumque malum timeatur, at de canibus quid timeri poteſt, cum præcipue aliquid eſcæ illis datur? Quis non magis mollefecit rabidiſſimos canes, exhibito illis pane? Cur ergo canibus dari vetat, ne ab illis diſrumpamur? Expende, quid vetet dari canibus, nimirum *Sanctum*: quod ſi tu adeò es impius in Sanctum Dei, vt illum tradas edendum canibus; proculdubio tales in te inuenies, vel inter ipſa dona, canes, qui te mandent. Nota eſt hiſtoria Donatiſtarum, qui Euchariſticum panem canibus immiſerunt, & ſtatim quæ ſancto Dei pararunt, inuenerunt ſibi ab ipſis canibus. Ait Optatus Mileuit. contra Parmenian. lib. 2. *Inſſerunt Euchariſtiam canibus fundi, non ſine ſigno diuini iudicij: nam ijdem canes accenſi rabie ipſos homines ſuos quaſi latrones, ſancti corporis* Matth. 7.

poris reos, dente vindice, tanquam ignotos, & inimicos laniarunt. Fallar, si quod animal fidelius, & gratius sit domino suo, quam canis; & tamen cum isti Deum sub speciebus panis voluerunt ignorare, illumque rabie perciti suis fidelissimis dederunt canibus, statim ea omnia experti sunt in suis canibus, quæ contra dominum fuerant machinati. Rabidi in Deum rabidos experti sunt proprios canes; voluerunt Deum sub panis speciebus non agnoscere; illos & sui canes ignorarunt, pararunt caninos dentes cœlesti pani; inuenerunt sibi paratos dentes canum, quibus fuerunt statim dilaniati. Sic in suis inuenerunt, quæ ipsi Deo parabant. Quo trahenda sunt dicta tom. 2. de Christ. Fig. lib. 5. cap. 9. §. 33. Et in presenti, cap. 18. §. 2.

§. IIII.

Conformes in virtutibus, conformes erunt & in præmio.

NON Est, cur non expectent eadem à Deo illi, qui se conformant in virtutibus cum ijs, qui à Deo receperunt magna; vnde monet Iosue Israelitas dicens: *Quia multa adhuc supersunt nationes; dominus Deus vester disperdet eas:: Tantum confortamini, & estote soliciti, vt custodiatis cuncta, &c.* Multæ fuerant iam nationes à Deo dissipatæ, & bona earum tradita Israelitis iuxta Dei promissionẽ; restabant tamen adhuc multæ aliæ dandæ. Quas vt accipiant, vnum ab illis petitur, vt sint soliciti in seruanda lege Moysi; ait enim: *Tãtum confortamini, & estote soliciti, vt custodiatis, &c.* Vt enim prima data fuerant Israelitis custodientibus legem Moysi; sic & reliqua acciperent, qui eandem legem solicite seruarent. Nequit enim fieri, quod nõ conformentur in præmio ex Deo, qui in virtutibus, & obsequijs cõformãtur. Dan. 3. tres pueri hebræi nolentes alteri, quam Deo viuo adorationem præstare, missi sunt in ardentem fornacem; *& non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, neque quicquam molestiæ intulit.* Quam rem miratus D. Zeno, & quærens causam tanti miraculi, illã inuenit in numero ternario, quem tres illi pueri complebant in signum sanctissimæ Trinitatis. Ait enim lib. 2. ser. 32. *O inæstimabilis gloria Dei! Sacramento Trinitatis tam potentis elementi subacta natura est.* Quid tunc? Vt semel datum est pueris Sacramento Trinitatis munitis, quod potentissimi elementi naturam vincant; sic & deinceps quiintanto Sacramento constiterit, rebelles quascumque potestates pessumdabit. Ait D. August. in Psal. 101. con. 2. *Quod fuit caminus regis tribus pueris, hoc erit ardens mundus iustis in Trinitate signatis.* Plane sub eisdem virtutũ, fideique signis eosdem triumphos de aduersarijs reportabimus. Hoc curet homo, vt conformetur in virtutibus cum illis, qui ex Deo aliqua reportarunt; & prorsus sibi ex Deo similia venire facient. Lucæ, cap. 2. clamabat Maria de Deo salutari suo: *Esurientes implenit bonis, & diuites dimisit inanes.* Respiciebat famelicas nationes gentium, vt à Deo bonis implebantur; & vnde famelici illi per tot sæcula derelicti tantam repletionẽ bonorum sibi comparauerunt? Accipite D. Gregorium Taumat arg. ser. 2. de Annunt. Virg. fantem: *Humiles, qui ex gentium populis iustitiam exercebant, exaltati sunt, & diuinæ cognitionis famem, qua detinebantur, ostendentes, diuinum Verbum, sicut Chananæa micas, deprecabantur, & propterea diuinorum mysteriorum repleti sunt diuitijs.* Expende illud: *Sicut Chananæa micas*: quippè mulier Chananæa Matth. 15. accedens ad Iesum, eo se demisit humilitatis, vt instar canis fieret, pro obtinendis à Iesu micis, quibus diabolum expugnaret, quod & accepit. Quid tunc? Accesserunt post hanc nationes gentium, & dum sese mulieri illi conformant in humilitate, & fide postulationis, sic vt illa implentur bonis, quibus triũphent de diabolo. Similis enim in virtute, similis etiã in præmio apparet. Quod et iam in contrarijs seruatur, vt similes peccatoribus in sceleribus, similes etiam pœnas patiantur. Exod. 12. *Factum est autem in noctis medio percussit dominus omne primogenitum, &c.* Cur non in die, sed in nocte percutit primogenitos? Monebat iam tunc vniuersos in lege dormitantes, quod si similiter dormiant, prope necessum sit, vt similiter percutiantur. Ait Rupert. *Verum cum posset media die cunctis vigilantibus idem fieri, cur potius medio noctis dormientes placuit interfici? Videlicet, vt historicum quoque exemplum dormitantibus proficeret, atque ad vigilandum eos percelleret: scientes, quia quisque Ægyptiorum exemplo thesaurizauerit sibi iram, nihilominus exemplo illorum improuisam accipiet vindictam.* Qui in similibus sceleribus

Dan. 3.

D. Zeno.

D. Aug.

Luce, 2.

D. Greg.

Matt. 15

Exod. 12.

Rupert.

leribus fuerint, ſimiles ſuſtinebunt pœnas. Quando dormientes manus dei in Ægypto oppreſsit; caue homo, ne obdormiſcas in lege Dei, ſimile namque malum te premet. Expectet quiſque in ſe quod malum, vel bonum in ſimili altero factum cernit. Matth. 8. *Occurrerunt Ieſu duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam. Et ecce clamauerunt dicentes, Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei? Veniſti ante tempus torquere nos.* Sanè hoc erat Angelis reprobis commune ſupplicium, quod alterius ſæculi torrerentur igne; at dæmones iſti ſæui, & crudeles cum tranſeuntibus, quæruntur, quod etiam in præſenti torqueantur ſæculo; quod non ſolum dent pœnas inferni igne, ſed inſuper huius temporis tormenta ſubeant. Quid tunc? Inde D. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 168. monet crudeles, ſæuoſque omnes, vt caueant ſimile & in præſenti & in futuro ſuppliciũ. Ait enim: *Quoniam igitur Chriſtus & hìc ante tempus dæmones torquet, & in altero æuo ſempiternum illis ignem vna cum patre ipſorum promiſit; aut tumultuariam vitam conſectari deſine; aut illud ſcito, te & hic flagris obnoxium eſſe, & illic vindictam minime vitaturum.* Sic ſæuis hominibus non defuturum ait, quod accidit ſæuis ſpiritibus; vt qui ſimiles ſunt in ſceleribus, ſimiles ſint in ſupplicijs.

Matth. 8.

Iſid. Pel.

Ioſue cap. 23. Ne poſtquam intraueritis ad gentes, quæ inter vos futuræ ſunt, iuretis in nomine deorum earum, & ſeruiatis eis, & adoretis illos; ſed adhæreatis Domino Deo veſtro, quod feciſtis vſque in diem hanc. Et tũc auferet dominus Deus in conſpectu veſtro gentes magnas, & robuſtiſsimas, & nullus vobis reſiſtere poterit: Vnus è vobis perſequetur hoſtium mille viros, quia dominus Deus veſter pro vobis ipſe pugnabit, ſicut pollicitus eſt.

§. V.

Vni Deo ſi ſeruias, nil eſt temporale, quod non poſsis obtinere.

IVBENTVR Iſraelitæ ab idolis gẽtium abhorrere, vni Deo vero adhærere, vt ſic dante Deo, hoſtes proſternant. Eò enim ſpectant hæc verba: *Ne iuretis in nomine Deorum earum, & ſeruiatis eis, & adoretis illos, ſed adhæreatis domino Deo veſtro. Et tunc auferet dominus Deus in conſpectu veſtro gentes magnas, & c.* Sed quid debellatio hoſtium cum Deo? Nonne is eſt Deus, qui cogitat cogitationes pacis? Non ne ipſe vitam fecit? Cur ergo in gratiam vnius populi ſeruientis ſibi, tot hominum nationes amat conterere? Dicebat ipſe Matth. 5. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſiquis te percuſſerit in dexterã maxillam tuam, præbe illi & alteram; & ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, præbe ei & pallium.* Compone modo hæc cum illis; in ijs adeò ſe pacificũ Deus oſtendit, vt vel percuſsionem hoſtilem iubeat ſuſtinẽdam; in illis prorſus exterminandas gentes magnas, & robuſtiſsimas offert: in Ioſue ſic Iſraelitas confortat, vt vnus perſequatur mille hoſtes; in Matthæo, nec permittit reſiſtere tunicam eripienti. Cur ergo qui tantus eſt apud Matthæum in cohibendis ſuis, ne hoſtes feriãt; apud Ioſue tantus eſt in confirmandis ſuis, vt hoſtiles nationes exterminent? Firmabatur apud Ioſue Dei cauſa reſpectu idolorum gentium, à quo poſsint haberi vniuerſa bona; & quando in bonis etiam cenſeri ſolent temporalia, & inter hæc ſint victoriæ de iniuſtis hoſtibus, eorumque contritiones; debuit oſtendi, hæc omnia in Deo vero haberi poſſe, ne vlla maneret excuſatio ſeruiendi alijs eorum largitoribus. Quo ſpectans D. Auguſt. lib. 22. cap. 76. aduerſus Fauſtum Manichæũ ait: *Eam rerum diſpenſationem, ac diſtributionem temporum ordo poſcebat, vt prius appareret etiam ipſa bona terrena, quibus & humana regna, & ex hoſtibus victoriæ deputantur, propter quæ maxime ciuitas impiorum diffuſa per mũdũ, ſupplicare idolis, & dæmonibus ſolet, nõ niſi ad vnius Dei veri poteſtatem, atq; arbitriũ pertinere.* Equidẽ in fundãda, oſtẽdẽdaque vnius veri Dei potentia; & exuſlanda Idolorum religione, illud in primis oſten-

Matth. 5.

D. Aug.

dendum erat, vt ab vno Deo vero veniebant omnia bona, etiam temporalia hæc, & leuidensia, quæ adeò afficiunt humana corda, vt pro illis habendis, vel malum dæmonem colerent. Vt autem hæc ostenderentur à Deo vero venire, nullo clariori argumento id fieri poterat, quam cum de facto Deus verus illa eriperet potentioribus nationibus, & dijs, & ea traderet suis sectatoribus, præbens illis abundantiâ bonorum, regna, & frequentes victorias de validissimis hostibus. Quis inde non rideat idola gentium? Quis non exufflet sacramenta ethnicorum? Quis fidat in homine carnis perituræ? Quis terat fausluosorum diuitum fores? Quis ferat fastidia potentissimorum, sciens à vero Deo habere posse quæcumque ab illis contendebat? Hinc Paulus ad Hebræos, cap. 11. *Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iepte, Dauid, Samuel, & prophetis: qui per fidem deuicerunt regna, &c.* Et mirabar, quod viri adeò sancti, & perfecti, in eo occupati fuerint, vt terrena hæc regna expugnarent, & fidem æternis spirantem eò traxerint, vt hostium sanguine rigarent terram. Cur dimissis his leuidensibus, non magis elegerunt cum Abrahamo peregrinos esse in terra, sperantes sola permanentia? Cur fidem circa hęc parua laborare voluerunt? Erat etiam virtus non parua ostendere in ijs, quod non erant de Idolorum manibus, sed de Deo vero quærenda. Ad hæc D. August. supra in fine capitis: *Christiani quoque imperatores plenam gerentes fiduciam pietatis in Christo, de inimicis sacrilegis, qui spem suam in sacramentis idolorum, dæmonumque posuerant, glorioßissimam victoriam perceperunt; cum apertissimis, notissimisque documentis illos fallerent vaticinia dæmoniorum, hos firmarent prædicta sanctorum.* Equidem res Christi agebatur etiam in prælijs, etiam in expugnatione regnorum mũdialium; quando ostendebantur in Dei nomine venire victoriæ; fallaciæ, & doli in nomine dæmoniorum. Quisquis enim ad alium, quam ad Deum contendit; fallacias inueniet, & dolos; in vno namque vero Deo habebimus, quidquid est bonum.

Hebr. 11

D. Aug.

§. VI.

Temporalia bona iusti sæpe habent, ne putentur ea à diabolo venire.

PARVA Res erat, fateor, quod Dei alumni cædendo hostes triumpharent, aiẽ enim textus: *Nullus vobis resistere poterit. Vnus è vobis persequetur hostium mille.* Sic & ethniciduces, & idololatræ Imperatores expugnatunt nationes, hostes fine resistentia perimendo, & comburendo. Parũ sanè quod has etiam habeant alumni Dei victorias. Illud maximum, & diuinum, quod occisi, & interfecti Dei alumni detriumphent orbem. Vt dicat D. Nilus apud Cerdam in Aduers. cap. 153. *O religionem omnibus regibus potentiorem, magisque regiam! Quæ enim reges armis excitabant, hæc absque armis dissoluebat. Quæ isti mactando prohibebant, hæc dum mactaretur excitabat, & suorum cædibus contra mactantes erigebat.* Quis neget hanc maiorem gloriam homini, quod mactatus triumphet, & dum ceditur sub coronis rutilet? Cur ergo Deus suis assectis paruas illas victorias promittebat, quas vel ethnici reportant communiter? Cur non magis obseruatæ legis sudoribus dedit clarissimos hos triumphos, quibus exaltatur maximè christiana militia? Dum Israelitæ cædentes hostem vincebant, ostendebantur & victoriæ illæ à Dei manibus venire, quod vix crederetur, si viderentur esse in solis iniustis, & impijs. Quæ enim frequenter visuntur in ineptorum, & iniustorum manibus, qualiter putarentur non esse à diabolo, nisi etiam ea habeant iusti? Quare Paulus ad Hebræos, cap. 11, prisinos prophetas recensens, non veretur asserere de illis: *Qui per fidem vicerunt regna.* Cur non magis dicit de illis, quod per mortem glorioſos egerint triumphos? Minime iudicauit prætereundum in prophetis id, licet minimum videretur, per quod ostendebatur bonorum terrestrium donatrix diuinitas. Ait D. August. lib. 22. contra Faustum, cap. 76. *Regnauerunt hic ergo Prophetæ, & Patriarchæ, vt ista regna Deum dare, & auferre ostenderetur; Non hic regnauerunt Apostoli, & martyres, vt regnum cœlorum potius desiderandum panderetur. Illi reges bella gesserunt, vt tales quoque victorias appareret Dei voluntate præstari; isti non resistendo interfecti sunt, vt potiorem docerent esse victoriam pro side veritatis occidi.* Sic Deus temperauit gubernationem mundi, vt cum præstantissimas æternitatis palmas seruaret suis, quæ solæ deberent appeti, & quæri à prudentibus; etiam temporalia hæc, & leuidensia bona dedit religiosissimis, & sanctissimis, ne hæc putarentur à diabolo venire, si semper viderentur in impijs, & iniustis. Habuerunt ergo prophetæ, & patriarchæ, & de facto nunc multi iusti habent temporalia

D. Nilus.

Ad Heb. 11.

D. Aug.

ralia bona, vt fidem faciant hæc etiã à Deo dari, & à diſpoſitione pendere diuina. Nũquam enim euidẽtius patet temporalia hęc à Deo venire, quam vbi apparent erepta impijs, data iuſtis. Dan. 4. Nabuchdonoſor regni ampliſsimi gloria elatus in Deum rebellauit, ſtatuam ſuam adorari præcepit, hæbræos iuuenes in ardentem fornacem iniecit, ſuę fortitudini omnem gloriam ſuperbus attribuebat. Inde à Deo caſtigatus, regno pulſus, velut fera in montibus agebat, herbas cum brutis comedebat integro ſeptenio. Tunc oculos ad cœlum leuauit, cum Deo egit; tandem ait: *In ipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorem, decoremque perueni, & figura mea reuerſa eſt ad me. Et optimates mei, & magiſtratus mei requiſierunt me, & in regno meo reſtitutus ſum, & magnificentia amplior addita eſt mihi. Nunc igitur ego Nabuchdonoſor laudo, & extollo, & glorifico regem cœli, quia omnia opera eius vera, &c.* Expende illud: *Nunc igitur ego Nabuchdonoſor laudo, &c.* quippe nunc, quando in maiori regni gloria erat, quando poſt ſpoliationem vniuerſorum bonorum ampliorem gloriam recuperauerat, tunc Dei opera, & manus erga ſe beneficas recognoſcit. Et cur modo magis agnoſcit Deum bonorum mundialiũ gubernatorem? Plane expertus erat, vt ſibi impio, & ſuperbo omnia erepta fuerant; & vt ſibi humiliato, & contrito, & pio iterum data erant; quando autem videt temporalia bona impijs eripi, & pijs & iuſtis dari, euidentiſsime colligit ea ab vno vero Deo gubernari. Ad hæc Theodor. ibi: *Expertus moleſta, deinde ab illis liberatus, laudo & celebro eum, qui hæc & illa mihi vtiliter intulit, & ſapientiſsime: ac noui ipſum regem, & omnium dominum, veritate, & iuſtitia omnia moderantem, qui quę ſuperbia elatos poteſt ad humilitatem redigere.* Cognoſcitur equidem Deus ſapientiſsimus orbis moderator, vbi impios ſuperboſque ſpoliat, iuſtos & pios ditat. Qui enim hæc experitur, clariſsime poteſt in Dei cognitionem venire.

Dan. 4.

Theod.

Ioſue cap. 23. Hoc tantum diligentiſsime præcauete, vt diligatis dominum Deum veſtrum. Quod ſi volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miſcere connubia, atque amicitias copulare; iam nunc ſcitote, quod dominus Deus veſter nõ eas deleat ante faciem veſtram, ſed ſint vobis in foueam, & laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris, donec vos auferat, atque diſperdat, &c.

§. VII.

Dilectio Dei vera nihil admittit dilecto contrarium.

NON Paruam faciunt quæſtionem verba iſta, nimirum: *Hoc tantum diligentiſsimè præcauete, vt diligatis Deũ veſtrum.* Quando innumeras alias leges illis propoſuerat; tandem ait, hoc tantum obſeruandum, vt diligant dominum Deum ſuum. Ergo vult, hoc tantum præceptum dilectionis diuinæ obſeruandum, reiectis alijs; aut ſi alia etiam obſeruanda ſunt, cur petit hoc tantum obſeruari? Hoc equidem obſeruandũ eſt, vt Deum diligamus: quod ſi fecerimus, proculdubio nullũ aliud præteribimus mandatum, quando Dei dilectio nihil admittit dilecto ſuo contrarium, ſed omnia illius libẽti animo amplexatur. Vt dicat Abbulenſ. in præſenti: *Sub illo præcepto dilectionis includuntur omnia alia, quia intelligitur, quod diligerent ex toto corde, & viribus, vt patet Deuth. 6. & tunc quidquid Deus iuberet facerent, &c.* In illo ſolo præcepto dilectionis reliqua omnia claduntur, nequit enim dilectio ſecum admittere aliquid dilecto ſuo contrarium. Ioan. 13. dicebat Ieſus: *In hoc cognoſcent omnes, quod eſtis mei diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Multæ aliæ virtutes ſunt, & ſanctæ obſeruationes, quæ poſſent Chriſti diſcipulos demonſtrare; cur relictis illis ad ſolam dilectionem mutuam attendit pro ſigno ſui diſcipulatus? An quia dum dilectio exiſteret, non intereſſet, quod cæteræ omnes deficerent? Abſit; imò quia ſi dilectio exiſteret, cæteræ omnes exiſterent magis; cum nullum virtutis defectum, nullum malum poſſet ſecum ſancta dilectio capere. Ait Rup. lib. 11. in Ioan. *Non, inquit, in hoc cognoſcent, ſi exterminaueritis facies veſtras, vel ſi longas orationes feceritis, aut certe ſi tuba præcinente multã eleemoſynam dederitis, quæ & omnia vs ſimilia facere poſſunt hypocritæ, conſcia ſiniſtra ſua; ſed in hoc cognoſcent, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad*

Abbul.

Ioan. 13.

Rup.

inuicem. Quod profecto non niſi bono poteſt corde fieri, nec enim aliquod malum, vel alicuius violatio præcepti poteſt in eodem corde cohabitare dilectioni. Dilectio nullius præcepti admittit violationem. Hoc ſatage, vt inte moretur ſancta dilectio Dei, & proximi; & omnium legum in te oſtendis adimple-

D. Bern. tionem. Vt dicat D. Bernt. tract. de diligēdo Deo: *Bona itaque lex charitas, & ſuauis, quæ non ſolum leuiter, ſuauiterque portatur, ſed & ſeruorum, & mercenariorum leges portabiles, ac leues reddit, quas vtique nō deſtruit, ſed facit, vt adimpleantur. Illam temperat, iſtam ordinat, vtramque leuigat. Implet ergo charitas legem ſerui, cum infundit deuotionē, implet & mercenary, cum ordinat cupiditatem.* Sic vniuerſæ leges adimpletæ intelliguntur in dilectione.

§. VIII.

Dilectio Dei perfecta, & ſecura eſt bonorum noſtrorum cuſtodia.

VT integras ſibi diuinas promiſsiones de exterminandis hoſtibus, de poſſidenda terra optima Iſraelitæ haberent; hoc illis iniungit Ioſue, dicens: *Hoc tantum diligentiſsime præcauete, vt diligatis dominum Deum veſtrum.* Et quidem pro illis ſapientiſsime hoc à præſtanti principe conſulebatur; quando ea eſt dilectio Dei, quæ integra, & ſecura valet ſeruare omnia

Geneſ. 2. bona noſtra. Gen. 2. dicit: *Tulit ergo Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Voluptatis paradiſus à Deo formatus eſt, qui & traditus eſt homini, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Sed ſcire cupis quale opus requirebatur ex homine, quod coniunctum eſſet cum paradiſi cuſtodia? Pro quo

Rup. ait Rup. lib. 6. in Ioan. *Quod enim laboris arbitramur illi fuiſſe iniunctum ab eo, quod dictum eſt, vt operaretur, & cuſtodiret illum? Putamus ne quod impoſitum fuerit illi hoc opus, vt operando in ſudore vultus ſui veſceretur ex omni ligno paradiſi? Aut vt poma paradiſi cuſtodiret, ne dirutis ſepibus aliquis prædo nocturnus illa decerperet?* Plane nullus labor ſudoris mādabatur in illo fœlici ſtatu; nullus prædo timebatur, quando ſolus erat Adamus. Quale ergo opus illi mandatur, quod & cuſtodiam tantæ hæreditatis traheret? Ait ille: *Ergo quod dictum eſt: vt operaretur, & cuſtodiret eum, hoc eſſe intelligere debemus, vt creatori ſuo in laudē, & grātiarum actione fidelem animum gereret, pluſque Deum, quam vllam Dei creaturam diligeret, & credendo conſilio eius paradiſum cuſtodiret ſibi, ne peccando habitationem eius amitteret: Quid eſt enim in Deum credere, niſi Deū non propter ſua, ſed propter ſe ipſum diligere?* Ecce tibi opus requiſitum pro cuſtodia paradiſi conſiſtebat in dilectione Dei, ſiue in fide, quæ ipſam dilectionem includeret. Amando enim Deum non propter ſua, ſed propter ſe ipſum homo totam illam hæreditatem præſtantiſsimam retineret ſibi. Proh Dei dilectio, fidiſsima cuſtodia paradiſi, & bonorum omnium, quæ à Deo in nos proficiſcuntur! En quo Moyſes Deu- Deuth. 6.
ther. 6. ſic ſuos monebat populares: *Audi Iſrael & obſerua, vt facias, quæ præcepit tibi dominus, & bene ſit tibi, & multipliceris amplius, ſicut pollicitus eſt dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte, & melle manantem. Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Deus vnus eſt. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Ecce tibi ad tenenda promiſſa, & dona diuina, quid petat iterum, atque iterum Moſes, nimirū, vt diligamus Deū; in hac enim dilectione omnia ſecuriſsime tenebis, ſine hac nihil inuenies. Quo ſpectans D. Zeno lib. 1. ſer. 2. ait: *Videamus* D. Zeno.
vnde vera charitas veniat, vbi nam conſiſtat, vel cui maximè debeatur. Vtique illi, qui hominem fecit, qui ei munus perpetuæ charitatis ſimilitudinem ſuam tradidit; qui orbem terræ donauit: qui omnia elementa mundi cum omnibus animantibus ſuis eius poteſtati ſubiecit; qui ei annos, tempora, dies ſeruire præcepit, qui eum regni cœleſtis participatione ditauit. O Charitas, quām pia, & quām opulenta! O quā potens! nihil habet, qui te non habet. Adſit nobis hæc charitas, & hæc omnia ſecuriſsime habemus; opulenta enim eſt, vt immenſa largiatur; & potens eſt, vt largita faciat perſeuerare; ſi autem hæc charitas abſit, ſic neceſſum eſt, vt omnia abſint cum illa, vt ſine illa nihil habeamns.

§. IX.

Carnalis amor maxime dilectioni Dei contrariatur.

POSITO Præcepto de diligēdo Deo, ſtatim ſubdit quod illi contrariatur dicens: *Quodſi volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miſcere connubia, atque amicitias*

citias copulare, &c. Dixerat Deum in primis diligendum, vt eius promiſsiones impleri valeant; cui dilectioni viam contrariam indigitans, vt caueatur, ait: *Quod ſi volueritis, &c.* Ibique connubia cum gentibus, & amicitias notat copulatas. Et mirabar, quod amicitias cum gentibus vicinis traducat, vt dilectioni diuinæ contrarias, quando de Dei charitate venit, vt etiã hoſtes, & inimicos diligamus. Si hoſtes diligendi ſunt, cur caueant amicitias cum gẽtibus copulare? Sapienter monet in præſenti Carthuſ. ne intelligamus amicitias ſpirituales vetari, quibus vel hoſtes proſequi tenemur; ſed amicitias carnales, quilibet enim carnalis amor maximè dilectioni diuinæ contrariatur. Gen. 22. dicebat dominus ad Abraham: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtũ, &c.* Si filiũ à patre mactari iubes, domine, quid neceſſum eſt paterni amoris flammas excitare, dum ais *filium vnigenitum, quem diligis*? Ad quid patris affectum memoras? Volebat Deus in Abrahamo oſtendere triumphum diuinæ Charitatis, & ideò in mediũ amat proferri validiſsimos eius cõtrarios, nimirum amores ſecundum carnem; qui enim amor in carne fundatur validiſsimus hoſtis eſt ad extinguendam diuinam charitatem. Ait D. Baſ. Seleu. orat. 7. *Machinas admouet murorum fortitudinem oſtẽtans; naturæ fluctus in iuſtum ſubtollit, vt amicitiæ diuinæ nundinatorem admireris. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac. Arma naturæ exacuit, omniaque amoris ingeniti tela exhaurit. Ferit animum amoris commemoratione, multiplicat appellationes, quibus flammas acrius accendat, omnes effundit in eum naturæ niues.* Quid pulchrius? Expende illa: *Omnes effundit in eum naturæ niues*, quippè quot naturæ carnalis exacuit affectus, tot niues parat aduerſus diuinæ charitatis flãmas; tot machinas, tot tela contorquet, quę diuinum amorem quatiant. Sunt equidem amores vniuerſi in carne fundati niuales globi, ſunt validiſsima tela, ſunt machinæ militares diſpoſitæ contra Dei charitatem. Ne miremur, quod Deus ſuſpectos ſibi habeat affectus creaturis traditos. Dicit enim Ioan. 1. epiſt. 2. *Nolite diligere mundum, neque quæ in mundo ſunt. Siquis diligit mundũ, non eſt charitas Patris in eo. Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, &c.* Itaque amor mundi, vt carnalis prorſus excludit Dei charitatem. Hinc Iſaias, cap. 1. *Omnes principes tui infideles, ſocij furũ, omnes diligunt munera.* Quando furti accuſantur, quid magnũ eſt, quod diligant munera? Cur poſt infidelitatem, poſt furta, meminit munerum dilectionem? An quia dilectio mundialium acrius ſe opponit Dei dilectioni? Non alienus eſt ab hac mente D. Baſil. ibi: *Sanè quam dictũ exactè eſt hoc, diligentes munera, non item accipientes munera, ſeu dona. Coarguuntur autem principes, qui ſanctam dilectionem totam effundunt circa hæc euanida, & terreſtria: quando neceſſe eſt diligere dominum Deum tota virtute, quæ nobis ineſt ad diligendum.* Qui dilectionem vanis, & terreſtribus, & carnalibus præbent, directe magis ſeſe diuinæ dilectioni opponere videntur, cui nullum relinquunt locum, ſed totam illam exhauriunt, & effundunt in carnalibus ijs, & exterioribus.

Geneſ. 22

Baſil. Sel.

Ioan. 1. 2

Iſaias, 1.

D. Baſil.

Ioſue cap. 23. En ego hodie ingredior viam vniuerſæ terræ, & toto animo cognoſcetis, quod de omnibus verbis, quæ ſe dominus præſtiturum vobis eſſe pollicitus eſt, vnum non præterierit in caſſum.

§. X.

In defectu inſtrumentorum diuina virtus euidentiſsime claret.

VT Diuinam poteſtatem oſtendat in adimplendis promiſsionibus Iſraeli factis, ſeſe iam à viuis excedendum Ioſue proponit. Ait enim: *Ego ingredior viam vniuerſæ terræ, & toto animo cognoſcetis, quod de omnibus verbis, &c.* Vide conexionem rerum, & ſe moriturum dicit, & Iudæos cognituros diuinorum promiſſorum impletionem, quaſi de morte Ioſue cognitio illa oritura videatur! Sed quid quod Ioſue moriatur, vt inde Iſraelitæ cognoſcant à Deo adimpletas promiſsiones? Equidem dum Ioſue viuebat, eius diligẽtiæ, & induſtriæ attribui poſſet hoſtium expugnatio, Terræ promiſſę acquiſitio; at dum mortuo Ioſue hæc peraguntur, vnica diuina fuiſſe virtus in ijs adimplendis clariſsime patet. Tunc enim diuina virtus, & poteſtas euidenter monſtratur, cum omnia humana inſtrumenta abſunt. Mar. 5. poſt hominem à dæmonio liberatum aſcendit Ieſus nauiculam, vt inde abiret. *Cũque aſcenderet nauim,*

Mar. 5

capit

cæpit illum deprecari qui à Dæmonio vexatus fuerat, vt eſſet cum illo: & non admiſit eum, ſed ait illi, vade in domum tuam ad tuos, &c. Et cur non magis voluit illum ſecum morari? Cur deprecantẽ à ſe reijcit, & mauult quod à ſe viuat ſeparatus? Vt in hominis ſanitate magis clareret diuina virtus & poteſtas, voluit Ieſus ab illo præſentiam ſuã corporalem abſentare. In abſentia enim cuiuſcumque viſibilis inſtrumenti, magis diuina virtus monſtrabatur. Ait ibi Victor Antioch. *Ne dominus ſua præſentia illum tueri, & cuſtodire videatur, ſolum dimittit; ac ne quem dæmonem in poſterum metuat, præcipit. Præſentia namque miraculi magnitudinẽ eleuat; abſentia autem vim illius clarius demonſtrat*: Expende illud: *Abſentia autem vim illius clarius demonſtrat*: equidem in abſentia, & defectu cuiuſlibet viſibilis cauſæ, diuina vis ſola clariſſime in effectu mõſtrabatur. Aiebat dominus Ioan. cap. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado, &c.* Expende rationem datam à Ieſu, cur ſint à ſuis maiora opera facienda, hoc eſt, clariora, euidentiora virtutis diuinæ miracula: nimirum, *quia ego ad patrẽ vado*: quia ipſe ſe ſubtrahit hominum oculis, & à viuis abſcedit, vt eat ad patrẽ, ideò euidentiora opera ſunt facienda, quæ oſtẽdant virtutem diuinitatis. Et cur hæc euidentiora diuinitatis teſtimonia ex eius diſceſſu oriantur? Ait D. Baſil. Sel. orat. 41. *Quænam illa maiora? Vmbræ illorum mortuos excitarunt, ac earatione potentia deprædicabitur. Nec enim paris eſt admirabilitatis miracula viuentem patrare, & eo mortuo plus poſſe cæteros in eius nomine:: Atqui eius ſolo nomine, & mero maiora miracula prouenire videbat, quam ab ipſo in carne inter mortales agente, non poterat non credere.* Equidem quãdo mortuo Ieſu, ſoloque eius nominis ſono in præſentiarum manente maiora in virtute eius nominis fiebant, adeò manifeſte diuinam eius poteſtatem manifeſtabant, vt à nemine poſſet ignorari. Amens ſit, neceſſum eſt, qui non aſſentiatur diuinæ virtuti in Ieſu exiſtenti; quando illo mortuo, ſub eius mero nomine tanta in effectum vocãtur. Solius enim virtutis diuinæ eſt poſſe operari, omnibus etiam inſtrumentis de medio ſublatis. Nec, mihi crede, magis ſperanda eſt, appareat virtus diuina; quam vbi omnia viſibilia diſpàrent auxilia. Hinc primi parentes eiecti à diuitijs paradiſi primum filium vocant Cain, dicẽs mater Gen. 4. *Poſſedi hominem per Deum.* Vnde peccatores homines Dei virtutem in prole data mirantur? Pulchre Claudius Mar. Victor, de illis canit lib. 2. in Gen. fatus:

Tandẽ cunctarum, quibus indiget vſus, egenos
Atque inopes rerum, docuit ſors vltima ſummi
Auxilium ſperare patris.

Expende illa: *Docuit ſors vltima ſummi auxiliũ ſperare patris*: vbi omnia illis deerant, vbi nihil præ oculis apparebat, quos miſeros foueret; tunc ſors vltima, defectus rerũ vniuerſalis dedit illis Deum ſapere, Deique auxilium ſperare, cuius eſt deficientibus cunctis euidentiſsime demonſtrari. Vide ſupra cap. 18. §. 7.

Ioſue cap. 23. Sicut ergo impleuit opere quod promiſit, & proſpera cuncta venerunt: ſic adducet ſuper vos quidquid malorum comminatus eſt, donec vos auferat, atque diſperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis, eo quod prẽterieritis pactum domini Dei veſtri, quod pepigit vobiſcum, & ſeruieritis dijs alienis, & adoraueritis eos: cito velociter conſurget in vos furor domini, & auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

§. XI.

Temporalia Dei dona dum nõ culpabiliter perduntur æterna ſolent ſignare.

NON Semel, ſed bis repetit Ioſue priuandos Iſraelitas rebelles terra promiſsionis, ait enim in primis: *Donec vos auferat, atque diſperdat de terra hac optima*: & poſt pauca rurſus ait: *Conſurget in vos furor domini, & auferemini ab hac terra, &c.* Suffeciſſet in tam paucis verbis id ſemel dixiſſe; cur maluit ſemel & bis id inculcare? Crediderim in duplici repetitione eiuſdem pœnæ, duplicis terræ priuationes notare; nimirum tam terræ huius temporalis, quam terræ viuentium. Culpæ enim, quæ dona temporalia à Deo profecta, & ſpeciali prouidentia ad animæ ſalutem ordinata perdunt,

perdunt, etiam solent æternam perditionē nuntiare. Gen. 3. *Emisit eum dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, &c.* Ecce tibi Adamus per peccatum amisit donum terreni paradisi à Deo sibi datum, & quid interea? Sanè cum videret terrenū paradisum amissum, maior hominem solicitudo mordebat, an similiter à cœlesti esset excludendus paradiso? Ait Claudius Marius Victor. lib. 1. in Gen.

Ergo hinc electi iuuenes, terrisque relati
Perdita dimissi suspirant gaudia Luci.
Quò ruerint, quid perdiderint, quæ vita sequatur,
Quæ fuerit, tacita tristes in mente volutant.
Porro etiam quid se supremo in fine futurū est
Hærent soliciti, sibi num grauiora superfint.
Nulla ne spes suppetet miseris, nū morte perēni
Perdant, quod supereſt.

Sic in temporali amisso dono solicitantur metu perdendi æterna. Perditio enim temporalis doni ad æternitatem speciali ter dati annuntiare solet perditionē æterni futuri. Nec miror, quando non amissa Dei dona temporalia etiam æterna annuntiant. Dixerat 3. Reg. cap. 21. *Dormiuitque Salomon cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid, &c.* Ad quæ disputari solet de ipsius Salomonis salute æterna, si eam obtinuerit. Pro qua quæstione soluenda ait Tichonius Afer in 4. Regula de Promiss. diuin. *Quid dicimus de Salomone? Cum Deo est, an post idololatriam reprobatus? Si reprobatum dixerimus, occurrit vox Dei, quæ dicit, nec terræ quidem regnum auferri Salomoni propter Dauid, sicut scriptum est in libro regnorum. Quo manifestum est, cum Deo esse Salomonem, cui regnum terræ non est ablatum, & cui dictum erat: Misericordiam meam non auferam ab eo.* Sic vir doctus firmat regulam suam quartam de cognoscendis diuinis promissionibus; vt quando eò deductus est Salomon, ne sibi promissum à Deo & datum regnum quasi æterni regni pignus perdiderit, sed semper in eo perseuerarit, credatur ad æterna etiam regna euolasse. Sic enim ait: *Quo manifestum est, cum Deo esse Salomonem, cui regnum terræ non est ablatum.* Habent enim hoc dona diuina etiam temporalia, quæ particulariter à Deo proficiscuntur, & ordinantur ad supernaturalem finem, vt dum tenentur, æterna etiam secum trahant. Quis enim velit, æternis spoliari bonis eos, quos Deus peculiari affectu sua manu ditauit; nec pœnitentia ductus, eos donis tēporalibus spoliauit? Dan. 13. de Susanna ait: *Cum duceretur ad mortē, suscitauit dominus Spiritum Sanctum pueri iuuenis, cuius nomen Daniel: & exclamauit voce magna: Mūdus ego sum à sanguine huius.* Et post iudicium factum, conuictosque falsos senes, & necatos, ait: *Saluatus que sanguis innoxius die illa.* Magnum hoc, quod innocens fœmina vitā donaretur à puero Daniele Spiritu diuino imbuto, cum esset in penè desperato discrimine, & deplorata iā esset à suis. Sed accipe maius, nimirum ex quo Susanna vitam temporalem accepit, & morte liberata est per Danielem plenū Spiritu Sancto, putat Augustinus à nemine de eius salute æterna posse dubitari. Ait enim lib. de Virginit. *Absit, vt à Daniele de temporali iudicio liberatā Paulus mittat in Gehennam:* quasi nec Paulus, nec sapiens aliquis velit damnationis reos putare eos, quos vident Dei spiritu in temporalibus fuisse specialiter iuuatos, vt in illis permanerent. Credebatur enim Paulus à multis hæreticis, damnasse coniugatos; quorum obstruit os Augustinus exemplo Susannæ coniugatæ, quam vt liberauit Daniel ex Dei spiritu à temporali periculo, non illam conijceret Paulus in æternum. Spiritus enim diuini est, sic sua diligere beneficia, vt ex primis possint sperari summa. Quo refero illud Ioan. 13. *Cum dilexisset suos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos.* Primam temporis huius dilectionem comitata est summa. Vt dicat Filibert. Carnotensis epist. 1. ad Adeodatum: *Potentis mysterij secretum hoc tantum fides teneat, quia quidquid inter homines Deus egit, aut pertulit, causa seruandi generis humani, aut reparandi gratia fuit: in quo beneficia sua, quæ ab initio dederat, sic semper dilexit, vt nostris malis licet offensus, pronior semper ad indulgentiam foret, quàm ad vindictam.* Sic ibi. Sic enim diligit sua beneficia Deus, vt in quo aliqua videat, pronior sit ad indulgentiam præstandam, quam ad vindictam fumendam de eius delictis.

Tich. Af.

3. Reg. 21

Dan. 13.

Augustin.

Ioan. 13.

Fil. C. 78.

Iudicum cap. 2. Ascenditque Angelus domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui patribus vestris, & pollicitus sum vt non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita dūtaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum subuerteretis, & noluistis

Gen. 3.

Cal. Ma. Victor.

stis audire vocem meam: cur hoc feciſtis?

§. XII.

Sub Ieſu radijs, vel carneus homo angelus apparebit.

ORANTI Ioſue apud populum dicitur Angelus apparuiſſe, qui Ioſue orationi quaſi colophonem appoſuit reprehenſionem criminum, quibus Iſraelitæ paſsim hoſtibus parcebant, nec exterminabāt, vt noſter Salianus refert in anno 17. Ioſue principis. Quippè ait textus: *Aſcenditq́, Angelus domini de Galgalis*; nec eſt prorſus ignobilis opinio Vatabli & Saa, qui putant nomine Angeli huius intelligi debere aliquem hominē prophetam â Deo miſſum, qui Ioſue loquenti aſsiſteret, & inſuper adderet reprehenſionem de ſuo. Non enim mirarer, quod homo propheta Ioſue annuens Angelus diceretur: vt ſic noſtri diuiniſsimi Ieſu gloria euidentius effulgeret, cuius ſub radijs etiam carnei homines Angelorum ſpecies præmittunt. Actor. 6. dum Stephanus coram iudicibus iniquis ſiſteretur; *Intuentes eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius, quaſi faciem Angeli.* Sic vel inimicorum oculis præſentabat Stephanus Angelicos vultus. Sed vnde carneus homo potuit apparêre Angelus ipſis inimicis? Aiebat ille Actor. 7. poſitus in eodem concilio: *Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem â dextris virtutis Dei.* Erat illi è regione Sol iuſtitiæ Chriſtus Ieſus, ſub cuius radijs eam ſpeciem recipiebat vultus, vt Angelus poſſet putari, vel ab inimicis. Ait D. Aug. hom. 15. de Sancto Steph. *Adapertis cœlis aſpectus mutatus eſt confeſſoris. Et cæpit tanquam ſole illuſtratus iuſtitiæ ita ſplendeſcere, vt humanā ſpeciem non haberet, ipſis patentibus cœlis, ipſis teſtantibus inimicis. Nam ſtabat in medio luporum, & erat facies eius tanquam facies Angeli.* Expende illa: *Et cæpit tanquam Sole illuſtratus iuſtitiæ ita ſplendeſcere, &c.* Quibus aliquid in Stephano meditatur de Iridis exē plo; cum enim obſcuris, nigriſque nubibus cœlum obducentibus è regione Sol appâret, pulchros in ſpeciem arcus colores ebibit nubes, quæ talis picta coloribus Iris vocabatur à gentibus, eaque velut Iunonis nūtia cæpit haberi. Sic Stephanus carneus homo, & inde obſcurus, dum adeſt concilio nequiſsimorum, habens cœlis apertis è regione Ieſum verum iuſtitiæ ſolem, de eius radijs ſic cæpit ſplendeſcere, vt ſupra hominem cæperit haberi, & Angelum, hoc eſt, Dei nuntium reputari cæperit. Hinc Matth. 11. dicebat Ieſus de Ioanne: *Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Et quando vniuerſi prophetæ miſsi fuerant ante Chriſtum, vt ei viam pararent, eiuſque aduentum prædicerent, ſignificarent; cur de ſolo Ioanne intelligenda ſunt illa verba dicentia: *Ego mitto Angelum meum?* Cur ſub Angeli miſsi vocabulo ſolus Ioannes debet intelligi? Ait D. Chryſoſt. in operibus Imperfecti hom. 27. in Matth. *Quomodo de ſolo Ioanne, quaſi gratiæ ſingularis eſt indicium: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam? Omnes quidem prophetæ ante faciem Chriſti tranſmiſsi ſunt, ſolus autem Ioannes ſic miſſus eſt ante faciem Chriſti, vt penè cum ipſo Chriſto veniret.* Quādo ſolus Ioannes è prophetis iunctior Chriſto fuit, eiuſque potitus eſt è regione diuiniſsimam præſentiam, ſic ſub eius radijs illuſtratus eſt, vt meritò ſolus angelus haberetur. Dicitur Ioannes Matth. 11. miſsiſſe diſcipulos ad Ieſum, qui interrogarēt: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Ex quibus aliqui male collegerunt, Ieſum non fuiſſe notum Ioanni. Quos penitus conficit D. Hilar. ibi eo ſolo argumento, quod Ioannes dicatur Angelus; vt enim homo carneus angelus appareret, debebat oriri ex radijs Ieſu, vt ex radijs Solis oritur, quod Iris appareat. Ait Hilar. *Et quomodo Chriſtum ignorare creditur, qui miſſus in angeli poteſtate viam venturo parauerit?* Expende illud: *Qui miſſus in angeli poteſtate, &c.* quippè vt in poteſtate Angeli apparebat, non poterat Ieſum ignorare, de cuius cōſpectus radijs habebat, vt appareret angelus. Is eſt noſter Ieſus, qui quos propinquius irradiat, faciat Angelos. Quo reſpiciens Sapiens, cap. 16. aiebat: *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum.* Ea eſt enim eſca diuina, qua Chriſtus ſumitur, vt per eam in ſortem angelicam tranſire poſsimus.

Salianus.

Actor. 6.

Actor. 7.

D. Aug.

D. Chryſ.

Matt. 11.

Hilar.

Sap. 16.

§. XIII.

Cœleſtia omnia commouentur in peccatores.

CERTIVS Creditur Angelus veniſſe, vt increparet, morderetque Iſraelitas ob inertiam, qua hoſtibus ſuis parcebant, ſic enim ait: *Aſcenditque Angelus*

Angelus domini de Galgalis ad locum flentiũ, & ait: Eduxi vos, &c. Erant equidem tot Israelitæ præuaricatores legis diuinæ in parcendo hostibus, vt minimè eos Iosue cohibere posset, vt notat Abbul. quæst. 9. & 10. in Iudices: quapropter venit Angelus Dei, qui eos maximè increparet, fortiterque reprehenderet. Et nõ dicitur Angelus missus â Deo, sed quod ipse ascenderit de Galgalis. Nec mirum hoc debet videri; quando vbi Deus irascitur in peccatores, omnia cœlestia ex se in eos cõmouentur. Dum Balaam Madianitarum legatis aduersus Israelitas annueret, ait Numer. 22. *Et iratus est Deus, Stetitque Angelus domini in via contra Balaam.* Expende illa: *Iratus est Deus, stetitque Angelus, &c.* vbi in miserum hominem Deus iram concepit, statim Angelus ex proprio motu sese aduersus eum dedit, & euaginato gladio hominem perterrefaciebat. Est enim hoc naturale angelicis spiritibus, vt se ostendant aduersus eos, qui iram Dei merentur. Aiebat D. Augustin. quæst. 49 super Numer. *Et iratus est animatione Deus, quia ibat ipse, & surrexit Angelus Dei differre eum in via. Vbi primò notandum est, quemadmodum iratus est Deus, & insurrexit Angelus Dei: nec interposuit, iratum Deum misisse Angelum, sed tanquam per Angelum iratum Deum significabat; quoniam veritas, & iustitia Dei iratsci angelum fecit.* Ponderanda sunt illa: *Nec interposuit, iratum Deum misisse Angelum, &c.* quippè non videtur expectare Angelus, quòd mittatur a Deo aduersus eos, qui diuinam irã peccatis suis excitant, sed ipsi statim auolant, vt increpent, & cohibeant reos. Est hæc virtus omnibus cœlestibus, vt in peccatores, in quos Deus irascitur, ipsa armari vellent. Hinc Gen. 3. post Adæ peccatum, post iram Dei in illũ ostensam, ait textus: *Fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Sanè pellibus muniri solent homines aduersus hostes, vt tela inimica repellant. Et quorum tela duo illi primi, & soli homines timeãt, propter quæ depellenda muniri debeãt pellibus? Fateor nullum fuisse in terris hostem illis timendum, at ex quo peccato suo iram Dei meruerant, omnia celestia armabantur in eos, eosque percuterent, nisi se defenderent. Pulchre ait Claudius Marius Victor. lib. 1. in Gen.

Dixit, & ignaros ne cœli iniuria ladat,
Veste tegit pecudum.

Addidit prouidus Deus pelleum vestimentum homini; ne miseroscœli iniuria peteret, & læderentur; quando cœlestia omnia prona sunt ad percutiendos eos, qui in Deum peccant.

§. XIIII.

Magna est malitia peccatoris, quæ beneficum sibi prius querulum facit, quam vindicem.

DICITVR In præsenti venire Angelus, qui voce querula proponat, imò exprobret beneficia a Deo populo exhibita, cum ait: *Ascendit Angelus domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram &c. ita dum taxât, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum subuerteretis, & noluistis audire vocem meã, &c.* Non gladium stringit, non percutit reos, sed exprobratis beneficijs, se querulum in Dei nomine de eorum ingratitudine ostendit. Numer. 22. pessimus ille Balaam: *Vidit Angelum stantẽ in via euaginato gladio, &c.* In Maleficum hominem Angelus domini gladium stringit, in populum idololatram & rebellem, nullum stringit gladium, solas promit querelas de malè acceptis beneficijs. Et cur non potius gladium ostendit, quam querelas? Cur non magis in præsenti se percussorem, & vindicem sceleratorum ostendit, quãm querulum? An quia horum scelera minora erant? Absit; non enim parua sed magna est malitia, quę in benefactore prius querelas excitat, quam extorquet verbera. Isaiæ cap. 1. sic Deus: *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam dominus locutus est. Filios enutrivi, & exaltaui. ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit: Va genti peccatrici, &c.* Mirabar sic Deum querentem de Iudæis, quos facili negotio posset conterere. Si adeò pessimi sunt miseri Iudæi, cur domine citius non curris ad ferrum, quàm ad querelas? Cur mauis queribundus videri, quam vindex iniquitatum? An quia leuiores erant, quã quæ deberent ferro vindicari? Imò inde notantur grauissimæ esse Iudæorũ iniquitates, vt quę in adeò beneficum Deo prius extorqueant querelas, quàm gladium. Aiebat D. Zeno serm. 3. de Isaia: *Humanus circa impietatem iudaici populi deficit*

Num. 22.

D. Aug.

Genes. 3.

Cla. Mar.

Num. 22.

Isaiæ 1.

D. Zeno

fœi ſermo, qui Dei patientiam ſui obſtinati cordis impatientia ſuperauit: non enim leue crimẽ eſt, cum de eo ille queritur, qui mox eum poterat & punire. Poterat equidem Deus confeſtim ſtringere gladium, & percutere Iudæos peccantes; ſed quod gladio dimiſſo prius in querelas ire malit, hoc ſignum eſt criminis Iudæorum immanis. Ioſue noſter cap. 10. poſt clariſsimam de hoſtibus ſuis victoriam reportatam, quos nouerat abſconditos in ſpelunca quinque Reges coram ſe iubet adduci. *Cumque adducti eſſent ad eũ, vocauit omnes viros Iſrael, & ait ad principes exercitus, qui ſecum erant: ite, & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum: Percuſſitque Ioſue, & interfecit eos, atque ſuſpendit, &c.* Ecce tibi Ioſue captos Reges minime alloquitur, nec exprobrat eorum inhumanitatem, qua in populum immerentem ſumpſerant arma: ſed nullo facto de ijs verbo, illos à ſuis calcari, & occidi mandat. Aliter factum fuit cum Sedecia Rege 4. Reg. 25. Is enim accipiens Regnũ de manu Nabuchdonoſoris, tandẽ rebellauit aduerſus Babylonios, à quibus expugnatus fuit, & miſerabiliter captus, & ad Regem Nabuchdonoſorem adductus. Ait enim textus: *Apprehenſum ergo eum duxerunt ad Regem Babylonis in Reblatha: qui locutus eſt cum eo iudicium, &c.* Quod ſi cupis ſcire, quæ iudicia locutus fuerit, accipe Ioſephum lib. 10. cap. 11. ſantem: *Quem poſtquam in conſpectu habuit Nabuchodonoſor, impium & fœdifragum vocare cœpit. Exprobrabat etiam ingratitudinem, quod cum à ſe accepiſſet Regnum Ioacimo fratri debitum, acceptâ poteſtate abuſus eſſet in authorem beneficij.* Mirabar ſæpe barbariſsimo Regi irâ pleno potuiſſe vacare, in verba & querelas aduerſus perduellem ſuum ire, cum vacaret in gladium ire. Ioſue infeliciſsimos ſibi hoſtes capiẽs, nihil prius attendit, quàm eos conculcare, & interficere; barbarus autem Nabuchdonoſor perduellem habens in manibus, gladium differt, & totus in querelarum verba effunditur. An quia patientior quàm Ioſue Nabuchdonoſor differt gladium, & ſolis querelis inſtat? Abſit; ſed quia maior culpa rebellis Sedeciæ, grauiorque offenſa prius debebat oſtendere benefactorẽ ſuũ querulum, quam vindicem. Pulchrè nãque ajebat Zeno: *Non leue crimen eſt, cum de eo ille queritur, qui mox eum poterat & punire.* Facit magnitudo commiſſi, vt antea querelis petatur, quam ſupplicijs.

Ioſue 10.

4. Reg. 25.

Zeno.

§. XV.

Quæ de proprijs Dei nobis dantur, maiora ſunt, quàm quæ ab alio poſsint recenſeri.

ANGELVS Mittitur, qui populo Iſraelitico exprobret beneficia à Deo in illum profecta, quippe ait: *Aſcenditque Angelus domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi vos in terram, &c.* At beneficia, quæ a Ieſu in nos deueniunt, non Angelo percenſenda credentur, ſed ipſiſsimus Ieſus deueniet, vt illa percenſeat, & rationem exigat, iuxta illud Matth. 25. vbi poſt data talenta ſeruis dicitur: *Poſt multum vero temporis venit dominus ſeruorum illorum, & poſuit rationem cum eis.* Expende illud: *Venit dominus ſeruorum illorum:* non miſſus eſt alius conſeruus, ſed ipſe per ſe dominus venit, & data ſua recenſet. Et cur id munus non magis Angelo creditur? Cur Angelo illi, cui credita ſunt beneficia facta a Deo Iſraelitico populo; non credentur beneficia facta a Ieſu omnibus populis? Beneficia populo Iſraelitico facta a Deo, de bonis Dei erant; ſed de illis bonis, quæ extrinſeca, & exterſora erant, & ideo facile creaturis committitur eorum cenſus: at beneficia a Ieſu in nos profecta, de bonis proprijs, & intrinſecis Deo veniebat, quando in Ieſu datus eſt nobis ipſe Deus, & data vita, & ſanguis Dei in redemptionem; quæ dona, vt de proprijs ipſius Dei erant, ſic no ab alio, quam ab ipſo debebant exigi. Vt dicat Euſeb. Gallicanus hom. 2. de Symbolo: *Ipſa neceſsitas veniendi ingentem conteſtatur ſolicitudinem iudicaturi. Per ſe deſinit exigere, quod de ſe dedit.* Equidem quæ ipſam Dei ſubſtantiã, ipſaq; e Deo intrinſeca bona nobis præſtant, maiora beneficia ſunt, quam quæ ab alio poſſent recenſeri, niſi ab ipſo Deo. Ipſe per ſe exigat, neceſſum eſt, quæ ipſe de ſe dedit. Quo ſpectans forte D. Paul. 1. ad Cor. 11. dicebat: *Qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diudicans corpus domini.* Quid eſt iudicium ſibi manducare? Aut cur iudicium in ipſa eſca ponitur? Poterat enim dicere, quod qui indigne manducat, in rigidũ deueniet iudiciũ. Dicebat Spiritus, c. 6. *Horrende, & cito apparebit vobis, quoniam*

Matt. 25

Euſeb. Ga.

D. Paulus

quoniã iudiciũ duriſsimum, in vs, qui præſunt, fiet. Cur ſimili modo indigne mãducãtibus cœleſtem panẽ non minatur futurum iudicium; ſed mauult ibi in ipſa eſca oſtendere eſſe iudicium? Vt in eſca donum erat corporis domini, ſic crediderim ibi ſignificatum, vt non aliunde, nec ab alio iudicium expectandum ſit; vbi enim donum ipſa Dei ſubſtantia eſt, ibi ſimul eſt, qui rationem exquirat, qui iudicet accipientem.

Bald. Ait Balduinus in Alleg. Filmamni: *Quare iudicium ſibi manducat? Quia magis iudicem, quam ſaluatorem manducat, non diiudicans corpus domini.* Qui abutitur tanto dono, quod de ſe dominus dedit, in illo ipſo habet iudicem; ipſe enim Ieſus exquiret, non erit alius qui reposcat. Ex quo pulchre

D. Pat. D. Patianus in Paræneſi ad pœnitentiam ait: *Qui manducat, inquit, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit. Euigila peccator; time in viſceribus tuis præſens iudicium, ſiquid tale feciſti.* Non alia ſpectes; non aliunde putes venturum, qui donum reposcat cœleſtis conuiuij: vt enim ibi datur Chriſtus Dei filius, ſic inibi adeſt ipſemet exactor tanti doni; mauul enim perſe exigere, quod de ſe dedit; nullique creditur creaturæ de tanto beneficio iudicium.

Iudicum cap. 2. Quam obrem nolui delere eos à facie veſtra: vt habeatis hoſtes, & dij eorum ſint vobis in ruinam. Cumque loqueretur angelus domini hæc verba ad omnes filios Iſrael, eleuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt. Vocatum eſt nomen loci illius, Locus flentium, ſiue lachrymarum, immolaueruntque ibi hoſtias domino. Dimiſit ergo Ioſue populum, & abierunt filij Iſrael vnuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, vt obtinerent eam; ſeruieruntque domino cunctis diebus eius.

§. XVI.

Illæ lachrymæ & fletus ſunt ſaluti, quibus opera virtutis adduntur.

PROH Diuini verbi efficaciam! Vix per os angeli intonuit, & ſe audiri ab Iſraelitis fecit, dicit nãque: *Cũ loqueretur Angelus domini hæc verba ad filios Iſrael, eleuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt: immolauerunt que ibi hoſtias domino*: Nõ quod fleuerint ſolum, ſed quod fleuerint ſimul & immolauerint hoſtias domino, oſtendunt vt ſalutariter audierint diuinum verbum. Quis enim verbi Dei exauditi ſalutem ſperaret in flente, & nihil faciente? Dicit Ieſus dominus Ioan. 8. *Qui ex Deo* *Ioan. 8.* *eſt, verba Dei audit.* Et quis magis audit verbum Dei, quàm ille, qui ſic ad ſonitum eius commouetur, vt totus abeat in lachrymas, & in fletus? Nonne qui de verbo Dei audito lachrymatur, ille & verbum Dei ſic audiſſe creditur, vt ex Deo eſſe reputetur? Non ſanè ſi ſolum lachrymẽtur, & nihil aliud faciat, ſalua res eſt: ſed tunc lachrymæ illi ſaluti erunt, cùm & manus virtutum operibus adhibuerit. Ait enim D. Greg. Pap. in hom. *Sunt nonnulli,* *D. Greg.* *qui libenter verba Dei ſuſcipiunt, ita vt etiam in fletibus compungantur: ſed poſt lachrymarum tempus ad iniquitatem redeunt; hi profecto verba Dei non audiunt, quia hæc exercere in opere contemnunt.* Non fletus, nec lachrymarum flumina ſufficiunt, vt ad ſalutis portum, ad Deum deferant, niſi fletibus tuis virtutum opera adiuncta fuerint. Thren. 2. ait Ieremias: *Thren. 2.* *Conſurge, lauda in nocte in principio vigiliarum; effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum domini: Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium compitorum.* Duo ibi petuntur; & quod corda ſicut aquam effundamus coram domino, & quod manus porrigantur ad deficientes paruulos. Nec enim ſufficiet quod à cordis vena erumpant fontes lachrymarum, niſi & manus extendantur ad pauperes, aliaque virtutum opera præſtanda. Rupert. lib. 1. in Ierem. cap. 54. *Conſurge igitur, &* *Rupert.* *arma tua corripe, arma vigiliarum, arma lachrymarum, quod eſt effundere ſicut aquam cor tuum, & hoc ante conſpectum domini, vt fortiſsimum dominum ordinata fortitudine tenere poſsis. Memento interea leuare ad eum manus tuas; parum quippè fortitudinis eſt in vigilys, in lachrymarum effuſione, niſi porrigendo eleemoſynam, & cætera faciendo pietatis opera, leues ad Deum, leues ad cœlum manum.* Huc conueniant mulierculæ, quæ vt ſunt promptiſsimæ

ad lachrymas, ſic difficiles ſunt ad robora virtutum præſtanda; vel Dei verbulo audito ſuſpirant, lachrymantur largiter, ſed vanitati minime renuntiant, ſed manus nō tendunt ad fortia. Huc etiam accedant viri, qui profluentibus lachrymis rigant altaria, cum interea manus aridæ illis ſunt, quæ minime extēduntur ad pauperes. Profecto parum fortitudinis eſt in lachrymis, quas opera virtutum minime comitantur.

§. VII.

Sacrificia Deo de lachrymis pinguescunt.

ALachrymis ad immolationem accedunt hoſtiarum; cum dicat: *Eleuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt; immolauerunt itaque ibi hoſtias domino.* Et quàm pingues Deo ſunt hoſtiæ, quæ lachrymis litantur! Ait Pſal. 19. *Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.* Et ſcire cupis, qualiter impinguari poſsit holocauſtum? Ait D. Greg. Pap. hom. 20. in Ezech. *Sunt quidam, qui etiam ſæculum relinquentes, totum quidem, quod habent, offerunt, ſed tamen in bonis, quæ agunt, minimè compunguntur: & bonum, quod agunt, holocauſtum eſt, ſed quia flere, ac ſemetipſos dijudicare non ſciunt, ſeque ex amore ad lachrymas non accendunt, perfectum eorum holocauſtum non eſt. Holocauſtum quippè ſiccum eſt bonum opus, quod orationis lachrymæ non infundunt. Holocauſtum verò pingue eſt; quando hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lachrymas irrigatur.* Sic lachrymæ & pinguedinem, & perfectionem addunt noſtris holocauſtis; ſine quibus & arida, & exilia ſunt omnia. Vis homo ſacrificium, holocauſtum vè Deo offerre perfectum, quod vndequaque placeat, adde holocauſto tuo teneritudinem cordis, fluentum lachrymarum, quæ ſi deficiant communibus holocauſtis tuis, non eam pinguedinem referent, qua perfecte Deo placeant. At ſi immaculati agni â te in altare oblati ſacrificio hæc cordis teneritudo, quæ ſolet lachrymis explicari, deficiat, fallar, niſi inde poſsis timere aliquod malum, ſiue aliquam infirmitatem. Aiebat Amos, cap. 6. *Væ, qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſrael:: Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti:: & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Hęc pauca è multis ibi obiectis ſecernere malui; objicitur enim populi proceribus, quod domum Dei pompatice ingrediantur, ibique comedant agnum diuiniſsimum, vitulumque ſaginatum; & nihilominus nihil patiantur ſuper contritionem Ioſeph. Cum enim totum illud conuiuium cœleſtis agni halet Ieſu contritionem, Ieſu crucifixionem, Ieſu mortem, quis inter hęc nihil patiatur? Quis ſiccis oculis valeat iſta recordari? Ait Ruper. lib. 6. in Ioan. *Dicit eis rex tam acriter, quā ſapienter:: Tota beatitudo veſtra eſt, ingredi pompatice domum domini, comedere agnum de grege; & nihil patimini ſuper contritionem Ioſeph. Vere enim non compatimini, neque cōpaſsione charitatis paſcimini in contemplatione ſignorum, quæ videtis, id eſt, myſteriorum, quæ in altari commemoratis, nihilque omnino patimini ſuper contritione dicentis: Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Acris hæc querela Dei eſt aduerſus eos, qui diuiniſsimum agnum comedentes, in altarique ſacrificium offerentes, omnes illa myſteria duro corde, ſiccis oculis peragunt; nullumque vel cordis luctū, vel animi teneritudinem patiuntur. Suſpectum equidem eſt ſacrificium diuiniſsimi altaris; quod corde duro, & ſiccis affectibus, ſine vllo compaſsionis motu peragitur. Sanè ad minimum deficit medulla ſacrificio tali: Aiebat Pſal. 65. *Holocauſta medullata offeram tibi.* De quibus ait D. Greg. vbi ſupra: *Quiſquis bonum opus agit, ſed omnipotentis Dei amore flere neſcit, holocauſtum habet, ſed medullam in holocauſto non habet. Qui vero bona operatur, ſeque ipſum ex amore, quo accenditur, in fletibus mactat, holocauſta domino medullata dedit.* Hinc medulla accedit noſtris holocauſtis, ſi ea comitantur lachrymæ.

Ruper.

Pſal. 65.

D. Greg.

CAPVT VLTIMVM

Ioſue mors.

Textus Hiſtoria.

IANDEM Morti viciniorIoſue vocata in Sichem populi vniuerſi concione, ſummatim perſtringit quæcumque a Deo in illos profecta fuerant beneficia. Nil reliquit eorum, quæ fecit Deus Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo, & Eſau. Rurſus addidit facta in Ægypto, in ſolitudine, in terra Amorrhæorum, vſque dum ad Iordanem peruentum fuiſſet. Tandem percenſet

vniuer-

Pſal. 19.

D. Greg.

Amos, 6.

vniuersas post Iordanem victorias, & triũphos. Quibus propositis, idola omnia sunditus perdi iubet: licet enim nullum in aperto Idolum coleretur, in tanta & tali populi turbà credebantur aliqua occulte seruari idola, quæ seduloexterminari curat bonus princeps. Res vt alacriùs fiat, artificiosam optionem populo permittit, nimirum vt eligant sibi colendum Deum, authorem tantorum bonorum; aut Idola gẽtium casa, & inutilia. Vna fuit totius populi vox, vnũ votum, quo se Dei veri seruituti obstrinxit; pro cuius signo lapidem Iosue statuit iuxta tabernaculum, qui æternum testaretur populi deuotionem in Deũ viuum. Post hæc dimissis populis in terras suas, Iosue in senectute bona euolauit ad superos, nulla enim terra meruerat diutius retinere tantum principem. Datum tantũ est popularibus, quod eius tractarent sepulchrum in Tamnathsare, vbi ab vniuerso populo cohonestatum fuit eius funus.

MORALIA CIRCA textum.

VIDIMVS Aliquando ab oculis viuentium abscondi Moysi sepulchrũ; nunc Iosue sepulchrum ob oculos omnium constituitur; vt innotescat mũdo, diuinissimi Iesu quàm sit mors, & sepultura conspicua.

Iosue cap. 24. Congregauitque Iosue omnes tribus Israel in Sichem, & vocauit maiores natu, ac principes, & iudices, & magistros, steteruntque in conspectu domini, & ad populum sic locutus est: Hæc dicit dominus Deus Israel: Transfluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruieruntque dijs alienis.

§. I.

Nil est in Iesu, quod nostrum non sit, nempe nobis datum, nobis natum.

QVI Transfluuiũ habitauerunt, Thare, & Nachor, patres Abrahami, seruierunt dijs alienis, sic enim dicit: *Transfluuiũ habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruieruntque dijs alienis.* Omnia equidem aliena, & extranea inueniebant in dijs suis, qui minime odorabantur fluminis transitum in Christiano baptismate. Nos autem salutiferi fluminis impetu lætificati, hoc habemus in primis, quod nihil alienum, & extraneum agnoscamus in Deo nostro Iesu; nihil enim illius est, quod nostrum non sit. Luc. 19. videns Iesus ciuitatem Ierosolymitanam fleuit super illam, dicens: *Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Expende illud: *In hac die tua*; præsens enim ille dies notanter dicebatur dies Ierosolymitanorum. Et cur dies ille vocabatur dies illius vrbis? An quia diei illius fruebatur vsurà? Hoc quidem commune erat omnibus animãtibus tunc existentibus; nec inde magis erat dies Ierosolymæ, quam asselli, qui vectabat Iesum. Qua ergo ratione dicebatur dies ille esse proprius dies illius ciuitatis? Sumpserat sibi Iesus illum diem; & vt erat dies Iesu filij Dei, inde singularissime erat Ierosolymæ dies; quando nihil est Iesu, quod nostrum non sit singulari iure. Ad hæc Euthymius aiebat: *Si cognosceres & tu in die hoc, id est in hoc tempore, quo ego hìc conuersor: tuum enim est, quia propter te potissimum humanitatem assumpsi, & peregrinus effectus sum.* Vbi tempus illud Iesu erat, non potuit non esse hominum expectantiũ Christum; quidquid enim est Iesu, non alienũ, sed nostrum reputamus illud. Hinc Matth. 6. iubemur petere: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et mirabar, quod nostrum vocemus quod petimus humiliter, & non exigimus. Si non exigere possumus illum panem, qualiter illum nostrum dicimus? Vnde habemus actionem ad illum, vt dicatur noster? Erat hic panis Christus Dei filius, propterea meritò nostrum reputamus illum. Vt dicat D. Cyprian. ibi: *Nam panis vitæ Christus est, & pa-*

Luc. 19.

Euthymi.

Matth. 6.

D. Cypria.

& panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt, & quomodo dicimus pater noſter, quia intelligentium, & credentium pater eſt: Sic & panem noſtrum vocamus, quia Chriſtus noſter, qui corpus eius contingimus, panis eſt. Fælices nos, quorum eſt noſter Chriſtus, quorum noſtrum eſt quidquid in Deo noſtro inuenitur. Iſaias namque, cap. 9. dicit: *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, &c.* Iſaiæ, 9. Quæ verba pulchre expendens D. Bern. hom. 3. ſupra Miſſus eſt, dicit: *Nobis, inquam, non ſibi, qui vtique ante tempora multo nobilius natus ex patre, naſci temporaliter non indigebat ex matre. Non angelis quoque, qui quem magnum habebant, paruulum nō requirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus, qui a nobis neceſſarius. Iam de nobis dato, & nato faciamus ad quod natus eſt, & datus. Vtamur noſtro in noſtram vtilitatem.* Quid pulchrius? Vtinam vt Ieſus noſter eſt, hoc tāto bono noſtro ſic vtamur, vt magnam inde vtilitatem percipiamus. D. Bern.

§. II.

Baptiſmi aqua facit, vt verum Deum non alienum, ſed patrem ſentiamus.

MERITO Dicit: *Transfluuium habitauerunt patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, ſeruieruntque dys alienis, &c.* Et quidem non miror, quod Deos haberent alienos, qui trāſfluuium habitabant, nec eius tranſibant aquas: Ipſiſsimus enim Deus verus quaſi alienus oſtenditur ijs, qui nondum baptiſmi aquas tranarunt. Vt merito dicat D. Chryſoſt. hom. 20. in Matth. *Nondū quippe initiatus baptiſmatis ſacramento, non poteſt Deum patrem vocare.* Sic quaſi alienum experiuntur etiam creatorem ſuum nondum baptizati, vt illum patrem vocare minime audeant. Nec mirum, quando diuini patris notio, & vox primo in aquis intonuit, dū Ieſus baptizabatur; dicit enim Lucas, cap. 3. *Ieſu baptizato, & orante apertum eſt cœlū, & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in illum, & vox de cœlo facta eſt; Tu es filius meus dilectus, &c.* Non equidem alterius, ſed patris vox intonabat cōpellans Ieſum filium ſuum: qui enim antea per creaturas loquebatur, vt vidit Ieſum ab aquis emergentem, per ſe ipſum voluit filium nominare, vt inde iam Deum patrem agnoſcerent baptizati. Ait enim D. Cyprian. orat. de Baptiſ. Chriſti: *Vox patris audita eſt cœlitus: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Huc vſque domine ſancte pater, non audiuimus te loquentem, qui multifarie olim patribus locutus es in prophetis, & per Angelos ſanctos, quibus ad diuerſa ſæpe myſteria à te legatio eſt iniūcta. Te ipſum non ita ante hoc tempus locutum audiuimus, vt perſonaliter tibi aſsignetur locutio, quam proferres. Hanc vocem à paternitate tua delatam, nemo eſt qui ambigat, &c.* Nulla ante hoc baptiſmi myſterium audita vox eſt, quæ cogeret putari eſſe vox patris. Sic alienum Deus pater ſe ab hominū conuerſatione oſtendebat, vt ſiquid illis vellet mandare, id vel prophetarum, vel Angelorum vocibus commendaret. Vbi autem ad baptiſmum ventum eſt, & Ieſus honorabat, imò fœcundabat aquas, quę filios Dei parerēt, tunc ſtatim intonuit vox, patris; itaque ſeſe oſtēdit, vt nemo ſit, qui ambigat in diuinis eſſe patrem, quem & noſtrum merito poſsimus appellare. Quò reſpiciens Paul. ad Rom. cap. 8. ait: *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginiſilyſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* E Chriſto domino, & nobis fit non paruus chorus fratrū; in quo ipſe primogenitus, & nos eius minores fratres eūdem communem patrem appellamus. Et vnde homines errones eò deducti ſumus, vt eundem cum Dei filio patrem habeamus? Id nobis præſtant baptiſmi aquæ: ait enim D. Niſſen. in cat. Græca D. Lucæ ad cap. 3. *In multis rurſus fratribus primogenitus eſt, vt pote qui nouæ regenerationis partū progenitus in aquâ illa, cuius partitudini columba aduolans obſtetricata fuit, per quam etiam ſui comparticipes conſimilis quoque generationis fratres ſibi adſciſcit, ac primogenitus inter illos exiſtit, qui poſt ipſum ex aqua, & ſpiritu renaſcuntur.* Ecce tibi vt aqua baptiſmi faciat, ne ſe Deus alienum nobis oſtendat, ſed vt cognati, & proximi in eius domo habeamur; & eum patrem, filiumque eius primogenitum fratrem teneamus. D. Cypr. Ad Rom. 8. D. Niſſen.

§. III.

Quidquid allectiuum in Idolis mundi, alienum eſt illis.

VOCANTVR Idola gentium à vero Deo dij alieni, dum ait: *Seruierūtque dijs alienis*: & merito alieni dij dicuntur, in quibus nil allectiuum propriū eſt,

est, sed omnia emendicata, & aliena illis sunt. Conijce oculos in omnia mundi Idola, & nihil in illis non alienum inuenies. Malignus ille spiritus dū rapere ad se animum mulieris primę studet, factus serpens, ad Dei præcepta recurrit, dicens Gen. 3. *Cur præcepit vobis Deus, &c.* primum verbum suum præcepti diuini recordatione adornat; & cur magis non aliud objcit fœminæ, vt eam trahat? Cur de thesauris suis non prætendit aliquod allectiuum, sed magis ad Dei præcepta festinat? Ait D. Athanas. orat. 1. contra Arian. *Sinuosus ille, & mille doli fraudisque magister diabolus, nihil sibi fidens, vt pote qui sciat humani generis ad veritatem amores, veritatis speciem vultumque prætendit, suum tamen interim virus comitibus suis & assectis inspergit. Ita quoque & Euam decepit, non sua loquens, sed Dei verba assimulans, &c.* Expende illud, *Non sua loquens, &c.* nihil suum prompsit, quia nihil suum habuit, quo mulierem alliceret. Sic omnia idola mundi, vt diabolico spiritu pinguntur, nihil non alienum habent, vt homines decipiant, & sibi cultum acquirant. Ad non sua, ad prorsus aliena, imò ad ea, quæ veri Dei sunt, recurrere debent, si quid splendoris amant adipisci. Actor. 19. *Tentauerunt autem quidam de circumeuntibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen domini Iesu, dicentes: Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat, &c.* Sic diabolico spiritu pleni Iudæi isti, vt de potestatis ostentatione oculos rapiant vulgi, ad nomē Iesu cōfugiunt; nihil enim lucrarentur, nisi sibi alienum, & extraneum Iesu nomen assumerent. Vt dicat D. Cyprian. Orat. de Baptis. Christi: *Ecce in nomine suo nihil quæstuarij peragunt exorcistæ, nec se eis deferre ipsi dæmones profitentur, sed nomen Christi etiam per lucrorum sectatores suæ gloriæ retinet potestatem.* Dum non se de alienis componunt, nihil peragunt diaboli ministri. Hæc est enim tota diaboli politia in Idolis suis, in ministris suis, quod aliena inuadant, & de alienis ædificēt illa, quibus ad se homines alliciat. Quod vt proprium est diabolici spiritus, sic à verò Deo maximè distat, cuius est aliena omnia maximè fugere: adeò vt dū creatoris omnium nomine insigniretur, statim caueat D. Aug. lib. 22. contra Faus. cap. 19. *Fabricatoris cœli & terræ non de alieno, sed de nihilo.* Non enim veræ diuinitatis est in alienis firmare potentiam suam. Id faciunt, qui diabolico aguntur spiritu, non qui veri Dei spiritu aguntur.

Iosue cap. 24. Tuli ergo patrē vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in Terram Chanaam; multiplicauique semen eius, & dedi ei Isaac; illique rursum dedit Iacob, & Esau: è quibus Esau dedi montē Seir ad possidendum, Iacob verò, & filij eius descenderunt in Ægyptum.

§. IIII.

De religione, & pietate in Deū censetur hominis prosapia.

VIDEO In Israelitarum serie per Iosue recensita poni Iacobi fratrē Esau, & minime poni Ismaelem cantatissimum Isaaci fratrem. Quippè locutus de Abrahamo dicit: *Dedi ei Isaac: Illique rursus dedi Iacob, & Esau, &c.* Et quando in illa generatione Abrahamidum meminit Esau, cur non meminit Ismaelem? Cur magis dignatus est recensere Esau in adeò sancta prosapia; & de Ismaele nullam fecit mentionem? De illo dicebat Gen. 21. *Cumque vidisset Sarafilium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eyce ancillam hanc, & filium eius, &c.* Ludus Ismaelis fuit causa, quod ejiceretur ab Abrahamidum familia; nec miror, nam ludus ille, teste Lyra, & hebræis alijs, vergebat ad Idololatriam; ideòque fortasse ludum illum vocabat seductionem D. Aug. tract. 11. in Ioannem. Qui ergo ad Idololatriam ibat, non mirer, quod à tam sancta Abrahamidum prosapia excludatur; quando nō tam ex carnali ortu, quam ex pietate, & religione hominis genus, & prosapia censeatur. Ezech. cap. 16. *Hæc dicit dominus Deus Ierusalem: Radix tua, & generatio tua de terra Chanaam.* At Israelitæ non de Chanaan, sed de Sem originem ducebant; quomodo ergo vocantur semen Chanaā, & non magis Sem? Descisserant à pietate Semi, & Chanaam impietates sectabantur, ideòque non in Semi, sed in Chanaam censentur prosapia. Ait ibi Theodor. ibi: *Chanaam siquidem execrationibus obnoxius factus fuit; & ab ano Noe seruitutis est con-*

demnatus. *Ab hoc, inquit, es oriundus, & nulla es cum Abrahã, & Sem cognatione coniunctus. Quorum enim pietatem repudiasti, horum etiam cognationem amisisti, & illa nobilitate prorsus spoliatus es.* Sic religio, & pietas in Deum designat singulorum prosapiam, ne quis præsumat nobile genus habere, quod impietate fœdauerit. Qui enim Deum negat, credat se bonis, & nobilibus parentibus negatum. Hinc baptismus christianus meritò vocatur regeneratio, dicente Ioan. cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Tunc enim renasci quis intelligitur, quando per professionem fidei, nobilissimæ cœlestique familiæ coaptatur. Vt dicat D. Zeno lib. 3. serm. 19. *Quid statis genere, ætate, sexu, conditione diuersi, mox vnum futuri? Fontanam semper virginis matris dulcẽ ad vterum conuolate, ibidemque vos vestra nobilitari fide scientes, quoniam quantum quis crediderit, tantum beatitudinis habebit.* Expende illud: *Vestra nobilitari fide scientes*: ab vtero enim sacri fontis iuxta fidem conceptam nobilibus iam familijs, & prosapijs coaptamur. Hinc Isaiæ cap. 1. ait dominus: *Filios enutriui, & exaltaui, &c.* de quibus post pauca etiam dicit: *Væ genti peccatrici, semini nequam.* Qui filij Dei vocabantur, statim semen nequam dicuntur. Quod notans Faustus Manichæus hæreticus, inscitiæ & contradictionis accusabat sacrum textum. Qui enim Dei filij erant, qualiter poterant esse nequam semẽ? Aduersus quem D. August. lib. 1. contra aduersarios legis, & prophetarum ait cap. 22. *Nesciens, ob hoc vocari semen pessimum, quoniam gratiæ Dei, qua eius filij facti fuerant, peccando degeneres extiterunt, eorum filij sancti, quorum imitatores esse voluerunt. Vnde illis alio loco dicit, Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa, quarum gentium sunt impietatem & malitiam sectati, ex quibus carnis originem nõ ducebant.* Sic de morum imitatione hominum genus censetur.

Ioan. 3.
D. Zen.
Isaiæ 1.
Faust. Manich.
D. Aug.

§. V.

Suauitas in fratres aptissima virtus est excipiendis diuinis.

NON Prætereundum est, quod Isaac solus dicatur datus à Deo Abrahamo, cũ ait: *Et dedi ei Isaac.* Sed ò bone, Abraham & Ismalem habuit, non ne & tu dedisti etiam ei Ismaelem? Cur hominem hunc à donorũ tuorum censu tollis? Scio Esau ante quam boni, aut mali aliquid fecisset à te odio habitus: ait Paulus ad Roman. 9. *Cum enim nondum nati fuissent; aut aliquid boni egissent, aut mali:: : Iacob dilexi; Esau autẽ odio habui*: & nihilominus hunc dignaris meminisse in familia Abrahamidum. Quid maius fecit Ismael, quod nõ solũ eiectus sit, sed nec nominatus in Abrahamidum censu, nec datus ex Deo dicatur? Inuenio ab Ismaele multum maturatã fuisse feritatem, & insolentiam in fratrem, eoque non miror eijciatur vt ineptus diuinis gratijs. Gen. 21. *Cum vidisset Sara filiũ Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eyce ancillam hanc, & filium eius, &c.* Cum visus fuerit Ismael ludere cum Isaac, tunc eiectus est à familia Abrahami; qui lusus erat superba quædam & arrogans despectio minoris fratris, qua illum depellebat, vt dicat Paul. ad Gal. c. 4. *Ille, qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum, qui secũdum spiritum.* Oderat Esau fratrem post benedictionem sibi vsurpatam, sed non tunc exterius illũ depellebat, nec arroganter persequebatur. At Ismael ante vllum damnũ acceptum, sic maturauit feritatem suam in fratrem, vt puer puerum persequeretur, & arroganter tractaret etiam in conspectu matris. Quo dignè eiectus fuit à familia Abrahamidũ, vt maxime ineptus recipiendis diuinis gratijs, quibus mirũ in modũ nos aptat suauitas in fratres. Ad hæc D. Aug. tract. 12. in Ioan. ait. *Ismael autem, non quia ex ancilla natus, exhæreditatus; sed quia superbus matri, superbus in filium matris, mater enim eius magis Sara, quam Agar: Sed quia superbus in fratrem, & superbus ludendo, quia deludendo. Quid ait Sara? Eyce ancillã, & filiũ eius. Non ergo illum viscera ancillæ eiecerunt foras, sed ceruix seruilis.* Crederetur ideo eiectus Ismael ab ingenua & nobili familia Abrahamidum, quia filius ancillæ erat; sed non obest coram Deo natiuitas carnis, vbi adest virtus animi. Ideo August. totam causam reiecti Ismaelis non ad natiuitatẽ carnis, sed ad affectus refert animi, nimirum quia durus, & superbus erat in fratrẽ. Hinc solũ censetur tota eiectio, & expulsio Ismaelis censeri debet, quod se fastuosum, & insolentem ostendebat erga minimum fratrem; qualiter enim tolerari posset in familia diuinis donis excipiẽdis electa ille, qui in fratrem durus, & ferus habebatur? Crede mihi, vna suauitas in fratres nos singulariter aptat, vt diuina dona excipiamus. Ioan. 11. post Lazarum mortuũ duæ

Ad Rom. 9.
Gen. 21.
Ad Gal. 4.
D. Aug.

soro-

sorores eius domi sedebant dolētes, & multi Ierosolymitani nobiles comitabātur eas. Interea nūtiatus fuit Iesu adūctus: *Martha ergo vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi*: & post pauca etiam vocatur à Iesu Maria: *Illa vt audiuit, surgit cito, & venit ad eum*:: *Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit, & exijt, secuti sunt eam, dicentes. Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi*: Nihil tale existimatum fuit de Martha: exijt, omnes manent, nemo est, qui putet illam ire ad monumentum, vt ploret. Cum autem exijt Maria, omnes statim putant illam in monumentum fratris ire, vt magis ibi ploret, & sequuntur illā. Et cur hoc mā gis existimarunt de Maria, quam de Martha? Credebatur Maria magis fratrem diligere, suauiori, & teneriori affectu illum prosecuta, ne miremur, quod inde ad se magis nobilium assidentium affectus trahat; quando & inde à Deo adiuta aptior reddita fuit, vt plura dona exciperet diuina. Accipite Rupertum sit fantem lib. 10. in Ioan. *Quando Martha surrexit vt domino occurreret, non secuti sunt Iudæi; quando vero Maria exiuit, vocante Martha, non vocantē Martham, sed Mariam solam sunt secuti, dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. Cur hoc? Nisi quia Maria tenero magis affectu fratrem diligebat, & plus diligens amplius dolebat. Non ergo mirum, quod accedente gratia Spiritus Sancti, & cum hac naturali pietate super no munere coniuncto dominum Iesum tanto amore dilexit, quem & plorans ad monumentum prima omnium mortalium videre, & Apostolis æternam consolationem nuntiare digna extitit.* Quid pulchrius? Accessit Dei gratia naturali illi suauitati, & teneritudini erga fratrem; & suauitas illa Dei munere eleuata tantorum donorum fecit capacem fœminam, vt Iesum ardentissime diligens resurrectionem eius prima viderit post Deiparam, & illam nuntiaret cætetis discipulis. Quando ad hæc venerint viscera acerba, & in fratres dura? Aptamur equidem ex suauitate in fratres donis excipiendis diuinis.

Rupert.

§. VI.

Præstantia homini non à bonis temporalibus.

POST Nominatos Abraham, Isaac, & Iacob; vti Esau dicitur data possessio bonorum temporalium; ait enim: *E quibus Esau dedi montem Seir ad possidendum.* Et quando Esau dicitur datus mons Seir in possessionem; cur nulla terrena possessio dicitur tunc data Abrahamo, nec Isaaco, nec Iacobo? An Esau his præstantior, quia præ illis ditatus fuerat terrenis possessionibus? Absit; præstantia enim hominis minimè metiēda est bonis temporalibus, sed magis in eorum contemptu, & despectu. Vt enim Abraham, Isaac & Iacob præstantiores erant, quam Esau, sic nil terræ possidebant, in casulis habitantes. Matth. 11. cæpit dominus dicere de Ioanne: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt*:: *Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptistâ.* Ecce tibi per quos gradus ascendat dominus vt ostendat sublimitatem, & præstantiam Ioannis super omnes alios. Primo illum nudum omnibus bonis proponit temporalibus. Deinde ex alia parte ponit vniuersos principes aulicos preciosis vestibus coopertos, plenos omnium abundantia. Et vter maior, princeps plenus diuitijs, an Ioannes omnibus vacuus? Sanè non à possessionibus sæculi, sed ab illarum contemptu præstantia, & excellentia hominis cernitur. Quo spectans D. Basil. hom. de ieiunio ait: *Ioannis vita vnicum ieiunium erat, qui non tritum habebat, nec mensam, nec terram arandam, non bobem aratorem, non frumētum, non pistorem, non aliud quicquam rerum temporalium. Qua propter inter natos mulierū nō surrexit maior Ioanne Baptista.* In eo quod Ioannes nil tēporalium bonorum habuerit, fundat Basilius, quod maior omnium fuerit. Et quomodo maior omnibus nō erit, qui se super omnia terrena ponit, despiciens ea? Aiebat Isaias cap. 33. *Qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum: Iste in excelsis habitat, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longe.* Præcellentia mundialium principum ea est, qua omnibus abundantes se super alios subtollāt, & sic hæreant Regi, vt cæteros alios videant de longe. Horum autem præcellentiam longe superant, qui totam materiam auaritiæ à se depellunt, nec in terrena possessione sua munera ponunt: quorum sanè sublimitas, & celsitudo tanta est, vt veri

Matt. 11.

D. Basil.

Isaias 33.

Regis

Regis laterones aſsidui, quidquid terræ eſt, & reſpiciant & deſpiciãt de lõge. Proh ingẽs altitudo, & ſublimitas, quę fundatur in deſpectu mũdialiũ bonorũ, fallar, niſi inde cõſtituatur homo maior omnibus! Ad hæc monebat D. Bern. ſerm. 4. de Aſcenſ. fatus: *Sequere etiam Chriſtum aſcendentem crucem, exaltatum à terra, vt non ſolum ſuper te, ſed & ſuper omnem quoque mundum mentis faſtigio colloceris; vniuerſa, quæ in terris ſunt, deorſum aſpiciens, & deſpiciens, ſicut ſcriptum eſt; Cernent terram de longe.* Qui in nuditate, & terrenorum omnium bonorum expulſione Chriſtum aſcendentem in crucẽ ſequitur, ad tantam ſublimitatem peruenit, vt omni mundo appareat ſuperpoſitus, adeòque vero Regi aſsiduus ſit, vt terrena omnia à longe reſpiciat. Crede mi, hinc metienda eſt vera altitudo, & ſublimitas hominis. Hinc Luc. 1. Angelus dicebat de Ioanne: *Erit enim magnus coram domino.* Circa quæ ait Beda hom. 1. in Vig. D. Ioan. *Magnæ corã domino virtutis eſt, prædicantem in deſerto cœleſtia gaudia, terrenas ex integro ſpreniſſe delicias. Sed & hoc coram domino magnum eminet, quamuis hominibus videatur deſpectum, quod is, cui in natis mulierum maior non eſt, laſciuientis ob ludum puellæ capite truncatus eſt. Cuius ordinem magnitudinis ipſe Angelus exponens: Et vinum, inquit, & ſiceram non bibet.* Sic à contemptu bonorum omniũ terrenorum venit vera magnitudo. Huc trahenda dicta ſupra lib. 6. cap. 8. §. 18.

D. Bern.

Luc. 1.

Beda.

§. VII.

Bona terrena maximè traducuntur ex perſonis, à quibus retinentur, & à quibus deſpiciuntur.

ESAV In poſſeſsione terrenà quieſcit, Iacob cum filijs nullam habet terrenam poſſeſsionem, ſed in alienis morantur, dicit namque: *Eſau dedi montem Seir ad poſsidendum; Iacob autem, & filij eius deſcenderunt in Ægyptum.* Tu vide qualis terræ poſſeſsio, quæ negatur Iacob, & datur Eſau? Equidem hinc maximè infamantur terrena bona, quæ rarò inueniuntur in præſtantis virtutis, ſapientiæq; viris. Quãdo Iacob non terrenis vacuus, quæ Eſau abundanter poſsidet? Quãdo quæ implent mundiales homines, non ſunt deſpectui illis, qui æſtimant ſola duratura, & ſolida? Sanè inde ſolum aſpernanda eſſent terrena omnia; nimirum ſi inſpiciamus, qui ea vilipendunt, & qui ea ardenter poſsident. Luc. 1. de Ioan. locutus textus ait: *Fuit in diebus Herodis regis ſacerdos quidam nomine Zacharias, &c.* Sacerdotium vetus in patre Ioannis notabatur eſſe, quod neceſsariò deuenturum eſſet ad filium. Sed quando Ioannes nunquam in templo inter Sacerdotes fuit, ſed magis coluit ſolitudinem, in deſerto viuens; cur neceſſum fuit paternũ illi præmittere? Volebat dominus illius ſacerdotij oſtendere infirmitatem, vt quod dimitteret tantus vir, vt viam pararet Chriſto. Ait enim Beda hom. 2. in Vig. D. Ioan. Maluit Ioannes doctus in Spiritu, vocatis in deſertum populis, noui teſtamenti ſacramenta prædicare, quam ad ſe venientibus in templum, glorioſiſsimo illo tunc temporis ſacerdotij veteris officio præeſſe. *Prætulit longam ſolitudinis ſitim, & eſuriem continuis hoſtiarum ſolennijs: pilis camelorũ, & cinctui zonæ pelliceæ, auro textas Pontificum poſtpoſuit ſtolas: vt is, qui merito inſtitiæ perfectioris authoritatẽ ſibi prædicandi aſciuerat, ipſe etiam neglecto ordine paterni pontificatus oſtenderet, quia non dubie melioris pontificatus præco, & præcurſor exiſteret.* Ecce tibi totus antiqui ſacerdotij ſplendor, dum à tantæ ſanctitatis, & authoritatis viro negligitur, haud dubie oſtendit quam infimę æſtimationis fieret. Nunquam enim non vileſcunt res, quæ deſpiciuntur à clariſsimis, & præſtantiſsimis viris; præcipue ſi eæ frequẽter iam nõ videantur niſi in perditis hominibus. Luc. 3. *Anno autem quinto decimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudææ, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituræa, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ Tetrarcha, Sub principibus Sacerdotum Anna, & Caypha, factum eſt verbum domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.* Dum verbum domini factum Ioanni dicit, nec Ioannem, nec parentem eius Sacerdotes vocat, quam quidem dignitatem generis merito habebant. Cuius etiam alij prophetæ in ſuis prophetijs meminerant. Quippè Ierem. cap. 1. *Verba Ieremiæ filij Helciæ de Sacerdotibus, qui fuerunt, &c.* Ezech. 1. *Factum eſt verbum domini ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem.* Et quando hoc obſeruabant omnes prophetæ, vt auitam ſacerdotij dignitatem in ſe meminerint, quando ad ſe factum Dei verbum referebant; cur Lucas eam conſuetudinem in

Luc. 3.

Ierem. 1.

Ezech. 1.

Ioanne

Ioanne non seruat? Cur illum Sacerdotem, & filium Sacerdotis non meminit, quando ad illum Dei verbum factum refert? Crediderim à Luca tunc traduci vendibile Iudæorum sacerdotium tunc temporis, & reliquas omnes dignitates, & principatus sæculi, quando hæc omnia habebantur a Pilato, Herode, Anna, & Caypha perditissimis hominibus, & reijciebantur a Ioanne, adeò vt vel à nomine earum in se abhorreret. Et qui idē nil magis vilius, & abiectius de dignitatibus illis poterat ostendi, quàm quòd in illis Pilatus, & Herodes, & Anna, & Chayphas essent; & Ioannes illas respueret, ac contemneret. Quis enim non amens æstimet quod Ioannes depulit, & Chayphas tenuit? Quod sapientissimi, & præstantissimi contempserunt; & perditissimi, & ineptissimi frequentius tenent? Nazian. orat. 20. de nobilissimo sacerdotio Christiano dicebat: *Nunc antē periculum est, ne ordo omnium sanctissimus, omnium maxime sit ridiculus:: Atque ille quidem inferiori sede acquiescit, humilisque stat, qui sublimem promeretur, atque & multum diuque carni leges sanxit ad spiritui parendum; hic cōtra superbè, & arroganter præsidet, superciliūque aduersus meliores attollit, nec thronis intremiscit, nec ex aspectu horrorem concipit, hominem continentia studiosum infra se videns, verum simul cum imperio sapientiorem se esse existimat, &c.* Sic sanctissimus doctor, eò solum quod sacerdotium Christi indigni & mali aliqui teneant, illoque careant sapientissimi, & sanctissimi, putat periculum esse, ne ridiculus habeatur ordo sanctissimus. Quid diceret de illis alijs dignitatibus, & bonis, quæ raro non tenent mali; & semper ab optimis contemnuntur, reijciuntur? Equidem ea vel ex hoc capite censeri debent vilia, & ridicula.

Nazian.

§. VIII.

Boni viri est maiorum suorum errores tegere.

DICITVR Iacob cum filijs descendisse in Ægyptum; dum ait: *Iacob autem, & filij eius descenderunt in Ægyptum.* At non explicat illius descensus causam. Nota erat venditio Iosephi, vt à fratribus venditus fuit, vt ductus in Ægyptū, vt ibi clauum obtinuit regni, qua occasione domum ad se vocauit paternam. Et cur Iosue non meminit filiorum Iacob scelera in fratrem, quæ occasionem dederunt, vt in Ægyptum descenderent? Cui illis ori sis tantum dixit, quòd descenderunt in Ægyptum? Bonus, & prudens vir gentis suæ errores maluit tegere. Ioan. 4. Samaritana mulier nacta Iesum sapientissimum præceptorem ait: *Domine, vt video, propheta es tu. Patres nostri adorauerunt in monte hoc; & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet.* Vulg. erat trita historia Hieroboami, vt in Samariæ montibus vitulos aureos posuit 3. Reg. 12. quos adorāri fecit a decem tribubus, ne haberent occasionem eundi Ierosolymam. Ex tunc decem tribus in idololatriam dilapsæ a tribu Iuda desciuerunt, obijcientes Samariæ vitulos Salomonico Ierosolymitanorum templo. Mulier autem referens adorationem suorum popularium in monte Samariæ, nihil de vitulis loquitur. Tātum dicit, quod eorum patres adorauerunt in monte illo, & tacet, quod adorauerunt vitulos, propter quod è domo Dauidis defecerunt. Et quare notissimam defectionem, & vitulorum adorationem non meminit? Bona iam ad præsentiam Iesu, quæ non erubuerat corā illo peccata sua confiteri, satius duxit, si gentis suæ errores tegeret. Ait Rup. lib. 4. in Ioannem post memoratos Samariæ vitulos, causas defectionis. *Has causas ita mulier in proposita quæstione reticuit. At illa propria culpæ maculas satis humiliter confessa fuerat. Non ergo vitio, sed laudi potius illi est, quod communem gentis suæ ignominiam, satis omnibus notā prædicare non properauit.* Hoc laudandum fuit in fœmina, quod a notissimis suæ gentis sceleribus prædicandis abstineret. Quæ facile manifestauit culpas suas, maluit gentis suæ culpas silentio operire, in quo maxime apparuit laude digna.

Ioan. 4.

Rup.

Iosue cap. 24. Misique Moysem & Aaron, & percussi Ægyptum multis signis, atque portentis. Eduxique vos, & patres vestros de Ægypto, & venistis ad mare: persecutique sunt Ægyptij patres vestros cum curribus, & equitatu vsque ad mare rubrum. Clamaueruntque ad dominum filij Israel, qui posuit tenebras inter vos, & Ægyptios, & eduxit super eos mare, & operuit

operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta, quæ in Ægypto fecerim.

§. IX.

Vel vnus pauper homo Deo plenus validissimos quosque Reges prosternere sufficit. Vide reliquijs sanctorum.

VIDE Qualem exercitum parat Deus, vt percutiat validissimum Tyrannũ Ægyptij, nimirum ait: *Misique Moysem, & Aaron, & percussi Ægyptum, &c.* Vnus erat Moyses è seruis Israelitis, fugitiuusque ab Ægypto pastorem agebat, qui oues soceri sui custodiret. Hunc ergo seruum, & fugitiuum cum fratre Aaron mittit Dominus, & huius manu substernit validissimum Regem Ægypti. Nec miror, vnus enim vel pauper, & desolatus homo à Deo adiutus valentior est omnibus Regibus mũdi. Quatuor Regum exercitus ingressus est Sodomam, quam spoliauit, captiuosque duxit eius ciues, & Lothum, qui habitabat cum illis. Quid tunc? Ait textus Gen. 14. *Ecce vnus, qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mambrè: Quod cum audisset Abram, captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos & decem & octo, & persecutus est eos vsque Dan, & diuisis sotijs irruit super eos nocte. Percussitque eos, &c.* Sæpè alias textus sacer scripserat de Abrahamo, & nunquàm eum vocauerat Hebræũ, vsque dum ventum est ad narranda præsentia facinora, quibus validissimum quatuor Regum exercitum illæsus fudit. Nũc enim primò Hebræus dicitur, dum ait textus: *Nuntiauit Abram Hebræo.* Et cur nũnc primũ Hebræus notatur? Cur in tam celebri victoria de quatuor Regibus patta, Hebræus dicitur? Idem sonat Hebræus, ac transitor: ostendebatur ergo, vt vel vnus homo Deo confortatus, & adiutus sit supra omnes valentias mundi; quando vel vnus Hebræus; hoc est, vnus peregrinus & aduena Deo protegente valuit quatuor Reges comprimere. Sic rem definiebat Rupert. ibi: *Quare autem cum iam toties Abram nominatus, & adhuc in hac scriptura nominãdus sit, & nunquã Hebræus dicatur, hoc illum loco Hebræũ, id est, transitorem nominari placuit? Videlicet ob commendandam magnitudinem rei, ac virtutis, quod scilicet transitor, id est peregrinus & aduena Deo protegente fecerit rem, quam indigenæ quinque Reges facere non potuerant, & de victoribus quatuor Regibus vnam vltionem, & plenam reportauerit victoriam.* Sic vel vnus peregrinus in mũdo, Deo plenus se super quatuor validissimos Reges extulit. Exue mũdana omnia, & vnũ tecum habe Deum, & multis mundi Regibus euades valentior. Redeunti Dauidi post prostratum Goliath canebant fœminæ 1. Reg. 18. *percussit Saul mille, & Dauid decem mille.* Quibus non solum Allophili, sed & Saul à Dauide superatum gemebat. Et quis Dauid, qui & Principes hostium, & Saulem sic superauit? Is erat puer, & paruulus ouiũ pastor, qui inermis, regia arma dimittens, solo Deo protectus aduersus validissimos hostes ausus est procedere, & sese super multos Principes euexit. Ex quo monebat D. Amb. lib. 10. in Lucam ad cap. 21. *Si quis Golias exurgat immitis, atque præcelsus, timentibus cæteris, exurgit humilis Dauid, Regis abiciens arma terreni, sumẽs fidei tela leuiora, & iaculũ puræ confessionis intorquens, persecutoris vulnerat impudentiam: Huic victori occurrunt inuẽculæ dicentes: Percussit Saul in millibus, Dauid in decem millibus. Quod indicio est, victores sæculi Principibus anteferri.* Et quis Princeps mundialis, quis tyrannus sæculi comparari poterit cum eo, qui sæcularia contemnens, vel nudus, & inermis, plenus tamen Deo in arenam descendet? Sanè quò minora mundi subsidia teneas, si Deum tenes, vniuersas mundialiũ tyrannorum valentias ridebis. Sciui validissimos Christi Athletas sic omnia mundialia munimenta à se expulisse, vt etiam spiritum efflarent, sola manente nuda carne, & ossibus in arena. Sed & illa eorum nuda ossa etiam vitæ expertia bellum mouisse aduersus tyrãnos, quo eos prosternerent. Hinc pulchrè canit Prudentius in hymno de Sancto Vincentio, cuius sanctum cadauer oblatum feris, ab auibus rapacibus custoditum fuit:

Tu solus, ò bis inclyte,
Solus brabÿ duplicis
Palmam tulisti: tu duas
Simul parasti laureas.
In morte victor aspera
Tum deinde post mortem pari
Victor triumpho proteris
Solo latronem corpore.

Expende illa; *Proteris solo latronem corpore*: cæteri in anima & corpore pugnabant cum tyrannis, eorumque malitiam superabant,

Gen. 14.

Rupert.

1. Reg. 18

D. Amb.

Prud.

bant, humanis omnibus auxilijs vacui, ſed Deo pleni; at Vincentius hic ſimiliter in corpore, & anima deiicit principem furentem; ſed & cum res eò deduceretur, vt mortuus iaceret, & ſolum corpus in arena maneret, ſolo corpore pugnat, & latronem proterit. Tanta enim à Deo ſuis athletis virtus conceditur, vt omnibus nudi, vel ſolo corpore valeant principes ſæculi proſternere. Mirabar ego aliquando id quod
Ioan. 10. dicebat Dominus Ioan. 10. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Proh Deus immortalis! ſi paſtor dat animam ſuam, quid fiet de ouibus eius? Quomodo defendet eas à lupis? Abeunte enim è viuis paſtoris anima; iacebit in terra eius cadauer ſolum; iacebunt eius oſſa nuda, & arida; qualiter ergo defendentur oues? Ea eſt virtus boni paſtoris à Deo confortati, cuius ſi vel ſolum corpus exanime maneat, vel ſolo corpore ſuas oues aduerſus validiſsimos contrarios iuuabit. Accipite exemplum in Samſone, qui Iudic. cap. 15. mandibulam aſini arripuit, & in illa ingentem hoſtium exercitum profligauit. Poſt victoriam autem proiecit mandibulam de manu, & iacebat mandibula in terra; ipſe ſiti confectus ad Deum pro ſolatio potus clamabat. Quid tunc? Ait textus. *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt aquæ; quibus hauſtis refocillauit Spiritum, &c.* Itaque mandibula arida, & nuda humi iaceus, & hoſtes contriuit, & eam virtutem manauit, qua & Samſonem à morte liberauit. Sic ſic ſanctorum oſſa nuda, & arida humi iacentia valent ſuos aduerſus pericula confirmare. Vt dicat Ruper. ibi cap. 20. *Grandis erat metus, ne decidentibus Apoſtolis, periret religio, fides infirmaretur, & ad delendum Chriſtianum nomen manus impiorum roborarentur. Sed quid? Aperuit, inquit, Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ. Nihil verius, nihil manifeſtius. Proſtratis enim in mortem ſanctis, ſepulchra illorum viuas aquas emanauerunt, corpora illorum miraculorum gratiam profuderunt. Exinde creuit fides, roborata eſt ſpes, charitas magis inualuit. Itaque refocillauit Spiritum Samſon, & vires recepit.* Sic vel ſolo corpore paſtores Chriſti ſuas ouiculas valent aduerſus validiſsimos hoſtes confirmare.

Iudic. 15

Rupert.

§. X.

Quidquid mali, aut pœnæ, aut culpæ in alijs videmus, quaſi nobis remiſſum æſtimandum.

NON Otioſe inculcat textus, quod Iſraelitæ viderint mala omnia illata Ægyptijs, ait enim: *Viderunt oculi veſtri cuncta, quæ in Ægypto fecerim, &c.* Et quid ad Iſraelitas, quod ipſi viderint oculis ſuis, quæ fuerint mala Ægyptijs illata? Equidem quod Ægyptijs ſupplicium erat, dum eis inferebatur; beneficium erat Iſraelitis, dum ab eo liberabantur. Quidquid enim in altero vides mali, aut culpæ, aut pœnæ, quaſi tibi remiſſum crede, cum à Dei gratia venerit, quod tu, ſicut & alius, in illud non labaris. Quò ſpectans D. Proſper. 8. in Reſpon. ad Excerpta Genuenſium ait: *Quid nobis remiſſum ſit, in eis diſcamus, de quorum queri damnatione non poſſumus.* Nullus à Deo in damnationem mortis, aut gehennæ vadit, de cuius damnatione alius poſsit iuſte queri. Quando ergo nos oculos conijcimus ad infinitum numerum damnatorum, ſacrilegorum, latronum, furum, adulterorum, & ſimilium, de quorum damnatione nullam querelam habere poſſumus; illud faciamus, vt in ijs diſcamus, quid nobis remiſſum ſit; quæcumque enim in inferno caſtigantur, à me fierent, niſi miſericors Dominus mihi parceret, hoc eſt, meæ miſereſceret infirmitatis, & ſua gratia cuſtodiret, ne caderem. Et quis Deo acceptum non referat, quod in ſe non ſit, quod in alijs videt, damnum? Sanè Phariſæo aſpernanti peccatricem fœminam aiebat Dominus Luc. 7. *Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta, &c.* Sic Dei Sapientia homini præſumenti de iuſtitia oſtendit differentiam eius, & peccatricis illius fœminæ exemplo duorum debitorum; quorum alter debebat quingentos, alter quinquaginta denarios. Et quod mirere magis, ipſe Phariſæus intelligebatur nomine eius, qui quingentos debebat; peccatrix autē ſignabatur in eo, qui quinquaginta debebat. Sed vnde fieri poterat, quòd homo nulla vitiorū macula in-

D. Proſp.

Luc. 7.

famis pluriũ esset debitor Deo, quàm mulier peccatrix multis sceleribus plena? Sanè quæcumque erant peccata in illa fœmina, fuissent etiam in illo Simone, nisi eius misereretur Deus, illumque sua gratia præueniret. Vnde ille longe maiori debito obstrictus erat Dei gratiæ, quàm illa peccatrix fœmina; maioremque amorẽ debebat Deo, vt à quo maiori beneficio esset præuentus. In illa enim peccatrice debebat cernere, quæ sibi remissa erant à Deo, hoc est, a quibus ipse liberatus esset, & inde in maiorem
D. Aug. Dei amorem accendi. Ait D. August. lib. de Virginit. *Forte reuerà ideò minus timebis, magis inflaberis, vt modicum diligas Deum; quia modicum tibi dimisit, viuenti videlicet à pueritia religiosè, pudice, pia castitate, illibata virginitate; quasi vero non tu multò ardentius diligere debeas cum, qui flagitiosis ad se conuersis, quæcumque dimisit, in ea te cadere non permisit? Aut vero ille Pharisæus, &c.* Equidem illud certissimum, & verissimum est, quod tu multo ardentius debes diligere Deum, qui flagitiosis ad se conuersis quæcumque dimisit, in ea te cadere non permisit. Quæcumque peccatores vniuersi incurrerunt siue dimittenda, siue non dimittenda; horum omnium debitor sum Deo, cuius gratia accepi, ne ad illa venirem. Hinc in miseris alijs debeo addiscere, quid mihi fuerit remissum, & quanto maio
Iob, 28. ri debito amoris Deo obstringor. Aiebat dominus Iob cap. 28. *Quis demisit lapidem angularem eius? Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Deijciebat equidem Deus lapidem terræ angularem, nimirum apostatam Angelum, principem tenebrarũ harum, & deijciebat eum in profundum. Quod cum filij Dei, nempe Angeli sancti viderent, summis laudibus prosequebantur Deum, maximo erga diuinitatem amore affecti. Et cur Angeli sancti sic erga Deũ afficiuntur in deiectione, & ruina Angeli rebellis? Quippè in eo discebant, quid illis fuerit remissum, quando nisi à Dei gratia fuissent protecti
Rupert. in similia ipsi laberentur. Ad hæc Rup. lib. de Vict. cap. 30. ait: *Fortitudinem namque creatoris in magna creaturæ deiectione viderant; gratiam & misericordiam creatoris eiusdem in semetipsis agnouerant, qua sese ne & ipsi corruerent præuentos fuisse non ignorãt. Eiusdem quippè conditionis cum essent, suam in perditione illorum salutem conseruatam, statumque retentum non leuiter appendere potuerunt: & ad creatorem suum aterno amore astricti sunt.* Ardebant equidem canticis amatorijs in Deum, discentes in damnatione Angeli, vt ipsi sustentabãtur à Deo, qui eiusdem cum cadente conditionis erãt.

Iosue cap. 24. Et habitastis in solitudine multo tempore, & introduxi vos in Terram Amorrhæi, qui habitat trans Iordanẽ. Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, & possedistis terram eorum, atque interfeciſtis eos. Surrexit autem Balac filius Sephor Rex Moab, & pugnauit contra Israelem. Misitque & vocauit Balaam filium Beor, vt malediceret vobis, & ego nolui audire eum, sed contrariò per illum benedixi vobis, &c.

§. XI.

Ille præcipue tibi hostis habendus, qui te ad peccandum allicit.

POST Ægyptiorum necem meminit Iosue Amorrhæorum hostilitatem in Israelitas, & nominatim eam, quæ per Balac, & Balaam fuit exercita. Dicit enim: *Surrexit autẽ Balac filius Sephor Rex Moab, & pugnauit contra Israelem. Misitque & vocauit Balaam, &c.* Sed ante hos cantatissima fuit pugna Amalecitarum, qua persecuti Israelem fuerunt, de quo Deuth. 25. Deut. 25.
Memento, quæ fecerit tibi Amalech in via, quando egrediebaris ex Ægypto: quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, caciderit, &c. De quibus clarissimam victoriam reportauit ipsissimus Iosue, ad illam primo inauguratus imperator exercitus, Exod. 17. Vnde ergo hanc Amalecitarum hostilitatem, & primam, & cantatissimam, & sibi tam multi laboris, quam gloriæ, præterit, nullamque eius facit mentionem; sed quam primum proponit hostilitatem Balaci, & Balaami aduersus Israelem? In hostilitate Amalecitarum nihil inuenit præter sanguinolentum certamen, quo corpora perderentur; in hostilitate autem Balaci, & Balaami præter arma bellica, fuit & illud

puel-

puellarum inuentum ad animas Israelitarum perdendas. Ex quo non miror, quòd Iosue prætereat bellum illatum pro solis corporibus perdendis, & ad illud festinet, in quo potuissent omnium animæ perdi. Illud enim solum censetur bellum, & illa sola hostilitas vera censetur, quæ ordinatur ad animas perdendas. Matth. 13. *Simile est Regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo: Cum autem dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit zizania in medio tritici.* Haud dubiũ, quin in isto superseminatore zizaniorum intelligatur diabolus, qui totis viribus suis curat diuinum in nos semen perdere. Sed illud notandum, quòd in eo præcisè, quòd zizania seminet, inimicus absolute dicatur. Mar. 1. dicitur homo esse in Synagoga Spiritu immundo, qui dum expelleretur à Iesu: *Discerpens eum Spiritus immundus*, & exclamans voce magna, exijt ab eo. Similiter Mar. 9. *Iesus comminatus est Spiritui immundo, dicens illi; Surde, & immunde Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo:: Et exclamans, & multum discerpens eum, exijt.* Ecce tibi vbi diabolus apparebat discerpens homines, solum vocatur Spiritus; vbi autem zizania seminat, vocatur inimicus. Cur non magis inimicus habetur discerpens homines, quàm zizania seminans? Cum discerpens ostenditur, totus illius furor erat circa corporalem afflictionem, in qua nõ cognoscitur inimicus; in zizaniæ seminatione ostendebatur corrumpens mores, trahens homines ad vitia, quibus Deo exosi fiant. Et in nullo magis ostenditur hostilitas, & inimicitia in homines, quàm dum trahuntur in vitia, quibus Deo odiosi fiant. Ait D. Irinæus lib. 4. aduersus Hæreses, cap. 78. *Cum autem dormirent homines venit inimicus, & superseminauit zizania inter frumentum, & abijt. Ex tunc enim Apostata est Angelus hic, & inimicus, ex quo zelauit plasma Dei, & inimicum illum Deo facere aggressus est.* Expende illud: *Ex tunc Apostata est Angelus hic, & inimicus, &c.* multa licet mala corporibus inferret, non adeò haberetur inimicus; ex quo autem eò attendit, vt homines separatet à Deo, vt mẽtes humanas traheret in offensam diuinam, iam tunc verus apparuit hominum inimicus. Hæc enim est summa, & vnica hostilitas in homines, qua in Dei offensam trahũtur. Gen. 21. *Cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius, &c.* Mirabar, quod prudens Sara sic de puerorum ludo iràscatur, vt ludentem cum filio suo prorsus abijciat. Et vt mirarer magis, veni in locum Pauli ad Gal. cap. 4. vbi ad hunc ludum respiciens, aiebat: *Quomodo tunc is, qui secundum carnẽ natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum Spiritum, &c.* quippè ludum illum persecutionem vocat, qua tunc creditur Ismael persecutus Isaacum fuisse. Sed quæ in ludo puerili species persecutionis esse potuit? Vafer Ismael seducebat Isaacum puerulum simplicem, vt saltem ioco aliqua turpia, & inhonesta efficeret. Quæ astutia merito ab Apostolo vocatur persecutio; quando ea sola debet putari hostilitas, & persecutio in homines, qua seducuntur, vt consentiant vitijs. Ait D. Aug. in Ioan. tract. 11. *Quam lusionem dicit Scriptura vidisse Saram, hanc persecutionem dicit Apostolus. Plus ergo vos persequuntur, qui vos illudendo seducunt.* Sanè nunquam maior persecutio, quam vbi seducimur, vt consentiamus vitijs. Ad hæc D. Anselm. in epist. ad Gal. *Spirituales ergo patiuntur persecutionem à carnalibus, quia ludus carnalium persecutio est, & afflictio spiritualium. Ludit namque Ismael, & fratrem suum ludendo quærit seducere, quando carnales dulcibus verbis illicita suadent, vanitates loquuntur, ad delectationes prouocant, risum mouent, libertatem excitant, malis colloquijs mores bonos corrumpunt. Et talibus ludis grauius persequuntur spirituales, quàm si eos gladijs appeterent.* Sic ibi; quæ enim bona ad peccandum alliciunt, procul dubio pertinent ad persecutionem validissimam. Matth. 4. hostis noster duxit Iesum in montem, *& ostendit illi omnia regna mundi, & gloriam illorum.* De quo agens D. Cypr. orat. de Tentat. Christi ait: *Regnum hoc non est naturæ, sed malitiæ; persecutio est, non defensio.* Quippè Regnum obiectum, vt traheret in diaboli seruitutem, pro persecutione erat rabidissima.

Mat. 13

Mar. 1.

Mar. 9.

D. Irin.

Gen. 21.

Ad Gal. 4.

D. Aug.

D. Ansel.

Matth. 4.

D. Cypr.

§. XII.

Vnius Dei virtus, & valentia est, quòd homo præponat veritatem regijs fauoribus.

NON Paruas suas vires Deus ostendit in præsenti, cũ ait de Rege Moabitarum: *Misitque, & vocauit Balaã filium Beor, vt malèdiceret vobis, & ego nolui audire eum, sed è contrario per illum benedixi vobis.* Et quantum hoc, quod per hominem

vocatum à Rege, & muneratum à Rege, & degentem apud Regem Deus veritatē suarum in Israelitas benedictionum educere potuit? Sanè à Deo solo venire potuit, quòd inter Regia dona, inter principum conuersationē homo fieret veritatis dicendæ studiosus. Consule caput Num. 22. vbi Balaam iste multis solicitatus muneribus trahebatur ad Regem; ibat ille & post renitentem asellum; *Aperuit dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantē in via euaginato gladio, &c.* Insuper ait illi Angelus: *Vade cum istis, & caue, ne aliud quàm præcepero tibi loquaris. Iuit igitur cum principibus.* Et quod mirere magis, stans coram Rege ait: *Ecce adsum: nunquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* Sic coram Rege stans inter Principes aulicos, inter munera Regia audet asserere tantum à se dicenda, quæ à vero Deo venerint. Et vnde homo nō magis afficitur ad Regem? Vnde non magis capitur regijs fauoribus, sed mauult stare pro veritate & Deo? Vidit angelum stantem in via euaginato gladio; solus enim Dei Spiritus sic posset hominem commouere, vt veritatem præponeret regijs muneribus. Ait Diodorus in cat. Græca ad cap. 4. Exodi: *Balaam cum, oraculo Dei monitus ne iter illud arriperet, attamen perseueraret, ab Angelo stricto ense perterritus est ita, vt regijs muneribus veritatem præposuerit.* Et quis sic hominem posset afficere, & perterrefacere, vt inter regios fauores, inter munera regia magis fieret studiosus veritatis, nisi Spiritus Dei? Crede mihi, non est inermis potestatis opus, sed diuinę gladio armatæ eò adducere hominē, quòd velit veritatem manifestare, antequàm regios fauores mereri. Necessum pene est, quòd Deus gladio stricto armatus instet homini, qui regios fauores postponat veritati. Hinc 3. Reg. 20. *Vir quidam de filijs prophetarum dixit ad socium suum in sermone domini: Percute me, &c.* Sic iste Propheta solicitabat vnum, & alterū socium, vt percuteretur ab eis; & tandem ab altero percussus est, & vulnus inuoluit; & sic iuit ad Achab Regem, cui proposita quadam parabola, dixit districtam Dei sententiam in eum. Et cur voluit ad hoc præstandum ex sermone domini percuti? Omnia enim prę-stare potuit sine vllo vulnere accepto; posset enim absque vulnere obvoluere vultum suum, ne agnoscereturà Rege; ad quid ergo maluit ex sermone domini percuti? Sapienter Propheta districtam veritatem diuinæ sententiæ dicturus Regi, curabat prius in vulnere accepto gladium Dei ob oculos ferre. Necesse enim est, vt Deus gladio armatus vrgeat hominem, qui vt veritatem dicat, fauores regios amet perdere. Non longe ab hac excogitatione abfuit Lyra, dicens. *Propheta de mandato Domini voluit proponere ipsi Achab parabolam, per quam ignorans contra se ipsum daret sententiam. Et ideò ad proponendum, primò disponitur per plagam susceptam.* Ecce tibi per plagam susceptam dicitur Propheta dispositus, vt Regi ea proponat, quæ odiosa illi essent. Nisi enim de plaga accepta, seu gladio obvolitante ob oculos dispositionem acciperet, indispositus esset, vt aliquid asperum proponeret, quo perderet gratiam Regis.

Num. 22

Diod.

3. Reg. 20

Lyra.

Iosue cap. 24. Transistisque Iordanem, & venistis ad Iericho. Pugnauerunt que contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus, & Gergesæus, & Hebæus, & Iebusæus, & tradidi illos in manus vestras. Misi ante vos crabrones, & eieci eos de locis suis, duos Reges Amorrhæorum, non in gladio, nec in arcu tuo. Dedique vobis terram, in qua non laborastis; & vrbes, quas non ædificastis, vt habitaretis in eis; vineas, & oliueta, quæ non plantastis. Nunc ergo timete dominum, &c.

§. XIII.

Vbi Dei fauor adest, quidquid molestiæ & laboris est in operibus virtutis abest.

IN Omnibus victorijs de Amorrheo, & Chananæo reportatis multus est Deus in explicando, quàm pauca, aut nulla fecerint Israelitæ. Primò dicit: *Eieci eos de locis suis, non in gladio, neque in arcu tuo.* Rursus addit: *Dedi vobis terram, in qua non*

non laborastis. Quibus, vt sapienter notat Abbulensis, non significatur, quòd Israelitæ non pugnauerint, & non percusserint hostes gladijs suis, & arcubus, & non multum operis impenderint terræ acquirendæ. Sed significantur ea omnia peracta ab Israelitis tantâ facilitate, & suauitate, quasi nihil peragerent. Nec miror: vbi enim adest Dei fauor, specialis etiam in difficillimis, & arduis virtutum operibus, nihil molestiæ, aut labotis inuenitur, sed omnia fiunt faciliter, & suauiter. Excitaturus Iesus Lazarum, in quo peccatoris suscitandi species dabatur, dicebat Ioan. 11. *Tollite lapidem.* Et mirabar, quòd in specie excitandi peccatoris tolli lapidem iubeat dominus, quando in lapide durities pœnitentiæ necessaria exprimebatur. Sanè D. Hieronimus sumpto lapide, & percusso pectore se peccatorem excitabat. Et cur qui Hieronimo inspirabat, vt lapidem sumeret, pectusque suum flagellaret; in Lazaro iubet, vt lapis tollatur? An non placebat illi in peccatoribus pœnitentiæ lapis? Absit; non enim iubet auferri, quod arduum est, & difficile in pœnitentia; sed vult ostendere vt iuuante Deo, & eius gratia aspirante difficilia omnia suauiantur. In quibus dum manet, quidquid vtile, & proficuum adest, quidquid molestum, & durum abest. Quò spectans D. Bern. ser. 1. in Pasch. ait: *Tollatur lapis, sed pœnitentia maneat, non tã premens, & onerans, sed viuidam, & robustam mentem roborans, atque confirmans: nimirum cibus eius sit, quem antea nesciebat, domini facere voluntatem.* Expende illud: *Non tam premens & onerans, &c.* quod oneris est, & molestiæ in pœnitentia, in virtutum executione, sic tollitur à Dei gratia opitulante, & confortante, vt videatur nihil laboris in illis posuisse homo. Quò respiciens Baptista Luc. 3. clamabat: *Parate viam domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur & omnis mons, & collis humiliabitur, erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei*: auxilio enim Dei ad nos venientis nil inueniemus asperum & difficile in via salutis. Pulchrè ait D. Chrysost. hom. 10. in Matth. *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas: ostendit difficultatem legis, fidei facilitate mutandam: Non iam, inquit, ad iustificationem merendam sudores peccatoribus imminent, & labores. sed gratia omnibus occurrit, ac venia plurimo salutis plena compendio.* Vbi gratia Dei affulget; labores & sudores in virtutibus exercendis abscedunt: non longa virtutis videtur via, sed suauissimum, & facillimum compendium, quo sic euolamus ad requiem, quasi nil nos præstiterimus diligentiæ. Ideò dicebat dominus Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Vt inueniant requiem, proponit sumendum iugum, & portandum onus. Sed quid iugum & onus cum requie? Tanta est gratia offerentis, vt vel onera non portare videamur, sed magis portari ab illis. Ait Galfridus in Alleg. Tilmamni: *Veruntamẽ si labor omnis, & onus omne culpatur; quid est, quod idem ipse, qui refectionem pollicetur, adiungit; Tollite iugum meum super vos? Sed labor eius reficit laborantem, & onus eius portat potius, quam portatur.* Sic Dei gratia afficit suos, vt in difficillimis operibus videantur ipsi nihil agere, & magis portari, quàm portare.

Ioan. 11. Luc. 3. D. Bern. D. Chrys. Matt. 11. Galfrid.

§. XIIII.

Timor reuerentialis erga Deũ maximè nos conducit ad vitam.

POST Tot beneficia Dei enumerata, vnum in primis petit Iosue ab Israelitis, nimirum: *Nunc ergo timete dominum, &c.* Proponit Deum benefactorem illorum, & petit timorem ab illis; cur non magis petit amorem? Beneficia amorem extorquent, vt supplicia timorem. Cur ergò quando beneficum Deum ostendit in Israelitas, non magis ait; *Nunc ergo amate dominum?* Cur magis placuit dicere: *Nunc ergo timete?* Quis timeat illum, qui in omnibus beneficum sibi videt? Est timor reuerentialis, qui ab amore procedit, & maximè extorquetur beneficijs: qui in eo cõsistit, vt maximè vereamur contristare, & offendere eum, cui nos agnoscimus beneficijs obstrictos. Hic timor vt debitus benefactori, sic maximè nos conducit ad vitam. Matth. 9. *Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se; Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Audierat hæc mulier beneficia, quæ singulis momentis proficiscebantur à Iesu in suos populares, viros, fœminas: indeque certissimam conceperat fiduciam, se ab illo non multis impensis, sed vel leui vestimenti tactu sanandam esse. Quid tunc? *Accessit retro*: cur retro accedis ad eum, quem beneficentissimum, & profusissimum in suis beneficijs nosces? Cur

Matth. 9.

Cur vereris facie ad faciem accedere? Cur tanta fidei tuæ magnitudo, quæ te de ſalute dubitare non permittit, permittit metuere faciem eius? Erat iſte timor reuerentialis, quo vt ſe immunda nouerat, metuebat aliquid irreuerentiæ facere, quod tanto benefactori iniurioſum eſſet. Ne miremur, quod indè faſtigium diuinitatis pertingat fœmina. Ait ſapienter Chryſol. ſerm. 34. *Agebat mulier, vt ſibi & rediret ſanitas, & verecundia non periret; curabat, ne cura ſua ad curantis redundaret iniuriam; prouidebat, vt redderetur ſibi ſalus, ſalua reuerentia ſaluatoris. Tali ergo ſenſu mulier meritò de ſummitate fimbriæ peruenit totam ad deitatis ſummam.* In re ſalutis obtinendæ fœmina illa vt beneficentiſsimum Ieſum noſcebat, de eiuſque donis minime dubitabat, ſic maximè cauebat inter dona capienda nihil illi iniurium facere; ſuaque cupiebat recipere commoda, *ſalua reuerentia ſaluatoris*. Felix cuius in pectore flamma reſidet huius reuerētialis timoris, quē ſi non perdat, facile ſuperabit omnia, & ſuper altiſsima quæq; ſuperponet. Aiebat Iſaias cap. 26. *Sicut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus à facie tua domine; concepimus, & quaſi parturiuimus ſpiritum*: in margine ponit, *ſpiritum ſalutis*. Et qui ſalutis ſpiritus ſic concipitur à facie domini, & ſic parturitur? Crediderim illum eſſe ſpiritum reuerentialis timoris, quem de facie Dei concipimus, & ſi legitime naſcatur in nobis, ipſe erit nobis, & ſalutis, & gloriæ. Ait Euſeb. in cat. Græca: *Similes fuimus mulieri parturienti, & clamores edenti, dum laborat in lucem edere, quod in vtero conceptum eſt, ſic enim & nos facti ſumus tuo dilecto. Quandoquidem habentes intus in noſtra anima vnigenitum tuum verbum, timoremque tuæ pietatis, à te in nobis ſeminatum, omnes labores generoſe perferimus: calamitateſque, quæ nobis infliguntur, fortiter ſuſtinemus, laborantes ne per abortum abijciamus tuum dilectum in nobis conceptum, timoremque diuinum abs te in nobis diſſeminatum. Etenim viriliter tolerando à ſpe non decidimus, ſed ſpiritum ſalutis parimus.* Nec immerito quilibet labor ſuſcipitur, vt timor à facie Dei in nobis dilapſus, nimirum timor reuerentialis in nobis conſeruetur, de quo ad præſtantiſsimam ſalutem euolabimus.

Chryſol.

Iſaias 26

Euſeb.

Ioſue cap. 24. Si autem malum vobis videtur, vt domino ſeruiatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui ſeruire potiſsimum debeatis: vtrum dijs, quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia; an dijs Amorrhæorum, in quorum terra habitatis; ego autem & domus mea ſeruiemus domino. Reſpondit que populus, & ait: Abſit à nobis, vt relinquamus dominum, &c.

§. XV.

Ea ſit erga tuos inſtitutio, quæ nil rectum ſperare dubites de illis.

BONVS Ioſue non ſolum ſe pro Deo ſtaturum aſſerit, cadentibus Iſraelitis, ſed & vniuerſam domū ſuam; ſic enim dicit: *Ego autem, & domus mea ſeruiemus domino.* Tam de ſe, quam de ſuis indubitanter promittit, quod domino ſeruient, etiam ſi vniuerſi Iſraelitæ deficiant. Et ſanè proſe id indubitanter promittat; at pro ſuis quo funtamento idem dicit? Vnde ſcire poterat, quod ſui non raperentur exemplo multitudinis? Id docebat virum optima inſtitutio, quâ ſic domeſticos omnes tenebat affectos, vt nihil rectum liceret dubitare de illis. Mirabar ego aliquando in Abrahamo, quod vellet propria manu mactare Deo filium. Sed & illud maximè mirabar, quod cum filius eſſet adeò robuſtæ ætatis, qua poſſet portare humeris ligna ſufficientia hominem comburere, nihil cum illo agat Abrahamus de re meditata. Sed indubitanter filium â domo educit, in montem ducit, ligna ſecat, imponit humeris, aram ſtruit, ignem parat; & poſt hæc omnia filij manus petit, illas ligaturus ad victimam: Ait enim text. Geneſ. 22. *Cumque ligaſſet Iſaac filium ſuum, &c.* Et cur ante hæc certus de ſacrificio omnia parabat, cum nihil de voluntate filij reſciret? Si filius reſiſtere vellet, maior erat viribus patre ſene; nullaque eſſet ſeni poteſtas, vt illum feriret. Cur ergo antequam paret omnia, antequam vim arripiat, antequam ſolus cum ſolo, ſenex cum validō iuuene montem aſcendat, non requirit à filio, an vellet mortem pati, & illum multis perſuadet rem tantam? Plane ea fuerat filij Abrahamidis inſtitutio erga diuinam

Gen. 22

diuinam fidem, vt tanta fide institutum & innutritum non dubitaret diuinis assensurum. Quo spectans D. Zeno lib. 2. serm. 5. ait: *Ascenditur in montem, omni mysterio sacrificioque dispositio, ductus filius gaudens, gaudente patre, patris dextera feriendus. Qui antequam veniret in montem, cum de patre quæreret, vbi esset victima, quam disponeret immolare: securus de fide generis sui pater, filio, de quo non dubitabat, patefecit, quia se domino postulasset, & quia ipse domino promisisset, &c.* Expende illud: *Securus de fide generis sui*: quippè ipse Abrahamus erat primus fidelis in suo genere; pater, & auus Idololatræ fuerat in Mesopotamia; & ipse solus Abrahamus fidem colebat, in eaque instituebat & filios, & domesticos suos. Cur ergo fidem generis sui vocat, quam solus colebat Abrahamus, & in qua ipse primus instituerat filios? Equidem tanta vis est bonæ institutionis, vt cum primum appareat vnus pater familias in aliqua virtute instituens suos, sic tota familia, imò & totum genus credatur affectum ad illam, vt indubitanter quidquid illi conducit, possit sperari ab illis. Vix vnquam fraudata est Patrisfamilias spes de suis circa ea bona, in quibus fuerant instituti. Ruth. 1. celebris est illa Noemî, quæ cum alieno solo peregrina esset, duobus filijs orbata pene ad extremã desolationem venerit. Huic tamen adeò desolatæ bona nurus ait: *Non aduersèris mihi, vt relinquam te, & abeam; quocumque ergo perrexeris, pergam; & vbi morata fueris, & ego pariter morabor; Populus tuus, populus meus; & Deus tuus, Deus meus.* Quanta hæc pietas nurus in socrum? Quam noua, quam rara? Quæ vnquam socrus sic nurũ habuit consortem & in humanis, & in diuinis? Sed hoc fecit bona Noemî institutio, qua familiam suam formabat, vnde factum est, vt nihil illi in nunc esset contrarium. Ex quo monebat D. Amb. lib. de Viduis: *Hoc ad subsidium, & gratiam viduarum proficit, vt ita instituant nurus suas, quo possint in his matura habere subsidium senectutis; & quasi stipendium magisterij, mercedem quoque suæ capere disciplinæ. Etenim quæ bene instituerit, bene erudierit nurum suam Ruth, ei deesse non poterit, quæ viduitatem socrus paternæ domui præferat. Nescit enim egere optima disciplina.* Tanta est bona institutio familiæ, vt vel nurus socrui parentes reddat! Vix enim possunt domestici virtutibus Patrisfamilias deesse: adeò, vt quæ in hoc videntur, indubitanter possint sperari de domesticis. Luc. 2. videns Elisabeth Mariam Deiparam apud se, exclamabat: *Vnde hoc mihi, vt veniat ad me mater domini mei?* Mirabar ego tantæ humilitatis verba in Elisabeth ad ingressum Mariæ Iesu fœtæ. Sed tunc cæpi magis mirari, quando pene eadẽ verba video in ore filij eius Ioannis. Is enim Matth. 3. videns Iesum ad se venientem, aiebat: *Ego à te habeo baptizari, & tu venis ad me?* Sic quę in bona matrefamilias verba virtutis erant, reperiebantur in filio eius. Vt de illa dicat Titus Bostrorũ Episcop. *Cuiusmodi verbi suo posteà tempore depromturus erat Ioannes, eiusmodi fere hoc loco depromit mater illius Elisabeth. Vt ille enim indignum se pronuntiabat, qui Christo proximè assisteret: ita hæc quoque Deiparæ virginis præsentia indignam se pronuntiabat.* Respondent equidem & filiorum & totius familiæ virtutibus bonorum parentum.

D. Zeno. Ruth. 1. D. Amb. Luc. 2. Matth. 3. Tit. Bost.

Iosue cap. 24. Et Iosue ad populum: Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis dominum, vt seruiatis ei. Responderuntque: Testes. Nunc ergo, ait, auferte Deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad dominum Deum Israel. Dixitque populus ad Iosue: Domino Deo nostro seruiemus, & obedientes erimus præceptis eius. Percussit ergo Iosue in die illo fœdus, &c.

§. XVI.

Ea singulis diebus cura nobis sit & solicitudo, quæ idola cordis abijciat.

MVLTIS Certum est, nulla Idôla tunc temporis culta fuisse ab Israelitis, vt asserebat D. August. quæst. 29. & tamen Iosue adhuc serio monet: *Nunc ergo auferte Deos alienos de medio vestri, &c.* Et quando iam pridem omnia erant abiecta Idôla, nullumque permanebat in toto populo Idôlum, vt censet Aug. Caiet. & alij; cur prudentissimus vir Iosue adhuc instat, vt nunc tollantur etiam Idôla? An frustra dicebat oculatissimus imperator, vt

tunc etiam Idôla tollerentur? Abſit; imò illis verbis inſinuabat, quæ debeat eſſe cura ſingulis momentis homini fideli, nimirum vt non contentus ſemel abieciſſe Idôla de medio ſui, bis, & ter, & ſæpe ad ſimile ſcrutinium faciendum redeat pro abijciendis idôlis, ne quod abſconditum lateat, vel abſconditè exſurgat denuò. Nullo tempore, nullo puritatis, & ſanctitatis gradu ſuperſedendum eſt homini fideli ab hoc ſcrutinio, ab hoc examine, quo intima ſcrutetur, vt inde ſiquæ appareant idôla, depellat. Dominus Gen. 1. Stabiliturus vniuerſum, prima die *diuiſit lucem à tenebris*. Omnia confuſa videns & permixta, hoc curauit, vt inter ſe diuiderentur; & prima, vt dixi, die tenebras à luce abire; & ſeparatione facta contentus, ſtatim ſecunda die aliā ſeparationem eſt aggreſſus. Ait enim: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis* Et quod mirere magis, nullum diem inuenies, in quo aliquam ſeparationem rerum Deus non fecerit. Et cur prima ſtatim die non faciebat omnes ſeparationes? Cur vbi mandauit, quòd tenebræ à luce ſeparārentur, non ſimul de alijs mādauit ſeparationibus faciendis, ſed maluit illas in ſingulos dies differre? Præmonſtrabat iam ſuorum æconomiam fidelium, quorum cura, & ſolicitudo eſſet ſingulis diebus attēdere, vt ſepararēt ab anima errores ſæculi. Aiebat Diu. Anaſtaſ. Sinaita lib. 2. Exam. *Oſtendo tibi in ſingulis ſex dierū Deum feciſſe aliquam eiuſmodi ſeparationem. Primo ergo die facta eſt ſeparatio lucis à tenebris. Secundo die facta eſt ſeparatio aquæ, & aquæ. Tertio ſeparatio terræ ab aquis. Quarto ſeparatio luminarium inter diem, & noctem. Sexto die ſeparatio, diſtinctio, & diuiſio hominum, & volucrum. Quo facilè admittas per omnia ſignificari ſeparationem Eccleſiæ ab errore, & incredulitate.* Equidem ſeparabat Deus ſingulis diebus aliquid ab aliquo, vt ſignificaret Eccleſiæ ab errore ſeparationem. Vt enim Deus ſingulis diebus accedebat ad orbem, & rerum inibi confuſionem cernēs, ſtatim faciebat diuiſionem, & ſeparationē: Sic Eccleſia Dei, ſic quiſque fidelium ſingulis diebus, imò ſingulis horis, pectus ſuū conuenire debet, & notare, ſiqua ibi ingeneretur confuſio, ſiquis error exurgat, ſi quod emergat idôlum; & ſtatim hæc ſeparare, & abijcere à corde. Sic D. Ignatius noſtræ Societatis erector ſingulis horis mentem ſuam conueniebat, & omnia intima, & externa ſcrutabatur, dijudicabat. Et Iob cap. 1. vbi filij Iob vacabant conuiuijs ait: *Cumque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos; conſurgēnſque diluculo offerebat holocauſta per ſingulos. Dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.* Hæc vltima verba explicant prima; non enim expectabat bonus, vt omnes dies conuiuiorum tranſirent, ſed ſingulis diebus poſt conuiuium peractum, ſtatim mittebat ad eos. Et quem mittebat? Ait Orig. lib. 1. in Iob: *Mittebat ad eos qui pietatem admonerent, iuſtitiam, & iudicium terribile teſtificarentur.* Imò & ipſe ſurgebat diluculò, vt pro eis offerret holocauſtum. Sic bonus pater curabat, vt filij ſingulis diebus monitorem haberent, quo ſua opera examinarent, expiarent. Quò reſpiciens Olymp. in cat. Græc. ait: *Id quotidie factitabat ad exacti diei expiationem mutata hoſtia.* Et plane S. Dorothæus aiebat Doctrin. 4. *Affirmauerunt patres communi ſententiâ, poſſidere eum timorem Dei, qui mortis crebrò, & gehennæ reminiſcitur, quique veſpere âſe ipſo rationem exigit, quemadmodum die ambulauerit; mane ſimiliter, quo pacto noctem tranſegerit.* Sic ibi.

Genes. 1. D. Anaſt. D. Ignat. Iob, 1. Orig. Olymp. S. Dor.

§. XVII.

Duriſſima eſt homini accuſatio propriæ conſcientiæ.

DEO Iurati officij nullum aliud iudicium, nullum aliud teſtimonium Ioſue proponit, quam proprias cōſcientias illorum, qui ſe Deo deuouent. Ait enim: *Teſtes vos eſtis, quia ipſi elegeritis vobis dominum, &c.* Et cur ad illos confundēdos, & confodiendos, ſi reſiliant, non magis queris alios teſtes? Cur ſolum committis rē eorum conſcientiæ? Sanè nullum ſeuerius, & rigidius iudiciū illis parari potuit, quā id quod ex propria conſcientia prodit. Ait meritò D. Amb. lib. 3. officior. cap. 4. *Quæ enim pœna grauior, quàm interioris vulnus conſcientiæ? Quod ſeuerius iudicium, quam domeſticum, quo vnuſquiſque ſibi eſt reus, ſeque ipſe arguit?* A nullo ſeuerius, rigidiuſque iudicium ſurgit in hominem, quam à conſcientia propria, quæ interna viſcera corrodit. Hinc Gehennæ tormenta proponens dominus Mar. 9. ait: *Vbi vermis eorum non moritur*, quod deſumptum eſt ex Iſaiæ cap. 60. Vocatur meritò conſcientia propria vermis hominum damnatorum: vt enim lignum vermem ſuum habet, qui intima eius corrodit, & fructus intra viſcera etiam

D. Amb. Mar. 9.

ſua

sua gignunt vermem, quo perduntur. Sic homini rationali suus proprius vermis est, natus intimo mentis penetrali, quę est cōscientia propria, à qua indefectilibus latratibus agitatur, & morsibus corroditur. Quò, fallar, si acerbior inueniatur dolor.

Vict. An. Pro quo aiebat Victor Anthioch. in cap. 9. D. Marci: *Designatur autem hoc vermis nomine impura scelerataque cōscientia: siquidem vna hæc animam peccatricem, nullius quę boni sibi conscia, inutilis pœnitentiæ aculeis, instar edacis vermis, continuo pungit, & rodit. Vnusquisque ergo sceleratorum sui ipsius accusator erit. Etenim dum ea secum perpendet, animoque sugiter reuoluet, quæ improbe gesit, vel inuitus se reum confiteri cōpelletur. Omni enim supplicio grauius est, immortalem illum vermē perpetuo auide vorantem, direque corrodentē circunferre.* Sanè acerbissime castigantur, qui traduntur morsibus propriæ conscientiæ, quæ animum corrodere nunquam cessat, nullisque carminibus mitescit. Luc. 16. *Homo quidem erat dives, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, &c.* Vter horum duriorem vitam agere creditur? An qui vlceribus plenus, imò & vermibus corrosus, an qui in bysso, & purpura mensæ splendidæ accumbebat? In illo multi vermes videbantur ab vlceribus cadere; in hoc nullus vermis foris erūpebat, sed summæ deliciæ extrinsecus apparebat. At vnus qui intrinsecus versabatur in anima vermis, nimirum morsus malæ conscientiæ, hominis vitam duriorem, & miseriorem reddebat, quàm vniuersi illi vermium exercitus, qui Lazari carnes rodebant. Ex

D. Chrys. quo ait D. Chrysost hom. 1. de Lazaro. *Ne mihi dixeris illum mensa sumptuosa frui, vestibus circundari sericis; sed explica mihi istius conscientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, ingentem metum, tempestatem, turbationem; videbis velut in curia mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, & tanquam iudicem sedentem, cogitationes loco carnificum adhibentem, latera conscientiæ radentem vngulis. Etenim qui committit adulterium, obambulat amarum accusatorem circunferens conscientiam. Nam & in lecto, & in mensa, & in foro, & in domo, & noctu, & inter diu, & in ipsis frequenter somnys hac iniquitatis simulacra videt, ipsiusque Cain vitam vivit, gemens ac tremens super terram, cum nemo sciat, intus tamen ignem implicitum.* Sic Sanctus Doctor explicat duritiem vitæ, quam facit propriæ accusatio conscientiæ.

Iosue cap. 24. Scripsit quoque omnia verba hęc in volumine legis, & tulit lapidem pergrandē, posuitque eum subter quercum, quę erat in sanctuario Domini, & dixit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testimoniū, quòd audieritis omnia verba Domini, quæ locutus est vobis; ne forte postea negare velitis, & mēriri domino Deo vestro. Dimisitque populum, &c.

§. XVIII.

Qui non studet veritati, aduersarium habet Iesum.

LAPIS Pergrandis opponitur Iudæis in testimoniū aduersus illos, qui vellent Deo mentiri. Dicit namque: *En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audieritis omnia verba Domini, quæ locutus est vobis, ne forte postea negare velitis, & mentiri Domino, &c.* Et cur lapis erigitur aduersus eos, qui relicta veritate sequerentur mendacia, & mentiri vellent? Erat lapis iste figura Iesu filij Dei, cuius est damnare veritati minime studentes. Ait enim in præsenti quæst. 30 D. Aug. *Per hunc lapidem profecto illum significauit, qui fuit lapis offensionis non credentibus Iudæis, & petra scandali: qui cum reprobaretur ab ædificantibus, factus est in caput anguli: quem præfigurauit illa petra, de qua dicit Apostolus: Bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus. Sic ergo & istum lapidem spiritualiter debemus accipere in testimonium Iudæis infidelibus, hoc est, mentientibus, &c.* Ostendebatur equidem in hoc lapide Christus Iesus reprobans Iudæos minimè credentes, sed relicta veritate ad vmbras & mendacia volantes. Qui enim sic depellunt veritatē, nil aliud inueniunt in Iesu, quàm testimonium damnationis, & petrā scandali. Luc. 19. *Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, &c.* Non deflet Dominus Iudæorum lasciuiam, nec auaritiam, nec crudelitates; vnam deflet eorum ignorantiam, qua non cognoscebant, nec videbāt, quæ fielant sibi ad pacem. Et cur non

D. Aug.

Luc. 19.

magis

magis deflet eorum immania ſcelera, & vitia, quàm ignorantiam? In ignorantia oſtendebatur animus eorum prorſus inimicus veritatis, quo ſolo a Ieſu deberent dãnari. Ait ibi D. Thom. in cat. ex D. Cyrill. *Non enim erant digni percipere diuinitus inſpiratas ſcripturas, quæ narrant Chriſti myſterium. Quoties enim legitur Moyſes, velamen obnubilat cor eorum. Et quia non ſent intuiti veritatem, indignos ſe fecerunt ſalute, quæ manat à Chriſto.* Non inuenient in Chriſto ſalutem, ſed damnationem, qui nolunt intueri veritatem. Hoc ſit ſtudium noſtrum, hæc noſtra cura, vt veritati inueniendæ inſtemus; vt in mendacio non ſimus, niſi velimus male haberi à Chriſto. Aiebat Sponſa Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem; per vicos, & plateas quæram quẽ diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni: Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem, &c.* Quærebat ipſa dilectum Ieſum, & non inueniebat; ſed magis ipſa inuenta eſt à cuſtodibus vrbis. Et cur prius inuenta eſt ipſa à cuſtodibus, quàm Ieſum inueniret? Sanè qui ſpõ Iam inueniebãt, mittebãtur à Ieſu, vt prius illam, veritatem docerent, & ſic fierent cuſtodes illius; ſi enim ſine affectu ad veritatem procederet, non tam inueniret Ieſum, quàm excidium. Vt dicat D. Bern. ſer. 77. *Et miſit in occurſum eius, qui eam enutrirent, & confirmarent in omni certitudine veritatis, hoc eſt, indicarent illi, certamque redderent de dilecto: quia veritas eſt, quam quarit, & quam vere diligit anima eius. Et re vera quis fidus, verus ve animæ amor, niſi vtique is, quo veritas adamatur? Nõ ſum ſecurus à ſecuri, ſi abſque eo inuenior.* Non Ieſum, non cuſtodes fidos inueniet, quiſquis ſine affectu ad veritatem procedit; ſed magis inueniet ſecurim, & extremum excidium. Aiebat Ieſus Ioan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate.* Circa quæ Sedul. lib. 2. Paſc. cap. 5. dicit: *Magnifice vero poſtquã dicit in ſpiritu, adiecit & veritate: quoniam ritum Dei gerentes veritas ſequitur, alienum fallacia comitatur.* Sic ibi.

D. Tom. Cant. 3. D. Bern. Ioan. 4. Sedul.

§. XIX.

In Ieſu omnium virtutum, bonorumque firmitas.

IN Iurati officij erga Deum teſtimoniũ, meritò lapis erigitur, dum dicit: *Eſto lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quod audieritis omnia verba Domini.* Et quando in lapide figurabatur Chriſtus iuxta Auguſt. ſapienter ponitur pro teſtimonio religionis populi Iſraelitici. In Chriſto enim omnium virtutum, & bonorum fundamentum, & firmitas conſiſtit. Gen. 1. ait Moyſes: *In principio creauit Deus cœlum, & terrã, &c.* Sic cœli, terræque creatio ſimultanea proponitur ante omnes rerum creationes & productiones; quæ poſtea diuiſim apparebãt in tempore ſuo. Et cur neceſſum fuit ſimul creari cœlũ & terrã in principio? Cur non magis aut cœli, aut terræ creatio dilata fuit; vt prius alterum crearetur, & poſterius tempore alterum, vt factum fuit in cæteris rebus? Cur magis voluit hæc duo in principio ſimul creari? In duobus iſs ſimul iunctis Chriſtus ſignificabatur, vt cœleſtis ſimul erat & terrenus, homo & Deus; qui meritò præmitti debuit, vt in ipſo vniuerſitas bonorum firmaretur, ſine quo in nihilum euaneſcerent. Ait D. Anaſt. Sinaita lib. 1. Exam. *Vt tibi oſtenderet; magis quàm omnia eſſe neceſſariã Verbi incarnationem, & propter eã facta eſſe omnia, ſine qua vana ſunt, & inania, peccato effecta, inutilia, & ad nihilũ redeuntia; ſtatim ab initio, & ab ipſis proemys illam tibi tradit, dicens: In principio creauit Deus cœlum & terram; ſeu placuit, vt fieret cœlum tanquam Deus, & terra propter Ieſum hominem.* Expende illa: *Sine qua vana ſunt & inania, & ad nihilum redeuntia*: niſi enim homo Deus, Chriſtus Ieſus præmittatur, omnia euaneſcunt, & abeunt in nihilum, vt quæ in ſolo Ieſu habent firmitudinem. Dicebat merito Ioann. cap. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Quæ verba expendens D. Aug. in ſoliloquijs ait: *Ad nihilum duxerunt me, quia tu es Verbum, & ego non eram tecum, per quem facta ſunt omnia: ſine quo factum eſt nihil: & ideò ſine te factus ſum nihil, quia eſt nihil, quod ad nihilum ducit:: Separari ergo à Verbo, eſt eſſe ſine via, ſine veritate, ſine vita, ſeparari autem à Verbo, per quod facta ſunt omnia, nihil aliud eſt, quã deficere, & à facto tranſire in defectum, quia ſine ipſo eſt nihil.* Vbi Dei Verbum, Deus, homo Chriſtus non eſt, omnia vergunt in nihilum; quia ipſe eſt omnium bonorum fulcrum & ſuſtentaculũ. Siquod bonum, ſiquod fęlix ſtare debet, ne prorſus euaneſcat, id fundari debet in Ieſu. Hinc Luc. 19. *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam.* Nec ſemel, ſed & bis audio Ieſum flentem; ridentem nunquam. Et cur maluit Ieſus flere, qui erat riſus mundi? In lachrymis erat conſtituenda fœlicitas, & beatitudo; ideò

Genes. 1. D. Anaſt. Ioann. 1. D. Aug. Luc. 19.

do; ideò lachrymas ſibi ſumpſit, vt quod lachrymarum ad fœlicitatem pertinebat, firmaretur in Chriſto, ne abiret in nihilum.

Orig. Orig. hom. 38. in Lucam: *Omnes beatitudines, quas locutus eſt in Euangelio Ieſus, ſuo firmat exemplo. Beati, inquit, mites. Huic ſimile eſt de ſe ipſo: Diſcite à me, quia mitis ſum. Beati pacifici. Et quis alius ita pacificus, vt dominus meus Ieſus, qui eſt pax noſtra? Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Nemo ſic perſecutionem paſſus eſt, vt dominus Ieſus. Omnes igitur beatitudines in ſe ipſo dominus oſtendit. Ad quam ſimilitudinem, quia dixerat, beati flentes, ipſe fleuit, vt huius quoque beatitudinis iaceret fundamenta.* Niſi enim ſanctorum lachrymarum fundamenta iaceret Ieſus, nihil in lachrymis eſſet, quod non euaneſceret, & abiret in nihilum. Felix qui in Ieſu omnia ſua cõſtituit, in eo enim vel lachrymæ æternam fœlicitatem ſpirant; & ſine eo omnia ſunt inania, & inutilia.

§. XX.

Nullius hominis opera ſuperãt leges, ſub quibus viuitur: niſi vbi veri Ieſu gratia aſpirat.

QVAM Aliud teſtimonium Ioſue Iſraelitis exhibet, ab eo quod verus Ieſus præſtat ſuis fidelibus. Ioſue ait: *En lapis iſte erit vobis in teſtimonium, &c.* Ieſus autem Nathanaeli dicit Ioann. 1. *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis, &c.* Et cœlum, & Angelorum deſcenſum proponit pro ſuæ diuinitatis teſtimonio. Et cur Ioſue non cœlum, non Angelos meminit, ſed lapidem vnum exhibet in teſtimonium Iſraelitis? Viuebat Ioſue ſub lege ſcripta lapidibus, quo non miror, ne ſupra lapides euolet. Non enim hominis opera ſuperare ſolent leges, ſub quibus viuit, niſi vbi aſpirat gratia Ieſu veri. Dicitur 1. Æſdr. 3. *Surrexit Ioſue filius Ioſedech, & fratres eius Sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres eius, & ædificauerunt altare Dei Iſrael, &c.* Quod notantes multi Iudæi conabantur oſtendere in hac templi reædificatione conditum fuiſſe à Deo nouum teſtamentũ promiſſum in Prophetis. Quos ſapienter refellit D. Irinæus ex ipſo lapideo opere templi; nihil enim ibi nouum, nihil ſublime, nihil non ſpectans ad veterem legem lapidibus ſcriptam. Vt enim ſub lapidea lege adhuc viuebant, ſic nihil ſupra lapides ſapiebant; à Ieſu enim ſolum gratia venit, quod nouum aliquid audeamus ſupra legem. Ait Irinæus lib. 4. aduerſus Hæres, cap. 67. *Si autem aliquis Iudeis aduocationem præſtãs, erectionem templi, quæ facta eſt ſub Zorobabel, dicat hoc eſſe nouum teſtamentum, cognoſcat, quoniam lapideum quidem templum reſtitutum eſt, tunc adhuc enim illa, quæ in lapideis tabulis facta fuerat lex, ſeruabatur. A Domini autem aduentu nouum teſtamentum ad pacem reconcilians, & viuificatrix lex in vniuerſam exiuit terram, &c.* Expende illà: *Quoniam lapideum templum reſtitutum eſt, tunc enim adhuc illa, quæ in lapideis tabulis facta fuerat lex, &c.* quippè quando nihil ſupra lapideum templum meditabantur; clare oſtendebant adhuc ſub lege ſcripta lapideis tabulis ágere. Qui enim ſub legis tabulis lapideis erant, ſolos lapides cogitabãt, quibus altare lapideum Deo coſtruerent. Vbi Ieſus venit, aſpirante eius gratia, ad noua ferimur, vt ſupra omnes leges euolemus, de viuida lege eius viua etiam templa conſtruentes. Hinc Exod. 16. aiebat: *Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus, ſcietiſque quod ego ſum Dominus Deus veſter. Factum eſt ergo veſpere, & aſcendit coturnix, cooperuit caſtra, mane quoque ros iacuit, &c.* Itaque veſpertino tempore coturnix dabatur populo in eſum, nimirum auis, quæ paulò leuatur à terra; mane autem dabatur manna, nimirũ panis cœleſtis, qui à cœlo veniebat, & in cœlum erigebat humanas mentes. Et quid protendebat iſta ciborum differentia? Ait D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioan. cap. 34. *Attende, diſtingue ſingula diligentius. Nam coturnix legem quemadmodum denotabat, nunquam enim effertur volatu, ſed prope terram ſemper hæc auis volat. Nam & diſciplina legis terreſtris quodammodo eſt, animalium oblationes, & purificationes Iudaicas continens, quibus illi non multum è terra leuabantur. Nondum enim aderat gratia. Quod ipſe ſignificauit dicens, Mane videbitis gloriam Dei, dabit vobis panes in ſaturitate. Sole nobis intelligibili orto, præſentis Domini gloriam intuentes, panem cœleſtem, ipſum rurſus Chriſtum aſſequimur.* Vbi lex vigebat, quæ inſtar coturnicis prope terram tantum volabat; & homines parum à terra leuabantur, & pene ſola terrena cogitabant. Nec miror, non enim affulgebat Chriſti gratia, quæ facit nos ſupra omnes leges volare, ſublimiaque cœli culmina ſpectare. Quid nouum non

Ioan. 1.

1. Æſd. 3

D. Irin.

Exod. 16.

Cyril. Al.

audeat;

audeat, & quid ſupra leges nõ quærat, qui ſe Chriſti gratia afflare ſentit? Ait Iſaias, cap. 43. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini; noua quoque ego facio.* Circa quæ Gillib. Abb. ſerm. 4. in Cant. *Iure noua, quæ ab antiquo currentis naturæ nequaquam concluſa ſunt legibus.* Vbi enim gratia Chriſti affulget, ea fiunt quæ nullis legibus valeant claudi.

Iſaias, 43

Gill. Ab.

§. XXI.

Reſpectus temporales non valent homines in virtute firmare.

NON Aliud, quam lapidem propoſuit Ioſue in teſtimonium Iudæis, dicens: *En lapis iſte erit vobis in teſtimonium, &c.* Non ſe ipſum, non domum ſuã proponit, dicens: Ego, & domus mea teſtabimur, ſiue in teſtimonium vobis erimus; quod dicere homines conſueuerunt. Sed maluit lapidem erigere, qui ſolus illis vias ſalutis teſtetur. Et cur ad id ſolum lapidem erexit? Vt lapis ille in typo Chriſtus erat iuxta D. Auguſt. ſupra adductum, ſic curabat bonus, nequid aliud reſpicerent quã Chriſtum, quos in virtute firmare volebat. Nullus enim temporalis reſpectus potens eſt facere, vt homines in virtute diu firmẽtur. Ioan. 1. *Stabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, & reſpiciens Ieſum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei.* Mirandum valde eſt, quod Ioannes, cuius erat viam ad Ieſum parare, videns Ieſum, tantum hoc commune verbum diſcipulis ſuis de illo fecerit, dicens: *Ecce agnus Dei.* Cur non magis diſcipulos hortatur, vt ad illum eant? Cur non diſcipulos conuenit, multiſque illis perſuadet, quam ſibi gratum, & iucundum facient, ſi currant ad Chriſtum? Cur non ait, quod dicunt communiter homines ſuis aſſeclis, vt illos ad optata deducant, ñimirum: Hoc mea maximè intereſt, in hoc maximo me beneficio afficietis, ſi ad Ieſum verum Dei agnum conuoletis? Cur maluit ijs relictis nudum Ieſum proponere intuendum communibus verbis? An quia nõ ſibi gratiſsimum, & iucundiſsimum eſſet, ſi ſui ad Ieſum irent? Abſit; quin imo curabat, vt firmiſsime Ieſu adhæreſcerent, ideò abſtinuit à proponendo quolibet alio temporali reſpectu. Rem tractat D. Chryſoſt. hom. 17. in Ioan. fatus: *Quanam gratia non ſeorſum ſuis conuocatis diſcipulis Ioannes hæc cum ijs loquitur, ſed omnibus præſentibus inquit ad eos; Ecce agnus Dei? Ne videretur id ex compoſito feciſſe. Nam ſi ipſius hortatu, & tanquam gratiam ei haberent, Chriſtum petiſſent, reſiliſſent fortaſſe; nunc autem ex communi doctrina eum ſecuti, firmique perſtiterũt diſcipuli; non magiſtri gratiam, ſed propriam ſpectantes tantum vtilitatem.* Expende illa: *Nam ſi eius hortatu, & tanquam gratiam ei haberent, Chriſtum petiſſent, reſiliſſent fortaſſe, &c.* Non putabat Ioannes firmum, quod in ſui gratiam diſcipuli irent ad Chriſtum: & vt volebat illos ſic Chriſto firmiter adhærere, ne timeretur, quod reſilirent; ita vnum illis oſtẽdebat Ieſum, quouis reſpectu temporali dimiſſo. Certius equidem in virtute perſtat, qui nullo temporali reſpectu, ſed ſolius Ieſu affectu in illa tenetur. Ioan. 20. Magdalena, & Petrus, & Ioannes venerant ad ſepulchrum Domini, quod vacuum inuenerunt. Quid tunc? Ait text. *Abierunt ergo diſcipuli ad ſemetipſos. Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans.* Diſcipuli abeunt; Maria magis ſtat, & perſeuerat. Et cur Maria firmius illic hæret? Ait Orig. ibi hom. vlt. de diuerſ. *Petrus, & Ioannes timuerunt, & ideò non ſteterunt. Maria autem non timebat, quia nil ſuſpicabatur ſibi ſupereſſe, quod timere deberet. Perdiderat enim magiſtrum ſuum, quem ita ſingulariter diligebat, vt præter ipſum nihil poſſet diligere, nihil poſſet ſperare.* Vide vt ſepulchro ſola hæret illa, quæ nullo metu, aut ſpe temporali agebatur, ſed vnum Ieſum reſpiciebat. Quos ducit temporalis reſpectus ſiue ſpei, ſiue metus, ſiue reuerentiæ; periculum eſt, quod reſiliant à virtute incepta; in qua firmius perſiſtet, qui omnes hos ſupergreditur reſpectus, & vnũ Ieſum intuetur.

Ioan. 1.

D. Chryſ.

Ioan. 20.

Orig.

Ioſue cap. 24. Et poſt hæc mortuus eſt Ioſue filius Nun ſeruus Domini centum & decem annorum: ſepelieruntque eum in finibus poſſeſsionis ſuæ in Thamnathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim, à ſeptentrionali parte montis Gaas. Seruiuitque Iſrael Domino cunctis diebus Ioſue, & ſeniorum, qui longo vixerunt tempore poſt Ioſue, & qui nouerunt omnia opera Domini, quæ

fecerat

fecerat in Iſrael. Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerant filij Iſrael de Ægypto, ſepelierunt in Sichem:: Eleazar quoque filius Aarõ mortuus eſt, &c.

§. XXII.

Felix qui in morte retinet quid quid virtutis habuit in principio vitæ.

BIS, Et ter nominatur Ioſuë in præſenti capite, & nunquam dicitur filius Nun, niſi tãdem cum dicitur eſſe defunctus. Tunc enim ait: *Et poſt hæc mortuus eſt Ioſue filius Nun, &c.* Et cur nunc poſtremò dicitur Nun filius? Ea erat frequentiſſima appellatio Ioſuë in principio ſuæ electionis. Exod. 33. *Ioſue filius Nun.* & ſupra cap. 1. *ad Ioſue filium Nun.* Cap. 2. *Ioſue filius Nun,* & ſæpe alias. Similiter in morte ea appellatio interrupta reſumitur, vt oſtendatur, quàm ſui ſimilis ſit Ioſuë in principio, & in fine; & quàm illi conueniant mortuo omnes nobilitates, & virtutes, quæ illum comitabantur à principio vitæ. Quæ fœlicitas proculdubio cõuenit magnis, & fœliciſsimis viris. Matth. 27. poſt crucifixum Dominum: *Venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu. Hic acceſsit ad Pilatum, & petyt corpus Ieſu, &c.* Et cur neceſſum fuit notari nomen huius viri, qui corpus Ieſu ſepeliuit? Crediderim ideò & nomen Ioſeph, & petræ ſpelæum denotari in ſepulchro Domini, vt oſtenderetur, quã ſibi reſponderent mors, & ſaluatoris exortus. Nihil enim in prima natiuitate ex Maria aſſumpſit, cui ſimile non exhiberet in morte. Ait D. Epiphan. orat. de Ieſu ſepult. Qui autem geminus exortus in Chriſtum conueniat, audi, & ob rei miraculum plaude. Qui Chriſti Mariæ generationem nuntiabat, Angelus erat: Angelus rurſum erat, qui Magdalenæ eiuſdem ex ſepulchro regenerationem nuntiabat. Noctu Chriſtus in Bethleem naſcitur, noctu in Sion ex mortuis renaſcitur. Spelæum ſaxeum erat, vbi Chriſtus naſcebatur: ſpecus æque ſaxea erat, vbi ex mortuis renatus eſt. *Faſciæ illius exortum ſuſceperunt, & hic quoque faſciæ, quibus inuolueretur, non defuere. Myrrham ſuſcepit natus: myrrham rurſus, & aloe ſuſcepit in ſepulchrum illatus. Ibi adfuit Ioſeph Mariæ maritus, hìc etiam Ioſeph ab Arimathia deſideratus non fuit. Partus, in Bethleem editus, in præſepi depoſitus eſt; in ſepulchro itidem ac in quodam præſepio collocatus Chriſtus eſt.* Nihil prætermitti paſſus eſt Ieſus ex ijs, quibus eius ſplenduerunt cunabula, quæ etiam in ſepulchro non rutilarent. Vtrouique enim Angeli, Maria, Spelæum ſaxeum, myrrha, Ioſeph: vt iam inde oſtendatur, quàm fęlix ſit Chriſtianus, cui nec in morte deficiunt virtutes, inter quas fuit natus, alitus, & educatus; ſed magis ad ſepulchrum vſque illum comitantur. Huc trahe dictatom. 1. de Chriſto figurato, pag. 316.

Exod. 33.

Matt. 27

D. Epip.

§. XXIII.

Felix ille diſceſſus, qui nulli eſt calamitoſi luctus.

VIDEO Morientem Ioſuë, & nullum audio in tanti viri interitu luctum. Dicit enim: *Mortuus eſt Ioſue filius Nun:: ſepelierunt que eum in finibus poſſeſsionis ſuæ.* Nulla ibi memoria luctus. Non ipſe, qui moriebatur, lugebat filiorum orbitatem; aut imminentia pericula: non filij fuerunt, qui patris euigilarent ad ſepulcrum; nullus alius dicitur mortem flere tanti viri. Nec parum crediderim ad eius fœlicitatem pertinuiſſe, quòd eius diſceſſus nulli fuiſſet calamitoſi luctus. Ruinam per dilubium illatam memorans Geneſ. 7. ait: *Conſumptaque eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper terram:: Vniuerſi homines, & cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt.* Quæ meditati non pauci hęretici Deum crudelitatis inſimulabant, vt qui ſic in vniuerſos homines iratus fuerit, quos omnes ſimul perderet. Solent enim Principes magis parcere multitudini; cur Deus maluit vniuerſos perdere? Acutior, & fidelior Auguſt. in hac diuina ſeueritate rationem etiam pietatis inuenit: quia pereuntibus cunctis, nulli calamitoſi luctus materies maneret. Ait enim lib. 1. cõtra Aduerſar. legis & Prophet. cap. 21. *Quid autem intereſt morituris cunctis, quantum ad mortem attinet corporis, virum ſingulatim, an ſimul omnes pariterque morianturꝰ niſi quod cum ſinguli moriuntur, & omnes mortem, & omnes de morte patiuntur dolorem;*

Geneſ. 7.

Auguſt.

lorem; cum autem ſimul vniuerſos rapit vnus interitus, ſaltem nemini relinquitur luctus? Expende hæc: *Saltem nemini relinquitur luctus*; quaſi hoc ad aliqualem fœlicitatẽ referat D. Auguſt. in communi omnium excidio, quòd nemini relinquatur luctus, quòd in nullo corde maneat calamitatis veſtigium. Et quidem nunquam non æſtimatur quis fœliciter occumbere, quando nullorum angitur orbitate, deſolatione, ac periculis. De glorioſiſsima Machabæorum matre dicitur 2. Machab. 7. *Nouiſsimè autem poſt filios, & mater conſumpta eſt.* Et cur ipſa nouiſsimè? Eo curabãt carnifices maiorem illi dolorem incutere; at Deus ad maiorem eius quietem, & fœlicitatem id prouidebat, vt tunc temporis occumberet, quando nullam orbitatem, aut luctum, aut periculum ſuis relinqueret. Ait D. Chryſoſt. hom. de Machab. *Ergo callidus omnis malitiæ machinator diabolus vltimam eã duxit ad certamen, ea cauſa, qua ſupra expoſui, vt virtute eius fractâ, in ſpectaculo filiorum per tormenta morientium debilitatâ, facilè poſtea debellaret afflictam. Sed per orbitates ſuas non fracta eſt, ſed fortior facta eſt. Non enim iam reliquerat ſibi pro quibus angeretur, vel quibus timeret, ne forte infirmitate fraudarentur coronis.* Faciebat hoc maximè ad plenam requiem, & fœlicitatem tantæ Heroinæ, vt tunc decederet, quando nullum ſuis relinqueret luctuoſum periculum. Quam fœlicitatem ſuis parentibus attribuit Nazianzen. orat. 10. in morte fratris, aiens: *Omnes fœlicitatis numeros expleuerunt, excepta hac poſtrema, ſiue probatione, ſiue diſpenſatione: hoc eſt, meo quidem iudicio, vt præmiſſo eo filio, cui propter ætatis lubricum magis timendum erat, ita iam ipſi ſecuro animo vitam claudant, & cum vniuerſa domo ad ſuperna transferantur.* Proh fœlicitas hominum nullam relinquentium orbitatem!

2. *Mac.* 7

D. Chryſ.

Nazian.

§. XXIIII.

Præſentia Ieſu efficaciſsima, vt homines in bonum trahat.

NON Parum profuit Iſraelitis Ioſue præſentia, de quo dicit: *Seruiuit Iſrael domino cunctis diebus Ioſue, &c.* Dum Ioſue aderat, nullum idolum in Iſraele præualuit, nulla vexatio illos ad idolatriam traxit. Nec miror, ibi enim exprimebatur, quid veri Ieſu præſentia valeat, vt homines in bonum trahat. Ioan. 21. adorat Ieſus Petro, cui dixit: *Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: etiam domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? At ille; etiam domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei iterum: Paſce agnos meos, Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas me?* Et ſemel, & bis, & ter Dominus exagitat Petrum, nec deſiſtit, donec ille tertiò profiteatur amorẽ ſuum. Et cur vſque ad tertiam amoris oſtenſionem perſeuerauit? Oſtendebat Ieſus ſuæ diuiniſsimæ præſentiæ efficaciam, quæ in trahendis hominibus ad bonum à nullo malo poſſet ſuperari. Beda ibi fatur: *Redditur negationi trina trina confeſsio, ne minus amori lingua ſeruiat, quam timori; & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens.* Iudæorum gladij ob oculos Petri verſantes hominem in trinam negationem traxerant: quibus ſuam præſentiam opponens Ieſus clare oſtendit à nullo ſuperari in trahendis hominibus ad gratiam. Sint licet hic eculei, rotæ, præſſuræ, & vniuerſa tormenta à tyrannis excogitata, vt homines in negationem fidei trahant; dum aliunde præſentia Ieſu adſit, proculdubio non plus eliciet vocis *mors imminens, quàm vita præſens.* Super omnia enim efficax eſt præſentia Ieſu, vt homines adſe alliciat. Ioan. 11. De Martha excipiente Ieſum in domo ſua: *Et cum hæc dixiſſet, abiit, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te.* Et ſanè in tota illius capitis hiſtoria non apparet, quòd Ieſus vocaſſet Mariam; vnde ergo Martha dixit, quod illam vocaret? Expende, quòd præmittat, nimirum: *Magiſter adeſt*: vbi enim Ieſus præſens oſtendebatur, iam ibi intelligebatur vocatio efficaciſsima, quæ traheret ad ſe Mariam. D. Thom. in cat. ex Theophilacto ait: *ipſam Chriſti præſentiam vocationem reputant.* Et meritò Chriſti præſentia intelligitur eſſe vocatio, & tractio; eò enim ſolum quòd præſens eſt, humana corda ad ſe rapit. Parum dixi, quòd humana corda rapiat, quia vel rebelles ſpiritus maximè afficit. Matth. 4. dum Ieſus eſſet in deſerto: *Accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant, &c.* Et ſæpe mirabar tentationis leuitatem, quæ famelico homini proponebat lapides; cur non vehementius aliquod allectiuum illi proponit? Cur tam leuiter adoritur athletam maxi-

Beda.

Ioan. 21.

Ioan. 11.

D. Thom.

Matth. 4.

maximum? Cur non magis proponit paradisi poma iam nota in hominibus deturbandis? Ait D. Maxim. hom. 1. in præsenti: *Errabundus, & anceps tentator mollia, suspensaque tentamenta rimatur: quia licet carnalis viri speciem contemplaretur in Christo, præsentiâ tamen diuinitatis eius concitatus suspicabatur, eum plus esse, quam hominem.* Expende illud: *Præsentiâ diuinitatis eius concitatus, &c.* Vel enim diuinissima Iesu præsentia in adeò rebelli creatura moderationem instillabat, quâ mollesceret aliquantulum. Vt videant, qui Iesum in Eucharistia præsentem habent, quanta bona inde possint sperare.

D. Max.

§. XXV.

Mortis meditatio vtilissima homini.

VIDE Quot sepulchris erectis claudat textus cantatissimi iudicis historiam, quippè ait: *Mortuus est Iosue:: sepelierunt eum in finibus possessionis suæ:: Ossa quoque Ioseph sepelierunt:: Eleazar quoque filius Aarõ mortuus est, &c.* Quot verba pro fine seu coronide ponuntur historiæ, tot mortui, tot sepulchra proponuntur. Nec immeritò, quando meditatio mortis nunquam non censetur homini vtilissima. Mirabar Ionam â Deo fugientem, ne iret Niniue, & in mare iactatum, & à pisce absorptũ, & tandem in illo litore euomitum, ex quo breui posset Niniue peruenire. Vix enim â ventre piscis exierat, & statim audit ex Domino, cap. 3. *Surge, & vade in Niniue, &c.* Et quomodo qui fugiebat Niniuem, post tot casus, post iactatum in mare, post voratum à pisce, tandem ad Niniue appulit litora? Erat illi piscis venter sepulchrũ, cuius meditatio tam efficax est, vt hominem in debitam viam reducat. Quò spectans D. Zeno aiebat lib. 1. ser. 10. inquiẽs: *Ceto inhianti miserabilius Ionas sepelitur; & tamen litus, quò tendit, inuenit, antequam videat; felix magis sepulchro, quàm naui.* In naui Deum fugiebat, & ciuitatem Niniue; vbi autem in ventre Ceti sepelitur, de sepulchri beneficio, quod debebat attigit litus. Sic fœliciorem viam à sepulchro, quàm à naui arripuit. Nunquam enim meditatio mortis fœlicius non dirigit homines in viâ salutis. Hinc reuertenti prodigo filio ad patrem pater occurrit Luc. 15. *& cecidit super collũ eius, &c.* Et cur infirmi filij pater maluit grauare ceruicem, cadens super collum eius? Vt vidit pater filium venientem, voluit illi præstare indicem securissimæ viæ ad salutem, & ideò eius grauat ceruicem, vt curuato collo versus terram, puluerem videat, in quẽ est desiturus. Quasi à nullo fœlicius posset dirigi in viam, quàm à mortis puluere. Ait Ruper. lib. 8. de Spiritu Sancto. cap. 10. *Non vane dicere potest, quod ceciderit pater super collum eius, & pondere suo cõfregit ceruicem cordis eius, vt fixis oculis terram aspiciat, cõmemorans sibimet, quia puluis est, & in puluerẽ reuersurus.* Hoc studet diuinus pater in filijs, quos dirigit in viâ salutis, vt præ oculis habeant suæ mortalitatis puluerem. A mortis enim memoria efficacissimus venit ad rectam viam fœliciter sequendam stimulus. Hinc post diluuium superatum, in quo vniuersos homines submersos viderat, commendat Noemi felicissimũ cursum D. Bas. Sel. orat. 5. inquiẽs: *O Noeme hominũ progenitor, Adamo anteferẽde! O imaginis Dei firmior asseruator! O qui finis, vnâque principiũ naturæ fuisti! O sanctũ humanitatis confine!* Adamo præstantior, & fœlicior, & obseruantior prædicatur, & vnde Adamum superauit in felicitate, in conseruatione diuinæ imaginis? Exprimant id illa verba: *O qui finis, vnâque principium naturæ fuisti! O sanctum humanitatis confine!* Quippè Adamus existebat humanæ naturæ principium, non existebat aliorum finis, nullos ante se mortuos videbat. At Noemus sic extitit principium humani generis, vt etiam finis existeret, vidẽs vniuersos ante se homines diluuio ablatos, sicque mortuorum, viuorumque confinis erat, vnde fœliciorem cursum putatur à Basilio habuisse, quàm Adamus. Nec miror, morte enim ob oculos posita, facillime abijciuntur tentamenta deliciarũ. Sic 2. Reg. 23. strenui Dauidis milites sese morti obijcientes aquam de cisterna Bethlehemitica comparauerunt, quam sitienti, concupientique Regi obtulerunt, qui effudit illam, *& libauit eam domino.* Cur non magis bibit adeò concupitã aquam? Considerauit periculum militum, vt sese mortis discrimini dederant, & dum morte meditatur, totas expuit delicias in aqua illa excogitatas. Ait D. Amb. in Apol. cap. 7. *Aqua tot virorum quæsita sanguine sanitatem bibendi habere non poterat, quia propositæ mortis horrore constaret.* Eu humanæ deliciæ quam insipidæ, quam abijciendæ appãrent, vbi horrorem mortis meditamur.

Rupert.

Basil. §. vl.

2. Reg. 23

D. Amb.

Luc. 15.

D. Zeno.

§. XXVI.

Virginitati addictus eſt principatus.

IOSVE Mors & ſepultura non otioſe ſignificatur à textu, dum dicit: *Sepelierunt eum in Thamnath ſare, &c.* Eſt enim Thamnath Sareth idem, ac perfectus principatus; ſed cur notatur Ioſue in perfecto requieſcens principatu, niſi quia floruit virginitate? Principatus enim, qui in cæteris morte euanet, in virginibus ſemper claret. *D. Hier.* Quò ſpectans D. Hier. lib. 1. in Iouinianum ait: *Oſtende mihi Ieſum Naue, vel vxorem habuiſſe, vel filios, & ſi potueris, victum me eſſe fabebor. Et certe pulcherrimum terræ Iudææ in partitione accepit locum. Sepelitur autem in Thamnath Sareth, id eſt, in perfectiſsimo principatu.* Eſt equidem vel in morte perfectiſsimus principatus ijs, qui ob amorem virginitatis nuptijs renuntiarunt. *Apoc. 12* Apocal. 12. de ingenti exercitu virorum regali Dei nomine coronatorum ait: *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnũ, quocunque ierit.* Quid eſt, *Quocunque ierit?* D. Aldelmus de Virg. cap. 3. ſolum intelligit cœleſtem Regni ſpatium, ne virginitas extra Regnum, & principatum vel pedem mittere videatur. *D. Ald.* Ait enim: *Cæteri fideles audituri. Iſti modulaturi ſunt carmina, & cum Agno pariter per auguſtam æthralis Regni gloriam graduri.* Cum audis Virgines ſequi Agnum, nihil extra cœleſtem cogites principatum; ſequentur ſanè Agnum, quocunque ierit, ſed intra Regni cœleſtis tramitem. Semper enim Regnum, & principatus ſancte defunctos Virgines comitatur. Et quando Virginitas ſine Regno? Aſſuerus Rex Æſther, cap. 2. poſt repudiatã Baſthi, puellas Virgines ſibi iuſsit comparare, ex *Æſther. 2* quibus eligeret, quæ mereretur ſecum regnare. Ait autem textus: *Cumque per crebuiſſet Regis imperium, & iuxta mandatum illius multæ puellæ virgines adducerentur Suſan, & Egeo traderentur Eunucho, Æſther quoque inter cæteras puellas ei tradita eſt, vt ſeruaretur in numero fœminarum. Quæ placuit, &c.* Nõ ait, quod multæ puellæ pulchræ, & ſpecioſæ adducerentur, ſed diſſimulata pulchritudine virginitas commendabatur earum, quæ ad Regnum vocabantur. Et quando non tam pulchræ, quam virgines quærebãtur, vnde Æſter præ cæteris placuit? Crediderim adeò euidenter in omnibus etiam externis ſe virginem oſtendiſſe Æſtherẽ, vt inde in Regnum deberet quàm primum coaptari. Ait D. Iſodor. Hiſpal. lib. de vita & morte Sanct. vet. teſt. cap. 63. *Æſter regina filia fratris Mardochai de ſtirpe Beniamin, captiua de Ieruſalẽ in vrbem Suſan trãſlata, atque adſpectu formæ, & perſpicua virginitatis excellentia Regi Perſarum connubijs copulata.* Expende illud: *Perſpicua virginitatis excelentia, &c.* vt virgines videãt, qua virginitate in cõſortiũ diuini principatus ſe parent, non quippè virginitate, quæ abdita intra ſolam conſcientiam eſt; ſed illà, quæ perſpicua, & manifeſta eſt. Vt taliter ſe gerat virgo in geſtu, in habitu, in verbis, in factis, vt perſpicuam, & clarã faciat ſuã virginitatem. Quæ talis eſt, non carebit cę leſti principatu, ſed ſummo Regi cœlorum copulabitur. *D. Iſodor.*

§. Vlt.

Præſtantes virtute viri etiam poſt abſceſſum ſalutares ſuis ſunt.

NON Immerito textus in defuncti Ioſue elogio meminit ſeniores, qui poſt eũ continuerunt populos in religione, ait enim: *Seruiuit Iſrael Domino cunctis diebus Ioſue, & ſenorum, qui longo vixerunt tẽpore poſt Ioſue.* Et quid ad Ioſue, quod populus etiam tempore ſeniorum illorũ poſt illũ viuentium in pietate perſeueret? Videbãtur in ſenioribus illis virtutes Ioſue, qui vt illius coætanei fuerant, & lateroues, ſic de eius habitu habebant, quo populũ in religione continerent. In illis enim relinquerat Ioſue ſuarũ virtutũ teſtimonia, quæ etiã defunctus iugi ſui memoria promouebat; præſtantes enim virtute viri, etiã dum abſcedunt, multa virtutũ incentiua in ſuos ſolent cõpluere. Cũ verus noſter Ieſus abſcedebat à nobis, & aſcendebat in cœlũ, Apoſtoli intuebantur aſcendentem. Interea ait textus Act. 1. *Nubes ſuſcepit eũ ab oculis eorũ.* *Act. 1.* Et cur ſub nube ſeſe Dominus abdidit, cũ à ſuis abſcedebat? Ait D. Aug. hom. 7. de Aſcẽſ. *Apparuit nubes: intrauit in eã, qui educit nubes ab extremo terræ, vt oblectaret oculos eorũ nubis amœnitas, & irroraret eos aſcendẽtis de cœlo ſuauitas, ne ſola deſiderantiũ inanis remaneret anxietas.* Nubes erat, quæ aſcendentis Ieſu abſcondebat aſpectum, vt Ieſu ſuauitas etiam cum abſconditur, cum abſcedit, irroraret ſuos, multiſque virtutum incentiuis illos complueret. Id enim proprium eſt omnium præſtantium virtuti-

bus

bus virorum, qui vel poſt abſceſſum ſuum non ceſſant multa ad virtutem pertinentia compluere ſuper eos, quos dilexerunt. Illos mirabatur Iſaias, cap. 60. quando dicebat: *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant?* Videbat profecto multos ab hoc ſæculo euolare ad cœleſtia; pernicique volatu ſe eripere temporalibus, & inferre æternis. Quos in volatu ſuo non abſimiles eſſe nubibus cernebat. Et in quo nubibus ſimiles apparebant, niſi in eo quòd euolantes, & abſcedentes, ſimul cœleſtibus gratijs ſuos compluebant? Ex quo monebat D. Amb. lib. de fuga ſæculi cap. 9. *Sic igitur volate, vt dicatur de vobis: Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant? Vt nebulæ veſtræ rorent iuſtitiam.* Et quidem nebulæ, quæ ſanctorum dies obnubilant, illoſque eripiunt ab oculis viuentium, non ſterilẽ faciunt terram, ſed illam virtutibus irrorant cœleſtibus. Crede mihi, non areſces, etiam ſi tibi nubes eripere videantur Ieſum, iuſtitiæ Solem; quæ enim nubes Ieſum tenent, nõ ceſſabunt cõpluere ſuper ſuos; eaque nos ſuauitate perfundere, qua fœcundi, & fructiferi exultemus, vt videamus diem eius. De cuius rore ſpero, qui adhuc reſtant in eius figuris fructus, cumulatiſsime metere. Cui honor, & imperium in ſæcula.

FINIS.

Laus Deo, Virginique Matri, *& Parenti meo* Ignatio.

INDEX LOCORVM SCRIPTVRAE

Geneſis.

CAP. 1. *In principio creauit Deus cœlum, &c.* 60. 261. & 164. 610.

Terra autem erat inanis, & vacua. 117.

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, 545.

Diuiſit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem. 34. 608.

Feciſque Deus duo luminaria magna. 257.

Germinet terra heruam virentem. 145.

Producant aquæ reptile animæ, &c. 224.

Faciamus hominem ad imaginem, &c. 144. 337. 522. 92. 203.

Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. 608.

Creauit Deus cete grande, &c. & benedixit eis. 403. 97.

Cap. 2. *Faciamus ei adiutorium ſimile.* 330. 274.

De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas; in quocũque die comederis, &c. 78. 357. & 137.

Hic dies generationis cœli & terræ, cum facta ſunt, qua die fecit Deus, &c. 497.

Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus, &c. 208. 222.

Tulit ergo Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis: vt operaretur, & cuſtodiret illum. 584. 310.

Eritis ſicut dy. 242.

Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam, &c. hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. 10.

Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animãtibus, &c. vt videret, quid vocaret ea. 34.

Erunt duo in carne vna. 120.

Cap. 3. *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit, &c.* 38. 539.

Maledicta terra in opere tuo. 539.

Puluis es, & in puluerem, &c. 358.

Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, qui dixit ad mulierem. 279.

Cur præcepit vobis Deus, &c. 595.

Super pectus tuum gradieris, & terram comedes. 469.

Timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me. 252.

Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, &c. 587.

In dolore paries. 468.

Fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. 589.

Cap. 4. *Reſpexit ad Abel, & ad munera eius; ad Cain, & c.* 321. 135.

Conſurrexit Cain aduerſus fratrem. 303.

Maledictus eris ſuper terram. 539.

Adam cognouit vxorem ſuam Euam, &c. 53.

Poſſedi hominem per Deum. 586.

Eris vagus, & profugus. 511.

Neſcio. Nunquid cuſtos ſum fratris? 394.

Et peperit filium, & vocauit nomen eius Seth, dicens poſuit mihi Deus, &c. 227.

Sella quoque genuit Tubal Cain, qui fuit malleator, &c. Soror Tubal Cain Noema. 480.

Cap. 5. *Et facti ſunt omnes dies Mathuſala, &c.* 94.

Cap. 6. *Deleuit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, &c.* 54.

Hæ ſunt generationes Noe, Noe vir iuſtus. 383.

Videntes filij Dei filias hominum, &c. 280. 60.

Et ingreſſus eſt Noe, & filij eius, vxor, &c. 18.

Facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus. 188.

Cap. 7. *Porro arca ferebatur ſuper aquas.* 347.

Conſumptaque eſt omnis caro, quæ mouebatur. 171. 613.

Remanſit ſolus Noe, & qui cum illo erant in arca, 414.

Menſo ſecundo ſeptimo decimo die menſis ruptiſunt, &c. 415.

Cum non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius. 63.

Cap. 8. *At illa venit ad eum ad veſperam portans*

portans ramum oliuæ, &c. 16.
Ædificauit altare domino. 113. 350.
Egressus est ergo Noe, & filij eius, & uxor illius, & uxores filiorum eius. 570.
Cap. 9. Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum:: excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis. 123.
Cæpit Noe vir Agricola exercere terrã, &c. 153.
Hoc est signum fœderis, quod do inter me, & vos:: arcum meum ponam in nubibus. 211. 469. 80.
Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit. 468. 561.
Cap. 10. Nemrod Robustissimus venator. 410.
Cap. 11. Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Loth, &c. 4. 13. 165.
Eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan, veneruntque vsque in Haran. 379.
Faciamus nobis ciuitatẽ, & turrim, cuius culmen, &c. 330.
Cap. 12. Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei dominus. 500. 6.
Dic, obsecro, quod soror mea es. 272.
Egredere de terra tua, de cognatione tua, &c. 5.
Cap. 13. Erat autem diues in possessione auri. 50. 51.
In loco altaris, quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen, &c. 52.
Ne, quæso, sit iurgium inter me, & te, &c. 55.
Vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, &c. 60. 61.
Mouens igitur Abraham tabernaculum, habitauit iuxta conuallem Mambre. 61.
Homines autem Sodomitæ erant pessimi. 63.
Faciam semen tuum sicut puluerem. 88.
Cap. 14. Egressi sunt Rex Sodomorum, & Rex Gomorrhæ, & direxerunt aciem. 66.
Vallis siluestris habebat puteos multos. Itaque Rex Sodomorum, &c. 68.
Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum. 69.
Ecce vnus, qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo, &c. 70. 600.
A filo subtegminis, vsque ad corrigiam non accipiam, &c. 182. 205. 170.
Cum audisset Abraham captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos, &c. 352.
Cap. 15. Suspice cælum, & numera stellas, si potes, &c. 110. 452. 88.
Qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem. 289.
Descenderuntque volucres super cadauera. 95. 96. 97.
Cumque Sol occumberet, & sopor inruit super Abraham, &c. 28. 29.
Cap. 16. Ecce ancilla tua in manu tua est, vtere ea, vt libet. 453.
Cap. 17. Ponam te in gentibus, Regesque ex te. 214.
Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit. 580.
Cap. 18. Apparuerunt ei tres viri stantes super eum. 218. 385.
Apparuit ei Dominus in conualle Mãbre. 554.
Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, non pertranseas seruum tuum, sed afferam pauxillum, &c. 436. 330.
Surge tolle vxorem tuam, & duas filias. 570.
Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor, &c. 261. 380.
Clamor Sodomorum, &c. 131.
Sara resit post ostium. 120.
Cap. 19. Respicienque vxor eius post se, versa est in statuam. 167. 251.
Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, &c. 46. 206. 335. 208.
Nolite, quæso fratres, nolite malum hoc facere, habeo duas filias, &c. 282.
At illi dixerũt: recede. 440.
Nec possum in monte saluari. 187.
Cap. 20. Tulit oues, & bobes, & seruos, & ancillas & dedit Abraham. 205.
Soror mea est. 251.
Ecce dedi mille argenteos fratri tuo. hoc tibi erit in velamen. 336.
Cap. 21. Tollens panem, & vtrẽ aquæ imposuit scapulæ Agaris, &c. 272.
Cũq; vidisset Sara Filium Agar Ægyptiæ ludentẽ cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: eijce ancillam hanc, & filium eius, &c. 595. 596. 603.
Cap. 22. Tolle filium tuum vnigenitum, &c. 357. 585.
Cumque ligasset Isaac Filium suum. 606.
Leuauit Abraham oculos suos, viditque arietem inter vepres. 366.
Quem assumens obtulit holocaustum pro filio. 372.
Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt. Vnde vsque nunc, &c. 289. 554.
Vocauit Angelus Domini Abraham secundo de cœlo dicens: Per memetipsum, &c. 291. 479.
Ecce Angelus Domini de cœlo clamauit dicens: Abrahã, Abraham ne extendas manum, &c. 479. 308. 321.
Dixitque ad pueros: expectate hic cum asino, ego & puer, &c. 312. 186.
Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. 536.
Cap. 24. Puella, cui ego dixero: inclina hydriam

driam tuam, vt bibam, &c. 134.
Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam. 234.
Tulit decem camelos de grege Domini sui, & abijt, ex omnibus bonis eius portans secum, profectusque est, &c. 201.
Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, &c. 60.
Erat autem Abraham senex, &c. 3.

Cap. 25. *Perrexitque vt consuleret Dominum, qui respondens ait: Duæ gentes sunt, &c.* 431. 529.
Abraham aliam duxit vxorem nomine Cetturam, &c. 210.

Cap. 26. *Ob hoc invidentes ei Palæstini omnes puteos, quos fecerant serui patris eius, &c.* 116.

Cap. 27. *Benedicens illi ait: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. Det tibi Deus de rore, &c.* 80. 81. 147.
Vives gladio, & fratri tuo seruies. 111.
Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem. 142.
In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio. 254.
Ego sum Esau primogenitus tuus: feci sicut præcepisti mihi: Surge. 427.

Cap. 28. *Cumque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, &c.* 335.
Deus omnipotens apparuit mihi in Luza. 314.
Viditque in Somnis scalam stantem super terram, &c. 10.

Cap. 30. *Modicum habuisti, antequam venirem ad te, & nunc dives, &c.* 53.

Cap. 31. *Furata est idola patris sui.* 120.
Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob, &c. 499.

Cap. 32. *Ecce vir luctabatur cum eo.* 164.
Traductisque omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus, &c. 526.

Cap. 34. *Egressa est Dina filia Lia, vt videret mulieres, &c.* 181. 305.
Depopulati sunt vrbem in vltionem stupri. 351.

Cap. 35. *Dederunt omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus earum, &c.* 183.

Cap. 37. *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me.* 449. 450. 205.
Israel diligebat Ioseph super omnes filios, eo quod in senectute, &c. 186.

Cap. 38. *Ecce autem post tres menses, &c.* 123. 461.
In ipsa effusione infantium vnus protulit manum, &c. 31. 400. 54.
Quam cum vidisset Iudas suspicatus est esse meretricem, &c. 278.

Cap. 39. *Relicto in manu eius pallio fugit.* 252. 570.
Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in dominum meum? 181.
Inuenit Ioseph gratiam coram Domino suo, & ministrabat ei, &c. 436.
His auditis Dominus, & nimis credulus verbis coniugis iratus est, &c. 280.
Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua: præter te. 300.

Cap. 40. *Eleuauitque vocem cum fletu, quem audierunt Ægyptij, &c.* 116.
Nunquid non Dei est interpretatio? Referte mihi, &c. 109.

Cap. 41. *Erat tibi puer hebræus eiusdē militum ducis famulus, cui narrantes somnia, audiuimus quidquid, &c.* 175.

Cap. 43. *Præcepit dispensatori domus suæ: dicens: introduc viros domum, & occide victimas.* 534.

Cap. 45. *Ego sum Ioseph frater vester, &c.* 272. 190.
Ite in terram Chanaan, & tollite inde patrem vestrum, & cognationem. 141.

Cap. 48. *Extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim, &c.* 271.
Dictumque est Seni: ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lecto. 578.

Cap. 49. *Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita mordens vngulam, &c.* 474.
Issachar asinus fortis accubans inter terminos: Vidit requiem quod esset bona, &c. 515.
Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui. 494.
Simeon, & Leui fratres, vasa iniquitatis, &c. 178.

Ex Exodo.

Cap. 1. *Impeditioris, & tardioris linguæ sum.* 329.

Cap. 2. *Adultumque tradidit filiæ Pharaonis, quem illa adoptauit.* 172.
Conspexit duos Hebræos rixantes, dixitque eis, &c. 273.

Cap. 3. *Hæc dices filijs Israel: Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, &c.* 33.
Videns vidi afflictionem populi mei. 122.
Educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, &c. 456.

Cap. 4. *Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam.* 288.

Cap. 6. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, & Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis, &c.* 570.

Cap. 7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* 337. 127.

Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam. 358.

Cap. 9. *Dominus dedit tonitrua, & grandinem.* 448.

Cap. 11. *Postulet vir ab amico suo, & mulier â vicina sua vasa argentea, &c.* 158.

Cap. 12. *Non comedetis ex eo crudũ quid, nec aqua coctum.* 283.

Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus. 118. 563.

Et sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem. 76.

Tenentes baculos in manibus. 428.

In noctis medio percussit Dominus omne primogenitum. 580.

Cap. 13. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, &c.* 6. 140. 305.

Circunduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare. 541.

Cap. 14. *Tu autem eleua virgam, & extende manum tuam, &c.* 414.

Filij autem Israel perrexerunt per mediũ sicci maris. 224.

Et erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem, &c. Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus. 223. 453.

Cap. 15. *Tunc cecinit Moyses, & filij Israel carmen hoc domino, &c.* 420.

Dixit inimicus: Persequar, & comprehendã: diuidam spolia, &c. 441. 470. 472.

Dominus quasi vir pugnator, &c. 314,

Ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris, erat aqua quasi murus. 318.

Cap. 16. *Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus: factum est ergo vespere, & ascendit coturnix, &c.* 611.

Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidã ex eis mane, & scatere cæpit vermibus. 58.

Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum, &c. 455. 488.

Cap. 17. *Fecit Iosue, vt locutus erat Moyses, & pugnauit contra Amalech, &c.* 52.

Cum leuaret Moyses manus, vincebat Israel, &c. 90. 105. 193. 179.

Cap. 19. *Ecce caperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima.* 447.

Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus, &c. 145.

Cauete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius, &c. 176.

Cap. 20. *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades.* 126. 267.

Cap. 21. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* 537.

Cap. 22. *Reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonij in manu sua: factas opere Dei.* 557.

Cap. 23. *Ecce ego mittam Angelum meũ, qui præcedat te, & custodiat in via, &c.* 33.

Non suscipias vocẽ mendacij, non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero declines 568.

Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes. 430.

Cap. 24. *Ascende ad dominum tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta, &c.* 242.

Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius, 288.

Misique iuuenes de filijs Israel, & obtulerunt holocausta, &c. 50.

Cap. 28. *Facies & laminam auro purissimo, in qua sculpes, &c.* 127.

Cap. 29. *Ecce ego mittam Angelum meũ, qui præcedat te: quia non dimittet* 35.

Cap. 31. *Dedit Dominus Moysi, completis huiuscemodi sermonibus, in monte Sinai duas tabulas, &c.* 483.

Cap. 32. *Hi dij tui Israel, qui eduxerunt te de Ægypto.* 369.

Tollite inaures aureas de vxorum, filiorum, filiarumque vestrarum auribus, & afferte. 335.

Moyses arripiens vitulum, quem fecerant, cõbusit vsque ad puluerem, &c. 77

Proiecit de manu tabulas, & confregit. 483.

Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum: consecrastis, &c. 495.

Ponat vir gladium super fœmur suum, ite & redite, de porta vsque in portam, &c. 468. 526.

Aut dimitte eis hanc noxam; aut si nõ facis, deleme de libro tuo, quem scripsisti. 534.

Cap. 33. *Mittam præcursorem tuum Angelum, vt eyciam Chananæum, &c.* 420.

Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam. 429.

Iosue Filius Nun. 613.

Cap. 34. *Scribe tibi verba hæc, & scripsit in tabulis verba fœderis decem.* 483.

Cap. 35. *Si quis habebat aurum, hyacinthũ purpuram, &c.* 523.

Ex Leuitico.

Cap. 5. *Præcipe filijs Israel, vt eyciant de castris omnem leprosum.* 380.

Cap. 24. *Accipies quoque similam, coques ex ea duodecim panes, &c.* 61. 213.

Præcipe filijs Israel, vt offerant tibi oleum de olinis purissimum, &c. 214.

Cap. 26. *Non facietis vobis idolum, & sculptile, &c.* 344.

Ex Numeris.

Cap. 2. *Moyſes percutiens virgula bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ.* 322.

Cap. 3. *Aaron autem, & filios eius conſtitues ſuper cultum Sacerdotij.*

Cap. 5. *Vir, cuius uxor errauerit:: dormierítque cum altero viro:: & non eſt inuenta in ſtupro: ſi Spiritus Zelotypiæ concitauerit virũ:: adducet eam.* 537.

Cap. 9. *Cumque ablata fuiſſet nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiſcebantur, &c.* 304.

Cap. 11 *Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis, &c.* 154.

Det vobis Dominus carnes, & comedetis, non vno die, nec duobus:: ſed vſque ad menſem. 369.

Cap. 12. *Locuta eſt Maria, & Aaron cõtra Moyſem, &c.* 465.

Cap. 13. *Qui pergentes ingreſſi ſunt in domum mulieris meretricis.* 277.

Terra, quam luſtrauimus, devorat habitatores ſuos:: terra, quam calcauit pes tuus, erit poſſeſſiotua 505.

Mitte viros, qui conſiderent terram Chanaan, quam daturus ſum, &c. 528.

Alij dicebant, nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt. 302.

Cap. 16. *Tulit ergo Eleazar thuribula ærea, in quibus obtulerant hi, quos incendium devorauit, & produxit ea in laminas.* 113.

Diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum, devoravit illos. 511.

Præcipe Eleazaro filio Aaron, Sacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio. 530.

Cap. 20. *Dixitque Dominus ad Moyſem & Aaron, quia non credidiſtis mihi, &c.* 240.

Quamobrem diuerte ab eo Iſrael. 291.

Cap. 21. *Fecit Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum proſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* 198.

Cap. 22. *Videns Balach filius Sephor omnia, quæ fecerat Iſrael Amorrhæo:: Miſit ergo nuncios ad Balaam, &c.* 243.

Et iratus eſt Deus: Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam. 589.

Et vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio. 398. 589. 604.

Venit ergo Dominus ad Balaam nocte; & ait ei; Si vocare te venerint, &c. 381.

Cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris:: Nunquid loqui potero aliud, niſi quod Deus poſuerit in ore meo? 604.

Cap. 23. *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus; quæ ratione deteſter, quem dominus non deteſtatur?* 464.

Vade cum eis, ita dumtaxat, vt quod tibi præcepero facias. 373.

De ſummis ſilicibus videbo eum, & de collibus conſiderabo illum. Quis dinumerare poſſet pulverem Iacob, &c. 278.

Cap. 24. *Surrexitque Balaam, & reverſus eſt in locum ſuum.* 494.

Cap. 25. *Arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitem in lupanar, &c.* 495.

Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerant, &c. 212. 280. 114.

Cap. 26. *A quo familia Ieſuitarum.* 38.

Prædixerat enim dominus, quod omnes morerentur in ſolitudine: Nullúſque remanſit ex eis, &c. 234.

Cap. 27, *Acceſſerunt autem filiæ Salphaad, atque dixerunt:: Date nobis poſſeſſionem.* 381.

Cap. 28. *Quem ex his elegero, germinabit virga eius:: ſequenti autem die, &c.* 528.

Cap. 31. *Cumque pugnaſſent contra Madianitas, atque viciſſent, omnes mares occiderunt:: & Reges eorum: Balaam quoque filium Beor, &c.* 494.

Separabis partem domino ab iis, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello, vnã animam de quingentis, &c. 125.

Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ovium ſexcenta, &c. 476.

Cap. 34. *Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam, moriuſque eſt Moyſes ſervus domini.* 402.

Cap. 35. *Profectique de mari rubro, caſtrametati ſunt in deſerto Sin, &c.* 423.

Ex Deutheron.

Cap. 1. *Non accipies cuiuſquam perſonã in iudicio, quia Dei, &c.* 202.

Ioſue filius Nun miniſter tuus. 240.

Cap. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies.* 478.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. 584.

Cap. 7. *Maledictus, qui dormit cum ſorore ſua, filia patris ſui.* 39.

Cap. 10. *Dominum Deum tuum timebis, & ei ſeruies, ipſi adhærebis.* 302.

Et nunc Iſrael Dominus Deus tuus, quid petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules, &c. 349.

Cap. 15. *Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem devenerit, non obturabis cor tuum.* 20.

Cap. 16. *Non apparebis ceram Deo vacuus.* 162.

Cap. 20. *Quis eſt homo, qui plantauit vineam, & necdum fecit eam eſſe communem, &c.* 74.

Cap. 25. *Memento quæ fecerit tibi Amalech in via, quando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui:: ceciderit.* 602.
Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, &c. 8.
Cap. 27. *Maledictus qui facit sculptile:: & respondebit omnis populus, Amen.* 560.
Hi stabunt ad benedicendum Domino:: Simeõ, Leui, Iudas, Issachar, Ioseph, & Beniamin. 559.
Cap. 28. *Benedictus tu in ciuitate, &c.* 560.
Cap. 32. *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, &c.* 230.
Peccauerunt ei, & non filij eius:: generatio praua, &c. 272.
Laudate gentes populum eius. 571.
Cap. 33. *Benedictus in latitudine Gad, quasi Leo requieuit, &c.* 513.
Cap. 34. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, &c.* 244.

Ex Iosue.

Cap. 2. *Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos.* 303.
Dominus Deus vester ipse est Deus. 234.
Appendit funiculum coccineum in fenestra. 541.
Cap. 3. *Iosue de nocte consurgens mouit castra, egredientesque de Sethim, &c.* 222.
Populus per arentem alueum transibat. 224.
Vt sciant, quòd sicut cum Moyse fui, ita & tecum. 225.
Steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar montis, &c. 226. 392.
Quæ inferiores erant in mare solitudinis, quod nunc vocatur mortuum. 58.
Cap. 4. *Populus autem ascendit de Iordane.* 224.
Cap. 5. *Hodie abstulit opprobrium Ægypti à vobis.* 36.
Cum esset Iosue in agro Iericho, vidit virum stantem contra se, &c. 68.
Cap. 8. *Tunc Iosue ædificauit altare Domino:: Altare de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit.* 576.
Cap. 10. *Steterunt Sol & Luna.* 579.
Cumque adducti essent ad eum:: ait ad Principes exercitus:: ite, & ponite pedes super colla Regum istorum, &c. 590.
Cap. 15. *Caleb filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iudæ, sicut præceperat ei Dominus.* 532.
Cap. 18. *Eligite de singulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant, atque circumeant terram, & describant eam.* 565.

Ex lib. Iudicum.

Cap. 3. *Et reuersus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad Regẽ: verbum secretum habeo, &c.* 448. 467.
Cap. 4. *Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram, &c.* 106.
Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoriañ reputabitur tibi. 299.
Cap. 6 *Fecitque Deus nocte illa, vt postulauerat, & fuit siccitas in solo vellere.* 122.
Si Dominus nobiscum, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Vbi sunt mirabilia eius, &c. respõditque ad eum Dominus, & ait: vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel. 571.
Dominus tecum vir fortissime, vade in hac fortitudine. 72.
Cap. 7. *Vidi somnium, & videbatur mihi, quasi subcinericius panis, &c.* 358.
Cap. 10. *Peccauimus, redde tu nobis quid quid placet, &c.* 353.
Cap. 13. *Vir Dei venit ad me habens vultum Angelicum.* 300.
Creuitque puer, & benedixit ei Dominus, capitque Spiritus Domini esse cum eo, &c. 571.
Cap. 14. *Ecce examen apum erat in ore Leonis, &c.* 514.
Cap. 15. *Aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, &c.* 515. 601.
Et egressæ sunt aquæ, quibus hausti resocillatus est Spiritum. 601.
Cap. 16. *Venerunt que ad eam Principes Philisthinorum, atque dixerunt, &c.* 279.
Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, & clauum his circumligatum, &c. 74.
Cumque molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, &c. 385.
Eruerunt oculos eius, & duxerunt eum Gazã, &c. 335.
Cap. 20. *Miserunt nuncios ad omnem Tribum Beniamin, qui dicerent: cur tantum nefas in vobis repertum est?* 567.

Ex lib. Ruth.

Cap. 1. *Non aduersetis mihi, vt relinquam te, &c.* 607.
Cap. 2. *Reddat tibi Dominus pro opere tuo.* 520.

Ex 1. Reg.

Cap. 1. *Et adorauerunt ibi Dominum, & oranit Anna, & ait: Exultauit cor meum.* 357.
Cap. 2. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, &c.* 316.
Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, &c. 249.

Qui-

Quicumque immolaſſet victimam, veniebat puer Sacerdotis, &c. 135.
Ecce dies veniunt, & præcidam brachiũ tuũ:: veruntamen, &c. 520.
Heli autem erat ſenex valde, & audiuit omnia, quæ faciebant filij, &c. 518.
Cap. 3. *Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidauit, &c.* 401.
Cap. 4. *Ceciderunt de Iſrael triginta millia peditum, & arca, &c.* 192.
Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum. 536.
Cap. 5. *Philiſthiim autem tulerunt arcam Dei, & aſportauerunt eam, &c.* 13.
Aggrauata eſt manus Domini ſuper Azotios, & percuſſit eos in ſecretiori, &c. 462.
Cap. 6. *Arca erat vſque in die illa in agro Ioſue Bethſamitis, percuſſit autem, &c.* 249.
Cap. 7 *Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam Domini, &c.* 192.
Hauſerunt aquam, & effuderunt, &c. 124.
Cap. 8. *Declinauerunt poſt auaritiã.* 398.
Omnia, quæ ſunt in corde tuo, indicabo tibi, & de aſinis, &c. 119.
Rex erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & iudicabit, &c. 442.
Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. 442.
Factum eſt cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos iudices, &c. 518. 577.
Tulitque Samuel lapidem vnum, & poſuit eũ inter Maſphath, & inter Seu, & vocauit nomen loci illius, lapis adiutorij, &c. 571.
Cap. 10. *Deuenit vſque ab Saul filium Cis. Quæſierunt ergo eum, &c.* 207.
Ecce abſconditus eſt domi. Cucurrerunt itaque & tulerunt eum inde. 236.
Cap. 12. *Si autem non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaueritis ſermones eius, erit manus eius, &c.* 395.
Cap. 13. *Quæſiuit ſibi Dominus virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet dux ſuper populum.* 532.
Cap. 14. *Eece nos tranſimus ad viros iſtos, manete, donec veniamus ad vos, ſi autem dixerint, aſcendite, &c.* 72.
Cap. 15. *Et pepercit Saul, & omnis populus Agag.* 520.
Cap. 16. *Surge, & vnge eum, ipſe eſt enim. Tulit ergo Samuel cornu, &c.* 8.
Erat autem adoleſcens rufus, & pulcher aſpectu. 38.
Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ, &c. 232.
Miſitque Saul ad Iſai, dicens: ſtet Dauid in cõſpectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis. Igitur quandocunque Spiritus Domini malus, &c. 240.
Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele, &c. 254.
Mitte me in Bethleem ad Iſai. Prouidi enim in filijs eius mihi Regem. 255.
Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius, &c. 256.
Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. 531. 532.
Cap. 17. *Procedebat vero mane, & veſpere, & ſtabat quadraginta diebus.* 71.
Ego venio ad te in nomine Domini exercituum Iſrael. &c. 371.
Maledixit Philiſthæus Dauid in dijs ſuis, dixitque ad Dauid, &c. 440.
Non poſſum ſic incedere, quia vſum non habeo. 478.
Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat Leo, vel vrſus, &c. 138.
Prælialuitque Dauid aduerſus Philiſthæum. 171.
Cap. 18. *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus eſt autem Saul, &c.* 339. 600.
Cap. 19. *Miſit Saul lictores, vt caperent Dauid, qui cum vidiſſent cuneum prophetarum, &c.* 98.
Miſit apparitores, qui raperent Dauid, & reſponſum eſt, quod ægrotaret. Rurſuſque miſit, &c. 279.
Miſi ſatellites ſuos in domum Dauid, vt cuſtodirent eum, & interficerent mane, &c. 280. 281.
Cap. 20. *Fac ergo miſericordiam in ſeruum tuum, quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire feciſti.* 300.
Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia miſit hodie te in occurſum meum, &c. 169.
Cap. 21. *Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa a facie Saul* 403.
Cap. 23. *Ecce Philiſthiim oppugnãt Ceilã, & diripiunt eam. Conſuluit Dauid, &c.* 431.
Cap. 24. *Surrexitque Dauid poſt eum, & egreſſus de ſpelunca clamauit, &c.* 170.
Dixit Saul: Nunquid vox hæc tua eſt fili mi Dauid, & leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit, &c. 517. 187. 189
Poſt hæc percuſſit cor ſuum Dauid, eò quòd abſcidiſſet oram clamidis. 466. 573.
Cap. 25. *Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus, &c.* 426.
In die bona venimus. Quodcunque inuenerit manus tua, da ſeruis tuis. 214.
Cap. 26. *Tulit igitur Dauid haſtam, & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, &c.* 299.
Cap. 28. *Quid interrogas me, cum Dominus*

minus recesserit à te: & transierit ad æmulum tuum? &c. 173.
Cras tu, & filij tui eritis mecum. 259.

Ex 2. Reg.

Cap. 4. *Et percutientes interfecerunt eum, sublatoque capite eius, abierunt, &c.* 396.
Cap. 5. *Consuluit autem Dauid Dominum, si ascendam contra Philisthæos, &c.* 247.
Cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, &c. 166.
Cap. 6. *Extendit Oza manus ad arcam Dei, & tenuit eam, &c.* 361.
Cap. 11. *Arca Dei, & Israel, & Iuda habitãt in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam? &c.* 461.
Prævalnerunt aduersus nos viri, & egressi sunt ad nos in agrum; nos autem facto impetu persecuti eos sumus vsque ad portam ciuitatis. Et direxerunt iacula:: quin etiam seruus tuus Vrias, &c. 281.
Cap. 12. *Ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, &c.* 73.
Pauper nil habebat omnino præter ouem vnã, quam emerat, &c. 78.
Cap. 13. *Quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* 39. 40.
Cap. 14. *Nati sunt Absalon filij tres, & filia vna.* 235.
Sicut Absalon, non erat vir pulcher in omni Israel à vestigio pedis, &c. 332.
Cap. 15. *Egressus est ergo Rex, & omnis Israel pedibus suis.* 425.
Si veneris mecum, eris mihi oneri. Si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalon, &c. 427.
Insatua, quæso Domine, consilia Achitophel. 513.
Cap. 16. *Ait Rex Sibæ, tua sunt omnia, quæ fuerunt Miphiboseph.* 167.
Et ecce egrediebatur inde vir:: nomine Semei:: & maledicebat, &c. omnis autem populus, & vniuersi bellatores à dextro, & sinistro latere Regis incedebant. 572.
Cap. 17. *Hoc mihi videtur rectum esse consilium. Congregetur ad te vniuersus, &c.* 139.
Dixit ergo Achitophel ad Absalon: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar, &c. 384.
Cap. 18. *Accidit autem vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens mulo. Cumque ingressus fuisset mulus, &c.* 416.
Porro Absalon erexerat sibi titulum; &c. 235.
Cap. 19. *Fac quod placitum est tibi:: tu posuisti me seruum tuum inter conuinas, &c.* 162.
Surrexit ergo Rex, & sedit in porta, & omni populo nunciatum est. 74.
Quot sunt dies vitæ meæ, vt ascendam cum Rege in Ierusalem? Octogenarius sum, &c. 105.
Cap. 23. *Hauserunt aquam de cisterna Bethleem:: & attulerunt ad Dauid. At ille noluit bibere, sed libauit eam Domino.* 562. 615.
Cap. 24. *Nequaquam vt vis, sed emam pretio à te, & non offeram Deo meo holocausta gratuita, &c.* 526.
Et mortui sunt ex populo à Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorum. 73.
Et ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta, & pacifica, &c 350.
Dixitque Dauid ad Dominum, cum videret Angelum cædentem populum, ego sum qui peccaui, &c. 354.

Ex 3. Reg.

Cap. 2. *Ego ingredior viam vniuersæ terræ.* 219.
Cap. 10. *Audita fama Salomonis in nomine Domini venit.* 428.
Cap. 11. *Apprehendens Ahias pallium suum, quo opertus erat, scidit, &c.* 69.
Cap. 12. *Pater meus posuit super vos iugum grande: Pater meus cæcidit vos flagellis. Ego autem cædam vos scorpionibus.* 65.
Cap. 13. *Cumque audisset Rex sermonem hominis Dei, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit, &c.* 353.
Inuenit eum Leo, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere: asinus autem stabat iuxta illum, & Leo, &c. 190.
Cap. 14. *Nomen autem matris eius Naama, &c.* 87.
Cap. 17. *Da mihi filium tuum. Tulit eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum, &c.* 24.
Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur. 147. 456.
Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, &c. 396.
En colligo duo ligna, vt faciam illum mihi. 197.
Viuit Dominus Deus, quia non habeo panem,

nem, nisi quantum pugillus, &c. 157.
Mihi primo fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum: Hydria farinæ non deficiet. 292. 55.
Corui quoque deferebant & panem, & carnes mane. 466.

Cap. 18. Vocauit Achab Abdiam dispensatorem domus suæ. Abdias autem, &c. 241. 466.

Cap. 20. Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium. 456.
Vir quidam de filijs prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me, &c. 414. 12. 604.

Cap. 21. Achab ipse scidit vestimenta sua, & operuit cilicio, &c. 286.
Dormiuitque Salomon cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid. 587.

Cap. 22. Rex Israel, & Iosaphath Rex Iuda sedebant vnusquisque in solio suo: est ti cultu Regio, &c. 286.
Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem à dextris, & sinistris, & ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem? &c. 183.
Dixit Rex Israel ad Iosaphath: sume arma, & ingredere prælium, & induere vestibus tuis, &c. 285. 66.
Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem, &c. 363.
Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam, & Israel. Dixitque Rex Israel ad seruos suos: Ignoratis, quod nostra sit Ramoth, &c. 55.

Ex 4. Reg.

Cap. 1. Descendit ergo ignis de cœlo, & deuorauit illum. 275.

Cap 2. Tulit Elias pallium suum, & involuit illud, & percussit aquas, &c. 222. 226. 119. 339.
Ecce currus igneus, equi igniei diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias, &c. 222. 226.
Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat. 345.

Cap. 3. Adducite mihi Psaltem. 362.

Cap. 4. Venit vir de Baal Salisa deferens viro Dei panes primitiarum: ille dixit: da populo, &c. 292. 60.
Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua. 260.
Pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua, &c. 34.
Surge ad prædam Moab, &c. 364.

Cap. 6. Cras modius similæ vno statere veniet, &c. 100.
Cum audisset Rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum. Vidit que omnis populus cilicium, &c. 388.
Accidit autem, vt cum vnus materiam succidisset, caderet ferrum, &c. 517.
Facta est fames magna in Samaria, & tandiu obsessa est, donec, &c. 430.
Cum audisset Rex, scidit vestimenta sua: Hæc faciat mihi Deus, &c. 439.
Ecce mons plenus equorum. 24.

Cap. 11. Athalia vero mater Ochoziæ videns mortuum filium suum, surrexit, &c. 258.

Cap. 13. Quidam sepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi, &c. 22. 97.
Affer arcum, & sagittas: cumque attulisset arcum æreum, & sagittas dixit ad Regem, &c. 362.

Cap. 16. Tunc ascendit Rasin Rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ Rex Israel in Ierusalem ad præliandum: cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum 572.

Cap. 19. Dies tribulationis, & blasphemiæ. 35.
Venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum, &c. 46.
Scidit vestimenta sua, & opertus est sacco. 425.

Cap. 20. Præcipe domui tuæ, morieris enim. 256.
In diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem. 578.

Cap. 24. Egressusque est Rex Ioachin Rex Iuda ad Regem Babylonis. 291. 114.

Cap 25. Fugit itaque Sedecias per viam, quæ ducit ad campestria, &c. 291.
Duxerunt ad Regem Babylonis: qui locutus est cum eo iudicium. 590.

Ex 2. Paralip.

Cap. 12. Pugnauerunt aduersus Roboam, & Ieroboam cunctis diebus 65.
Isti sunt, qui transierunt Iordanem mense primo quando inundare, &c. 261.

Cap. 13. Fugerunt filij Israel, & tradidit eos Dominus in manus, &c. 65.

Cap. 15. In tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem, &c. 478.

Cap. 16. Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino, &c. 478.

Cap. 21. Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, & altare holo-

cauſtorum ea tempeſtate erat in excelſo Gabaon,& 351.
Miſit igitur Dominus peſtilentiam in Iſrael,& ceciderunt de Iſrael,&c.164.
Cap. 24. Ego totis viribus meis præparaui impenſas.180.
Cap. 29. Mortuus eſt in ſenectute bona. 215.
Tua eſt, Domine, magnificentia::: Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.535.

Ex 2. Paralip.

Cap.9. Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes Reges.213.
Dormiuit cum patribus ſuis,&c.213.
Cap. 13. Noſter Dominus Deus eſt, quem non reliquimus, Sacerdoteſque qui miniſtrant Domino de filijs Aaron,&c.306.
Cap.17. Fuit Dominus cum Ioſaphat, quia ambulauit in viis Dauid,&c.310.
Cap 22. Ipſe ingreſſus eſt per vias Achab, mater enim eius impulit eum.250.
Cap 26. Iratus Ozias,& tenens manu thuribulum,vt adoleret,&c.110.
Cap. 29. Salomonem filium meum vnum elegit Deus adhuc puerum:: Ego autem totis viribus meis paraui impenſas. 180.

Ex 1. Æſdræ.

Cap.3. Surrexit Ioſue Filius Ioſedech, & fratres eius Sacerdotes::& ædificauerunt altare Dei,&c.611.
Cap. 7. In me inclinauit miſericordiam ſuam,coram Rege,&c.292.

Ex 2. Æſd.

Cap. 5. A die autem illa, qua præceperat mihi Rex,vt eſſem dux in terra Iuda, ego & pueri mei annonas,quæ iudicibus debebantur,non comedimus,&c.265.

Ex 4. Æſdr.

Cap.7. Quoniam repoſita eſt gloria altiſſimi protegere eos,qui tarde cõuerſati ſunt, nos autem peſſimis,&c.450.

Ex lib. Æſther.

Cap. 1. Interrogauit ſapientes, qui ex more Regio ſemper cum adorant.292.
Cap. 2. Cum multæ puellæ virgines adducerentur:: Eſther quoque inter cæteras puellas tradita eſt, vt ſeruaretur in numero fœminarum. Quæ placuit,&c.616.
Cap. 5. Induta eſt regalibus veſtimentis. 113.
At illa reſpondit,ſi Regi placet, obſecro,vt venias,&c.47.
Cap. 6. Tulit itaque Aman Stolam, & equum, indutumque Mardocheum,&c. 84.
Cap. 10. Parus fons, qui creuit in fluuium, in ſolemque conuerſus eſt. 224. 378.
Cap. 14 Tribue ſermonem compoſitum in ore meo, in conſpectu Leonis.47.
Cap. 15. Ipſa autem roſeo colore vultuum perfuſa, & gratis,ac nitentibus oculis, &c.84.

Ex Iudith

Cap. 2. Factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſor Regis Aſſyriorum, vt defenderet ſe.432.
Cap.6. Indignans Holofernes vehementer dixit ad Achior::gladius militiæ meæ tranſiet per latera tua,&c.441.
Cap 9. Capiatur laqueo oculorum ſuorum in me.41.
Qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum.42.
Cap.10. Lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrto,& induit ſe,&c.152.481.
Cumque intraſſet ante faciem eius, ſtatim captus eſt in ſuis oculis Holofernes.299.
Impoſuit Abræ ſuæ aſcopam vini,& panes,& caſeum.761
Cap. 11. Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne:: bona eſt promiſſio tua, &c 42.
Cap. 12. Et factum eſt in quarto die Holofernes fecit cenam ſeruis ſuis,&c.40.45. 542.
Et manducauit,& bibit coram ipſo ea, quæ parauerat illi ancilla eius.542.
Cap. 13. Proferens de pera caput Holoferni Principis militiæ, oſtendit illis, dicens:Ecce caput Holofernis,&c.295.

Ex Tobia.

Cap. 5. Egreſſus Tobias inuenit iuuenem

ſplendidum, ſtantem, præcinctum, &c. 350. 459.

Cap. 8. *Domine Deus Patrum noſtrorum: Tu feciſti Adam de limo terra, dediſtique ei adiutorium Euam, &c.* 282.

Cap. 12. *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, &c.* 106.

Ex lib. Iob.

Cap. 1. *Vir erat in terra Hus, &c.* 51. & 88.

Erat vir ille magnus inter orientales. 383. 392.

Ecce vniuerſa, quæ habet, in manu tua ſunt. 107. 402.

Mittens ad eos Iob ſanctificabat illos, conſurgens diluculo offerebat holocauſta. 365. 343. 608.

Nati ſunt ei ſeptem filij, & tres filiæ. 216. 103.

Scidit veſtimenta ſua, & tonſo capite, &c. 398.

Quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, &c. 423.

Filys tuis, filiabuſque veſcentibus, & bibentibus vinum, &c. 423.

Sit nomen Domini benedictum. 109.

Fuit poſſeſſio, &c. 132.

Cap. 2. *Conſideraſti ſeruum meum Iob virum ſimplex, &c.* 98. 126.

Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerua. 107. 402. 126.

Egreſſus Satan à facie Domini percuſſit Iob, &c. 15.

Sic faciebat Iob cunctis diebus. 608.

Cap. 5. *Cum ſe monerit ad quærendum panem, nouit, quòd paratus ſit in manu eius tenebrarum dies.* 47.

Beatus homo, qui corripitur à Deo, &c. 490.

Cap. 10. *Manus tuæ fecerunt me.* 140.

Cap. 12. *Deridetur iuſti ſimplicitas.* 9.

Cap. 13. *Et ipſe erit ſaluator meus.* 445.

Cap. 15. *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum ſicut Regem.* 67. 69. 290.

Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ſemper inſidias ſuſpicatur, &c. 352.

Cap. 17. *Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* 62.

Oculi filiorum eius deficient. 99.

Poſt tenebras ſpero lucem. 100.

Cap. 18. *Arctabuntur greſſus virtutis eius, & precipitabit eum conſilium, &c.* 364.

Non celebretur nomen eius in plateis. 21.

Quis demiſit lapidem angularem eius? Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. 602.

Cap. 19. *Derelicta ſunt tantummodo labia mea.* 464.

Cum ſederem quaſi Rex circunſtante exercitu. 442.

Fugite ergo à facie gladij. 260.

Quis mihi tribuat vt ſcribantur ſermones mei, &c. 323.

Cap. 20. *Diuitias, quas deuoranit, euomet.* 87.

Cum ſatiatus fuerit, arctabitur, æſtuauit. 473.

Cap. 24. *Sicut ſummitates ſpicarum conterentur.* 199.

Cap. 25. *Poteſtas, & terror apud eum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus.* 454.

Cap. 28. *Quando ponebat pluuijs legem, & viam procellis ſonantibus.* 467.

Omne pretioſum videt oculus eius, profunda quoque fluuiorum ſcrutatus eſt. 284.

Cap. 29. *Petra fundebat mihi riuos olei.* 329.

Cap. 33. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſuper homines, & dormiunt in lecto, &c.* 174.

Increpabat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa eius marceſcere fecit, &c. 443.

Cap. 34. *Qui regnare facit hypocritam.* 244.

Cap. 39. *Pullj eius lambunt ſanguinem, & vbicunque cadauer fuerit, ſtatim adeſt.* 206.

Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila? 256.

Cap. 40. *An extrahere poteris Leuiatan hamo?* 151.

Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternum. 551.

Cap. 41. *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, cõpactum ſquamis ſe prementibus:: membra carnium eius cohærentia ſibi:: cum apprehenderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit:: reputauit enim quaſi paleas ferrum.* 576.

Ex Pſalmis.

Pſal. 1. *In cathedra peſtilentiæ non ſedi.* 253. 86.

Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum:: & erit tanquam lignum, &c. 267. 303. 533.

Psal. 2. *Tanquam vas figuli confringes eos.* 269.
Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt, &c. 178.
Psal. 10 *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, &c.* 296.
Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paranerunt sagitas, &c. 168.
Psal. 13. *Ibi trepidauerunt, vbi non erat timor.* 250.
Psal. 16. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* 437.
Sicut lætantium omnium. 56.
Psal. 17. *Deus præcinxit me virtute, qui præfecit pedes meos tanquam ceruorum.* 72.
Psal. 18. *Exultauit vt gigas, &c.* 449.
In omnem terram exiuit sonus eorum. 110.
Psal. 19. *Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat.* 592.
Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mẽsam aduersus eos, &c.* 265. 571. 572.
Psal. 23. *Attollite portas principes vestras, &c.* 34.
Psal. 24. *Firmamentum Dominus timentibus eum.* 506.
Psal. 26. *Legem pone mihi domine in via tua.* 267.
Psal. 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* 447.
Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, &c. 221.
Psal. 30. *Perfeci sti eis, qui sperant in te in conspectu filiorum hominum. Abscondes eos in abscondito faciei.* 399.
Psal. 31. *Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea.* 366.
Psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini.* 148. 308.
Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. 348.
Psal. 34. *Iudica Domine nocentes me, impugna impugnantes me.* 423.
Psal. 36. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius, &c.* 323.
Vidi impium superexaltatum, &c. 9.
Psal. 37. *Curuatus sum vsque in finem.* 91.
Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit. 409.
Psal. 39. *Sacrificium, & oblationem noluisti: holocaustum & pro peccato non postulasti. Tunc dixi: ecce venio.* 563.
Psal. 40. *Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperem, &c.* 264.
Psal. 44. *Prospere, procede, & Regna.* 341. 573.
Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere, &c. 25.
Accingere gladio tuo super fœmur tuum, &c. 42. 573.
Propter veritatem, & mansuetudinem. 93. 573.
Specie tua, & pulchritudine tua, &c. 233.
Eructauit cor meum verbum bonum. 560.
Psal. 49. *Mens est orbis terrarum, pulchritudo agrinecum est.* 52.
Psal. 51. *Propterea Deus destruet te in finem:: videbunt iusti, & timebunt, &c.* 417.
Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* 410.
Psal. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam peccatorum.* 64.
Psal. 59 *Moab olla spei meæ.* 143.
Psal. 60. *Deduxisti me, quia factus es spes mea.* 302.
Psal. 61. *Rapinas nolite concupiscere.* 21.
Psal. 65. *Holocausta medullata offeram tibi.* 592.
Psal. 67. *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* 67.
Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem. 149.
Psal. 68. *Ne me demergat tempestas aquæ* 59.
Psal. 70. *Quia non cognoui literaturam, &c.* 85.
Introibo in potentias Domini. 211.
Psal. 71. *Deus iudicium tuum Regi da, &c.* 90.
Sit nomen eius benedictum in sæcula, ante solem, &c. 235.
Psal. 75. *Factus est in pace locus eius.* 574.
Psal. 77. *Audiuit Dominus, & sprevit, & ad nihilum redegit, &c.* 315.
Mandauit nubibus desuper, & pluit illis manna, &c. 80. 548.
Psal. 84. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi.* 93.
Psal. 85. *Tu domine Deus miserator, & misericors.* 93.
Posuisti sæculum nostrum in illuminatione. 3.
Psal. 88. *Vsquequò domine auertis in finem, exardescet sicut ignis ira tua.* 201.
Psal. 92. *Eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum.* 319.
Dominus regnauit, decorem indutus est. 156.
Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. 221.
Psal. 95. *Annuntiate inter gentes gloriam eius, &c.* 155.
Psal. 101. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt.*

uerunt. 579.

Psal. 103. *Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, &c.* 111.

Hoc mare magnum, & spatiosum manibus. 444.

Psal. 104. *In seruum venundatus est Ioseph: eloquium Domini inflammauit, &c.* 177.

Psal. 113. *Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Iordanis, &c.* 322. 329. 59.

Simulacra gentium argentum, & aurum:: os habent, & non loquentur, &c. 569.

Psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* 481.

Psal. 117. *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.* 160.

Psal. 118. *Bonum mihi, quia humiliasti me.* 578.

A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt. 155.

Reuela oculos meos, & considerabo opera tua, &c. 266.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, &c. 438.

Clamaui in toto corde meo:: iustificationes tuas requiram. 543.

Pax multa diligentibus nomen tuum, & non est illis scandalum: expectabam salutare tuum Domine. 558.

Psal. 127. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* 437.

Beati omnes, qui timent Dominum. 348.

Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. 131. 154.

Labores manuum tuarum, quia manducabis, &c. 57.

Psal. 135. *Qui fecit luminaria magna; quoniam in æternum, &c.* 242.

Psal. 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus:: quia illic interrogauerunt nos:: verba cantionum.* 565.

Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera, &c. 485.

Psal. 140. *Singulariter sum ego, donec trãseam.* 301.

Psal. 143. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi.* 286.

Ex Prouerbijs.

CAp. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit.* 36.

Cap. 5. *Longe fac ab ea domum tuã,* 278.

Cap. 7. *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, parata ad decipiendas animas, &c.* 308. 286. 296.

Intexui funibus lectulum meum, strauitapetibus, &c. 56.

Cap. 8. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* 111.

Cap. 9 *Sapientia ædificauit sibi domum:: & proposuit mensam, &c.* 151. 514.

Excidit columnas septem. 546.

Cap. 14. *Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur.* 96.

Cap. 16. *In hilaritate vultus Regis vita, & clementia eius quasi imber serotinus.* 232.

Cap. 17. *Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicy.* 431.

Cap. 18. *Turris fortissima nomen Domini, ipsam curritiustus, &c.* 38. 235.

Cap. 20. *Misericordia & veritas custodiunt Reges.* 189.

Cap. 24. *Vir sapiens fortis est, &c.* 267.

Cap. 26. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij ita, &c.* 255.

Cap. 29. *Seruus verbis non potest erudiri.* 309.

Cap. 30. *Tria sunt difficilia mihi, quartum penitus ignoro, &c.* 346. 413.

Stellio manibus nititur, & moratur in domibus Regum. 433.

Verba congregantis, filij vomentis, viso, quam locutus est vir, cum quo est Deus, &c. 82.

Regem locusta non habet. 444.

Cap. 31. *Mulierem fortem quis inueniet? &c.* 209.

Noli Regibus ò Lamuel noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum, &c. 259.

Ex Ecclesiaste.

CAp. 2. *Coaceruaui mihi argentum, & aurum, & substantias Regum.* 51.

Cap. 3. *Omnia tempus habent, & suis spacijs transeunt vniuersa.* 9.

Cap. 7. *In die bona frnere bonis.* 214.

Melius est nomen bonum, quam vnguenta pretiosa. 451.

Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox, &c. 379.

Cap. 10. *Væ tibi terra, cuius Rex puer est, & cuius principes mane comedunt.* 57.

Cap. 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas.* 533.

Ex Canticis Cant.

CAp. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, &c.* 148. 295. 522.

Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decoloranit me Sol. 204.

O pulcherrima mulierum, egredere & abi post vestigia, &c. 268.

Trahe

Trahe me post te, curremus in odorem, &c. 62.
Oleum effusum nomen tuum, &c. 329.
Osculetur me osculo oris sui, &c. 353. 356.
Cap. 2. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* 453.
En dilectus meus loquitur mihi, surge, propera amica mea. 127.
Ecce iste venit saliens in montibus. 176. 262. 560.
Cap. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, &c.* 56. 418. 24.
Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis libani, columnas, &c. 51. 487.
Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem, &c. 61. 6. 305.
Inueni quem diligit anima mea, tenui eum. 264. 341. 610.
Surgam, & circuibo ciuitatem; per vicos, & plateas quæram, &c. 211. 293. 295. 432. 610.
Quæ est ista, quæ ascendit per desertum? 204. 210. 283. 540. 558.
Cap. 4. *Veni de Libano sponsa, veni coronaberis de capite Amana, &c.* 229.
Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro omnes gemellis, &c. 252. 36. 224.
Surge Aquilo, & veni Auster perfla hortum. 108.
Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. 94.
Cap. 5. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, &c.* 309. 546.
Caput eius aurum optimum. 511.
Quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum, qui declinauit? 341.
Vox turturis audita est in terra nostra. 117.
Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt myrrham. 118.
Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis. 175.
Cap. 6. *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* 355.
Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem, terribilis, &c. 111.
Quæ est ista, quæ progreditur? &c. 112.
Quæsiui, & non inueni illum:: inuenerunt me custodes. 149.
Vna est columba mea. 217.
Cap. 8. *Ego murus, & vbera mea turres.* 353.
Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea. 356.
Pone me vt signaculum super cor tuum, &c. 145. 136. 563.
Fortis vt mors dilectio. 195.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, &c. 125. 225. 383. 411.

Ex Sapientia.

Cap. 1. *Spiritus Domini replenit orbem terrarum, & hoc, quod continet, &c* 18.
Cap. 2. *Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit, &c.* 38.
Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. 445.
Cap. 4 *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, &c.* 94.
Cap. 5. *Nos nati continuo desiuimus esse.* 9.
Cap. 6. *Horrendè, & cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in ys, qui præsunt, fiet.* 590.
Cap. 8. *Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, &c.* 394.
Cap. 16. *Angelorum escâ nutriuisti populum tuum.* 588.
Cap. 17. *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, &c.* 437. 349.
Cap. 18. *Absconse sacrificant iusti pueri, &c.* 71.
Sicut enim læsisti aduersarios, sic nos prouocans, &c. 317.
Dum quietum silentium tenerent omnia, & nox &c. 406.

Ex Ecclesiastico.

Cap. 2. *Sustine sustentationes Dei, coniungere Deo, &c.* 100.
Cap. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas, &c.* 253.
Cap. 10. *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam, &c.* 519.
Cap. 11. *Est homo laborans, & festinans, & dolens impius, & tanto magis non abundat, &c.* 215.
Cap. 20. *Xenia, & dona excæcant, &c.* 391.
Datus insipientis inutilis est tibi. 550.
Cap. 23 *Homini fornicario omnis panis dulcis, non satiabitur, &c.* 181.
Cap. 24. *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.* 204.
Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam, &c. 229.
Cap. 39. *Obaudite diuini fructus, &c.* 521.
Cap. 45. *Dilectus Deo & hominibus Moyses.* 225.
Cap. 46. *Fortis in bello Iesus Naue, &c.* 233.
Cap. 51. *Inuocaui Dominum patrem Domini mei, & non derelinquat me; &c.* 283.

Ex Isaia

Cap. 1. *Visio Isaiæ filij Amos, quam vidit super Iudam, & Ierusalem diebus Oziæ, &c.* 501.

Audite cœli, auribus percipite terra, quoniam Dominus locutus est: filios enutrini, &c. 468. 166. 596. 589.

Principes tui infideles, socij furum, &c. 382. 585. 390. 397.

Erit fortitudo vestra, vt fauilla stupæ, &c. 415.

Incensum abominatio mihi est, &c. 503.

Væ genti peccatrici, semini nequam. 589 596.

Cap. 2. *Abscondere in fossa, humo à facie Domini.* 342.

Conflabunt gladios suos in vomeres, &c. 296. 559.

Cap. 3. *Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & Iuda validum, &c.* 343. 355.

Erit pro suaui odore fætor, & pro zona funiculum, & pro crispanti crine, &c. 412.

Elevatæ sunt filiæ Sion & ambulauerunt extento collo. 121.

Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, &c. 166.

Cap. 4. *Et apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa dicentes, panem nostrum, &c.* 412.

Cap. 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, &c.* 400.

Cap. 6. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon.* 31.

Sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes. 549.

Cap. 7. *Ad extremum aquæductus piscinæ superioris in agro fullonis.* 225.

Egredere in occursum Achaz, tu, & qui derelictus est, &c. 226. 326.

Cap. 8. *Congregamini populi mei, & audite vniuersæ procul terræ, &c.* 364.

Auferetur fortitudo Damasci. 511.

Antequam sciat puer vocare patrem, &c. 513. 113.

Cap. 9. *Parvulus enim natus est nobis, &c.* 18. 143. 338. 594.

Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. 54.

Cap. 11. *Habitabit lupus cum agno, & pardus, &c.* 306.

Et desolabit Dominus linguam maris. 510.

Egredietur virga de radice Iesse, &c. 231. 282.

Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, &c. 463.

Et puer parvulus minabit eos. 547.

Cap. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* 91.

Cap. 14. *Ponam sedem meam ad Aquilonem.* 454.

Tu autem proiectus es de sepulchro tuo quasi stips inutilis, &c. 469.

Quomodo cecidisti Lucifer, &c. 367.

Super astra exaltabo solium meum, similis ero, &c. 242.

Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, &c. 419.

Cap. 16. *Venter meus ad Moab quasi cithara, &c.* 355.

Cap. 19. *In die illa erit altare Domini:: Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem.* 542.

Cap. 20. *In tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filij Amos, dicens: vade, & solue saccum, &c.* 45.

Væ corona superbiæ, ebrijs Ephraim. 397.

Cap. 21. *Pone mensam, contemplare in specula, &c.* 76.

Cap. 26. *Sic facti sumus à facie tua domine, concepimus, & quasi parturiuimus, &c.* 348. 606.

Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator ponetur in ea murus. 235.

Cap. 28. *Vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, &c.* 412. 37.

Quem docebit hanc scientiam?: ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. 178.

Cap. 30. *Ecce nomen Domini venit à longinquo &c.* 35.

Cap. 32. *Princeps ea, quæ sunt digna principe cogitabit.* 182.

Obstupescite opulentæ, &c. 287.

Erit opus iustitiæ pax, &c. 367.

Cap. 33. *Qui proijcit auaritiam ex calumnia, iste in excelsis habitat:: Regē in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longe.* 156. 567.

Oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam:: quia solummodo ibi magnificatus est Dominus. 235.

Panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt. Regem in decore, &c. 343. 597.

Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, &c. 78.

Cap. 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos.* 443. 445.

Cap. 37. *Cum adoraret in templo Nerocb, filij eius percusserunt eum.* 247.

Cap. 38. *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum per quas descenderat in horologio, &c.* 458.

Sicut pullus hirundinis, sic clamabo: meditabor, vt columba. 578.

Cap. 42. *Calamum quassatum non confrin-*

fringet, &c. 119.

Cap. 43. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini, noua quoque ego facio.* 612.

Educ foras populum cæcum, & oculos habentem, &c. 310.

Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, &c. 262.

Cap. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius, &c.* 437. 8.

Ipse ædificabit ciuitatem meam. 339.

Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluatorem. 548.

Cap. 46. *Onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem contabuerunt, &c.* 334.

Consilium meum stabit:: vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ 566.

Cap. 47. *Descende, sede in puluere virgo filia Babylonis, &c.* 333.

Cap. 49. *Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ.* 535.

Cap. 50. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammas, ambulate in lumine ignis vestri, &c.* 364.

Cap. 53. *Reuelabit Dominus brachium sanctum suum, &c.* 484.

Cap. 55. *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur, &c.* 80.

Cap. 56. *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum.* 81.

Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. 78.

Et diligant nomen eius, &c. 295.

Cap. 60. *Super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, &c.* 339.

Mammilla Regum lactaberis 534.

Qui sunt isti, qui vt nubes volant? 617.

Cap. 64. *Facti sumus, vt immundi omnes nos, & quasi pannus, &c.* 355.

Cap. 65. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem.* 410.

Cap. 66. *Ecce ego declinabo super eam, quasi flumen pacis, &c.* 378.

Ex Ieremia.

Cap. 1. *Verba Ieremiæ filij Helcia de Sacerdotibus, qui fuerunt, &c.* 598.

Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, &c. 30. 355. 235.

Cap. 2. *Audiens audiui Ephraim transmigrantem.* 269.

Ipsi, & Reges eorum, Principes, & Sacerdotes, & Propheta eorum, dicentes ligno: Pater meus es tu, &c. 569.

Cap. 3. *Vide vias tuas in conualle, scito, quid feceris.* 89.

Cap. 5. *Percussit eos Leo de silua, &c.* 246.

Cap. 12. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, facta est, &c.* 412.

Cap. 13. *Ego implebo omnes habitatores terræ huius, & Reges, qui sedent, &c.* 248.

Cap. 24. *Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, &c.* 359.

Cap. 38. *Audiuit autẽ Abdemelech æthiops vir eunuchus, qui erat in domo Regis, quod mississent Ieremiam in lacum, &c.* 459. 177.

Cap. 50. *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians, &c.* 183. 334.

Cap. 51. *Egredimini de medio eius populo meus, &c.* 71.

Erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, &c. 76.

Ex Threnis.

Cap. 2. *Plauserunt super te manus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt, & mouerunt caput suum, &c.* 375.

Repulit Dominus altare suum: maledixit sanctificationi suæ, tradidit in manus, &c. 462.

Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, &c. 591.

Cap. 3. *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, &c.* 4.

Ex Baruch.

Cap. 4 *Circunspice Ierusalem ad orientem, & vide iucunditatem à Deo tibi venientem. Ecce enim veniũt filij tuis, quos dimisisti, &c.* 340.

Ex Ezechiele.

Cap. 1. *Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem.* 598.

Cap. 16 *Hæc dicit Dominus Deus Ierusalem: radix tua, & generatio tua de terra Chanaam.* 595.

Cap 19. *Quare mater tua leæna inter leones cubauit, in medio leunculorum nutriuit catulos, &c.* 210.

Cap. 27. *Nunc contrita es à mari in profundis aquarum, opes tuæ, & omnis multitudo, &c.* 419.

Cap. 32. *Non dormiens cum fortibus cadentibusque, & incircumcisis, qui descenderunt in infernum, &c.* 199.

Cap. 33. *Vedi conturbationem gladij acuti, & limati ad fulgendum, amicti ad necem.* 259.

Cap. 34. *Cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* 374.

Quo pulchrior es, descende, & dormi cum incircuncisis. 199.

Cap. 47. *Orietur super torrentem in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum &c.* 147.

Ex Daniele.

Cap. 1. *Venit Nabuchdonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam, &c.* 53.

Cap. 2. *Tunc Rex Nabuchdonosor cecidit in faciem suam, & Danielē adorauit, &c.* 75. 303. 175.

Daniel autem postulauit à Rege, & constituit super opera prouinciæ Babylonis Sidrach, &c. 239.

Lapis abscisus est sine manibus. 185. 345.

Sermo, quem tu quæris Rex, granis est, nec reperitur quisquam, qui indicet, &c. 109.

Tu Rex videbas, & ecce statua grādis:: huius statuæ caput ex auro, &c 44.

Miscebuntur semine humano, non adhærebunt sibi, &c. 498.

Cap. 3. *Ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, &c.* 109.

Species quarti similis filio Dei 445.

Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis. 129.

Benedictus Deus eorum, qui crediderunt, &c. 336.

Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, neque quicquam molestiæ, &c. 419. 574. 575. 580.

Erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini descendit, &c. 247. 250 447. 476. 574.

Sidrac, Misach, & Abdenago serui Dei excelsi egredimini. 75.

Viri autē tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio caminiignis, &c. 107.

Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum. 108. 317.

Notum sit tibi, ô Rex, quod statuam tuam non colimus. 434.

Cadentes omnes populi, tribus, & linguæ, adorauerunt statuam. 444.

Non oportet nos de hac re respondere tibi; ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos, &c. 465. 466.

Benedictus Deus Sidrach, Misach, & Abdenago, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos:: & verbum Regis immutauerunt, &c. 465.

Iudicia vera feciſti:: peccauimus enim, & iniquè egimus. 539.

Cap. 4. *Tunc iubente Rege indutus est Daniel purpura, & circundata est, &c.* 510.

Nonne hæc est Babylon, ciuitas magna, quam ego ædificaui:: in robore fortitudinis meæ:: Laitur post finem dierum:: sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi, &c. 578. 583.

Cap. 5. *Aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, &c.* 189.

Diuisum est Regnum tuum, & datum est Medis. 192.

Cap. 7. *Videbam in visione mea nocte, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. &c.* 44.

Cap. 13. *Ioachim accepit vxorem nomine Susannam filiam Helciæ pulchram nimis, &c.* 212.

Et cum duceretur ad mortem, suscitauit Deus Spiritum Sanctum pueri iunioris, &c. 265. 587.

Erat cor eius fiduciam habens in Deum. 41.

Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, &c. 181. 385.

Videbant eam senes quotidie ingredientem, & deambulantem, & exarserunt in concupiscentiam eius, &c. 181.

Ex Osea.

Cap. 1. *Absque misericordia:: non populus meus.* 229.

Cap. 2. *Liberabo linum meum, & lanam meam, &c.* 207.

Cap. 4. *Ligauit eum Spiritus in alis suis.* 115.

Cap. 7. *In malitia sua lætificauerunt Regem, & in mendacijs suis principes.* 189.

Cap. 10. *Et transiui super pulchritudinem colli eius, & ascendam super Ephraim.* 115.

Ero is quasi exaltans iugum super maxillam eorum. 115.

Ero quasi ros Israel, germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius, &c. 314.

Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. 97.

Cap. 11. *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, &c.* 151.

Ex Amos.

Cap. 5. *Nunquid hostias obtuliſtis mihi in deserto?* 50.

Cap. 6. *Væ qui opulenti estis in Sion:: optimates:: ingredientes pompatice domum Israel:: & nihil patiebantur, &c.* 592.

Cap. 7. *Ecce Dominus stans supra murum litum in manu eius trulla cæmentaria.* 318.

Cap. 9. *Vidi Dominum stantem super altare, & dicit: percute cardinem, & commoueantur superliminaria, &c.* 398.

Ex Ioele.

Cap. 2. Et effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ. 522.

Ex Michæa.

Cap. 2. Ascendet pandens iter ante eos. 302.

Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem. 411.

Cap. 3. Prophetæ eius pecunia diuinabant: Propterea, &c. 184.

Principes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercede, &c. 202.

Cap. 5. Et tu Bethleem parvulus es in millibus Iudæ. Ex te mihi egredietur, &c. 459.

Ex Zacharia.

Cap. 3. Ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & Sathan stabat, &c. 285. 565.

Cap. 11. Sume tibi vasa pastoris stulti. 112.

Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & Saluator, &c. 144. 395.

Ex Iona.

Cap. 1. Deum cæli ego timeo, qui fecit mare, & aridam, tollite me, &c. 349.

Cap. 2. Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me. 260.

Cap. 3. Surge, & vade in Niniue. 615.

Adhuc quadraginta dies sunt, & Niniue subuertetur, &c. 193. 387.

Quis scit si conuertatur, & ignoscat, &c. 93.

Surrexit de solio, & abiecit vestimentum suum, & indutus est sacco. 388.

Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament, &c. 388.

Peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio, &c. 410. 425.

Tu doles super hederam, in qua non laborasti, &c. 70.

Ex Abacuch.

Cap. 3. Deus ab Austro venit, & sanctus de monte Pharan, &c. 406.

Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, &c. 407.

Ex Malachia.

Cap. 1. Contaminauit Iudas sanctificationem Domini: & habuit filiam Dei alieni 564.

Cap. 2. Si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, &c. 320.

Ex Sophonia.

Cap. 1. Disperierunt omnes inuoluti argento. 51.

Ex 1. Machabæor.

Cap. 1. Et vocauit pueros nobiles qui secum erant nutriti a iuuentute, & dimisit illis Regnum, &c. 238. 240.

Cap. 5. Misit Iudas speculari exercitum, & renuntiauerunt ei, dicentes: Quia conuenerunt ad eam omnes gentes, &c. 226.

Cap. 9. Vidit Iudas, quod defluxit exercitus suus, & bellum perurgebat eum, & contractus est corde. 281.

Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis, & si appropinquauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres, &c. 412.

Cap. 12. Et credidit ei, & fecit sicut dixit, & dimisit exercitum, & abierunt in terram Iuda. Retinuit autem secum tria millia virorum, &c. 188.

Cap. 18. Vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretauit primus, &c. 301.

Ex 2. Machabæor.

Cap. 6. Senectute dignus apparebo. 105.

Cap. 7. Contigit autem septem fratres vnà cum matre sua apprehensos compelli a Rege, 23. 33.

Iussit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam. 253. 464. 26.

Tunc Rex accensus ira, in hunc super omnes crudelius desæuit, &c. 449.

Peto a te, nate, vt aspicias cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, vt intelligas, &c. 130. 560.

Fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, &c. 24.

Supra modum mater admirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios, &c. 14. 446.

Nouissime autem post filios mater consumpta est. 11. 99. 102. 614.

Cap. 10. Cùm vehemens pugna esset, apparuerunt aduersarijs de cœlo viri quinque in equis, frænis aureis, decori, ducatum Iudæis præstantes, &c. 360.

Cap. 11. Nusquam recognoscens Dei potestatem, sed mente effrænatus in multitudine peditum, &c. 307.

Et quia non insensatus erat, sed ipse repu-

tans

tans factam erga ſe diminutionem, & intelligens inuictos eſſe Hebræos, &c. 307.
Cap. 15. Extendiſſe Ieremiam dexteram, & dediſſe Iudæ gladium aureum, dicentem: accipe ſanctum gladium, &c. 363.
Machabæus autem ſemper confidebat cum omni ſpe auxilium ſibi à domino affuturum, &c. 375.

NOVVM TESTAMENTVM.

Ex Matth.

CAP. 1. Liber generationis Ieſu Chriſti, &c. 104.
Ieſſe autem genuit Dauid Regem, Dauid autem Rex. 160.
Iacob genuit Iudam, & fratres eius. 8.
Booz genuit Obeth ex Ruth. 16.
Salmon autem genuit Booz de Raab. 16.
Iudas autem genuit Phares. 17.
Dauid autem genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ. 21. 277.
Ioſeph autem cum eſſet vir iuſtus, & nollet eam traducere, &c. 39.
Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus. 230. 575.
Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. 87.
Salomon autem genuit Roboam. 303.
Antequàm conuenirent, inuenta eſt in vtero habens. 565.
Cap. 2. Vidimus ſtellam eius in oriente. 352. 335. 342. 349.
Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge. 341. 98. 172. 276.
Stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret, &c. 450.
At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ, ſic enim ſcriptum eſt, &c. 459. 473.
Conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, ſeceſſit in Ægyptum, &c. 429.
Inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius, & procidentes adorauerunt, &c. 50. 19, 406. 421. 30.
Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudeorum? Vidimus, &c. 101. 524. 305. 236. 257. 270. 458. 165.
Reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, &c. 414.
videns quòd illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit, &c. 380. 475.
Ite, interrogate diligenter de puero; & cum inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego, &c. 473.
Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, &c. 290.
Gauiſi ſunt gaudio magno valde. 293.
Veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth. 18.
Cap. 3. Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua, & aperti ſunt ei cœli. 117. 250. 516. 224. 325. 343. 552. 569.
Venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. 17. 222. 324.
Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui poſt me venturus eſt, &c. 476.
Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. 389. 552.
Eſca autem eius erat locuſta, & mel ſilueſtre. 356.
Ego à te habeo baptizari; & tu venis ad me? 607.
Cap. 4. Dic vt lapides iſti panes fiant. 614. 352. 164. 241.
Non in ſolo pane viuit homo. 564.
Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam illorum. 54. 603.
Si filius Dei es, mittete deorſum: ſcriptum eſt enim, quoniam Angelis ſuis, &c. 564. 427. 445. 245.
Venite poſt me, faciam vos piſcatores hominũ.
At illi continuo relictis, &c. 108. 134. 151. 245.
Ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum, vt tentaretur, &c. 245. 475.
Scriptum eſt: non tentabis Dominum, &c. 126.
Vidit duos fratres: mittentes rete in mare: & ait illis: venite poſt me. 566.
Cap. 5. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. 2. 34.
Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non machaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem, &c. 443.
Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros: benefacite iis, qui oderunt vos. 299.
Eſto conſentiens cum aduerſario tuo cito dum es in via, &c. 116.
Vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens, &c. 369. 573.
Pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. 538.
Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuã, præbe illi & alteram, &c. 581.
Cap. 6. Egreſſus inde Ieſus abijt in patriam ſuam. 336.
Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim, &c. 89.
Acceſſerunt diſcipuli Ioannis dicentes: quare nos, & Phariſæi ieiunamus, &c. 424. 437.
Tu autem, cum ieiunas, vnge caput tuum. 153.

Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, &c. 153.
Cū oraueris, intra in cubiculū tuum, &c. 543.
Panem noſtrum quotidianū da nobis, &c. 593.
Cap. 7. *Nolite ſanctum dare canibus:: ne forte conuerſi diſrumpant vos.* 579.
Cap. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis, &c.* 360. 183.
Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, &c. 361.
Aſcēdēte eo in nauiculā, ſecuti ſunt eū diſcipuli eius, & ecce motus magnus factus eſt, &c. 494.
Ego veniam, & curabo eum. 524.
Si vis, potes me mundare: volo. 405.
Acceſsit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: puer meus iacet, &c. 409. 426.
Occurrerunt Ieſu duo habentes dæmonia, &c. 486. 581.
Ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, & dico huic: vade, &c. 43. 20. 460.
Multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent, &c. 30.
Veniſti ante tempus torquere nos. 9. 581.
Ita vt nauicula operiretur fluctibus. 393.
Cap. 9. *Cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, &c.* 121.
Cum veniſſet Ieſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, &c. 330.
Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quandiu ſponſus eſt cum illis? Venient autem dies, &c. 437.
Acceſsit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. 605.
Cap. 10. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrū, nec ſeruus, &c.* 424.
Nō pacē veni mittere in terram, ſed gladium. 131. 20.
Nolite poſsidere aurū, neque argentū, &c. 184.
Cap. 11. *Tu es, qui venturus es? an alium expectamus?* 588.
Euntes renuntiate Ioanni, &c. 408.
Iugū meum ſuaue eſt, & onus meum leue. 605. 376. 325.
Non ſurrexit maior inter natos mulierum Ioanne. 94. 597.
Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam. 64.
Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: ecce ego mitto Angelū meum ante faciem tuam. 588.
Cap. 12. *Abijt Ieſus per ſata ſabatho, diſcipuli autem eius ceperunt vellere ſpicas.* 541.
Ecce mater mea, & fratres mei. 16.
Prandiū meū paraui:: venite ad nuptias. 151.
Cap. 13. *Solicitudo ſæculi huius, & fallacia diuitiarum ſuffocant verbum.* 382.
Venit inimicus, & ſuperſeminauit Zizania, &c. 603.
Cap. 14. *Et deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquas, &c.* 384. 428. 453. 508. 331. 86. 317. 505. & 327.
Statim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere, &c. 491.
Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus aſpiciens in cœlū benedixit, & fregit, &c. 491. 492.
Quartâ vigiliâ noctis venit ad eos Ieſus ambulans ſuper mare, &c. 327.
Veſpere autem facto ſolus erat ibi, nauicula autem iactabatur, &c. 494.
Cap. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* 524. 544.
Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, &c. 322. 444.
Hypocritæ bene prophetauit de vobis Iſaias dicens: Populus hic labijs, &c. 368.
Dimitte illam, quia clamat poſt nos. 408.
Mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei: Miſerere, &c. 490. 378.
Cap. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundū veniſti:: tu es Petrus, &c.* 217.
Cauete à fermento Phariſæorum. 448.
Vade poſt me Satana. 48.
Abſit à te Domine, non erit tibi hoc. 156.
Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. 346.
Vos autem quem me eſſe dicitis? 505.
Cap. 17. *Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria tabernacula, &c.* 497. 515.
Reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. 502.
Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, &c. 36.
Aſſumpſit Ieſus Petrū, & Iacobum, & Ioannem, &c. 163.
Transfiguratus eſt ante eos. 180. 126.
Vade ad mare, & eū piſcē, qui primus aſcenderit, tolle; & aperto ore eius, inuenies ſtaterem; illum ſumens, da eis pro me, & pro te. 551.
Cap. 18. *Miſertus autem Dominus ſerui illius dimiſit eum, &c.* 274.
Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, &c. 449.
Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, &c. 470.
Da eis pro me. 311. 333.
Quis putas maior eſt in regno cœlorum? 311.
Procidens autem ille, rogabat eum, dicens:: & iratus Dominus tradidit eum tortoribus. 351. 372. 509.
Cap. 19. *Facilius ſit camelum per foramen acus tranſire, &c.* 51.
Multi autem erunt primi, nouiſsimi; & nouiſsimi, primi. 53.
Ecce nos reliquimus omnia. 23.
Cap. 20. *Vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, alius, &c.* 258. 405.
Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſsimis. 483.

Accipientes murmurabant, dicentes: hi nouiſſimi, &c. 482.
Non eſt meum dare vobis, &c. 404. 405.
Quid ſtatis tota die otioſi? dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. 418.
Adorans, & petens aliquid. 148.
Cap. 21. *Apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, &c.* 504.
Intrauit Ieſus in templum Dei, & eiciebat omnes ementes, & vendentes, &c. 503. 391. 468. 509. 201.
Videntes filium dixerunt intra ſe: Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, &c. 397. 294.
Cap. 22. *Intrauit Rex, vt videret diſcumbentes, &c.* 360.
In reſurrectione neque nubent, &c. 335.
Altilia occiſa ſunt, &c. 504.
Cap. 23. *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas, &c.* 167. 411.
Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis, &c. 400.
Cap. 24. *Vbicunque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ.* 497. 500.
Audituri eſtis prælia, videte, ne turbemini. 70. 540.
Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, Sol obſcurabitur. 150.
Receſſit inde in nauiculà in locũ deſertũ. 132.
Cum videritis abominationem deſolationis in loco ſancto, &c. 43.
Erit tribulatio magna, qualis nõ fuit, &c. 243
Refrigeſcet charitas. 214.
Tunc parebit ſignum filij hominis. 313.
Cap. 25 *Venit Dominus ſeruorum illorũ, & poſuit rationem cum eis.* 590.
Non habentes oleum ſecum. 214.
Domine, quãdo te vidimus eſurientẽ? &c. 153.
Clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, &c. 57.
Simile eſt Regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades, &c. 384.
Acceptis lãpadibus, nõ sũpſerũt oleũ ſecũ. 451.
Neſcio vos. 469.
Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternũ. 469.
Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi: eſurini enim, & dediſtis mihi manducare, &c. 553.
Cap. 26. *Iterũ negauit cũ iuramento.* 440.
An putas, quia non poſſum rogare Patrẽ meum, & exhibebit mihi? &c. 489.
Venit Ieſus ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, &c. 340.
Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. &c. 371.
Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas, &c. 497. 498. 390. 73.
Accipite, & comedite, &c. 517.
Vnus veſtrum me traditurus eſt, & contriſtati, &c. 393.
Cæpit pauere, & tedere, &c. 100.
Triſtis eſt anima mea. 139.
Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, &c. 136.
Vt quid moleſti eſtis huic mulieri?
Ego non ſcandalizabor. 263.
Si poſſibile eſt tranſeat à me calix, &c. 395.
Petrus vero ſedebat foris in atrio, & acceſſit ad eum vna ancilla, &c. 195.
Amice ad quid veniſti? 48.
Et filius hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo; væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. 556.
Cap. 27. *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat de cruce.* 198.
Aduoluit ſaxum magnum ad hoſtium monumenti. 562.
Nil tibi, & iuſto illi, &c. 175. 213.
Peccaui tradens ſanguinem iuſtum, &c. 396.
Conſilio inito emerũt ex illis agrum figuli, &c. 162.
Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt. 156 558.
Similiter & Principes Sacerdotum illudentes, &c. 22.
Non audis quanta aduerſus te dicunt teſtimonia? &c. 14.
Et venerunt in locum, qui dicitur Golgothâ, &c. 64.
Et poſtquam illuſerunt eum, exuerunt eum clamyde, &c. 67.
Velum templi ſciſſum eſt. 502. 558.
Dimiſit illis Barabbam, Ieſum autem flagellatum, &c. 386. 446.
Hunc angarianerunt, &c. 413.
Venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Ioſeph, &c. 522. 548. 613.
Et impoſuerũt ſuper caput eius causã, &c. 481
Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me? 460.
Illi autẽ abeũtes munierũt ſepulchrũ, &c. 462
Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à ſiniſtris. 339.
Et accepto corpore Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda, & poſuit illud, &c. 549.
Cap. 28. *Exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio, &c.* 311.
Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene videre ſepulchrum. 521. 80.
Terræmotus factus eſt magnus: Angelus enim, &c. 524.
Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, &c. 319. 264.
Nolite timere vos. 150.
Euntes ergo docete omnes gentes. 122.

Ex Marco.

Cap. 1. *Ieſus autem miſertus eius extendit manum ſuam, & tangens eum, &c.* 203.
Diſcerpens eum Spiritus immundus. 603.

Cap. 2. *Cum præteriret Ieſus, vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium, &c.* 399.
Puella, tibi dico, ſurge. 521.
Cap. 3. *Et impoſuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, &c.* 52.
Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? 400.
Cum audiſſent ſui, exierunt tenere eũ, dicebant enim, quoniam in furorem verſus eſt. 432.
Cap. 5. *Exeunti Ieſu de naui ſtatim occurrit de monumentis in ſpiritu immũdo: &c.* 486.
Egreſſi ſunt videre, quid eſſet factum, & veniunt ad Ieſum: & vident illum, qui à dæmonibus vexabatur, &c. 338.
Cumque aſcenderet nauim, cæpit illum deprecari qui à Dæmonio vexatus fuerat, vt eſſet cum illo, & non admiſit eum. 585.
Cap. 6. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* 174. 480.
Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet. 118.
Volo, vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis. 286.
Herodes miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum, &c. 495. 345.
Propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare, ſed miſſo ſpiculatore, &c. 374.
Cap. 9. *Vbi vermis eorũ non moritur.* 608.
Non enim ſciebat, quid diceret. 497. 515.
Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & ieiunio. 508.
Cap. 10. *Qui proiecto veſtimẽto ſuo, exiliens venit ad eum.* 500.
Cap. 14. *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum, amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta ſindone, nudus profugit ab eis.* 567. 570.
Cap. 15. *Venit homo quidam dines ab Arimathia, nomine Ioſeph:: & petyt ab eo corpus Ieſu.* 529.
Viderunt iuuenem ſedentẽ in dextris, coopertum ſtola cãdida:: & neminiquicquã dixerũt. 554.
Cap. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* 462. 539.
Introeuntes in monumentum viderunt iuuenem, &c. 196.
Ieſum quæritis nazarenũ crucifixũ? &c. 523.
Ecce locus, vbi poſuerunt eum; ſed ite, dicite diſcipulis, &c. 525.
Quis reuoluet nobis lapidem? 524.
In nomine meo dæmonia eycient, &c. 389.
Poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlũ, & ſedit â dextris Dei. 553.

Ex Luca.

Cap. 1. *Vnde hoc mihi, vt veniat ad me Mater Domini mei?* 607.
Factum eſt, cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum ſecundum conſuetudinem, &c. 193.
Non erat illis filius, eò quòd eſſet Elizabeth ſterilis, &c. 185.
Fuit in diebus Herodis Iudææ Sacerdos, &c. 159. 557. 598.
Occultabat ſe mẽſibus quinque. 159. 123. 461.
Ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium, &c. 161.
Quæ, cũ audiſſet, turbata eſt, & cogitabat, &c. 161.
Dixit Zacharias ad Angelum, vnde hoc ſciã? &c. 162.
Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi, &c. 217.
Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim, &c. 229.
Concipies, & paries filium, &c. 261.
Magnificat anima mea, &c. 231.
Fecit mihi magna, qui potens eſt. 230.
Et Zacharias pater eius repletus eſt Spiritu Sancto, &c. 152.
Quomodo fiet iſtud, quoniam virum nõ cognoſco? 110.
Eris tacens, nec poteris loqui. 12.
Miſſus eſt Angelus Gabriel, &c. 19. 31.
Vxor eius de filiabus Aaron. 30.
Sorte exijt, vt incenſum poneret Zacharias, &c. 316.
Eſurientes impleuit bonis, & diuites, &c. 324. 580.
Erit enim magnus coram Domino, vinum & ſiceram, &c. 346. 598.
Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ. 359.
vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. 531.
Exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu Sancto Elizabeth. 549.
Cap. 2. *Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis:: factũ eſt autẽ cum eſſent ibi, &c.* 416. 510. 143. 558 574.
Paſtores loquebantur ad inuicem: tranſeamus vſque Bethleem, &c. 312.
Inuenietis infantẽ pannis inuolutum, &c. 141. 421.
Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis, &c. 2. 4.
Inuenerunt illum in templo ſedentem, &c. 3.
Deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. 5.
Et requirebant eum inter cognatos, & notos, & non, &c. 5.
Tuam ipſius animam doloris gladius, &c. 20.
Tulerunt Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, &c. 22.
Et paſtores erant in regione eãdem vigilantes, &c. 27.
Poſtquã impleti ſunt dies purgationis, &c. 117

Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me? &c. 55. 247. 194.

Cap. 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.* 598.

Erunt prava in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei. 605.

Nec cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus, &c. 91.

Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, &c. 125. 261.

Descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba. 217.

Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. 227. 383. 392.

Misericordia motus super eam, dixit illi: noli flere. 561.

Iesu baptizato:: vox de cœlo facta est: tu es filius meus dilectus, &c. 594.

Cap. 4. *Illi laborauerunt, vos in labores eorum introistis.* 483.

Imperauit febri, & dimisit illam, &c. 493.

Surgens autem Iesus de Synagoga, intrauit in domum Simonis, &c. 25.

Erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna: quid nobis, & tibi? &c. 125.

Et consummata omni tentatione, diabolus recessit à illo usque ad, &c. 109.

In potestate erat sermo ipsius. 108.

Iesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est à Iordane, & agebatur in Spiritu in desertum, &c. 326.

Cap. 5. *Extendens manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare, &c.* 161.

Et factum est, cum esset Iesus in una ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, &c. 492.

Cap. 6. *Beati pauperes spiritu, quia vestrū est Regnum Dei:: verumtamen væ vobis diuitibus, &c.* 163.

Cum dies factus esset, vocauit discipulos, & elegit duodecim, &c. 73.

Cap. 7. *Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta.* 601.

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vbi cognouit, &c. 38. 89. 548.

Stans retrò secus pedes eius, cœpit lauare, &c. 264. 403. 568.

Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. 282.

Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores, &c. 408. 426.

Osculum mihi non dedisti, &c. 506.

Si habueritis fidem vt granū sinapis, &c. 311.

Vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti. 548. 549.

Cap. 8. *Accessit retrò, & tetigit fimbriā vestimenti eius.* 294.

Manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli. 164.

Cap. 9. *Facta est species vultus eius altera, & ecce duo viri, &c.* 53.

Generatio infidelis & peruersa, vsq; quò apud vos ero? 58.

Dico autem vobis vere, sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem. 195.

Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet. 252.

Ponite vos in cordibus vestris sermones istos. 178.

Conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis, cuius spiritus sitis. 275.

Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate. 502.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem, &c. 418.

Nesciens quid diceret. 515.

Cap. 10. *Homo quidā descendebat ab Ierusalē in Iericho, & incidit in latrones, &c.* 471.

Designauit septuaginta duos, & misit illos binos. 288.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, &c. 166.

Maria optimam partem elegit, &c. 159.

Cap. 11. *Beatus vēter, qui te portauit, &c.* 358.

Et cū eiecisset dæmoniū, locutus est mutus. 465.

Cap. 12. *Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.* 553.

Lucerna ardentes in manibus vestris. 360.

Beati serui illi, quos, cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. 155.

Baptismo autem habeo baptizari: & quomodò coarctor, vsque dum perficiatur? 412.

Ait quidam de turba: Magister dic fratri meo, vt diuidat, &c. 60. 83.

Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam; facite vobis sacculos, qui non veterascunt. 533.

Cap. 13. *Tunc incipietis dicere: manducabimus coram te, & bibemus, &c.* 520.

Cui simile æstimabo Regnum Dei? Simile est fermento, &c. 292.

Succidite ergo illam. 308.

Cap. 14. *Dico autē vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt, &c.* 268.

Simile est Regnū cœlorū homini Regi, &c. 180.

Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, &c. 179.

Cap. 15. *Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida, &c.* 496.

In se conuersus dixit: quanti mercenarij, &c. 484.

Cum autem longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia, &c. 484. 121. 119.

Ego fame pereo. 252.
Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. 258.
Cito proferte stolam primam, &c. 226. 354.
Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam, &c. 73.
Dissipauit substantiam suã viuendo luxuriose. 46.
Ego autem hic fame pereo, surgam, & ibo ad Patrem meum. 545.
Cecidit super collum eius. 615.
Cap. 16. *Portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* 30.
Homo quidam erat dines, & induebatur purpura, &c. 114. 609.
Habent Moysem, & prophetas; audiant illos. 133. 173.
Mitte Lazarum, &c. 246. 398. 448.
Erat quidam Lazarus, qui iacebat, &c. 284. 609.
Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est. 507.
Cap. 17. *Dum irent, mundati sunt.* 6.
Cap. 18. *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri.* 250. 539. 42.
Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias, &c. 408. 539.
Quicunque non acceperit Regnum Dei sicut puer, &c. 529.
Cap. 19. *Zachæe festinans descende.* 67. 543.
Mna tua fecit quinque mnas. 3.
Videns ciuitatẽ flenit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua. 593. 609. 610. 45. 114.
Quærebat videre Iesum, quis esset, & non poterat, &c. 507.
Cap. 20. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, &c.* 500.
Cap. 21. *Quibusdam dicentibus de templo:: dixit:: non relinquetur lapis, &c.* 536.
Vidit Iesus quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo, &c. 134.
Cap. 22. *Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor, &c.* 508.
Conuersus Dominus respexit Petrum, &c. 200.
Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, &c. 213.
Transeat à me calix iste. 412.
Apparuit autem ei Angelus de cœlo confortans eum. 270.
Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, &c. 119.
Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, &c. 136.
Desiderio desideraui hoc pascha, &c. 139.
Cap. 23. *Domine memento mei, dum veneris, &c.* 367. 368. 187. 482. 86. 545.
Sequebatur illum multa turba populi, & mulieres, &c. 104.
In manus tuas commendo spiritum meum. 86.
Ibi crucifixerunt eum, & latrones, &c. 58.
Subsecutæ sunt mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, &c. 124.
Respondens autem alter increpabat eum dicens, &c. 14.
Obscuratus est Sol. 271.
Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? 533.
Cap. 24. *Vna autem Sabbathi valde diluculo venerunt ad monumentum, &c.*
& cognouerunt eum in fractione panis. 157.
Nonne hæc oportuit Christum pati? &c. 103.
Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei, &c. 411.
Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti:: nunciauerunt hæc omnia. 554.

Ex Ioanne.

Cap. 1. *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis, &c.* 611.
Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. 610.
Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, &c. 54. 564.
Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. 507. 328.
In ipso vita erat, &c. 315. 316. 363.
Ecce agnus Dei. 366. 612.
Ego vox clamantis in deserto. 408.
In principio erat verbum, &c. 217. 13.
Erat autem Andreas:: inuenimus Messiam:: & adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus dixit: tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas. 531. 555.
Cap. 2. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Chana.* 164. 325.
Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinũ factam. 266. 476.
Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, &c. 112.
Cum autem esset Ierosolimis:: multi crediderunt in nomine eius:: ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis. 555.
Nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ, &c. 13.
Quid mihi, & tibi mulier? &c. 79. 141.
Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem, &c. 324. 372. 502.
Ascendit Iesus Ierosolymam, & inuenit in tẽplo vendentes, &c. 468. 509. 390.
Haurite nunc, & ferte Architriclino. 485.

Cap. 3. *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quòd dixerim: non sum ego, &c.* 526.
Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto. 331. 221. 222. 225. 226. 487. 596.
Spiritus, vbi vult, spirat, &c. 135.
Cap. 4. *Vade, filius tuus viuit.* 289.
Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi viuere, tu forsan. 294.
Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. 496.
Omnis, qui biberit ex aqua hac, sitiet, &c. 493.
Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate. 610.
Voca virum tuum. 461.
Vis sanus esse? 405.
Multi crediderunt in eum samaritanorum:: & mansit ibi duos dies. 555. 562.
Patres nostri adorauerunt in monte hoc. 599.
Cap. 5. *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine, &c.* 454.
Hunc cum vidisset Iesus iacentem; & cognouisset quia iam multum tempus, &c. 376.
Angelus autem Domini descendebat secundũ tempus in piscinam, &c. 497.
Tolle grabatum, &c. 331.
Cap. 6. *Vident Iesum ambulantem super mare, & proximum, &c.* 327.
Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis, colligite, &c. 321. 352. 492. 455. 456. 488.
Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, &c. 316.
Ego sum panis vitæ. 316.
Ego sum panis viuus, qui de cœlo, &c. 78.
Caro mea vere est cibus, & sanguis, &c. 76. 517.
Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos, &c. 59. 455.
Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet, &c. 495.
Hic est panis, qui de cœlo descendit, &c. 488.
Cap. 7. *Vos ascendite ad diem festum; ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia &c.* 547.
Cap. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* 591.
Si veritatem dico vobis, quare non creditis? &c. 92.
Abraham exultauit, vt videret diem, &c. 141. 5.
Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. 563.
Cap. 9. *Abyt ergo, & lauit, & venit videns.* 223.
Da gloriam Deo: nos scimus, quia hic homo, &c. 527.
Omnes quotquot venerunt ante me, fures sunt. 564.
Cap. 10. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* 601.
Cap. 11. *Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo:: secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret.* 597.
Cap. 11. *Abyt, & vocauit Mariam sororem suam.* 457. 614.
Magister adest, & vocat te. 614.
Iesus ergo rursus fremens in semetipso, &c. 471.
Vt vidit eam plorantem; & Iudæos, qui venerunt cum ea, plorantes, infremuit, &c. 388. 503. 403.
Resurget frater tuus. 528.
Multi ergo Iudæi, qui venerant ad Mariam, &c. 503.
Iesus voce magna clamauit: Lazare, &c. 506. 523. 528.
Tollite lapidem. 331. 605.
Vtiq; Domine, ego credidi, quia tu es Christus, &c. 332.
Lazarus amicus noster dormit, &c. 259.
Si dimittimus hunc sic, omnes credẽt in eum, & venient Romani, &c. 505.
Dicunt ei: Domine veni, & vide; & lachrymatus est Iesus. 561.
Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos. 562.
Cap. 12. *Fur erat, & loculos habebat, & ea, quæ mittebantur, &c.* 440.
Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Isaiæ impleretur, &c. 311.
Cap. 13. *Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, &c.* 545.
Sciens, quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, &c. 311. 436.
Cum accepisset ille buccellam, continuo exiuit. 50.
Vt ergo dixit eis, ego sum; abierunt retrorsum, &c. 477.
Scitis, quid fecerim vobis. 491.
Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu:: & dixit: amẽ dico vobis, quia vnus ex vobis, &c. 402.
Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet. 500.
In hoc cognoscent omnes, quòd estis mei discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. 583.
Cum dilexisset suos:: in finem dilexit eos. 587.
Cap. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* 496.
Ego sum via, veritas, & vita. 405. 496.
Si diligeretis me, gauderetis, quia vado ad patrem,

trem, &c. 489. 158.
Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, &c. 496.
Vado, & venio ad vos. 158.
Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. 586.
Cap. 15. Ego sum vitis vera. 185.
Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. 236.
Quia vero non estis de mundo, &c. 37.
Cap. 16. Adhuc multa vobis habeo dicere, sed non potestis portare modo, &c. 504.
In mundo pressuram habebitis, sed confidite, &c. 486.
Iterum videbo vos, &c. 144.
Cap. 17. Pater clarifica Filium, &c. 507.
Cap. 18. Erat autem nomen seruo Malchus. 567.
Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset, &c. 56.
Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se, &c. 59.
Quid est veritas? 293. 503.
Quem quæritis? 421.
Ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum. 421.
Cap. 19. Ecce filius tuus. Deinde discipulo: ecce mater tua. 498. 499. 20. 150.
Stabat autem iuxta crucem, &c. 522. 401.
Ibi eum crucifixerunt, & cum eo alios duos, &c. 131.
Et inclinato capite tradidit spiritum. 140.
Vnus militum lancea latus eius aperuit, & cõtinuò exiuit sanguis, &c. 297. 516. 541.
Bajulans sibi crucem exiuit. 413.
Erat autem tunica inconsutilis, &c. 69.
Sciens Iesus, quia iam omnia cõsummata sunt, &c. 516.
Cap. 20. Ostẽdit eis manus, & latus. Gauisi sunt discipuli viso Domino, &c. 489. 500.
Sic eum volo manere, quoad veniam, quid ad te, &c. 165.
Sicut misit me pater, & ego mitto vos, &c. 195.
Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c. 197. 92.
Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos, &c. 297. 556. 612.
Noli me tangere, nondum enim ascendi, &c. 133. 161. 228. 319. 341. 532.
Mulier quid ploras? &c. 269. 444. 135. 457. 636.
Vidit duos Angelos in albis sedentes:: quia tulerunt Dominum meum, &c. 568. 149. 150. 321.
Cucurrit ergo, & venit ad Simonem, &c. 152.
Stabat ad monumentum foris plorans. 156. 556. 568. 612.
Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit: si tu sustulisti, &c. 320.
Cum ergo serò esset die illa, vna Sabbatorum; & fores essent clausæ, &c. 387.
Cap. 21. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium, &c. 330.
Cum esses iunior cingebas te, &c. 519. 577.
Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus:: Hic autem quid? &c. 219.
Simon Ioannis diligis me plus his?: Dicit ei iterum:: diligis me?:: Pasce agnos meos, &c. 614.

Ex Actis Apost.

Cap. 1. Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt viscera, &c. 50.
Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus, &c. 101.
Tunc reuersi sunt Ierosolymam à monte, &c. 428.
Nubes suscepit eum ab oculis eorum. 616.
Cap. 3. Aurum, & argentum non est mihi, quod autem habeo, &c. 484. 493.
Cap. 4. Quotquot enim possessiones agrorum, aut domorum erant, vendentes, &c. 148.
Cap. 6. Intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius, &c. 33. 153. 37. 47. 192. 588.
Cap. 7. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, &c. 4.
Ecce video cœlos apertos, & Iesum, &c. 11. 167. 12. 196. 481. 553. 588. 101. 358. 33. 130.
Tunc Abraham exijt de terra Chaldæorum, &c. 13.
Intendens in cœlum vidit gloriam, &c. 196.
Domine ne statuas illis hoc peccatum. 298.
Tradidit eos seruire militiæ cœli. 450.
Cap. 8. Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus, &c. 184.
Cap. 9. Paulus adhuc spirans minarum & cædis, &c. 296.
Vas electionis, &c. 471. 128.
Thabita surge. 521.
Dans autem illi manum, erexit eam. 157.
Cap. 12. Herodes autem cum requisisset inquisitione falta de custodibus, &c. 433.
Statuto die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, & concionabatur, &c. 285.
Cap. 16. Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis:: dolens autem Paulus, &c. 465.
Cap. 19. Tentauerunt autem quidam de circumeuntibus Iudæis exorcistis inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes, &c. 595.
Cap. 20. Attendite vobis, & vniuerso gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit, &c. 527.

Cap. 21. *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum?* 401.

Cap. 23. *Et cum magna diſſenſio facta eſſet; timens Tribunus, ne diſcerperetur Paulus,* &c. 424.

Cap. 26. *Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, ſed etiam,* &c. 253.

Cap. 27. *Prætereuns, & videns ſimulacra veſtra, inueni & aram, in qua ſcriptum eſt: Ignoto Deo,* &c. 289.

Ex Epiſt. P. ad Romanos.

CAp. 1. *Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.* 450.

Cap. 4. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem,* &c. 137. 138.

Cap. 6. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius,* &c. 33.

Cap. 8. *Primogenitus in multis fratribus.* 228. 594.

Quos præſcinit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini, &c. 133. 594.

Quis ergo nos ſeparabit a Charitate? &c. 130.

Cap. 9. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali:: Iacob dilexi; Eſau autem odio habui.* 596.

Cap. 10. *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem.* 457.

Semen Abrahæ apprehendit. 496.

Cap. 12. *Qui miſeretur in hilaritate.* 148.

Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis cõgeres ſuper caput eius. 577.

Cap. 13. *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* 228.

Cap. 15. *Deus autem patientiæ, & ſolatij det vobis id ipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum, vt vnamines vno ore honorificetis Deum.* 575.

Cap. 16. *Salutate inuicem in oſculo ſancto.* 394.

Ex 1. ad Corinth.

CAp. 1. *Hoc autem dico, quod vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego ſum Pauli,* &c. 129. 527. 223.

Abſorta eſt mors in victoria. 301.

Qui & confirmabit vos vſque in finem ſine crimine, &c. 499.

Videte vocationem veſtram, quia non multi ſapientes, &c. 87. 89.

Cap. 5. *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua,* &c. 437.

Cap. 7. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis,* &c. 145.

Cap. 9. *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur,* &c. 493.

Cap. 10. *Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra,* &c. 127.

Omnes mare tranſierunt, &c. 122.

Cap. 11. *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc,* &c. 92.

Neque vir ſine muliere in Domino, &c. 522.

Qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. 590.

Cap. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes,* &c. 261.

Cap. 15. *Abundantius illis omnibus laborani, non ego, ſed gratia Dei mecum.* 263.

Cum tradiderit Regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem, &c. 213.

Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, &c. 217.

Sicut portauimus imaginem terreni, &c. 134. 540.

Portemus imaginem cæleſtis. 344. 540.

In Chriſto omnes viuificabuntur:: ſeminatur, &c. 528.

Ex 2. ad Corinth.

CAp. 3. *Manifeſtati, quod Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta,* &c. 323. 421.

Miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, &c. 420. 502.

Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, &c. 224.

Cap. 6. *Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus,* &c. 314.

Cap. 8. *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei,* &c. 148.

Cap. 11. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt,* &c. 218.

A Iudæis quinque quadragenas, vna minus accepi, &c. 73.

Deſponderi enim vos vni viro:: Timeo autem, ſicut ſerpens Euam ſeduxit, &c. 530.

Cap. 12. *Nihil enim minus fui ab his, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli.* 271.

Ad Epheſios.

CAp. 2. *Chriſtus pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* 20.

Cap. 3. *Vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ:: vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas,* &c. 538.

Cap. 4. *Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cœlos,* &c. 110.

Propter quod dicit aſcendens in altum, &c. 149.

Cap. 5. *Aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus,* &c. 396.

Cap.6. Induite vos armaturam Dei, &c. 398.

Ad Galatas.

CAp. 1. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à seruo, &c.* 51.

Cap. 2. Christo confixus sum cruci, vivo autem, iam non ego, &c. 131.

Cap. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. 121.

Cap. 4. Misit Deus filium suum factum ex muliere. 18. 457. 460.

Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus, &c. 139. 483. 311.

Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem: Abbà, &c. 422.

Ille, qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum, qui secundum spiritum. 596. 603.

Cap. 6. De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata, &c. 200.

Ad Colossenses.

CAp. 1. *Vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, &c.* 56.

Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa, &c. 515.

Cap. 2. Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, &c. 142.

Ad Philippenses.

CAp. 2. *Hoc sentite in vobis, quod in Christo Iesu, qui cum in forma Dei, &c.* 154. 177. 459.

Humiliauit semetipsum vsque ad mortẽ, &c. 328.

Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatiũ charitatis, &c. 499.

Cap. 4. Gaudete in Domino semper. 141.

Ad Timotheum.

CAp. 2. *Saluabitur per filiorum generationem.* 314.

1. ad Thessalonicenses.

CAp. 4. *Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* 557.

2. ad Thessalonicenses.

CAp. 1. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, &c.* 477.

Cap. 2. Tunc reuelabitur ille iniquus, quẽ interficiet Dominus Iesus, &c. 477.

Et destruet illa stratione aduentus sui, &c. 477.

Ad Philemonem.

PRopter charitatem magis obsecro, cum sis talis, vt Paulus senex, &c.* 271.

Ad Hebræos.

CAp. 2. *Semen Abrahæ apprehendit.* 318.

Cap. 7. Sine patre, & sine matre, neque initium dierum, &c. 77. 79.

Cap. 9. Nunc autem semel in consummatione sæculorum, &c. 138.

Cap. 10. Homines per maiorem sui iurãt, & omnis controuersiæ eorum finis, &c. 191.

Cap. 11. Fide Noe responso accepto, &c. 187.

Fide Moyses grandis factus, negauit se, &c. 386. 337.

Fide obtulit Abraham Isaac &c. 196.

Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson: Qui per fidem deuicerunt regna. 582.

Cap. 12. Ideoque & nos tantam habentes impositam nubem testium, &c. 187.

Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem: melius loquentem, quam Abel. 479.

1. Petri.

CAp. 2. *Quasi modo geniti infantes rationabile, & sine dolo, &c.* 313.

Ad quem accedentes lapidem viuum, &c. 315.

Cap. 4. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. 505.

1. Ioannis.

CAp. 2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, &c.* 561.

Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. 585.

Cap. 5. Filioli abstinete vos à simulacris. 434.

Apocalypsis Ioan.

CAp. 1. *De ore illius gladius ex vtraque parte acutus.* 42.

Fecit nos Regnum, & Sacerdotes. 203.

Cap. 2. Prima opera fac, sin autem venio, &c. 360.

Habeo aduersum te, quòd charitatem pristinam reliquisti. 543.

Habeo aduersum te pauca, quòd habes, &c. 543.

Cap. 3. *Flebam multum; quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, & vnus, &c.* 104.

Noui opera tua, quia nomen habes, quòd viuas; & mortuus es. 277.

Cap. 4. *Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile Chrystallo.* 495. 221.

Cop. 5. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, &c.* 130.

Ecce in medio throni: : agnum stantem tanquã occisum, &c. 565.

Dignus est agnus, qui occisus est, accipere, &c. 513.

Cap. 7. *Post hæc vidi turbam magnam, &c. hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, &c.* 219.

Audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor, &c. 61.

Cap. 12 *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, &c.* 472. 506.

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit. 616.

Cap. 13. *Quorum nomina sunt scripta in libro vitæ agni, qui occisus, &c.* 344.

Cap. 14. *Hi sequuntur agnum quocunque ierit.* 214.

Cap. 16. *Venio sicut fur.* 476.

Et abyt primus, & effudit Phialam suam in terram, & factum est vulnus, &c. 474.

Cap. 17. *Hi cum agno pugnabunt.* 178.

Et decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt, &c. 203.

Cap. 28. *Et flebunt, & plangent se super illam Reges terræ, qui cum illa, &c.* 415. 416.

Et negotiatores flebunt, &c. 211.

Cap. 19. *Vide, ne feceris: conseruus tuus sum.* 242.

INDEX

INDEX RERVM

A.

ABIECTIO Proprij muneris non reſpuenda. 413. Sponte ſumpta nulli etiam Principi in gloria. 460. Ob fugiẽda vitia glorioſa. 252. Voluntaria non derogat gloriæ ſe humiliantis. 329.

Abnegatio mundi à Ieſu perſuadetur homini. 546.

Abſentia Dei cauenda. 340.

Acceptio munerum iudicium peruertit. 430.

Acceſſum ad Ieſum qui impedit, multis vapulat. 469.

Adoleſcentes à maiorum virtutibus diſcant. 25.

Adulatio potentiſsima apud Principes. 426.

Aduerſa certiſsimè promittunt proſpera. 100.

Ætatis prærogatiua nihili apud Deum eſtimatur. 270. Ætatis infirmitas non impedit, vbi fides viget. 26.

Æquanimitas in laboribus ſacrificium gratum Deo. 109.

Æſtimationi ſunt ſola illa, quæ propria. 139.

Afflictiones noſtræ ad ſe inclinant Deum. 118. Felicem exitum habentes virtutis præmium ſunt. 107.

Affabiles viros amat Deus. 117.

Affectus quiſque poſtponendus ordini. 111.

Aliena ingrata Deo. 179.

Ambitioſorum caſus nemini miſerandus. 418.

Amatori Dei duriſsima quæque vileſcunt. 194.

Amici trahendi in communionem bonorum operum. 152.

Amor carnalis Deo contrariatur. 584. Amoris, non belli puluere, qui ad Deum ducitur, fœlix. 487. Amor Dei facit, quòd dominemur mundialibus. 505. Amor liberorum acerbat illorum mortem. 98. Amor Dei verus nil admittit dilecto contrarium. 583. Eſt bonorum noſtrorum cuſtodia. 584.

Animarum ſaluti qui ſtudet, in libro vitæ ſcribitur. 8.

Animoſitas aduerſus iniquitatem, principatus ſignum. 253.

Antiquioris ætatis prærogatiua non æſtimatur à Deo. 270.

Apparitiones diuinæ non ad otium. 10.

Aqua luſtralis fons vitæ. 122.

Arma hoſtilia in ſalutaria qui conuertit, Dei ſpiritum habet. 296.

Ariditas cordis cauenda. 533.

Arrogantia maximè excludẽda. 360.

Aſpera facilè ſuperas, ſi Deum aſpicias. 129. Humiliter præcipienda. 144. Suauiantur Ieſu duce. 260.

Aſtris dominamur ſub Ieſu. 450. Non ab illis, ſed à Deo victoriæ. 451.

Auarum etiam validiſsimi auxiliatores non ſaluant. 393.

Auaritia vbi eſt, veritas non eſt. 381. Auaritiæ vt nequeunt non ſeruire nobiles. 382. Auaritia vbi eſt, Deus non inuenitur. 390. Infirmat Eccleſiaſticos. 391. Præcipuus Dei hoſtis. 396. Lethalis. 397. Terræ hominem tradit. 398.

D. Auguſtinus. 322.

Aula religioſiſsimos facit periclitari. 458. Non permittit puras oſtendi veritates. 458.

Aulicorum eſt nocere laudando. 512.

Aurum innocentius retinetur à priuatis, quàm à Rege. 50. Eius ſeruitus malè apud Deum audit. 51. Semel acceptum reſtitui, præſentis Dei argumentum. 82. Illo impeditos non ſaluant validiſsimi. 393.

Authoritas iuſti in iubendo. 108.

Auxilia creaturarum impediuntur, non Dei. 262.

Auxilij diuini ſub fiduciâ non ſunt dimittenda media conuenientia. 276.

B.

Bachanalia cauenda. 153.

Baptiſmus Chriſtianorum origo vitæ noſtræ. 122. Baptiſmus facit, vt Deum Patrem ſentiamus. 594. In baptiſmo impellimur ad alta. 224. Per illum familiarè Deũ habemus. 225. Ad primum gratiæ nos reduxit. 226. Baptiſmi ab aquis ſuperiores ſimus hoſtibus. 326. A Baptiſmate nouus ortus. 342. Patet cœleſtis ciuitas. 343. Ab aquis baptiſmi Ieſu exaltatio. 220. Baptiſmus nos transfert in cœlum. 221. A bãptiſmo ſuffecit nobis Ieſus. 222. In baptiſmo omnia lucida. 223.

Beatitudo in hac vita peſsimè quęritur. 57.

Bellatores fugiant fœminas. 299.

Bellum qui in peccato init, vinci amat. 105. Bellum carni, & ſanguini religio inducit. 130.

Benefactoris Dei nos facit recordari labor immiſſus fœlicitatibus. 330. Benefactor humilis erga eos, quos beneficijs impleuit. 170.

Benedictiones cœleſtes acreſcunt ei, qui vtilis eſt proximis. 34. A Ieſu ſpiritu ſcaturiunt. 559.

Beneficia diuina non exhauriuntur ab vno, vt creata. 142. Beneficia non extollant benefactorem. 170. A te collata potius extenuanda, quàm verbis amplificanda. 329. Sic præſtanda ingratis, ne poſsint occultari. 331. Eorum locus, & inſtrumenta gratitudinem extorquent. 295.

Beneficentia Chriſtiana etiam ad hoſtes. 298. Glorioſa & vtilis Principibus. 182. Larga fulcit Regnum. 214.

Bona aliorum periculis empta cauenda. 205. Partienda cum proximis. 515. Terrena indecorè quæruntur à Dei miniſtris. 493. Ablegãda ab eo, qui in virtute firmus vult eſſe. 538. Aliena à veritate. 56. 503. Perdantur omnia licet, dum non perdatur Deus. 61. Omnia habebis, ſi Deo ſeruias. 581. Haberi ſolent à iuſtis, ne putentur eſſe diaboli. 582. Bona terrena infamantur ex poſſeſſo ribus. 598. Bona perdenda ob oculos poſita cruciant hominem. 192. Bona temporalia honorantur, dum bonis ſeruiunt. 207. Eorum negotiatio aliena à Chriſto. 210. Bona temporalia bellum inferunt aſſeclis ſuis. 246. Si illa prius tuis, quàm tibi velis, perfectus es. 291. Magis fauent ijs, à quibus contemnuntur. 336. Vileſcunt ad crucis conſpectum. 155. Ruinæ proximiora. 199. Pro illis plures ſubeuntur æruminæ, quàm pro Deo. 202. Cum Deo ægrè ſtant. 557.

Bona ęterna à Ieſu. 495. Cœleſtia integra ſolent ſingulis obuenire, non diuiſa. 501. Ea qui guſtat, ægre ab ijs auellitur. 263. Bonis ſpiritualibus leuantur mala temporalia 401.

Bonum ipſum à Deo veniet, vbi vel eius vmbra venerit. 343.

C.

Calamitas filiorum parentibus acerbiſsima. 98. Venit ab Idõlis. 247. Magna eſt, perdi ab ijs, qui feſtum agant. 373.

Carni, & ſanguini acerrimus hoſtis religio. 130. Carnis maceratione propter Deum optimè fundantur merita. 137.

Carnalia excluduntur à Chriſto. 18.

Carnaliſsimi etiam poſſunt dare ſanctis, quo æternum viuant. 547.

Caſtitatem vt tuteris, illud elige, quod violentiam ab hoſte fugat. 40.

Celer eſt Deus in audiendis precibus peccatoris humiliati. 119.

Certamen laborum requiritur, vt Chriſti Regnum acquiratur. 405. Non vacant certamine terreni. 410.

Ciuitas cœleſtis patet à baptiſmo. 343.

Charitas fraterna non eget iudice, aut magiſtratu. 271.

Chariores trahendi in bonorum operum communionem. 152.

Chriſtus illuſtrem reddit ſuorum mortem. 102. Chriſtus magis de Iudæ interitu, quàm de ſua cæde triſtatur. 100. Vbi non eſt, nulla eſt perfectio. 124. Ei aduerſatur laſciuia. 131. Eſt fons gaudiorum verorũ. 141. Vbi Chriſtus, omnia ſuppetunt. 323. A Chriſti virtute venit, quòd medijs fluctibus tentationum ſecuri aſcendamus ad patriam. 327. Chriſti balatu Regnum cadit peccati. 365. Chriſtus non acquiritur ſine certamine. 405. Chriſti ſimilitudo in pœnis ipſas pœnas ſuauiat. 195. A Chriſto aliena temporalium negotiatio. 210. Chriſti mortificatio in corpore noſtro conducit ad ſalutem. 202. Chriſti perfectus aſſecla illi aſsimiletur. 227. Dolet Chriſtus, quòd eius ſanguine non madeamus. 516. Vide Ieſum.

Chriſtianorum triumphus breuioris eſt cõflictus. 481.

Commoda cum aliorum periculis cauenda.

uenda. 205. Communi bono non officiat Christianus. 453. Communia salutis periculosè relinquantur. 304.

Confessio peccatorum sincera à vera pœnitentia venit. 123. Confessio peccatorum. 461. Potior, quàm innocentiæ attestatio ad sedandum Deum. 539.

Cognatio sanguinis non sic rapit homines, vt similitudo morum. 498. Contemnenda propter Deum. 5. Eius contemptus facit, quod Deum videamus. 5. Validissimum habet præsidium. 24.

Cognati, qui cum Deo haberi possunt, nō dimittendi. 23. Illis prospicere. 290.

Conformes in virtute, & in præmio erunt 580.

Concordiæ amatores vix mala vident. 70. Concordia cum bonis Deum tenet. 574. Tollit obices ad bonum. 552.

Connubia educationem bonam puellæ spectant. 212.

Conuiuiorum lautitiæ fatales regibus. 75. Conuiuia cauenda. 153. Rixas gignunt. 248.

Conscientia reprobi ipsa sibi supplicium. 437. Conscientiæ propriæ accusatio durissima homini. 608.

Considerationis pondus in re virtutis. 179.

Consilijs impiorum Deus vtitur, vt eos trahat in pœnam. 364.

Consortium iustorum vtile impijs. 169. Consortium Iesu ad maximum augmētum. 505. Consortium iusti seruat peccatoris vitā. 97. In diuinis muneribus admittendum. 250. 252. In honore admittendum. 252.

Consuetudo peccati grauedinem, & duritiem infert. 167.

Coniux iustus coniugem Deo lucratur. 120.

Contritio peccatorum vena est confessionis. 123.

Cooperatio hominis cum Dei virtute facit victorias. 450. A Dei venit gratia. 372.

Cor nequit Deum intus tenere, quin multis externis illum prodat. 558.

Cor hominis sedes Dei. 135. 315. Eius riditas cauenda. 533. Mollescit à radio diuinæ lucis. 484. Eo integro aggrediendæ res sunt, vt prosperentur. 73. Confirmatur signis passionis. 386.

Cultus ornatior dolos parit. 286. Sacrorum religionem facit. 344. Hominem firmat. 350. Deum trahit. 229.

Creaturæ dispārent, vbi Deus sentitur. 149. Earum proprium, quòd absint. 158. Creaturarum auxilia multis impediūtur. 262. Tales tibi erūt, qualis tu Deo. 579. Crucis ad conspectum mundialia vilescunt. 155. Crux Christi humanæ virtutis fulcrum. 156. Crux Deum manifestat hominibus, magisque reddit gratum. 97. Crucis sub signo euanescunt mala. 413.

Cultus, & religio Dei est hominum munimen. 191.

D.

Dator munerum magis, quàm acceptor videatur homo. 186. Dator magis, quàm acceptor videaris. 186.

Damnum periculosè excipis ab ijs, à quibus alij salutem. 308.

Dæmon ibi prædam inuenit, vbi diuisionem. 97. Dæmonem sequi post degustatum Deum summa miseria. 113.

Delicias inter nete impetat hostes. 68. Deliciæ mundiales bellum inferunt cultoribus suis. 246. Pariunt ruinas. 247.

Defectus nullus vbi Christus. 323.

Deus tibi erit, quod tu Deo. 526. Ex Deo quod habemus, fortius omnibus est. 530. A Deo ad dæmonē trāsfuga abiectissimus. 113. Deus nos sociabiles amat. 117. Ei qui seruit, nil perdit. 476. Nostris afflictionibus mouetur. 118. Cito exaudit preces peccatorū. 119. ea petit, quæ vult dare. 17. Deus potens mulierē constantē facere. 111. Pro Deo quidquid effundis, tibi instauratur. 476. Ab illo qui aspicitur prius, aspicit diuina. 121. Facinoribus peractis nomina indit. 126. Dei nomine insignitus expectet quidquid virtutis in illo est. 127. Viriliter pugnat. 128. Teneatur Deus, licet omnia alia perdantur. 61. Conspecto Deo facilè labores superabis. 129. Deus miserans suos, eos amore, non sudore ducit. 487. Dei vmbrā mundo valentior. 74. Deus ad corda humana propēdit. 135. Colidus de tibi dēptis. 524. Sola propria æstimat. 139. Præsentissimus suis. 456. Deus inclinatus præcelsa queq; inclinari facit. 240. Dei largitas ad omnes. 142. Beneficētissimus in eos, à quibus accipit. 143. Deus vtitur impiorum cōsilijs, vt eos in pœnas trahat. 364. A Deo tracti prosperantur in via. 428. A Deo inferendæ morti nullus non patet aditus. 363. A Deo quæ tibi fieri cupis, fac tu propter Deum. 388. Deus non est, vbi auaritia. 390. Deus præcipue a reis respiciendus. 396. Deus in iustitia exercenda claret. 202. Dei habitus potētior exercitu ingenti. 477. Deus dū sit in honore, omnia mala effugies. 319. Deo

exhibita obsequia cui sunt honori, non oneri, ille fœlix. 320. Deo si dura subdas, facilè cætera subdes. 322. Deus nescit aliquid sumere è nobis, quin aliquid simile impendat. 335. Deus monstratur in multitudine eorum ad salutem. 339. Dei absentia cauenda. 340. A Deo vbi vel vmbra boni venit, & ipsum veniet bonum. 343. Dei strictus gladius viam salutis peccatoribus eripit. 351. Qualis tu Deo, talis tibi Deus. 357. Deo charior, qui eum in passione, quàm qui in gloria sequitur. 358. Dei est timor, quòd muneri tuo respondeas. 255. Eius auxilium non impedimenta sentit. 262. In Dei fiducia homo securus. 263. Ægrè ab illo auellimur post eius gustata bona. 263. A Deo vt magna obtineas, prius peccatum fuge. 265. Deus vel vilissima ordinat in bonum Electorum. 288. Quæ facienda decernit, quasi facta putentur. 289. Arma hostilia in salutaria conuerti facit. 296. Præcipuè spectandus in omnibus. 305. Gratiùs in cordibus, quàm in manufactis habitat. 315. Dei præsentia vitã nobis halat. 316. A Dei manu ipsa infirmitas roboratur. 318. Deus prospera miscet aduersis. 100. Dux adest pro se pugnantium. 106. Deo qui seruit, insensibilia sibi seruire facit. 108. Deus nunquam non aderit propter se patientibus. 444. A magnis incipit. 60. Solus seruat numerum integrum. 73. Deus trahitur honore. 429. Supplet media. 523. Deus est, qui facit primas non amari. 368. Deo qui se adiungit in ijs, quibus ab alijs deseritur, ille fœlix. 369. Dei dona multis acquirenda. 404. Deus capitur humillitate. 408. Deus ager feraciss. imus in reddendis fructibus. 146. Deus vbi præsentitur, molesta est creatura. 149. Dei præsentia reuerentiã extorquet. 150. Deũ vt excipias, hominem exuas. 161. Deus vt insitis gratiam, sic peccatoribus infert pœnam. 163. Quod Deus peccatorem fugiat, ad Dei spectat iram. 172. Disciplina Dei vel per somnium efficacissima. 174. In Deum irruet, qui seruos eius offendit. 178. Vt Deus in suorum pœnis dolet. 196. In Deo plura lucra, quàm in diuitijs. 201. Deo qualis fueris, tales inuenies tibi creaturas. 579. Vbi instrumenta desunt, diuina virtus appãret. 585. Deus & bona terrena ægrè coniunguntur. 557. Non tenetur intrinsecus in corde, quin extrinsecus moleis paceat. 558. Deum patentem inuenit, non iudicem, quia terrenis abstinet. 545.

Deserti penuria fugitur. 411.

Difficultates vorantur ob passionem Christi. 301. Tollendæ infirmis. 524.

Dignitates dandæ socijs sacinorũ bonorum. 230. Quòd indignus ad illa non ascendas, Dei fauor est. 254. A Deo venit dignitas, cui satisfacis. 255. Dignitas quælibet perfectissimos sustinet. 177.

Discrimina fugiunt intrepidum pro Deo. 317. Discriminibus medijs, qui non cauit, miser. 439.

Discipuli defectus asperrimus magistro. 190.

Discordiæ non sunt, vbi est iniuriarum tolerantia. 116.

Dissensiones, & rixæ à conuiuijs. 248.

Diuinis multa exhibenda reuerentia. 361. Diuinitatis est nudis se manifestare hominibus. 27.

Diuitiæ malè securæ. 323. Non tot lucrà pariunt, quot Deus. 201.

Diuisio tutam dat hostibus prædam. 57. Causa est interitus Reipublicæ. 57.

Doctrinæ vtilitas respicienda. 165.

Doli, & fraudes sub cultioribus vestibus. 286.

Dolor maximus in reprobis, quòd suã perdi videant. 415.

Dona superabundantia sub vno Iesu. 455. Quæ in nostra cooperatione fundantur, firmiora solent esse. 482. Semper referunt donatoris manum. 488. Superabundantia virtutem Deitatis ostendunt. 491. Dona temporalia, quæ à Iesu veniunt, ad spiritualia tendant. 502. Facilè ad potentes currunt. 524. Dona parua quasi nescit Deus dare. 60. Minima sic præstanda, vt in ijs magna præstari videantur. 134. Datoris manibus respondent. 202. Dona Dei maiora solent esse in re, quàm in promissione. 528. Multis acquirenda. 404. Eorum indicium, quòd pluribus vtilia sint. 163. Dona Dei temporalia, vt æterna signant. 586. Dona grata Deo offers de tibi ablatis. 545. Nullam Dei iniuriam inuoluant, quæ dantur dona. 550. Dona, quæ de proprijs Dei sunt, maiora omni censu videntur. 590.

Domino improbo seruire opprobrium est. 352.

Durities exuenda in hominibus gubernandis. 329. Non ad salutem, sed ad fugam est subditis. 112.

Durissima si Deo subdis, facilè cetera subdes. 322.

Ducis

Ducis fortitudo non sufficit, vbi deest Principis pietas. 237. Duci infideli non sunt committenda vexilla victricia. 236.

E.

Ecclesiastici infirmantur auaritia. 391.

Educatio bona maximè claret in fœminis. 280. Spectanda in connubio. 212.

Electis vel vilissima quæque deseruire possunt in bonum. 288.

Egestas, & penuria deserti per Iesum fugitur. 411.

Eleemosyna roborat hominem ne in hostes incidat. 264. Sic danda est, vt magis accipere videaris. 148. *Præmium* prosilit intra ipsas Eleemosynæ res. 157. Eleemosyna facit, ne supremus iudex in pœnam exurgat. 162. In eleemosyna non perdis tua, sed habes. 532. Auget bona. 59. *Præ*standa nisi velis perire. 543.

Error à multitudine. 312.

Eucharistiæ abstinentia lethalis. 268 Dolori est Christo. 516. Eucharistia Terlimon prophanata. 307. Eucharistia sola satiat. 321. Eucharistiæ esum præparatio antecedat. 354. Eucharistia petit vitæ renouationem. 354. Vbi Eucharistia non est, nihil est ad robur verũ pertinens. 355. Eucharistiæ virtus in operibus appareat necessum est. 356. Eucharistiæ mensa clarissimum infert meridiem. 147. Efficacissima ad animos expiscandos. 151. Ad Eucharistiam hominem exuas. 161. Et vetus homo exuendus. 437. Eucharistiæ cultus dum adhibetur, fertilissimi inde fructus. 517. Auri cupiditatem tollit. 49. Eucharistiæ potus nos Deo arctius coniungit. 76. Eius epulũ nos filios Dei facit. 77. Ab infimis cauet, & participes amat, qui sublimia petant. 78. Ex Maria diuitias suas habet. 79. Signum pacis inter Deum, & hominem. 80. In ea omnes benedictiones cœlestes. 80. Eucharisticus sanguis diuinam extinguit iram. 541. Vires, & robur ingenerat. 571.

Examen quotidianum, siue horarium. 607.

Exactiones tolerabiliores quam bella. 65.

Excidium salutare impijs. 171.

Exercicium in difficilibus pomptiores facit ad facilia. 371.

Exemplum Principum auspicatum. 66. Exempla maiorum efficcia. 25.

Exhortatione etiam sapientissimi proficiunt. 269.

Experientiam non habens, caueat periculum. 67.

F.

Facinora propria hominem verendum faciunt. 338.

Fama posthuma colenda Principibus. 189.

Fames superari potest amore virtutis. 245.

Familiæ regendæ ordo in primis ametur. 111.

Fauor Dei media supplere solet. 523. Labores & molestias virtutis absumit. 604.

Fauores principum ne offensam generent. 378.

Fidutia in Deo potentiùs armis. 478. Securum facit hominem. 263. Non tollat opera congruentia 276.

Filiorum virtutes appropriantur parentibus assentientibus. 13. Boni non eripiant substantiam parentibus. 213. Eis consulit, qui causas aufert discordiæ. 216. Inglorij deciduntinter parentum vlnas. 112. Præmittantur in cœlum. 103.

Firmitas, & stabilitas vbi peccatum non est. 346. Firmitas meritorum carnis maceratione fundatur. 137.

Ferdinandus Hispaniarum Princeps. 307.

Flagello imperfecti, perfecti voce trahuntur. 309.

Fortitudo Ducis non sufficit, vbi deficit pietas Principis. 237. Fœmina vitam postponit pulchritudini. 287. Carnalis temeritatem pudendam facit, spiritualis cautelam triumphalem. 71. Fortitudo victrix in eo est, quòd rem aggrediaris integro corde. 734.

Fortunà ridente, qui se continet, nobilis est. 110. Fortunæ aduersæ resistes facilè, si Deum intueris. 129.

Fœminarum nomina in scriptura pro ingenti honore ponuntur. 521. Fœminæ nobiles calamitosè fora adeũt. 521. Quod fœminæ æquè, ac viri curentur, à Deo solo venit. 522. Vna formosa vniuersos nobiles rapit. 45. Illarum victoriæ insilentio consistunt. 47. Illarum nomen vni Deo sit notum. 158. Illorum munera aurea indecora. 182. Consortium nociuum. 176. pudicitia velleuissimis sordet. 176.

Fœminea facies fugienda bellatori. 299. Cum fœminis seueritas ostendenda. 300. Fœminæ turpissimæ, quæ ob famem seruiunt vitijs. 245. Efficacissimæ ad tenendos viros. 279. Malæ efficaces ad perdendum, castè educatæ nesciunt perdere. 280. Postponunt vitam pulchritudini. 287. Diutinam cum viris conuersationem caueant. 293. Fœminea leuitas cõtraria viriuti valdè. 117. Fœminæ volubilitas virtute Dei in constantiam mutatur. 121.

Fraterna charitas vbi est, non est necessarius iudex. 272. Fraterna charitas nos aptat diuinis excipiendis. 596.

Fraudulenti non male audiunt apud Principes mundi. 433.

Frœnum opportunum magnis mentibus seruitus est. 115.

Frugalitas vitæ. 31. In Principe abundat bonis. 215.

Futura mala imminentia maximè cauenda. 454.

Furor obduratus hominum cecissimus 472.

G.

Gladius Dei strictus salutis viam eripit peccatoribus. 351.

Gaudia mundi pariunt dolorem parem. 461. Gaudia inter hostilia perdi, calamitas magnà est. 373. Quæ à Christo sunt, permanent. 141.

Gloriæ, & honoris consortes sustineri, magnæ virtutis est. 257. Gloriæ, & dignitatis priuatio durissima homini. 520. Non minuitur voluntariâ abiectione. 329.

Gratiæ referendæ stimulus à loco, & instrumento beneficij. 295. Gratiæ opus, non naturæ, quòd primas alteri cedas. 54. Gratiæ perfectioris effectus. 103.

Gratitudo Dei. 143. Confirmat in posterum beneficia. 419. Exhibita Deo hominem in vitâ confirmat. 507.

Gubernatoris suauitas necessaria. 112 Gubernator bonus facit, quæ exigit fieri à subditis. 19.

H.

Holocaustum Deo gratius æquanimitas in laboribus. 109.

Homo propriæ non fidat prudentiæ. 430. Miser, qui vel in discrimine non sibi cauet. 439. Nescit se intra necessitatem continere. 455. Eius firmitudo Verbum Dei. 506. Homo temporalis facilè Deum abnegabit. 519. Durissima illi gloriæ, & dignitatis priuatio. 520. Vt seruiat Deo, demat sibi 525. Homines nudi accepti Deo. 27. Carnales solos vident splendores bonorum temporalium, spirituales magis latentia ibi mala. 44. Pessimè amant beari in hac vita. 57. Homo dator magis, quàm acceptor sit. 186. Stultus vilibus inhiat, & leuibus. 514. Hominem exuas, vt Deum excipias. 161. Homo securus, quando non sibi, sed Deo creditur. 263. Homine in retinendo maior virtus, quàm in retinendo flumine. 325. In hominibus curandis duritiem exuenda est. 329. Homo proprijs facinoribus reuerendus. 338. Homines capiendi sunt per sibi gratiora. 349. Homo firmatur ex cultu religionis. 350. Hominis calamitas est, quòd perdatur ab ijs, qui festum agant. 373. Hominis quò minus habes, eò excellentior. 160. Homo vel carneus sit Angelus sub Iesu. 588. Hominis præstantia non à bonis temporalibus. 597.

Honor Christo D. accrescit ex suorum fuso sanguine. 104. Honoris, & gloriæ consortes sustineri magnæ virtutis est. 157. Honor Deo exhibitus mala fugat. 319. Honori cui sunt obsequia diuina, nõ onerari, fœlix ipse. 320.

Hostis acerrimus carnis religio vera est. 130. Hostis Christi lasciuia. 131. Hostes virtutis non simul, sed per partes inuadendi. 132. Hostis præcipuè habendus, qui ad peccatum allicit. 602.

Humiliatio voluntaria non derogat gloriæ se humiliantis. 329.

Humilitas necessaria ad præcipienda dura. 144. Facit conspici Iesum. 420. Humilitas in cultu corporis ad salutem. 425. Humilitas vera petit, ne solus in diuinis velis esse. 250. Humilitatis opera exercenda à viris præstantibus, qui triumphent. 311. A nobilioribus, & magis ingenuis fiunt. 312. Humilitas Deum capit. 408. Humilitas, quę reijcit, extorquet. 206. Præsentissimos nos facit Deo. 409.

Hypocrisis in Principibus exitialis. 243.

I.

Idola mundi ruinam, & calamitatem pariunt

pariunt cultoribus. 247. Idôla cordis crebrò excludenda. 607. Idôla mundi nihil affectiuum habent non alienum. 594.

Ignatius Societatis Iesu fundator. 322.

Iesu accessus fœlicitatem causat. 463. Qui illum impedit, multis vapulat. 469. Iesus instaurat, & multiplicat triumphos. 485. Non labentia, sed æterna parat. 495. In suis non diuisionem, sed vnitatem amat. 497. 529. A Iesu venit, quòd in temporalibus spiritualia spectentur. 502. Iesu consortium auspicatum ad omnia. 504. Iesu adiungeris per solas animi virtutes. 531. Quidquid Iesus pertingit maximè ornat. 535. Apud solum Iesum & nocentes, & innocentes habent refugium. 538. Vbi Iesus nil carnale. 18. Nihil est in Iesu, quod nostrum non sit. 593. Iesus à baptismo suffecit nobis. 222. Iesus in baptismo ad alta nos impulit. 224. Facit fugere penuriam deserti. 411. A Iesu cum Maria omnis victoria. 457. Iesus habuit ex Maria, quo amabilis sit hominibus. 229. Eius omnipotētia in vna Maria claret. 230. Iesu duce aspera suauiantur. 260. In pugna sub Iesu immaturi excluduntur. 271. Inuenitur inter sublimia petentes, non inter deiectos ad terram. 283. Eius nomen efficax ad trahendum. 294. Vbi Iesus interuenit, nullo alio egemus. 330. A Iesu venit, quòd vilium saluti cōsulas. 375. A solo Iesu veritas solida. 547. Iesu consortium ad maximū augmentum pertinet. 505. Iesus conuertit mala in bonum. 462. Expellit omnia mala. 483. Quod Iesu est omnibus amat prodesse. 491. Iesu infirmitas validior mundialibus potestatibus. 416. Vbi Iesus est, nil aliud suspiciendum. 417. In humilitate & abiectione, non in mundiali pompa conspicitur. 420. A mitibus & pacificis inuenitur. 421. Eosdem cum illo pati persecutores glorioſum. 424. Non patitur suos sub dominio alterius videri. 443. Sub Iesu habitu dominamur astris. 450. Sub Iesu dona superabundantia. 455. Iesus vnus horrores mortis aufert. 101. Glorioſior appāret ex ijs, qui pro illo sanginē fuderunt. 104. Omnium bonorum firmitas. 610. Iesu præsentia validissima ad trahendum. 614. Benedictiones à Iesu spiritu manant. 559. Ipse nos in mundi abnegatione firmat. 546.

Ieiunium luxuriam perimit. 542.

Impijs excidium salutare. 171. In vno conueniunt, vt perdant iustum. 423. Certissimè in illos iacula Dei veniunt. 446. Illorum societas grauis. 58.

Imperia inferiorum qui sequitur, magnus est. 555.

Imperfecti flagello, perfecti voce feriuntur. 309.

Indigni quòd dignitates non habeāt, Dei fauor est. 254.

Ingratis sic præstanda beneficia, ne lateant. 331.

Infans virtus in virilem transit tolerantiâ laborum. 144. Inferioris ductum sequitur vir. 555. Infirma hominis â Deo magna veniſſe ostendunt. 578. Infirmis mentibus difficultates tolle. 524. Infirmitatum medela in Maria. 231. Infirmitas à manu Dei roboratur. 318.

Iniuriæ patienter tolerate odia leniūt. 116.

Ingenuus ille verè est, qui intra suæ naturæ limites in qualibet fortuna se continet. 100. Ingenuum est vtilem seruitutem libertati periturę præferre. 114.

Inimica Iesu lasciuia. 131.

Inimicorū amor â virtute Christiana. 398.

Innocentum damna cauenda etiam cū nocentum impunitate. 537. Innocentem esse in suplicijs melius est, quàm nocentem esse liberum. 383.

Instrumenta vbi deficiunt, Dei virtus ostenditur. 585.

Institutio tuorum ea sit, quæ omnia bona promittat. 606.

Intrepidum pro Deo animum ipsa discrimina fugiunt. 317.

Interceſsionibus concedendum. 168.

Ira quod cupit malum, certo inferendum putat. 440.

Iudex non est necessarius, vbi fraterna charitas viget. 275. Caueat, ne suppliciis augeantur, sed tollantur delicta. 48.

Iudicij diuini sub gladio, quæ modo horremus, appetimus, & è contra. 442.

Iuramenti religio nō frangenda. 375.

Iustitiæ diuinę gladius strictus sic turbat peccatores, ne vel cogitent salutaria. 351. Iustitia exercita Deum ostendit. 202.

Iustis quæ paras mala, in te venient. 374. Iustus multis est salutis refugiū. 376. Eius consortium vtile impijs. 169. Iustos qui lædit, & in Deum irruet. 178. A iustis timeant sibi peccatores. 187. Iusti impiorum colligatione, aduersus se sustinent. 423. Eius societas vtilis. 52. Iusti viri falsis rumoribus mordentur. 95. Iustis debetur peccatorum vita. 97. Iustorum mors in gloria appāret incōparatione martyrū. 102. Iustos Deus ærumnis excolit. 107. Iustus sibi facit seruire insensibilia. 108.

Lumen in templis virum facit diuinum. 248.

L.

Lachrymarum vis ad Deum mouendum. 561. Lachrymæ fortis non pro casibus, sed pro triumphis. 561. Lachrymæ, quæ operibus virtutis coniunguntur, salutiferæ. 592. Lachrymæ inanguine lacrimæ. 592.

Labores æquanimiter tolerati sanctificant. 109. Illos facile vincet, qui in Deum non fidit. 129. Illos facit dulces. 129. Illorum tolerantia tenella vincit. 130. Labores quies sequitur. 200. Labor medijs fœlicitatibus immissus nos Dei beneficiorum facit recordes. 330. Laborum certamen necessarium, vt Regnum Christi acquiratur. 485. Labores plures subeuntur pro terrenis, quam pro Deo. 202.

Lætitia vera à Iesu. 141.

Largitas diuina ab vno non exhauritur, sed in omnes emanat. 142. In eos se effundit, à quibus aliquid accepit. 143. Largitas in donando facit Regni. 214.

Lasciuia inimica Iesu. 131. Perdit vires. 486. Publica abluunt nomen virisbonis. 277. Ex ea explorantur periura Regna. 278. Illa annexum mendacium. 282. Frænatur timore Dei. 281. Vbi est, ibi omne malum. 38. Cum illa nequeunt bona temporalia esse. 46.

Laudis sub specie alijs nocere, vitium aularum. 512.

Lectio sacra maxime Principes ornat. 267.

Legatorum fecunditas inviolabilis. 1061.

Lex Christi non in lapide, sed in corde. 427. Legum rigor debet à Principe emolliri. 244. Legum diuinarum meditatio cerebrime dirigit in viam salutis. 266. Leges non superantur, nisi vbi Iesu gratia aspirat. 611.

Libertas peritura vtili seruituti postponenda. 214. Libertate priuari magnis mentibus opportunum. 115.

Literarum professores præmijs alantur. 514.

Loca virtutibus prestandis dicata auspicata sunt. 330.

Lucra temporalia non quærenda è rebus diuinis. 189. Eis addictus animus facile Deum abnegabit. 591.

Lucis diuinæ radius mollefacit humana corda. 484.

Lumen meridianum ab Euclydistis. 479.

Luxuriæ vestis non fugitur. 464.

Luxuria perimitur ieiunijs. 542.

Vide Lasciuia.

M.

Maiora deuitæ nimis timenda. 399.

Errores regendi. 509.

Magistratus opulentus, aut populorum defectus. 166.

Magistratus pacificus illos facit veritatis cultores. 384. Mala omnia fugient, quam Deus in honore sit. 319. Ea potentia bonis spiritualibus leuantur. 401. Lenitas ex multitudine suffragantium. 216. Militantur irreligiose. 353. Immerentes parata venia in reos, qui parcunt. Malorum in diminutione salus. Mala longe abesta Dei accessu. 379. Mala deterrenda à Regi in bonorum exitium. Omnia ex penuria Regis. 181. Mala longiores inducit eligendi. 39. Mala aliorum nobis excepta credamus. 661. Mala ex arte vincuntur, ex quibus vtilitatem spiritualem eruis. 556.

Magna qui superat, ne in minimis decidat. 384. Magna vni Deo debentur. 562.

Manus Dei ipsam infirmitatem roborat. 318. Manibus datoris respondent dona. 203. Manus diuina fecunditatem habet. 86.

Mandata præuenientur operibus. 242.

Manuetudo diuinitati amica. 92. Illi veracitas adiuncta. 195.

Maria cum Iesu omnes facit victorias. 257. Mariæ debetur cœli, terræque regnorum fœlix oratio. 229. Dedit Iesu, quo amabilis fit hominibus. 229. Vita Maria Saluatoris omnipotentiam roborat. 230. Ab illa inuitemur ad medela. 230. De Maria nec gradus faciendus. 341. De Maria patrem nouo venit, quod difficilia quæque vincamus. 199. Maria primitiæ legum primogenitæ adimpleunt, & munus. 228. De Maria venitquod in Eucharistia nescitur. 99.

Maritus Sanctus vxorem Deo acquirit. 100.

Matris improbitas validissima, vt illos perdat. 216.

Maternis suspirijs non acquiescendum, dum ad Patris facinora vocamur. 194.

Media non nimis requiruntur, vbi Dei fauor aspirat. 92.

Meditatio diuinarum legum ducit in viam salutis certissimè. 266. Medicato-

mor-

mortis vtilissima hominibus. 150.

Mendacium annexum impudicitiæ. 282.

Mendaces non male audiunt apud Principes. 433.

Merita non ex tempore, sed ex corde metienda. 94. Meritorum nostrorum mensuram dat Deus cum nomine. 126. Merita breuiora maceratione carnis firmantur. 137.

Miles inglorius occidit, qui Christo non occidit. 102. Miles de victoria securus, si pro Deo pugnauit. 103.

Minima sic præstranda, vt vniuersam vitam præstitisse videantur. 342.

Militibus aperta solo Deo eligunter. 87. Milites præstantes, qui primi in recessu à Principis sui, in male actis nulli. 246. Militum fides laudi Principis sui, non vbi. 241. Præsentibus operibus mandata. 242. Relatis insignium regalis præsentia. 245. Militis Dei inde ecotus, quod terram sapiant. 249. Mirabilia Dei circa nos, nouis operibus excitandis commendandis diebus sunt. 309. Horum vt percipiatur fructus, interna animi vires requiruntur. 310. Miseriæ extremum est à virtutis cultu ad vitia transfugere. 151. Misericordia Dei cito occurrit afflictis. 178. Misericordia, & humanitas ab ingenuo animo. 274. Mites inueniunt Iesum. 421. Etiam in lœtos irritantur. 463. Mores pueriliæ seruari solent in festis. 116. Morum immunitias à Iesu eruditur. 271. Morum fingendo plus habet nemines, quàm sanguinis cognatio. 498.

Mors ob oculos sit Principibus. 279. Morti inferendæ à Deo nullus non patet aditus. 363. Mors præstantissimorum maxime nos munit aduersus carnem. 198. Mors facit, quod caro sustineatur. 218. Leuatur ex resurrectione. 196. Mors facit ea nescere vita præteritam. 9. Mors iustorum à Iesu illustratur. 102. Mortis dolorem leuit spes beatitudinis. 101. Mors filiorum parentibus durissima. 96. Mors exhibeat virtutes incipientis vitæ. 613. Mors fœlix, quæ nulli calamitatem relinquit. Ibidem. Mortis meditatio vtilissima. 615. Christi mors vtilissima. 541.

Mortificatio carnis firmissimum meritorum fundamentum. 137. Conducit ad salutem. 212.

Monita Dei ad amussim exequenda, non examinanda. 414.

Multitudo sociorum in supplicijs non affert leuamen. 269. In multitudine vis nocendi non est mala. 53. Multitudo terrorem facit. 302. Multitudo cum rectum, tum & auctorem, Deum ostendit adesse. 339. Nouum multitudine animi pugnatorum victorem. 348. Multitudo salutem leuat corporales pœnas. 219.

Mundi gaudia parient dolorem patientibus. 161. Mundus cum suis conceptoribus luet. 326.

Munificentia diuina largiter deriuatur in eos, qui aliquid accepit. 244.

Munera Dei à creatis differunt, quod ab vno non exhibeantur. 142. Munera corporis laudi decora. 183. Munerum acceptio iudicium præuertit. 438. Munera quæ sit facile pietati Deo referre. 255. Munera dati oris manu respondent. 203. Muneris proprij abiectio non respuenda. 412.

Mysteria diuina non requirunt naturæ ordinem. 531.

N.

Natalitatis præsagia in magnis viris. 184. Natiuitatis miracula ingens bonum nascituro protendunt. 185.

Naturæ ordo non spectandus, vbi diuina adest gratia. 531. Nec in re Christi. 7. Naturæ opus non est, quod alteri primas cedas. 54.

Necessitatis metas nosse seruare honorum. 455.

Negotia mundialia non habent veritatem. 503. Inter illa non alendi nobiles. 85.

Negotiatio temporalis cauenda ab ijs, qui ad Christum pertinent. 210.

Nobilitas iuncta virtuti, magnum. 86. nobilitatis carnalis præsumptio abest à Dei seruis. 87. Nobilitas mundialis vix potest non seruire auaritiæ. 382. Nobilitas vera à pulchris operibus. 383. Ridenda quæ primi parentis Dei virtutes non refert. 391. Nobilitas natalium decet primarios viros. 159.

Nobiles minime alendi inter negotiationes. 85. Nobiliores promptiores sunt ad Christianam humilitatem. 312.

Nomina auspicium futurorum solent habere. 233. In principibus æternari debet facinoribus. 235. Absumuntur in vnis bonis à lasciuia. 277.

Nomen diuinum munimen suis est. 234. Ab illo confirmatur homo. Ibidem. Populo sæuum in nomine diuino. Ibi. No-

men diuinum infringit hoſtium vires. 389.
Nomen Ieſu efficax ad trahendum. 294. Nomen Dei auſpicatum ad triumphos. 428. Puro ore verſatum validiſsimũ hominis munimen. 32. Hoſtibus ruinam affert. 35. iunctum myſterijs paſsionis efficaciſsimum. 52.
Nomen Chriſtianum operibus declarandum. 451. Nomina præcellentium virorum auſpicata. 7. Nomina eorum, qui operam dant ſaluti animarum, in libro vitæ ſunt. 8. Nomen hominis in ſolo Deo amplificatur, æternatur. 20.
Nomen ampliatum per longas generationes glorioſum. 29. Quod à Deo venit non eſt vacuum. 126. Pro Dei nomine ſtandum. 128. Ex Dei nomine potentiam habebis ad mira patranda. 127.
Nouiſsima ob oculos ponenda. 259.
Nuditas Apoſtolica validiſsima. 345.
Numeratos non minui à ſolo Deo venit. 73.

O.

Obedientia dum tè ſola cogit acceptare principatum, præſtantiſsimus es. 256. Obedientia exhibetur humaniter præcipienti etiam aſpera. 144. Supra meritum munerari ſolet. 479. Auſpicata eſt. 6. Obedientibus Deo, vt Deus obedit. 108.
Odia ceſſant, vbi adeſt patientia. 116. Odio habet Deus aliena, propria æſtimat. 139.
Obſequia Deo exhibita honori ſint, non oneri. 320. Obſequium humile extorquet, quæ bona fugit. 206.
Opera ex fine cenſenda. 480. Congruentia fini non dimittenda prætextu diuini auxilij. 276. Operibus agendum, non ſolis verbis. 407. Præueniant mandatum. 272. Per humilitatem præſentiſsima Deo ſunt. 409. Quæ in perditionem facta, in bonum conuertenda. 409. Illorum fitmitas in carnis macerãtione. 137.
Oratio vocalis non prætermittitur ſine damno. 467. Oratio iuſti validiſsima. 371. efficaciſsima. 449. Non ſimplex, ſed multis firma virtutibus ad magna. 508. Etiam quæ peccatoris eſt, citò auditur à Deo. 119. Deeſſe pro ſpiritualibus bonis. 543. Efficax eſt ex ſimilitudine petentis cum eo, à quo petitur. 544.
Ordo in familia primus curetur. 111.
Ornatus vilis homines hoſtibus eripit. 285. Pretioſus dolos facit. 286. Ornatus ſacrorum religionem facit. 344.
Oſſa chariſsimorũ faciunt homini patriam. 15.

P.

Panis Ægyptius auri ſitim habet. 49.
Parentum cultus. 4. Parentes ne dedignentur doceri à filijs. 11. Filiorum virtutes ſuas faciunt aſſentiendo. 13. Illis nunquam non duriſsima filiorum mors. 98. Male conſulunt filijs, qui illos inter ſuas vlnas habent. 102. Boni amant filios in cœlum præmittere. 103. Acrius in filijs caſtigantur. 380. Parentem Deum inuenit, non iudicem, qui à terrenis abſtinet. 545. Vide Maiores.
Paſsio Chriſti nequit abſcondi. 136.
Paſsionis Chriſti vel vmbra fœlicia omnia facit. 297. Chriſti Domini paſsio facit difficilia vorari. 301. Nos in viam deducit ſalutis. 301. A Paſsione, & cruce magnitudo, & præcellentia virtutis. 313. Per paſsionem qui Deum ſequitur, Charior illi eſt, quàm qui per gloriam. 358. Chriſti paſsio efficaciſsima, vt homines à peccatis deterreat. 365. Paſsionis Ieſu ſigna valde confirmant humanum cor. 386. A paſsionis conſpectu mundialia vileſcunt. 155. Paſsio crucis Deum manifeſtat. 197. Paſſionis benignitas pluſquam diuinitas cogitata nos afficit. 527. Paſsio Chriſti omnibus innoteſcit. 136. Ob oculos poſita confirmat Dei promiſſa. 90. Efficax ad trahendos homines. 91. Multas vtilitates parit. 541. Extinguit diuinas iras. 541.
Pati æquanimiter labores ſignum ſanctitatis. 109.
Patientia humilis odia pacat. 116.
Patria homini ea eſt, vbi oſſa chariſsimorum. 15.
D. Paulus. 322. Ex Maria habuit triumphare ſub vulnere. 200.
Paupertas ſecura. 333. Apoſtolica validiſsima. 345.
Pauperum ſaluti conſulere, Ieſu ſpiritus eſt. 375. Pauper vnus cum Deo valentior Regibus. 600.
Pax licet ſit, Princeps munimenta tractet. 187. Pacis ſtudium cordi eſt Deo. 540. Qui illi ſtudet, inuenit Ieſum. 421. Pax vera a ſolo Deo, & Chriſto eius. 557.
Peccatoribus qui virtutes perſuadeat magnæ virtutis eſt. 346. Peccatores ſub ſtricto Dei gladio, vix ſciunt ire ad ſalutaria. 351. Illis a Deo pœna infertur, vt iuſtis gratia. 163. Quem peccatorem Deus fugit,

fugit, magnàm patitur iram. 172. Peccatores sibi possunt timere à iustis. 187. Peccatoris vnius societas ingentes turbationes parit. 402. Dolori est iusto. 58. Illi nunquam deficiunt pœnæ. 63. Illum seruant iusti. 97. Induratus semper latêre præsumit. 393. In peccatores commouentur cœlestia. 588. Peccatoris malitia magna est, quæ beneficum querelis implet. 589.

Peccatorũ vel vmbra fugienda. 434. Peccata manifestanda. 461. Peccati Regnũ cadit, cum deficit, quibus iustis obloquatur. 464. Peccatorum locus, & locus est pœnæ. 470 Peccatorum pœna violentia latronis est. 471. Peccati fortitudo cadit vel balatu diuini agni. 365. A peccatis deterremur per passionem Iesu. 365. Peccata publica reputantur apud sapientem Principẽ. 166. Peccati consuetudo grauedinem, & duritiem infert lapideam. 167. Peccatorum reiteratio iram Dei trahit. 508. Peccata proximi ne videas, quin simul videas virtutes. 251. Qui aduersus illa animosus est, ad principatum spectat. 253. Priusilla fugiat qui à Deo magna obtinebit. 265. Peccati notitia vel in medijs facinoribus ingeritur. 47. Peccata certissimam pœnam inferunt. 447. Vbi sunt, non potest esse firmitas. 349. Illorum verus dolor illa in confessione nudat. 123. Hostibus dant victorias. 105.

Perfectio nulla, vbi Christus non est. 124. Ad illam per partes accedendum. 132.

Perfecti viri est vel vmbras virtutis sequi. 133. Perfectus potest inueniri in qualibet dignitate. 177.

Pericula cauenda ab inexpertis. 67. Pericula fugiunt intrepidũ pro Deo. 317. Bona minime ames cum periculis proximorum. 205. Periculum maius maiorem virtutem requirit. 500.

Perseuerantiam in bono solus Deus facit, 556.

Persuasoris sunt, quæ persuasus facis. 446.

Petrus Apostolus Regnorum firmitudo. 421. Eius vasa sacra multis salutaria. 377. Ex Maria pœnitentiam accepit. 200.

Pietas in parentes. 4.

Pluribus quod proficit, præstantius est. 261. Ex Deo est. 163.

Pœnæ non indecoræ homini nisi ob culpam. 36.

Pœna exacerbatur in te, cum tuis etiã molesta est. 400. Suauiatur ex similitudine Christi D. 195. In pœnis suorum Deus dolet. 196. Pœnæ infamis terror viros ingenuos continet. 333. Certissima à peccatis venit. 447.

Pœnitentia Principum magnum est præsidium subditorum. 387.

Politia mundialis, aut cœlestis quæ? 55.

Populi fidelis commodis qui propria postponit, Deo acceptissimus. 16.

Potentiam Dei habes, vbi nomen Dei habes. 127.

Potestas ibi appareat, vbi bonis veteris ministris. 125.

Præcepta Dei non examinanda, sed exequenda. 414. Aspera humiliter præcipienda. 144. Quæ à præstantibus sunt, facilè obseruantur. 12. Diuina hominem illuminant. 267. Præceptis non sunt omnia extorquenda. 95. Vim habent diuina, qua executioni mandantur. 141.

Prælium securè indicitur Deo vindice contra hostium peccata. 105.

Præparatio præcedat esui agni diuini. 354.

Præsentia Dei semper lucrosa. 490. Vitam nobis halat. 316. Reuerentiam extorquet. 150. Præsentia Iesu validissima ad trahendum. 614.

Præsul recens sub prædecessoris legibus aliquandiu viuat. 337.

Præsuli necessaria humanitas in præcipiendo. 144.

Primas alteri cedere, non naturæ, sed gratiæ opus. 54. Primas non amari, à Deo venit. 368.

Principatus in sede natus præstantior ad gubernandum. 231. Ad principatum spectat animositas aduersus iniquitatem. 253. Principatum qui acceptat, obedientiã præstantissimus. 256.

Principes pulchri, non fucati. 232. Æternent nomen facinoribus. 237. Nesciunt sibi ministros aptos eligere. 236. Nõ committant vexilla nisi fideli Duci. 236. Nisi illorum pietas in Deum adsit, non sufficit Ducum fortitudo. 237. Principis mansuetudo salus est populorum. 112. Non aliam, quàm subditorum sortem requirant. 534. Nil à populo prius accipiant, quàm ipsi prius populo dederint. 534. In nullo potentiam æquè ostentat, ac in bonis ministris. 125. Princeps quasi vnus è subditis sic se habeat. 180. Principibus beneficentia gloriosa, & vtilis. 182. In aliquibus priuatorum munera non defugiat Princeps. 191. Princeps clarior virtutibus, quã prouincijs. 202. Principi nõ inglorium, quod se propter vtilitatem serui dimittat. 459. Principi nõ ingloria abiectio sponte sumpta.

pta. 460. Princeps cœlestis se, suaque posponit subditis, non mundialis. 55. Vbi princeps primus est, auspicata est congressio. 66. Princeps non ad propriam potestatem respiciat, sed ad conducentia subditis. 395. Se subditis æquetur. 154. Peccata publica sola reputat. 166. Princeps nullius testimonijs ita credat, vt non ipse per se reos conueniat. 167. Intercessionibus concedat. 168. Principes ad somnia attentiores. 175. Etiam inter pacis fœdera, meminerit munimenta. 187. Principibus nocet, qui eis veritates celat. 188. Debent colere famam posthumam. 189. Vt seuerus in reos, sic beneficus in correctos. 190. Frugalis abundat bonis. 215. Eos ad dignitates promoueant, quos facinorum sotios habuerunt. 238. Principum cubicula faciant duces validos. 239. Eorum virtus animos bellicos os facit in ministris. 239. Hypocritæ Principes exitiales sunt. 243. Molliant rigorem legum. 244. Illi gloriosa est nuditas, vel abiectio ob fugienda vitia. 252. Sui obliuiscantur, vt populis prouideant. 256. Ornantur sacris lectionibus 267. Mali ardentius amant suas cupiditates, quàm Regni conseruationem. 281. Non respiciunt abiectos. 284. Glorioſi, qui faciunt subditos, vel vilissimos in glorias ire. 370. Caueant iuramentorum fractionem. 375. Sciant cauere offensam in fauoribus. 378. Eorum pœnitentia præsidium subditis. 387.

Proficientes vel diris cogendi sunt, vt à carnalibus decedant. 178.

Promissa Dei quasi data habeantur. 289. Eorum abundantia confirmat corda humana. 489.

Prosapia hominis de Religione, & pietate censenda. 595.

Proximorum sola notari mala pessimum est. 96. Proximorum peccata ne attendas, quin simul & virtutes. 250. Eorum salutē qui curat, Deo viuit. 314. 34.

Prudentiæ propriæ ne fidat homo. 431. Prudens vir pro solo Dei nomine stet. 128.

Pueritiæ mores seruantur in finem. 216. Pueritia magisterium salutis. 2.

Pueri senes docent. 2.

Pugnantium victoriæ non ânimia multitudine. 384.

Pulchritudo non fucata in Principibus. 233. Præponitur vitæ à fœminis. 287. Interna externam auget. 37. Facit verba efficaciſsima. 42.

Pulueris beneficio exurgunt homines in sydera. 88.

R.

Regna citò euanescunt, vbi Principi suauitas abest. 112.

Regnorum restauratio debetur Mariæ. 229. Confirmantur Regna à religione. 306. Et auspicium sumunt ab illa. 249. Et Principum largitate fulciuntur. 214. Regnis ijdem fines, qui præconio Verbi Dei. 510. Illorum firmitudo à D. Petro. 510. In Regnis politicis linguæ cultus floret. 512. Illorum firmitudo à sapientiæ studijs. 513.

Reincidentia in peccata iram Dei trahit. 508.

Religio, & Dei cultus validissimum hominum munimen est. 191. Colenda deo ablatis. 325. Religio & pietas Principis vbi deficit, non sufficit Ducis fortitudo. 237. Auspicata imperaturis. 249. Confirmat Regna. 306. Omnia mala vitat. 319. Religionem facit ornatus sacrorum. 344. Religionis cultus hominem firmat in bono. 350. Religioni qui non dat operam, mala sibi comitantia habet. 353. Religio validior omnibus telis contra hostes. 362. Religio iuramenti obseruanda. 375. Inimica carni, & sanguini. 130. Religio, & pietas facit homini prosapiam. 595.

Reliquiæ sanctorum. 600.

Restauratio Regnorum Mariæ debetur. 229.

Restitutio bonorum præsentissimi Dei argumentum. 82.

Resurrectionis expectatio nos facit lætos in mortem ire. 196.

Reipublicæ status ex statu iustorum in illa. 69.

Respectus temporalis infirmus ad virtutem. 612.

Reuerentia exhibenda diuinis. 361. Illam extorquet Dei præsentia. 151.

Reus præcipuè Deum respiciat. 396.

Reprobi maximè affliguntur in eo, quòd videant sua perdi. 415. Et quòd non videant pœnarum effugium. 416. Etiam asserunt vtilitates Dei populo. 434. Vile putant non ad maiora crimina audere, cum possunt. 440. Eorum conscientia sibi supplicium est. 473.

Regum notio ex bellis. 441. In auro asseruando vix sine culpa possunt esse. 50. Illis fatalia sunt lauta conuiuia. 75. Regum offensa acerbissima est viris ingenuis. 465. A Regibus sibi non timere de magna Dei virtute venit. 466.

Regis potentia, & virtus in bonis ministris

niſtris oſtenditur. 130. Ei manſuetudo neceſſaria. 112.

Rigor legalis molliri debet à Principe. 244. Rigor, & ſeueritas à ſeruili animo venit. 274.

Robur verum ab Euchariſtia. 355.

S.

Sacerdotes præſtantes regijs fauoribus læduntur. 81.

Sacrificium Deo gratiſsimum æquanimitas in aduerſis. 109.

Salutis via à meditatione legis diuinæ. 266. Salutis in munere feſtinandum. 31. Salutis via à Chriſti Domini paſsione. 301. Saluti quæ ſunt alijs, periculosè alijs damno ſunt. 308. Salutem proximorum qui curat, Deo viuit. 214. Salus à multis quæſitâ Deum demonſtrat. 339.

Sanguis pro Deo effuſus Chriſtum ornat. 104. Sancti viri ſpiritualia rependunt pro carnalibus 545. Illorum patrocinia. 560. Sancti viri etiam poſt abſceſſum vtiles. 616. Sanguis Chriſti extinguit diuinas iras. 541.

Sapientiæ ſtudia firmant Regna. 513. Eius profeſſores præmijs alendi. 514.

Sapientiſsimi licet, exhortatione proficiunt. 269.

Satietas vera à ſola Euchariſtia. 321.

Scelera in ſe etiam benigniſsimos irritant. 468.

Securitas in Dei manibus. 86.

Seleuciæ Regis mors. 307.

Semina diuina corde excepta ipſa pluuiam afferunt. 517.

Senes valde inutiles ſunt ad gubernandum. 518. A pueris docentur. 2. Caueant illecebras. 105. Senes valentiores adres ſpirituales. 577.

Senectus pura à labe ſpectanda. 105. Portus eſt nauigantium. 105. Delicioſa ridenda. 159.

Seruile ingenium neſcit ſe in proſperis continere. 110. Seruilis animus ſeueritatem parit. 274.

Seruitus præferenda perituræ libertati. 114. Opportunum frænum magnis mentibus. 115. Seruitus ſub tributis tolerabilior bellorum periculis. 65.

Seruorum Dei vis, & poteſtas. 108.

Seruorum vtilitas non inglorie facit ſubmitti Dominos. 459.

Seueritas oſtendenda fœminis à viris probis. 300.

Silentium in ſacris. 366.

Similitudo magis trahit, quàm ſanguinis cognatio. 498. Conſortium ſimilitudo affectum acuit ad virtutem. 498.

Simulatio cũ pietate coniuncta proſperatur. 427.

Singularitas periculoſa. 304.

Societas Ieſu. 29. Societas inſtorum vtilis. 52. Impiorum dolori eſt iuſto. 58. Societas vnius peccatoris ingentes turbationes parturit. 402. Societas iuſti vtilis peccatori. 92. 169. Societas cum fratribus à Deo. 117.

Socij geſtorum promouendi ad dignitates à Principe. 238.

Somnia gratiora mundialibus Principibus. 175.

Sponſa quò notior, eò gratior eligenda. 10.

Spes vitæ æternæ mortis horrores mitigat. 101.

Stabilitas gaudij à Ieſu. 141.

Sultitia leuibus inhiat. 514.

Suauitas imperantis extorquet difficillima obſequia. 394.

Subditi ſuauiter tracti in obſequia difficilia currunt. 394.

Sufficientia ex Deo habens, & alia nõ quærens magnæ virtutis eſt. 492.

Superſluà abijcienda. 31.

Suppliciorum monimenta ſapidiſsima. 64. Supplicium nefariorum ſalutare populis. 467. Non leuatur ſociorum multitudine. 469. Ingens manet eum, qui impedit accedentes ad Ieſum. 469.

Suſpicionem de alijs habes in ijs, quæ in te experiris. 432.

T.

D. Thomas. 32.

Temeritas pudenda à fortitudine carnali. 71.

Temporalitati non ſeruiendum. 452.

Temporalis repectus non firmat in virtute. 612.

Templorum cultus virum oſtendit diuinum. 248. Nunquam non auſpicatiſsimum regnaturis. 249. Templorum locus fauſtus homini. 193.

Tentationibus medijs in patriâ imus ſecuri ſub Chriſto. 327.

Tepiditas exoſa Ieſu. 359.

Terlimon prophanata Euchariſtia. 307.

Terreni homines alieni à Ieſu. 283. Non vacant certamine. 410.

Teſtimonijs nullius ita fidat princeps, niſi,

his & ipse reos conueniat. 167.

Terrena bona indecore quæruntur à Dei ministris. 493. Terrena omnia fluxa. 496. Terrena expuenda, vt percipiantur diuina. 499. Illa, & Deus ægre coniunguntur. 557.

Timor saluti vtilis fœlicitatis est. 289. Timor bonus opera extorquet. 348. Timor Dei, & timor temporalium mutuo se expellunt. 348. Timor Dei efficacissimus contra lasciuiã. 181. Timor pœnæ infamis viros ingenuos continet. 333. Timor inter prospera proprius virtuosi. 83. Timor Dei conducit in vitam. 605.

Tolerantia laborum virtutis altrix. 138. Facit Deum apparere. 109.

Transfuga ad vitia miserrimus. 113.

Triumphi à Iesu. 485.

V.

Veracitas adiuncta mansuetudini. 93.

Verba non sola, sed cum operibus. 407. A pulchro ore profecta efficacissima. 42.

Verbum Dei hominis fortitudo. 506.

Veritatem qui abscõdit principibus, eos perdit. 189. Veritas nulla solida in mundialibus. 56. 503. Qui non acquiescunt illi, vt dimittendi. 11. Veritas antepo nenda vel mundi saluti. 282. Veritas ignotior apud pacificos magistratus. 292. Veritas non est, vbi auaritia. 381. Veritatem periculosam manifestare non hominis est. 173. Veritatem præponi regijs fauoribus Dei potentia est. 603. Veritati qui non stu det, contrarium habet Iesum. 609. Veritas solida in solo Iesu. 547.

Vestis ornatior dolos celat. 282. Vilis homines eripit hostibus. 285. Vestium qualitas correspondeat substantiæ rei fami liaris. 399. Illius contemptus validissimus ad salutem. 425.

Via illorum, qui à Deo trahuntur, prosperatur. 428.

Victoria & triumphus in eo, quòd præstantes viri opera humilitatis non fugiant. 311. Victoriæ à Dei virtute, & hominis cooperatione. 451. Victoria omnis à Iesu cum Maria. 457. Victoriæ in omnibus studere vt lethale est. 474.

Vilia, & præstantia æquanimiter tractanda sunt à viro forti. 435.

Violentia cauenda, vt tuteris castitatem. 41.

Virginitati addictus principatus. 618.

Virginibus vel cœlestia sydera subijciuntur. 449.

Viri fortis est in magnis, & in vilibus se strenue gerere. 435. Viri præstantes etiam post abscessum vtiles. 616.

Virtutis dignitas in eo apparet quòd illam semel cultam despicere summa ignominia sit. 113. Virtuti contraria valde fœminea leuitas. 117. Vxoris spirituale lucrum maritus iustus. 120. Vita est Christiani aqua. 122. Virtutis & potestatis signum bonis vti ministris. 125. Virtutis quidquid in Deo est, ille largiter probet, quem suo honorat nomine. 127. Virtutes non omnes simul, sed per partes æmulare. 132. Virtutis vel vmbra ipsa sectanda perfectis. 133. Vmbras ipsas virtutis sequuntur perfecti. 133. Virtutis infantilis altrix est tolerantia laborum. 138. Virtutis conatus duplicandus, vbi maius discrimen. 500. Virtus breui longa impleat ætatis. 3. Virtutis præstantia clarior in alienis, quam in proprijs. Virtutis in re prius sibi quis consulat. 21. Virtus maiorum efficax pro iuuenibus instituendis. 25. Virtutis in via progrediendum. 35. Virtutem qui sequitur, multos patitur hostes. 423.

Virtus maximè probanda est illius, cuius te credis voluntati. 275. Virtutes qui persuadeat peccatoribus, magnæ virtutis est. 346. Virtutes abscondendæ. 406. 152. Princip ẽ extollunt plus, quã prouinciæ. 202. Virtus vera petit, ne solus esse in diuinis ames. 250. Virtutis in re par habere ne fugias. 252. Eius magnitudo à passione & Cruce Christi. 315. Virtutibus quòd cooperemur, ex Dei gratia venit. 372. Virtus maior in cõtinendis hominibus à lapsu, quã in retinẽdis fluminibus. 325. Virtutis Christianæ excellentia in eo appãret, quòd, illius vmbras colant perfecti. 133. Virtutum cunabulis hostis obsistit. 475. Virtus fœcundior in semine, quam natura. 61. Virtus iuncta nobilitati magnum. 86. Virtutum lumina vel vilissimos extollunt. 88. Virtutis primus inuentor, nunquam est sine aliqua prærogatiua. 217. Virtus cum consideratione arripienda. 179. Virtutis labores absumuntur Dei fauore. 604.

Vita etiam longissima euanet in conspectu finis. 9. Vitæ nouitas ad Eucharistiam. 354.

Vitio magno exsufflato cætera facile ruunt. 486.

Vnanimis infide omnia læta. 579.

Vngariæ regis triumphus. 305.

Vnitas perfecta è duobus, aut pluribus. 208. Vnitatẽ in suis amat Iesus. 497. 529.
Voluptati carnali nec cum vitæ discrimine assentiendum. 41.
Voluntati alterius non te credas sine probatione. 275.
Voluntaria abiectio non derogat gloriæ se humiliantis. 329.
Voce perfecti, imperfecti flagello. 309
Vtilitas respicienda in doctrinis. 165.
Vxor bona commodissima viro. 209.
Virum amat pertinaciter. 15.

AD CONCIONATORVM VSVM.

Dom. 1. Aduentus.

Luc. 21. *Erunt signa in Sole, & Lunâ, & stellis, &c.* Quę lucidissimè oculos oblectabant syderà, in fine & occasu mundi lethalia apparebunt hominibus. Sic bona cuncta temporalia in fine vitæ nil ostendent præter spicula mortifera. pag. 246. & 247.

Item: *Erunt signa in Sole, &c.* Non infame, nec abiectum est Soli, quòd tenebris offundatur in peccatorum vindictã. Abiectio enim, & nuditas ob perdenda vitia nõ opprobrio, sed gloriæ est vel Principibus. pag. 252.

Arescentibus hominibus pra timore, &c. Non putes malum, quòd homines tanto afficiantur timore; inde enim fœlices sunt, quòd timeant, quando timor potest saluti seruire. pag. 289. Timent, & nihil faciunt salutare: quod iustitiæ diuinæ opus est. pag. 351.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube, &c. Inter syderum casus, maris fremitus, terræ motus apparet Iesus; solus enim est, qui omnia vincit impedimenta, vt faueat suis. pag. 262.

Venientem in nube, &c. Iesus inter sublimia petentes, non inter ad terram deiectos. pag. 283.

Venientem in nube. Forte in nube veniet. Quia hominũ corda sibi inuenit clausa; alioquin gratius in viuidis cordibus ambularet. pag. 315.

His fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra. Inter tot mala iubentur iusti caput leuare, cum Iesus in throno nubis appareat: & meritò; nullus est enim malorum concursus, qui non superetur, vbi Deus in honore sit. pag. 319.

Dom. 2. Aduentus.

Matth. 11. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, &c.* Vinculis obstrictus Ioannes, totus in Christũ fertur: & meritò; Charior Deo enim est qui eum in passione, quã qui in gloria sequitur. pag. 358. Itẽ: In vinculis audit opera Christi, quo vincula suauiat; duce enim Iesu aspera quæque suauiantur, &c. pag. 260.

Mittens duos ex discipulis suis, &c. Non iussus, sed sponte præmittit discipulos ad Iesum; qui enim virtute Dei agitur, mandata solet præuenire operibus. pag. 242. Item: mittit discipulos ad Iesum, vt illi adhæreant iuxta D. Chrysostomum, non enim refugit illos in re virtutis habere pares. pag. 252. Nec solus amat esse in diuinis. pag. 250.

Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes euangelizantur, &c. Multitudo currentium ad salutem Deum testatur. pag. 339.

Pauperes euangelizantur. Inter cæcorum oculos illuminatos, & mortuos exuscitatos ponit, quòd pauperes ad Euangelium pertinent; nec miror, maior enim virtus ostenditur in continendis hominibus in virtute, quàm in immutandis creaturis. pag. 325.

Hominem mollibus vestitum, &c. Non pretiosus, sed vilis vestitus in Ioanne, quo securus ab hostibus. pag. 285. In cultiori vestitu doli, &c. pag. 286.

Dom. 3. Aduentus.

Ioann. 1. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes, & leuitas ad Ioannem, &c.* Dum Ioannes fugit at homines, & in deserto agit; mittunt ad eum Ierosolymitani. Sic mundus tunc suis contemptoribus fauet, quando magis ab illis fugitur, contemnitur. pag. 336.

Confessus est, & non negauit: Quia non sum ego Christus. Non supra se exilit Ioannes, sed intra suam se continet fortunam, quod præstantissimorum est. lib. 6. cap. 6. §. 3.

Non sum. Magna est præcellentia Ioannis, quando se esse negat; tunc enim præcellentior quis est, cum minus de homine se ostendit habere. lib. 6. cap. 8. §. 18.

Non sum. Index Christi presentis Ioannes se hominem negat: & meritò; exuendus enim tibi est homo, vt Christum excipias. lib. 7. cap. 8. §. 19.

Qui post me venturus est, &c. Non refugit Ioannes Iesum posteriorem se ætate vocare: vt ostendat, quàm parui momenti sit apud Deum prærogatiua ætatis. pag. 270.

Dom. 4. Aduentus.

Luc. 3. *Anno quinto decimo imperij Tiberij Cæsaris, &c.* Ijdem Regnis, qui Verbi Dei præconio fines sunt. lib. 7. ca. 15. §. 1.

Factum est Verbum Domini super Ioannem, &c. Verbum Dei tota hominis fortitudo, & valentia est. lib. 7. cap. 14. §. 6.

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Ab aquis baptismi cœlum patet. pag. 343. Item de baptismo. pag. 326.

Vox clamantis in deserto. Agni diuini vel balatu fortitudo peccati cadit. pag. 365

Parate viam Domini. Præparatio præcedat Deo excipiendo. pag. 354.

Dom. in Septuages.

Matth. 20. *Exijt primo mane.* Non nocturnis tenebris, sed clara iam die exijt Dominus operarios conducere; vt eius beneficia pateant. Ingratis enim sic benefaciendo beneficia, ne possint occultari. pag. 331.

Conducere operarios. Conductionem vocat, quod erat liberalissimæ beneficentiæ munus. Sic magnæ virtutis est beneficia prorsus extenuare, quã ampliare. pag. 329.

Misit eos in vineam, &c. Cant. 1. *Posuerunt me custodem vineis.* Iesus in vineam mittit, sponsa mittebatur in vineas. Et cur in sponsa vineæ sunt, in Iesu vinea? Eæ spectabant ad temporalia, illa ad æterna; pro temporalibus autem multis te subdis, non pro æternis. lib. 6. cap. 12. §. 8.

Ite & vos in vineam meam, &c. Serò satis vocantur hi in vineam; & tamen non refugiunt labores, qui tot sustinent à primo mane. Nulla enim acerbitas temporalis non lenitur ex sustinentium multitudine. lib. 6. cap. 13. §. 13.

Incipiens à nouissimis vsque ad primos. Qui primi venerunt ad vineam, etiam in fine operis vocantur primi. Quid fœlicius? Sanè fœlix est, qui in morte retinet, quidquid virtutis habuit in principio vitæ. lib. 7. cap. vlt. §. 22.

Acceperunt singulos denarios. Conformes in labore virtutum, conformes erunt in præmio. lib. 7. cap. 22. §. 4.

Dom. in Sexages.

Luc. 8. *Exijt qui seminat, seminare semen suum.* Dei gratia, & fauor cur semini comparatur? Vt semen non potest teneri in corde terræ, quin inde in fructus exeat: sic Deus non tenetur in corde hominis, quin se externis virtutibus prodat. lib. 7. cap. 21. §. 7.

Aliud cecidit secus viam. Vt via multis patet, & inde nihil seruare potest illæsum; sic qui multitudini se addixit, inde solam perditionem metit. pag. 302. pag. 2.

Aliud cecidit supra petram, & natum aruit, &c. Quod supra petram cecidit, aruit ex defectu humoris; non enim vllius temporalitatis respectu, sed solius Dei in bono perseuerabis. lib. 7. cap. 21. §. 4.

Aliud cecidit inter spinas, &c. Etiam perit; quod inter spinas cecidit; quia bonis temporalibus addictus animus facilè Deũ abnegabit. lib. 7. cap. 16. §. 2. Et ideò quòminus de terrenis bonis in corde habueris, eò firmior eris in virtute. lib. 7. cap. 18. §. 15.

Aliud cecidit supra terram bonam, &c. Diuina semina dum corde excipiantur, ipsa sibi pro pluuia sufficiunt ad fructus edendos. lib. 7. cap. 15. §. 10.

Dom. in Quinquag.

Luc. 18. *Tradetur enim gentibus, & illudetur, &c.* Curtantus est Iesus in proponenda modò morte sua discipulis suis. Instabat hora, qua illi se fugæ daturi erant, & scandalum passuri; ideò meritò ob oculos eis mortem suam proponit, quæ validissima est, vt homines à peccatis deterreret. pag. 365. col. 1. Et magnitudo virtutis non nisi à passione. pag. 313. col. 1.

Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans, &c. Magna securitas in paupertate. pag. 333. col. 2.

Quòd Iesus Nazarænus transiret. Nomen Iesu efficacissimum, vt rapiat animos. pag. 294. col. 2.

Et clamauit dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei, &c. Audit Iesum Nazarænum, & vocat Iesum filiũ Dauidis. Vbi enim Deus in honore est, nullus est malorum incursus pag. 319. Diuinis reuerentia, & honor habeatur. pag. 361. lib. 6. cap. 8. §. 5.

Ipse vero multo magis clamabat, &c. Etsi increpabatur, vt desisteret; ipse tamen multò magis clamabat. Nunquam enim sunt dimittenda, quæ semel tę Deo iungebant. lib. 7. cap. 21. §. 16.

Et

Et cum appropinquasset, &c. Præsentia Iesu efficacissima ad trahendos homines in salutem. lib. 7. cap. vlt. §. 24.

Respice. Mensa Domini illuminat. lib. 6. cap. 8. §. 2.

Fer. 4. Ciner.

Matth. 6. *Nolite fieri sicut hypocritæ, &c.* A magna virtute venit, quòd virtutes celentur. lib. 6. cap. 8. §. 8.

Exterminant enim facies. Peccatori nũquam pœna deest. lib. 6. cap. 4. §. 1.

Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum, &c. Tam in ieiunio, quàm in vnctione capitis mortificationem proponit. Quę enim in mortificatione merita fundantur, firmiora sunt. lib. 6. cap. 7. §. 14.

Tu autem, cum ieiunas, &c. Semper religio vera aduersatur carnis cupiditatibus. lib. 6. cap. 7. §. 7. Item de ieiunio habes. lib. 7. cap. 19 §. 7. & alibi.

Sed Patri tuo, qui est in abscondito. Vnus Deus spectandus in mortificatione, vt facilitetur. lib. 6. cap. 7. §. 6.

Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis in terra. Vbi cœlestem Patrem meminit, cauet ne in terra thesauricemus. Ille enim Deum Patrem inuenit, qui affectum à mundialibus separat. lib. 7. cap. 20. §. 2.

Nolite Thesaurizare vobis thesauros in terra. Solus Iesus est, qui nos in terrenorum abnegatione potest facere quiescere. lib. 7. cap. 20. §. 3.

Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Deus & terrena bona ægre conueniunt. lib. 7. cap. 2. §. 5. In nullis deuitijs tantum lucrum, quantum in Deo. lib. 6. cap. 12. §. 4.

Memento homo, quia pulvis es. De pulueris beneficio homines exurgunt vsque ab sydera. lib. 6. cap. 5. §. 7. Mortis meditatio vtilissima homini. lib. 7. cap. vlt. §. 25. Maximè nos munit aduersus carnalia. lib. 6. cap. 12. §. 1.

Fer. 5. Ciner.

Matth. 8. *Accessit autem Centurio, rogans eum, & dicens, &c.* Benè Centurio ad Iesum accessit petiturus filij salutem: nihil temporale ex Deo non poteris habere, si illi seruias. lib. 7. cap. 22. §. 5. Vox precantis iusti validissima. pag. 371.

Puer meus iacet, &c. Deispiritus est cognatis prospicere. pag. 290.

Ego veniam, & curabo eum. Vnde Centurio tàm citò obtinet ex Deo, quòd petebat? Fraterna charitas, qua pueri procurabat salutẽ, ea fuit in causa. Aptissima enim hæc virtus est excipiendis diuinis. lib. 7. cap. vlt. §. 5.

Domine non sum dignus, &c. Humiliatio voluntaria nulli derogat dignitati. pag. 328. Centurio est, qui se indignum prædicat. Quò enim quis nobilior, eò promptior ad humilitatem christianam. pag. 312. Per humilitatem victoriæ. pag. 311.

Dic verbo, & sanabitur puer meus, &c. Maxima est commendatio eius, cuius imperia ostenduntur executioni mandari. lib. 7. cap. 21. §. 2.

Non inueni tantam fidem, &c. Magnum præmium hoc Centurionis est, quòd tanti Domini præconia meruerit. lib. 7. cap. 21. §. 1.

Fer. 6. Ciner.

Matth. 5. *Odio habebis inimicum tuum?* Hoc dicebat lex antiqua; sed puta, nullum alium tibi inimicum esse, nisi qui te ad peccatum ducit. lib. 7. cap. vlt. §. 11.

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Virtus christiana ad proditores, & hostes se extendit cum lucro. pag. 298. 551.

Orate pro persequentibus, & calumniantibus, &c. De Magna Dei fortitudine venit, quòd quis mansuetè iniurias audiat. lib. 7. cap. 21. §. 21.

Stote ergo vos perfecti, &c. Iubet Iesus nos esse perfectos, à Iesu enim solo perfectio potest venire. lib. 6. cap. 7. §. 1.

Cum ergo facis Eleemosynam, &c. Eleemosyna præstanda, nisi velis perire. lib. 7. cap. 19. §. 9. Facit tua, quæ das. Ibi, §. 7. Auget bona, lib. 6. cap. 3. §. 12. & alibi.

Sabbat. post Cineres.

Mar. 6. *Vidit discipulos suos laborantes, &c.* Christi discipuli in laboribus visuntur; in eorum enim tolerantia adolescit infantia christiana. lib. 6. cap. 7. §. 15.

Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos. Qui potuit aliquando absens esse, manifestè ostenditur non esse purus Deus, sed & hominis naturam habere. Cuius proprium est, quòd necessariò absit; vt Dei est, quòd semper sit præsens. lib. 6. cap. 8. §. 15. Vbi tolerantur ærumnæ, ibi Deus. lib. 6. cap. 6. §. 2.

Confidite: Ego sum, nolite timere. Habentes Iesum nullo alio indigent aduersus mala omnia. lib. 7. cap. 1. §. 3. & pag. 331.

Ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus. Vbi Iesus est, ventorum leuitas cessat, quia in illo vera est firmitudo. lib. 7. cap. vlt. §. 19.

Non intellexerunt de panibus. Erat enim cor eorum obcæcatum. Quia de panibus Iesu mysterium non intellexerant, in cæcitate, & tenebris erant. Mensa enim Domini illuminat. lib. 6. cap. 8. §. 2.

Dom. 1. Quadrag.

Matth. 4. *Ductus est Iesus in desertum, vt tentaretur à diabolo.* A regeneratione baptismi prosiliens, statim in arenam descendit præliaturus cum diabolo. Ostendit enim, sub Iesu nullam ætatem ineptam esse prælijs, nisi quæ à vitiorum venit infirmitate. pag. 271.

In desertum. Cur in desertum? Ibi Deus pauerat, & protegerat Israel. Locus autem beneficij stimulus est ad gratiam referendam, & similem sperandam. pag. 295.

Postea esuryit: Fames à sanctis viris potest vinci. pag. 245.

Accedens tentator, &c. Accedit, non irruit, non inuadit. Et cur non irruit, sed blandè accedit? Nouerat Iesum sese malis intrepidè obijcientem, & ideò non audet irruere in illum. Intrepidum enim pro Deo discrimina fugiunt. pag. 317.

Non in solo pane viuit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei. Non enim panis creatus, nec creatura aliqua, sed vnus Deus potens est homines satiare. pagin. 321.

Assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem. Sic Iesus diaboli impulsui quasi obtemperat, vt in sanctam ciuitatem feratur. Magna enim gloria est hominis, qui sciat infimis obtemperare in bonum. lib. 7. cap. 21. §. 3.

Illi soli seruies. Vni Deo seruiendum, non diabolo. Magnum enim opprobrium est ingenuitatis humanæ, quòd improbo domino seruias. pag. 352.

Fer. 2. à Dom. 1.

Matth. 25. *Filius hominis in maiestate sua.* In solo Iesu vera gloria, & maiestas. lib. 7. cap. 20. §. 3.

In sede maiestatis. Quidquid Iesum tangit, magnam gloriam & maiestatem sumit. lib. 7. cap. 18. §. 14.

Et separabit eos, &c. Ecce Iesus in iudicio separat bonos à malis, & malos ad sinistram abijcit. Verum ante iudicium nullã diuisionem facit: & mali, & boni apud eum refugium habent. lib. 7. cap. 19. §. 2.

Venite benedicti Patris mei. A Iesu benedictiones seruntur. lib. 7. cap. 21. §. 8.

Possidete Regnum, &c. Vnus Deus est, qui optima quæque suis communicat. lib. 7. cap. 15. §. 8.

Esurijt enim, & dedistis mihi manducare. De Eleemosyna; vt iudicem mitigat; & nos protegit, multa in indice rerum. Et pag. 264. & lib. 6. cap. 8. §. 20.

Ite maledicti. Non dicit *maledicti Patris mei*, sed solum *maledicti*: vt innuat, impios non à solo Deo, sed ab omnibus maledici creaturis. Cœlestia enim omnia in illos insurgunt. lib. 7. cap. 22. §. 13.

Fer. 3. à Dom. 1.

Matth. 21. *Hic est Iesus.* Nomen Iesu efficacissimum ad humanos animos capiendos. pag. 294. col. 2.

Intrauit in templum Dei, & eijciebat, &c. Templi religio illi cordi erat à primis vnguiculis, quo se diuinissimum ostendebat. pag. 248. & 249. Et de religione obseruanda. pag. 353. & 350. & 306.

Mensas nummulariorum subuertit, &c. In nummularios auaros irascitur Deus. Auri enim amor præcipuus Dei hostis. pag. 396.

Fecistis illam speluncam latronum. Non Dei, sed latronum locus est, in quo auaritia regnat. Quia Deus non inuenitur, vbi auaritia est. pag. 390.

Et ecce accesserunt ad eum cæci, &c. Dum Iesus auaros è templo eijcit, accedunt ad eum cæci, qui sanitatem suam petant; non qui pro eiectis illis intercedant. Vix enim est, qui iuuet ad salutem auro præpeditos. pag. 393.

Fer. 4. à Dom. 1.

Matth. 12. *Magister volumus à te signũ videre.* Meritò repelluntur, qui tam leui oratione nitebantur miracula diuina extorquere. Magna enim, non leui, & facili oratione extorquentur. lib. 7. cap. 14. §. 8. Sine vitæ puritatem irabilia Dei non percipiuntur. pag. 310. col. 2.

Generatio prana & adultera, &c. Cum filij Abrahæ essent, cur vocantur generatio

tio praua, & adultera? Ridenda, & contemnenda nobilitas, quæ primi parentis Dei virtutes non refert. pag. 391. Item: Nobilitas vera non ab atauis, sed à pulchris operibus. pag. 383.

Nisi signum Ionæ, &c. Signũ Ionæ erat signum Iesu mortui, & sepulti in corde terræ. Nihil enim confirmat æque humana corda in spem, vt signum Iesu pasi. pag. 386.

Pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, &c. Pœnitentia Principum magnum est præsidium subditorum. pag. 387.

Regina Austri surget in iudicio, &c. Regina dicitur in iudicio condemnatura Iudæos; nemo enim efficacior ad perdendos viros, quàm fœmina. pag. 279.

Surget in iudicio. Benè fœmina quasi in iudicio ostenditur; nequid blandum, sed seuerum illi loquantur homines. pag. 300.

Fer. 5. à Dom. 1.

Matth. 15. *Miserere mei, Domine fili Dauid.* Quàm multi erant in populo ex Dauide genus ducentes; vnus Iesus hoc sibi peculiare accepit, vt ipse communiter Dauid filius diceretur. Petebant id quidem virtutes eius notissimæ; de illarum enim calculo certiùs prosapia censetur. lib. 7. cap. vlt. §. 4.

Miserere mei, Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Non ait, miserere filiæ, sed miserere mei, quasi ipsa torqueatur. Et meritò; quando parentes acriùs in filijs solent torqueri. pag. 380.

Malè à dæmonio vexatur. Parenti optimo filiorum spirituales ruinæ summi doloris sunt. lib. 6. cap. 5. §. 19.

Miserere mei, &c. Prius misericordiam de suis peccatis postulat, deinde sanitatem filiæ; primum enim petat quis a peccatis liberari, qui cupit bona ex Deo obtinere. pag. 265.

Etiam Domine, nam & catelli, &c. Efficacissima hæc oratio fuit, ex similitudine in sustinendis opprobijs cum Iesu. lib. 7. cap. 20. §. 1.

Fer. 6. à Dom. 1.

Ioan. 5. *Iacebat multitudo magna languentium: expectantium aquæ motum.* Longa expectatio salutis miseros vexabat: ad inualidos enim, & infirmos dona lentissimè veniunt; quæ ad potentes currunt. lib. 7. cap. 16. §. 8.

Angelus Domini secundum tempus descendebat in piscinam, & mouebatur aqua. Ecce quot requirebantur, nimirum descensus Angeli, motus aquæ, prioris descensus. Nó sic in eo, qui Iesu peculiari nititur fauore; is enim, vel nullis præmissis medijs, solet capere optata. lib. 7. cap. 16. §. 7.

Angelus Domini, &c. Ab Angelo expectabant languidi isti salutem; præstantes autem viri, vel ex carnalissimis, abiectissimisque sciunt accipere, quò æternũ viuant. lib. 7. cap. 20. §. 5.

Cum vidisset Iesus iacentem. De Iesu spiritu est, quòd vilium saluti consulas. pag. 375.

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Priùs de sola salute spem dederat; in re nõ solum salutem, sed tantum robur dat, quo grabatum tollat. Sic dona Dei in re maiora inueniuntur, quàm in promissione. lib. 7. cap. 18. §. 4.

Quis est ille homo, qui dixit tibi: tolle grabatum tuum? De onere asportãdi mandata quærunt, tacent de salute data. Miseri errones cæcutientes ad bona, sola spectant mala. pag. 251.

Noli peccare, ne deterius tibi, &c. Reincidentia in peccata cauenda. lib. 7. cap. 14. §. 9.

Sabbat. a Dom. 1.

Vide Dominicam secundam.

Dom. 2. Quadrag.

Matth. 17. *Duxit illos in montem excelsum.* Docentur montium cacumina superare, vt facilius eant in planis. Qui enim in difficilioribus exercitantur, promptiores fiunt ad facilia. pag. 371.

Facies eius sicut Sol: inde in Psal. *Fulgebunt iusti sicut Sol.* Nescit enim Iesus sibi de nostris sumere, nisi vt eadem nobis det. pag. 335.

Resplenduit facies eius sicut Sol, &c. Qui præsepis extremam paupertatem assumpserat, & vltimam ignominiam crucis, cur modò sub splendoribus appâret? Vt doceat bonorũ temporalium splendores non à diabolo, sed â Deo venire. lib. 7. cap. 22. §. 6.

Resplenduit facies eius sicut Sol. Non de Solis radijs splẽdebat, sed ipsa facies de suo splendorem mittebat. A malo enim, non â Deo est, alienis niti. lib. 7. cap. vlt. §. 3.

Facies eius sicut Sol. Solis hominibus gratissimi syderis splendorem exhibet, vt discipulos alliciat. Qui enim amat homines Deo capere, illam formam induat, quæ illis grata est. pag. 349.

Cum eo loquentes, &c. Luc. 9. *Dicebant excessum eius, &c.* Inter fœlicitatis ostensionem, de passionis excessu verba miscent. Et meritò; quia vbi passionis Christi Dom. vel vmbra, ibi omnia fœlicia. pag. 297. col. 1.

Bonum est nos hic esse. Vbi Iesus, omnia ibi suppetunt, defectus ibi nullus. pag. 323.

Faciamus hic tria tabernacula. Non solum se, sed omnes præsentes ad tabernaculorum opus offert. Et quãdo Elias, & Moyses in maiestate ibi erant, vt ait Luc. 9. illis non indecorum, sed glorioſum putat, quòd tali operi incumbant. Fœlix inde, quòd Dei obsequium non oneroſum, sed honoratum putat. pag. 320.

Faciamus, &c. Ad tantam gloriam admissus non detrectat vili operi inseruire. Nec infructuosè; magna enim gloria fundatur in eo, quòd præstantes viri opera humilitatis non refugiant. pag. 311.

Tibi vnum, Moysi vnum, &c. Diuini spiritus est, non humani, alteri cedere primas. pag. 368.

Nesciens quid diceret. Id habet Luc. 9. Et cur nescius vocatur Petrus? Se contentum ostendebat in illa momentanea gloria. Et stultitia est, quòd paruis ijs contentus sis. lib. 7. cap. 15. §. 7. Item contentus erat gloria in paucis terminata; quando præstãtior est, quæ ad plures. pag. 261.

Fer. 2. à Dom. 2.

Ioan. 8. *Ego vado :: & in peccato vestro moriemini.* Absente Iesu mala reuirescunt, in quæ decidas. pag. 340. Quòd Deus peccatorem fugiat, ad summam Dei pertinet iram. lib. 6. cap. 8. §. 31.

Quò ego vado, vos non potestis venire. Iesu appropinquare nemo potest, nisi per solas animi virtutes. lib. 7. cap. 18. §. 9.

Vos de deorsum estis, ego de supernis, &c. Præstantia hominis non sumenda ex ijs, quæ deorsum sunt, videlicet ex bonis temporalibus; sed ex supernis. lib. 7. cap. vlt. §. 6.

Item videndi qui deorsum valeant, & qui in supernis. Deorsum Iudæi; in supernis Iesus: bona autem terrena maximè infamantur ex personis, à quibus tenentur, & à quibus reijciuntur. Vbi supra. §. 7.

Ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccato, &c. Ex eo quòd se ostenderit non esse de hoc mundo, infert quòd dixerit eis morituros esse in peccato. Hominem enim exuat, necessum est, qui veritatem periculosam manifestat. lib. 6. cap. 9. §. 1.

Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, &c. A cruce Dominus magis innotescit hominibus. lib. 6. cap. 11. §. 8.

Fer. 3. à Dom. 2.

Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt scribæ, &c.* In eâdem cathedra, in qua pessimi erãt Scribæ, sunt sanctissimus Moyses; in quouis enim dignitatum, seu bonorum temporalium culmine, possunt inueniri perfectissimæ virtutes. lib. 6. cap. 9. §. 5.

Sederunt Scribæ, & Pharisæi. Fœlicius illis fuisset, si non illam cathedram attigissent; à magno enim Dei fauore venit, quòd non attingas ea, ad quæ inidoneus es. pag. 254.

Alligant onera grauia, & importabilia. Sic pessimi isti durissimis operibus populos affligebant, non fouebant. Qui autem homines trahere velit, duritiẽ exuat. pag. 329. Suauitas imperantis extorquet durissima obsequia. pag. 394.

Amant primos recubitus. Vnius diuini spiritus est, quòd tibi primas non asseras. pag. 368.

Nolite vocari Rabbi. Tantùm ab arrogantia fugere debemus, vt vel honoris nomina fugiamus. A rerum enim vetitarum vel vmbris cauendum est nobis. lib. 7. cap. 10. §. 14.

Fer. 4. à Dom. 2.

Matth. 20. *Ecce ascendimus Ieroſolymã, & filius hominis tradetur, &c.* Ascendentibus Ieroſolymam passio Christi proponitur; quæ maximè amænat nostram viam in vitam. lib. 7. cap. 19. §. 5. Et hostes arcet. Ibi. §. 6.

Tunc accessit mater filiorum Zebedæi, &c. Filij Zebedæi non audent accedere ad Iesum, nisi matre sua præmissa. Nec nos accedemus securi nisi præmissa matre Maria. pag. 341. De Mariæ patrocinio venit, quòd difficilia quæque vincamus. lib. 6. cap. 12. §. 3.

Adorans, & petens, &c. Cultus, & honor Deo exhibitus, maximè Deum trahit ad homines. lib. 7. cap. 10. §. 5.

Possumus. Vt Iesum amant, sic nullum detrectant calicem passionis. Vilescunt enim amarissima quæque Dei amatoribus. lib. 6. cap. 11. §. 4.

Cali-

Calicem quidem meum bibetis, &c. Similitudo Christi in pœnis, ipsas maximè suauiat. lib. 6. cap. 11. §. 5.

Fer. 5. à Dom. 2.

Luc. 16. *Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ, &c.* Pessima hominum mundialium electio est; qua in hac vita beari volunt. lib. 6. cap. 3. §. 10.

Epulabatur quotidie splendidè, &c. Fatalia sunt principibus lauta conuiuia. lib. 6. cap. 4. §. 13. Aliena à Dei spiritu conuiuiorum cupediæ. lib. 6. cap. 8. §. 9.

Erat quidam mendicus, &c. Omnia deficiebant huic mēdico; sed quia illi Deus minimè deficiebat, fœlix erat. lib. 6. cap. 3. §. 15.

Vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis: Mortuus est autem & dives, &c. Duo erant in eâdem domo, mendicus, & dives: ira Dei diuitem rapuit ad pœnam. Certissima enim sunt Dei iacula in peccatores. lib. 7. cap. 11. §. 9.

Sepultus in inferno. Nō immeritò huius diuitis sepultura in inferno recolitur; munimenta enim peccatorum punitorum vtilissima sunt. lib. 6. cap. 4. §. 2.

Mitte Lazarum. In conspectu diuini gladij, quæ fuerant despecta, amantur. lib. 7. cap. 11. §. 5.

Fer. 6. à Dom. 2.

Matth. 21. *Et locauit eam agricolis.* Dominus vineam suam, à se plantatam, & cultam non tradidit Dominis, sed locauit eam agricolis. Non enim patitur Iesus videre suos sub alterius dominio. lib. 7. cap. 12. §. 6. Optima solus partitur cum suis. lib. 7. cap. 15. §. 8.

Et locauit eam agricolis, &c. Vineam suam dedit agricolis; nihil est à Iesu, quod nostrum non sit, vt viuamus ex illo. lib. 7. cap. vlt. §. 1.

Alium cæciderunt, alium occiderunt. Quando audio istos in Dei seruos insurgere, non dubito, quòd insurgēt etiam in ipsum Deum. Qui enim sanctū lædit, & Deū lædet. lib. 6. cap. 9. §. 6.

Alium occiderunt, &c. Magna gloria seruorum, quòd pro Domino Deo occumbant. lib. 6. cap. 5. §. 22.

Alium occiderunt, &c. Cur ante filium Dei tot serui eius perhibentur occisi? In sanguine suorum pro Deo effuso maximè exaltatur Dei filius. lib. 6. cāp. 5. §. 24.

Occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Vt pessimi erant, non detrectāt sibi accipere bona cum damno alterius. Boni autem viri est nolle commoda sua aliorum dispendio. lib. 6. cap. 12. §. 9.

Malos malè perdet. Rectè iudicant isti, vt Deus malum malis inferat; is enim Deus cuique est, quod ille est Deo. lib. 7. cap. 18. §. 2.

Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti. Summus dolor est, quòd si quis in ea sede videat deiectum, in qua triumpharat. lib. 7. cap. 17. §. 3.

Sabbat. à Dom. 2.

Luc. 15. *Diuisit illis substantiam.* Quæ creata substantia diuisiones non admittat, imò & pariat? In solo Iesu vnitatem, & indiuisionem habes. lib. 7. cap. 18. §. 5.

Diuisit illis substantiam. Ergo ipse Pater sine vlla bonorum substantia mansit, quando illam filijs diuisit? Absit, imò tunc illam suam magis fecit, quando illam dedit; quod enim das, id habes tuum. lib. 7. cap. 18. §. 10.

Dissipauit substantiam viuendo luxuriosè. Vbi lasciuia est, nequeunt esse bona tēporalia. lib. 6. cap. 2. §. 19.

Facta est fames valida. In luxuriosum iuuenem fames immittitur à Deo, ieiuniū enim luxuriam perimit. lib. 7. cap. 19. §. 7.

Capit egere. A peccatis certissimæ veniunt pœnæ in peccatores. lib. 7. cap. 11. §. 10.

Peccaui in cœlum, & coram te. Confessio erroris vtilior, quàm ostentatio innocentiæ. lib. 7. cap. 19. §. 3.

Surgens venit ad Patrem, &c. Reus ad nullum magis respiciat, quàm ad Deum. pag. 396.

Cum longè esset, vidit illum Pater, &c. Deus expeditissimus, vt vel primo accedentis motui occurrat. lib. 6. cap. 6. §. 13.

Dom. 3. Quadrag.

Luc. 11. *Erat Iesus eiciens dæmonium, &c.* In congressu cum hoste communi primus ostenditur Iesus aduersus illum. Auspicata enim congressio est, in qua apparent Principes primi. lib. 6. cap. 4. §. 4.

Item: *Erat Iesus eyciens*: Nimirum integro conatu, & attentione animi Iesus expellendo aderat dæmoni. In eo enim est victrix fortitudo, quòd rem aggrediaris toto animi conatu, lib. 6. cap. 4. §. 11.

Item: *Erat Iesus, &c.* In verbo *Erat* ostenditur indefitiens Iesu cura circa dæmones eijciendos. Vt ostendat, quã nos indesinẽter debeamus incumbere tali muneri, ne vllũ prætermittamus diem, quin excludendis peccatis demus operam. lib. 7. cap. vlt. §. 16.

Et illud erat mutum: Hoc ad miseriam huius hominis spectabat, quòd diabolus eius linguam teneret. Quæ enim efformata erat ad Dei laudes canendas, miserum erat, quòd illam diabolus sibi faceret seruire, lib. 7. cap. 21. §. 13.

Et cum eiecisset dæmonium, &c. In alijs vel verbo, vel opere aliquo vtebatur Iesus; in presenti nullum eius verbum, aut particulare factum exprimitur, sed solum dicitur diabolus eiectus, vt credamus vel absque medijs fieri posse, quæ Dei fauore nituntur. lib. 7. cap. 16. §. 7.

Fer. 2. à Dom. 3.

Luc. 4. *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Quod solum patriam Iesu dederat, merito ab illo virtutum opera petit. Quando Deus nescit aliquid sumere è nobis, quin aliud simile impendat. pag. 335. Vide etiam lib. 6. cap. 7. §. 20.

Nemo propheta acceptus est in patria sua. Virtutum præstantia clarior est in alienis, quàm in proprijs. lib. 6. cap. 1. parte. 2. §. 9.

Ad nullam illarum missus est Elias nisi in Sarepta Sidonia, &c. Iesu in præsenti assimilatur Elias, dum relicta patria ad Sarepta Sidoniæ ibit benefacturus viduæ. Qui enim propria postponit fidelis hominis commodis, maximè appropinquat Christo. lib. 6. cap. 1. parte. 2. §. 14.

Et repleti sunt omnes in Sinagoga ira, &c. Vide, vt irati insurgunt in Iesum. Vbi enim in Dei obsequio perstas, multos aduersarios, & inimicos excitas. lib. 7. cap. 10. §. 1.

Et surrexerunt, & eiecerunt eum, &c. Impij in hoc vno conueniunt, vt iustum perdant. lib. 7. cap. 10. §. 2.

Fer. 3. à Dom. 3.

Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum.* Non ad iudicem, sed ad fraternam correctionem primò iubemur ire; quia si fraterna Charitas vigeat, non necessarius est iudex. pag. 272.

Lucratus es fratrem tuum, &c. Ad lucrum illius reducit, quòd commodus fratri fuerit. Nunquam enim non accrescunt cœlestes benedictiones illi, qui proximis vtilis est. lib. 6. cap. 2. §. 6. Suauitas in fratres vtilis. lib. 7. cap. vltim. §. 5.

Adhibe tecum adhuc vnum, vel duos. Iubentur duo adhiberi rebelli peccatori conuincendo, non solum vt testentur, sed etiam, quia de consortio iustorum peccator seruatur in vitam. lib. 6. cap. 5. §. 17.

Sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Infamis pœnæ terror maximè debet continere ingenuos viros. pag. 333. col. 1.

Si Duo ex vobis consenserint, &c. Concordibus nullus obex ad bona solet esse. lib. 7. cap. 20. §. 10. & cap. 21. §. 23.

Fer. 4. à Dom. 3.

Matth. 15. *Quare discipuli tui transgrediuntur, &c.* A malo venit solas transgressiones proximi videre. lib. 6. cap. 5. §. 15.

Item: *Quare discipuli tui transgrediuntur, &c.* Mirum esset, quòd tanti peccatores Apostolis non obloquerentur. Caderet enim Regnum peccati, si impiorum labia tacerent aduersus sanctos. lib. 7. cap. 11. §. 31.

Quare & vos transgredimini mandatum Dei, &c. Tacentibus discipulis Iesus pro illis respondit. Afflictio enim iustorum protectionem Dei trahit. lib. 6. cap. 6. §. 12.

Transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras. Stultissimum est currere ad hominum traditiones, & mandata Dei relinquere: Quando Dei mandata vim, & robur præstant ad executionem. lib. 6. cap. 7. §. 22. Adeò vt vel in somnis data, sint ad executionem efficacissima. lib. 6. cap. 9. §. 2. Et mentem illuminant. lib. 7. cap. 2. §. 11.

Deus dixit: Honora patrem tuum, &c. Spiritus Dei est cognatis prospicere in salutem. lib. 7. cap. 3. §. 17.

Hypocritæ, bene prophetauit de vobis, &c. Principes hypocritæ Regna perdere valent. lib. 7. cap. 2. §. 21.

Populus hic labijs me honorat. Quam miser qui nec mouet labia in Dei laudes. lib. 7. cap. 8. §. 7.

Cor autem eorum longe est â me. Deus amat hominis cordi esse. lib. 7. cap. 8. §. 7.

Fer. 5. à Dom. 3.

Luc. 4 *Surgens Iesus:: introiuit in domum Simonis.* Ecce postquam dixerat Petrus omnia â se relicta fuisse; adhuc habet & domum, & socrum. Et meritò, quia cognati, qui cum Iesu possunt teneri, non sunt deserendi. lib. 6. cap. 1. par. 2. §. 20.

Socrus Simonis tenebatur magnis febribus, &c. Pœnæ, & ærumnæ non maculant hominem, nisi infligantur pro culpa. lib. 6. cap. 2. §. 9. Et vbi æquanimiter tolerantur, ibi manifestè appâret Deus. lib. 6. cap. 6. §. 2.

Rogauerunt illum pro ea. Bonus intercessionibus pijs debet concedere. lib. 6. cap. 8. §. 27.

Stans super illam, &c. Ex Dei viui præsentia per fidem, & charitatem non potest non venire ad nos vitalis halitus. pag. 316.

Singulis manus imponens curabat omnes. Vbi manus Dei accedit in superabilem virtutem vel ipsi infirmitati tribuit. pag. 318.

Fer. 6. à Dom. 3.

Ioan. 4. *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Et cur sic fatigatus sedet, & non magis deponit fatigationem? Veniebat daturus aquam viuam; aquam, quæ æternaret vitam; quæ sanè non scaturit nisi de Iesu laboribus & passione. lib. 6. cap. 5. §. 8.

Item: *Fatigatus ex itinere sedebat, &c.* Fatigationem præsefert, vt trahat fœminam ad fidem, quia ex labore, & passione Iesu habent homines, quo efficaciter ad fidem alliciant. lib. 6. cap. 5. §. 9.

Venit mulier de Samaria, &c. Is est Iesus, qui non solum viris, sed etiam fœminis prouideat. lib. 7. cap. 17. §. 6.

Da mihi bibere. Id à nobis Deus requirit, quod præstantiori genere concedere amat. lib. 2. cap. 1. parte. 2. §. 15.

Quomodo tu Iudæus cum sis bibere a me poscis? &c. Meritò miratur, quòd religiosus Iudæus velit cum Samaritanis communicare; quando impiorum consortium dolori est viro iusto. lib. 6. cap. 3. §. 11.

Dedisset tibi aquam viuam. Ab aqua vita Christianorum est. lib. 6. cap. 6. §. 17.

Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Vt Iesus æterna est saturitas creaturarum, sic dona, quæ ab ipso in æternum satiant. Munera enim datoris manibus correspondent. lib. 6. cap. 12. §. 7.

Voca virum tuum. Petens fœmina diuina dona audit, vt vocet virum suum, & meritò; diuina enim dona non exhauriuntur ab vno. lib. 6. cap. 7. §. 19.

Sabath. â Dom. 3.

Ioan. 8. *Adducunt Pharisæi mulierem deprehensam in adulterio, &c.* Magnâ hæc fuit calamitas adulteræ, quòd caperetur in peccato, quòd traduceretur. Sed tota hæc calamitas maximè leuatur, ex eo quòd occasio fuit salutis ex Deo acquirendæ. lib. 7. cap. 9. §. 25.

Statuerunt eam in medio. Peccati manifestatio ad salutem accedit peccatoris. lib. 7. cap. 12. §. 27.

Deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Quâ parè dolorè pariunt gaudia mundi! Quæ se pluribus tradidit viris ad luxuriâ; pluribus tradenda erat lapidanda. lib. 7. cap. 12. §. 28.

Iesus autem inclinans se, &c. Quam Moyses lapidandam proponebat; vbi illi Iesus affuit, in spem vitæ ibat. Tota enim miserorum fœlicitas in eo est, quòd Iesu pateat accessus ad illos. lib. 7. cap. 12. §. 30.

Et remansit solus Iesus, & mulier, &c. Vt Iudæi mulierem vexabant non ob adulterij odium, sed vt Iesum accusarent, & affligerent: sic Iesus affuit mulieri. Nunquam enim non adest illis, qui propter se mala patiuntur. lib. 7. cap. 12. §. 7.

Dom. 4. Quadrag.

Ioan. 6. *Cum subleuasset ergo oculos Iesus, &c.* Prius Iesus vidit multitudinem, cui statim prouidit: Sic enim qui prius â Deo aspicitur, in salutem ibit. lib. 6. cap. 6. §. 16.

Multitudo maxima venit ad eum. Quân

bo multitudo veniebat, nec desertum locum, nec penuriam deserti attendens; vnde hoc euenìebat? Ait: *Venit ad eum*: Vbi enim Deus aspicitur, facilè superantur aduersa. lib. 6. cap. 7. §. 6. Prosperatur via illorum, qui ad Iesum vadunt. lib. 7. cap. 11. §. 7.

Dicit ad Philippum: Vnde ememus, &c. Non parum amabatur Philippus à Iesu, quando cum illo agit de pascendis illis. In bonorum enim operum communionem trahendi sunt chariores. lib. 6. cap. 8. §. 7.

Accepit ergo Iesus panes. Munificentissimus Dominus, dum pascere vult homines, panes ipse accipit, non tam dantis, quàm accipientis formam induens. Vt & nos doceamur sic dare, vt videamur magis in eo accipere. lib. 6. cap. 8. §. 3.

Cum gratias egisset, &c. Gratus animus confirmat beneficia. lib. 7. cap. 10. §. 18.

Distribuit discumbentibus. Ex paucis panibus ingètem panis copiam distribuit; est enim Deus omnium feraliſsimus ager in reddendis fructibus. lib. 6. cap. 8. §. 1.

Quæ superauerunt, &c. Sub vno Iesu dona superabundantia sunt. lib. 7. cap. 12. §. 20.

Fer. 2. à Dom. 4.

Ioan. 1. *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Durities gubernatoris non tam ad detinendos, quàm ad fugandos conducit. lib. 6. cap. 6. §. 5.

Effudit æs, & mensas subuertit. Peccatoribus excidium salutare est. lib. 6. cap. 8. §. 30.

Item: *Mensas subuertit.* Temporalium enim bonorum negotiatio cauenda ab ijs, qui ad Christum pertinent. lib. 6. cap. 13. §. 3.

Item: *Mensas subuertit.* Mensæ nummulariorum in templo subuertuntur, quia res diuinæ non sunt ordinandæ ad lucrum temporale. lib. 6. cap. 9. §. 13.

Auferte ista hinc. Mitius agit cum ijs, qui columbas solum vendebant. Quia in malorum diminutione vbi steteris, non lõge abes, vt ad Deum accedas. lib. 7. cap. 8. §. 20.

Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Meritò gloriæ domus diuinæ studet; religio enim bonorum fundamentum est. Vide. lib. 7. cap. 8. §. 1. Et cap. 4. §. 3. & cap. 11. §. 9. & cap. 6. §. 4. & lib. 6. cap. 10. §. 11.

Fer. 3. à Dom. 4.

Ioan. 7. *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* Hinc doctrinæ suæ firmitatem inexpugnabilem probat, quòd non meri hominis, sed Dei sit. Quod enim ex Deo habetur, validius est omnibus aduersis. lib. 7. cap. 19. §. 6. & lib. 6. cap. 4. §. 12.

Siquis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, &c. Cognitio diuinæ doctrinæ non datur nisi facientibus voluntatem Dei. Dona enim Dei multis laboribus sunt acquirenda. pag. 404.

Item: *Cognoscet de doctrina, &c.* Ad christianæ doctrinæ cognitionem iuberis facere diuinam voluntatem. Ad Iesu enim adiungeris per solas animi virtutes. lib. 7. cap. 19. §. 9.

Hic verax est, &c. In solo Iesu solida veritas inuenitur. lib. 7. cap. 21. §. 4. & lib. 6. cap. 3. §. 9.

Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem. Fortitudo legis adimplendæ non à Moyse, sed à Deo; à quo solo nostra fortitudo venit. lib. 7. cap. 22. §. 19.

Fer. 4. à Dom. 4.

Ioan. 9. *Vidit hominem cæcum à natiuitate, &c.* Diuinitatis proprium est nudis se manifestare hominibus. lib. 6. cap. 2. §. 1.

Opera Dei manifestentur in illo. Cæcitas & pœna, quæ non à culpa venit, ad gloriam hominis magis pertinet. lib. 6. cap. 2. §. 9.

Vade, & lauain Natatoria Siloe, &c. Lauari cogitur antequàm miraculosè lumina percipiat. Requiritur enim maximè animi interna puritas, vt diuinorum mirabilium percipiatur fructus. lib. 7. cap. 5. §. 6.

Lauit, & venit videns. In lauacro baptismi omnia lucida, plenaque luminum. lib. 7. cap. 1. §. 4.

Abij, laui, & vidi, &c. Non parua est gratia Dei, quòd & nos cooperemur virtutibus eius. lib. 7. cap. 8. §. 3.

Lutum posuit mihi super oculos, &c. Qui verbo

verbo posset lumina restituere; maluit luto oculis imposito illos sanare. Labor enim mixtus muneri facit benefactorem meminisse. lib. 7. cap. 6. §. 5.

Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. Et pauper, & mendicus homo coram Principibus sistitur. Sed vel vnus pauper Deo plenus validissimos quosque Principes prosternet. lib. 7. cap. vlt. §. 9.

Eiecerunt eum, &c. Gloriosum homini, quòd eosdem patiatur hostes, quos Iesus. lib. 7. cap. 11. §. 3.

Fer. 5. à Dom. 4.

Luc. 7. *Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matri suæ, &c.* Non solum in hac calamitate dicitur, quòd adolescens defunctus erat; sed & quòd matrem viduam plenam luctu, & orbitate relinqueret. Quod valdè miserandum est; quando ad fœlicitatem spectat discessus, quòd nulli relinquat materiam luctus. lib. 7. cap. vlt. §. 23.

Vnicus matri suæ. Filiorum calamitas durissima parentibus. libr. 6. cap. 5. §. 18.

Et turba ciuitatis multa cum illo. Meritò notatur turba multa esse circa defunctum; vbi enim multitudo est hominum, non potest lethale quid deficere. lib. 6. cap. 3. §. 6.

Noli flere. Fœlix mulier, cui Dominus lachrymas eripit; gaudia enim, quæ à Iesu veniunt, permanentia sunt. lib. 6. cap. 7. §. 18.

Tetigit loculum. Vbi manus Dei accedit, insuperabilem virtutem vel ipsi infirmitati attribuit. lib. 7. cap. 5. §. 14. Item ex Dei præsentia, & coniunctione per fidem, & charitatem, non potest non venire ad nos vitalis halitus. lib. 7. cap. 5. §. 12.

Fer. 6. à Dom. 4.

Ioan. 11. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria, &c.* Quę afflictio fœlicem exitum habet, non pro pœna venit, sed pro præmio virtutis. lib. 6. cap. 5. §. 27.

Vado, vt à somno excitem eum. Vt à Lazari familia hospitium accipiebat Iesus, sic vadit illi vitam daturus. Deus enim nunquam non beneficentissimus in eos, à quibus aliquid accipit. lib. 6. cap. 7. §. 20.

Vt à somno excitem. Resurrectionem à mortuis præstandam vocat excitationem à somno; magnæ enim præstantiæ est beneficia potius extenuare, quàm exagerare. pag. 329.

Lazarus mortuus est, & gaudeo. Non miror, quòd in morte iusti viri gaudium prædicetur; quando humana caro ex morte habet, quòd à iustis possit sustineri. lib. 6. cap. 13. §. 12.

Et lachrymatus est Iesus. Vt Deus in suorum pœnis dolet. lib. 6. cap. 11. §. 7.

Venit ad monumentum. Erat autem spelunca, &c. Mortis sedes adit Dominus, vt inde vitæ viam struat. Is enim est Iesus, qui mala pœnalia sciat in bonorum causas conuertere. lib. 7. cap. 12. §. 29.

Eleuatis oculis sursum. Magnum opus resurrectionis peracturus, vocemque adeò magnam editurus, quæ inferos penetraret; Patri Deo oculos eleuat, vt doceat vni Deo omnia magna referenda. lib. 7. cap. 21. §. 11.

Lazare, veni foras, &c. Deus absque medijs operatur. lib. 7. cap. 17. §. 7.

Sabbath. à Dom. 4.

Ioan. 8. *Ego sum lux mundi.* Cur non se potius comparat cœli luminibus? Lumina mundi hęc habent præcipuum, quòd de sui minutione luceant. Sic ille apud Deum præstantior, qui de se tollit, quod præbeat in Dei obsequium. lib. 7. cap. 21. §. 7. & cap. 19. §. 1.

Item: *Ego sum lux mundi.* Qui sub Iesu radijs viuit, non spectet alia lumina, nec stellarum prædominationem; aut imperiū patiatur. lib. 7. cap. 12. §. 13.

Habebit lumen vitæ. Qui sese tradit, Iesū sequendo, non parum lumen vitæ suscipit, de virtutum enim splendore maximè extolleris supra sydera. libr. 6. cap. 5. §. 6.

Testimonium tuum non est verum. Imò inde maximè verum probatur, quòd ab eis reijcitur. Nam apud illos magis probaretur, si falsum esset: quando apud mundiales Principes non male audiunt mendaces. lib. 7. cap. 11. §. 13.

Sed ego, & qui misit me Pater. Non à sola sua propria scientia testimonium suū confirmat, sed etiam à Dei Patris consilio. Vt doceat, quàm debeant puri homines nihil soli suæ prudentiæ absque Deo credere. lib. 7. cap. 11. §. 11.

Dom. 5. Quadrag.

Ioan. 8. *Si veritatem dico vobis, &c.* Vt diuinitatem suam testatam Iesus faciat; ad-

ducit

ducit in medium professionem dicēdæ veritatis. Et meritò, quia Principibus loquebatur, apud quos nullus homo purus cœlestes loquitur veritates. lib. 7. cap. 12. §. 24. Solus enim Deus facit, quòd homo præponat veritatem Regum fauoribus. lib. 7. cap. vlt. §. 12.

Item: *Si veritatem dico, &c.* Qui non studet veritati, aduersarium habet Iesum. lib. 7. cap. vlt. §. 18. Vera virtus vel mundi salutem, & vitam postponit veritati. lib. 7. cap. 4. §. 8.

Verba Dei audit. Vt à Deo ostenduntur esse verba, inde habent efficaciam, qua homines in opus trahant. Præstantia enim iubentis præceptorum facit obseruantiam. lib. 6. cap. 1. part. 2. §. 8.

Ego dæmonium non habeo. Repellit calumniam, qua dæmonium habere dicebatur; non autem repellit, quòd Samaritanus dictus sit; vt doceat suos à carnalis nobilitatis præsumptione longè esse. lib. 6. cap. 5. §. 5.

Ego non quæro gloriam meam. Bonus minister vni studet laudi Principis sui, non suæ. lib. 7. cap. 2. §. 19.

Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit, &c. Verbum Dei tota hominis firmitudo, & valentia est. lib. 7. cap. 15. §. 6.

Fer. 2. à Dom. 5.

Cap. 7. *Miserunt Principes ministros, vt apprehenderent Iesum.* Pessimi hi ministri Pharisæorum pergunt Iesum prændere; quādo boni ministri munus in eo est, quòd primus sit in rectè factis Principis, in malè autem factis nullus. lib. 7. cap. 2. §. 18.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum, &c. Inter Pharisæorum ministros, qui ad eum comprehendendum venerāt, sic securus loquitur, & sic se securum asserit, vt nullus in eum audeat. Sic sanè intrepidum pro Deo animum ipsa discrimina fugiunt. lib. 7. cap. 5. §. 13.

Quæretis me, & non inuenietis. Iesus in humilitate, & abiectione; non in mundiali splendore, & gloria conspicitur. lib. 7. cap. 10. §. 19. Item: A solis pacificis inuenitur. §. 20.

Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Præsentes habens Pharisæorum ministros; sitientes quærebat magna voce, quos satiaret. Non enim qui persequitur, sed qui sequitur Iesum, sterilitatem fugit, & inuenit abundantiam. lib. 7. cap. 10. §. 9.

Et bibat. Sentit Iesus, quòd homines eius pretioso sanguine non mādefiant. lib. 7. cap. 16. §. 9.

Flumina de ventre eius fluent. In suis cauet Dominus duritiem, & aridit atem cordis. lib. 7. cap. 19. §. 11.

Fer. 3. à Dom. 5.

Ioan. 7. *Quia quærebant eum Iudæi interficere.* In diuini obsequij prosecutione multos in te aduersarios excitas, à quibus te protegas. lib. 7. cap. 11. §. 1.

Manifesta te ipsum mundo. Hoc erat infidelium, & ignorantium consilium, quòd Christus se ostentaret, vt mundialem gloriam acquireret. Triumphus autem Christianus non in ostentatione, sed in abscōsione virtutum consistit. pag. 406. & lib. 7. cap. 10. §. 6.

Tempus meum nondum aduenit. Vt Iesu opera erant magnæ virtutis, sic nō præpropere, sed maturè, & cum magno circunstantiarum pondere executenda erant. Sic omnes, &c. lib. 6. cap. 9. §. 8.

Vos ascendite ad Diem festum hunc; ego autem non ascendam. Non sequitur Iesus fratrum suorum ductum, quem sibi deuium putabat. Qui enim maiorum suorum deuia sequitur, pereat necesse est. lib. 7. cap. 9. §. 23.

Testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala. Nunquam non veritatem denuntiabat Iesus. Funditus enim perdit homines, qui eis mendacia loquitur. lib. 6. cap. 10. §. 6.

Fer. 4. à Dom. 5.

Ioan. 10. *Facta sunt Encænia, &c.* In Encænijs celebrabatur renouatio templi, cui renouationis festo Iesus aderat. De renouatæ enim mētis beneficio ad Iesum accedimus. lib. 7. cap. 7. §. 9.

Quousque tollis animam nostram? Non possunt negare Iudæi se in magna esse anxietate; dum nil non temporale in Iesu quærunt. Nescit enim animus esse sine certamine, dum ijs imis & temporalibus vacat. lib. 7. cap. 10. §. 8.

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, &c. Et opera, & nomen Patris iungit. Diuinum enim nomen operibus declaratur; vt sciamus quantæ fœlicitatis est, operibus declarari nomen Christianum. lib. 7. cap. 12. §. 14.

Ego eognosco eas, & sequuntur me. Sub nullo alio domino patitur Iesus esse oues suas. lib. 7. cap. 12. §. 6.

Sequun-

Sequuntur me; & ego vitam æternam doceis, & non peribunt. Vt prosperatur via illorum, qui à Deo trahuntur. lib. 7. cap. 11. §. 7.

Item: *Sequuntur me.* Vbi est Iesus, nihil aliud suspiciendum, colendum ve. lib. 7. cap. 10. §. 16.

Non rapiet eas quisquam de manu mea. In Dei manu veram securitatem habemus. lib. 6. cap. 5. §. 3.

Fer. 5. a Dom. 5.

Luc. 7. *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Publica lasciuia absumit nomen in personis bonis. lib. 7. cap. 4. §. 2.

In ciuitate peccatrix. Mulier malæ indolis, & malæ educationis præsentissima ruina est ciuitatum. lib. 7. cap. 4. §. 5.

Vt cognouit, quòd Iesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum, &c. Vt cognouit Iesu præsentiam, valedixit lasciuiæ. Timor enim Dei efficacissimum frænum contra lasciuiam est. lib. 6. cap. 9. §. 10.

Attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes Domini, lachrymis cæpit, &c. Vnguenta, crines, oscula Deo præstat, quę perditioni solebat. Et tu fœlix eris, si in bonum vertis, quæ in perditionem feceras. lib. 7. cap. 10. §. 7.

Lachrymis cæpit rigare, &c. Sacrificia Deo exhibita de lachrymis pinguescunt. lib. 7. cap. 23. §. 17.

Et osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Lachrymis pedum osculationes, & vnguenti profusiones adiungebat. Ille enim fletus, & lachrymæ saluti sunt, quibus opera virtutis adduntur. lib. 7. cap. 23. §. 16.

Simon habeo aliquid tibi dicere, &c. Iesus Pharisæum pungit, & peccatricem defendit; vt enim seuerus est in reos, sic benefícus in correctos. lib. 6. cap. 10. §. 8.

Fer. 6. à Dom. 5.

Ioan. 11. *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum, &c.* Impij in hoc vno conueniunt, vt iustũ perimant. lib. 7. cap. 11. §. 2.

Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani, &c. Quod consulebant, vt Romanorum impetum cauerent, hoc illis hostes traxit Romanos. Sic Deus vtitur consilijs impiorum, vt eos in pœnas debitas trahat. lib. 7. cap. 8. §. 3.

Venient Romani, & tollent locum nostrũ, &c. Non si dimittatur Iesus, venient hostiliter Romani; sed magis venient, si non dimittatur. Qualis enim tu fueris Deo, tales tibi creaturæ erunt. lib. 7. cap. 23. §. 3. Et pax, & quies à solo Iesu. lib. 7. cap. 22. §. 6.

Tollent locum nostrum, &c. Pasi sunt, quod timebant; quia fortitudo inexpugnabilis ex sola religione, & pietate in Deum venire consuetit. lib. 7. cap. 22. §. 20.

Vt vnus homo moriatur pro populo, &c. Hoc assertum, vt ab ingenio Cayphæ exibat, & nefarissimum, & iniustissimũ erat, nunquam enim innocenti supplicium licet inferri. lib. 7. cap. 20. §. 1. Quando autem homo nocens est, tum eius pœna ad salutem populi conducit. lib. 7. cap. 12. §. 34.

Quia Iesus moriturus erat pro gente. Nulli potestati inglorium est, quòd propter seruorum vtilitatem aliqua in se exhibeat seruilia. lib. 7. cap. 12. §. 25.

Sabbat. à Dom. 5.

Ioan. 11. *Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt Lazarum interficerent, quia multi, &c.* Expende illud: *Cogitauerunt*; non interfecerunt de facto; quia nulla perditio est ei, qui Deo seruit. lib. 7. cap. 13. §. 15.

Item: *Cogitauerunt: vt Lazarum interficerent.* Nec vllis alijs mirabilibus, nec Lazari resurrectione se victos Iudæi ostendunt, quod lethalissimum illis fuit. Vt est lethale, quòd nullis vinci sustineas in bonum. lib. 7. cap. 13. §. 3.

Item: *Cogitauerunt: vt Lazarum interficerent.* Quem viderant de morte triumphasse, adhuc quærunt interficere. Cæcissimus est impiorum obduratus furor. lib. 7. cap. 13. §. 1.

Videtis, quia nihil proficimus? Ecce mundus totus, &c. Magna Dei virtus est, quòd repellantur Principum conatus à priuatis. lib. 7. cap. 12. §. 33.

Dom. in Ramis.

Matth. 21. *Dicite filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi.* Rex tuus dicitur, vt qui ad propria veniret. Nihil enim alienum Deo non ingratum. lib. 6. cap. 7. §. 16.

Mansuetus, sedens super asinam. Mansuetudo Diuinitati amica. lib. 6. cap. 5. §. 10. Docturus humilitatem & abiectionem, mansuetus venit Iesus. Non enim herilitèr, sed humanè, & humiliter præcipienda dura, quæ fieri cupias. lib. 6. cap. 7. §. 21.

Euntes autem discipuli fecerunt, &c. Solo Iesu verbo nitentes audent discipuli asellum

aſellum ſoluere, remque abſque vlla dominorum reſiſtentia perficiunt. Fiducia enim in Deo validior omnibus armis eſt. lib. 7. cap. 13. §. 7.

Straverunt veſtimenta ſua. Cultus, & honor Deo exhibitus maximè Deum trahit ad homines. lib. 7. cap. 11. §. 9. De religione multa in indice rerum.

Qui venit in nomine Domini. Ex Dei nomine, nunquam nō fœlix nomen venit ad victorias. lib. 7. cap. 11. §. 8.

Fer. 2. à Dom. in Ramis.

Ioan. 12. *Maria accepit libram vnguenti, &c.* Iam iterum Maria cum vnguento ad Ieſum venit. Magna enim eſt Dei poteſtas quòd fœminas faciat in bono perſeuerare. lib. 6. cap. 6. §. 15.

Item: *Maria accepit, &c.* Fœminarum nomina pro ingenti virtutum cumulo ponuntur in ſcriptura. lib. 7. cap. 17. §. 4.

Accepit libram vnguenti. In vnguentis, & odoribus eſt tota materia virtutis huius fœminæ. Fœmineis enim mentibus auferenda eſt difficultas virtutis. lib. 7. cap. 17. §. 9.

Vnxit pedes Ieſu. Semel, & bis ad pedes Ieſu vngendos venit Magdalena. Quæ enim te Deo iunxerunt opera, nunquam dimittenda. lib. 7. cap. 22. §. 16.

Vnus ex diſcipulis eius, Iudas nomine, &c. Qui diſciplinæ Chriſtianæ magna ſubierat, offendit in paucis denarijs, quibus poſſet vnguentum vendi. Et ſanè hoc eſt maximæ infirmitatis indicium, quòd magna ſuperans, in minimis decidas. pag. 344.

Datum eſt egenis? Præſeferebat malus curam egenorum, quam ſanè mentiebatur; vbi enim adeſt auaritia, abeſt veritas. pag. 881.

Fer. 5. in cœnam Domini.

Ioan. 13. *Vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* Ille ad Deum beneficum Parentem accedit, qui mundialia omnia ab affectu depellit. lib. 7. cap. 21. §. 2.

In finem dilexit eos. Solus Ieſus res in finem, perfectumque deducit. Nulla enim poteſt eſſe perfectio, niſi vbi eſt Chriſtus. lib. 6. cap. 7. §. 1.

Item: *In finem dilexit eos.* Dilexit eos in Deum, vt illos ad Deum duceret, quo maximè charitas diuina adſtruitur. Carnalis autem amor prorſus contrariatur dilectioni diuinæ. lib. 7. cap. 23. §. 9.

In finem dilexit eos. Non equidem Ieſus amabat ſuos, niſi ob Deum; & ideò cuſtodiebat illos vſque in finem. Dilectio enim Dei bonorum noſtrorum eſt firma cuſtodia. lib. 7. cap. 23. §. 8.

Sciens, quia omnia dedit in manus. Omnia non ſolum æterna, ſed & temporalia: hæc enim ſæpe dantur iuſtis, ne à diabolo venire putentur. lib. 7. cap. 23. §. 6.

Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua. Vbi cœna dominica guſtatur, veſtes deponuntur. Cœleſtis enim panis temporalia bona dimittit. lib. 6. cap. 3. §. 1.

Cum acceperiſſet linteum, præcinxit ſe. Ornatus abiectio, & humilitas, maximè trahit Deum. pag. 425.

Si ergo ego laui pedes, &c. Lib. 6. cap. 1. part. 2. §. 17.

Feria. 6. in Paraſceue.

Multa habes in indice de Chriſti Domini paſsione, & cruce.

Dom. Reſur.

Reſurrectionis expectatio facit nos lætos in mortem ire. 196.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

FINIS.

VALLISOLETI.

Ex Typographia Antonij Vazquez a Sparça.

Anno M. DC. XXXVII.

VALLISOLETI

Ex Typographia Antonij Vaz-
quez a Spargia.

Anno M. DC. XXXVII.

Siam. Top.
Est. 23
Tab. 7
Num. 16

BAEZA
DE
Christo
Figurato
.3.

A-2298
519